Opera omnia, medica, & physica / [Bernardino Ramazzini].

Contributors

Ramazzini, Bernardino, 1633-1714.

Publication/Creation

Londini : Apud P. & I. Vaillant, 1717.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/tjszrqcs

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

MEDICAL SOCIETY of LONDON.

No.

I. EVERY member desiring a book, shall apply for it between the hours of six and eight in the evening on Mondays, and five and six on other evenings; and shall write down on a slip of paper, the number and title, and shall sign and date it; The librarian or his deputy shall file the paper, and shall deliver it back, or cancel it, when the book is returned to the library; and any person taking a book without such written acknowledgement, shall forfeit three times its value.

II. No member shall have more than two volumes at a time in his possession.

III. Any member detaining a pamphlet or volume in duodecimo above one week; an octavo two weeks; a quarto three weeks; or a folio four weeks, shall be liable to a penalty of one, two, three, or four shillings, in proportion to the size, for each week he shall detain it, provided such penalty exceed not half the value affixed to the book by the council.

IV. Manuscripts, and books of value, are not to be taken out of the library without a written permission from the council.

V. All pamphlets and books shall remain in the library for the space of one, two, three, or four weeks, (according to their size,) after they have been received.

VI. A member who shall lose, or injure a book belonging to the society, shall replace it, or make such compensation as the council may think proper.

VII. No member without leave of the librarian or his deputy, shall take any book from its place.

VIII. All books shall be returned before the general meeting in March, for the inspection of the librarian on entering into his office. Every person neglecting to return a book at that time, shall forfeit half its value.

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark
RAMAZZINI, B.

Vitam ejusdem concinnavit Barthol. Ramazzinus ex fratre nepos,
quam exhibet Mangetus in Bibliotheca Scriptorum Medicorum, v. Ramazzini

XXI 6

BERNARDINI RAMAZZINI,

Mutinenſis, in Patavino Gymnaſio Practicæ Medicinæ Profeſſoris Primarii

OPERA OMNIA,

MEDICA, & PHYSICA.

Cum Figuris, & Indicibus Neceſſariis.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

LONDINI,
Apud PAULUM & ISAACUM VAILLANT.

MDCC XVII.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30408179

SERIES OPERUM OMNIUM BERNARDINI RAMAZZINI.

I. Rationes Jatri Argumenti.
II. Conſtitutiones Epidemicæ annorum quinque; Accedit Diſſertatio Epiſtolaris de Abuſu Chinæ Chinæ.
III. De Fontium Mutinenſium Admiranda Scaturigine Tractatus Phyſico-Hydroſtaticus; Accedit Libellus Franciſci Areoſti de Petroleo Montis Zibinii, ſeu Petroleo Agri Mutinenſis ab Oligero Jacobæo Manuſcriptus, in Bibliotheca Regia Haffnienſi repertus.
IV. Ephemerides Barometricæ cum Diſquiſitione cauſæ adſcenſus ac deſcenſus Mercurii in Torricelliana fiſtula; Cum tota Controverſia, quam Auctor habuit cum D. C. Gunthero Schelhamero in Kilonienſi Lyceo Medicinæ Profeſſore. Hiſce omnibus accedit nova Epiſtola ejuſdem Auctoris ad Nob. Virum D. Lucam Schrœkium A. N. C. Præſidem, cum Solutione Problematis ex Invento C. V. Domini V. G. Leibnitzii.
V. De Morbis Artificum Diatriba Mutinæ olim edita; Nunc accedit Supplementum ejuſdem Argumenti, ac Diſſertatio de Sacrarum Virginum Valetudine tuenda.
VI. De Principum Valetudine tuenda, Commentatio.
VII. De Contagioſa Epidemica, quæ in Patavino Agro, & tota fere Veneta Ditione in Boves irrepſit, Diſſertatio; habita in Patavino Lyceo die 9. Novemb. 1711.
VIII. De Peſte Viennenſi Diſſertatio; habita in Patavino Gymnaſio die 20. Novemb. 1713.
IX. Annotationes in Librum Ludovici Cornelii de Vitæ Sobriæ Commodis, cum ejuſdem Libro.

Index Orationum Jatri Argumenti. Bernardini Ramazzini.

Oratio I. in Solemni Mutinenſis Academia inſtauratione pag. 1
Oratio II. Secularis, quam Auctor primam habuit in Patavino Lyceô die 12. Decemb. Anno MDCC. 9
Oratio III. Felicius curari à Medico popularem gentem, quam Nobiles, & Principes Viros. 17
Oratio IV. Veram Febrium Theoriam & Praxim inter ea, quæ adhuc deſiderantur, eſſe recenſendam. 25
Oratio V. Medicam Artem Navigatoriæ ſimilem eſſe. 31
Oratio VI. Multum Conferre Practico Medico, Noſſe, qualis ſit de ſe communis hominum Opinio. 37
Oratio VII. Antiquitatis, & Novitatis ſtudio Medicum perfici. 42
Oratio VIII. In Medicina facienda remediorum ſimplicitatem Operoſæ Compoſitioni præferendam. 48
Oratio IX. Theoricæ Medicinæ Nullum Jus eſſe, ut ſupra Practicam Dominatum affectet. 54
Oratio X. Hyemalis Conſtitutio algidiſſima, Anni 1709. 60

Index Conſtitutionum Epidemicarum, &c.

Conſtitutio Epidemica Ruralis, Anni 1690. 68
Conſtitutio Epidemica Urbana, Anni 1691. 88
De Conſtitutionibus trium ſequentium Annorum 1692. 1693. & 1694. 106
De Abuſu Chinæ Chinæ Diſſertatio Epiſtolaris. 123

Index Capitum De Fontium Mutinensium &c.

Cap. I. Structura, qua fieri ſolent hi fontes deſcribitur, nec non curioſiora, quæ in Puteorum foſſione apparent, & dum Aqua emergit, annotantur. 138
Cap. II. Stagnantes non eſſe hujuſmodi Aquas, ſed mobiles; hac occaſione pauca quædam ex Hydroſtaticæ Fontibus delibantur. 144
Cap. III. Non poſſe horum Fontium Originem à Flumine ſubterraneo deduci. 148
Cap. IV. De Statu antiquo, ac forma Ciſpadanæ, & Tranſpadanæ Regionis. 153
Cap. V. Qualis ſit hujus abditæ Scaturginis natura, & conditio. 160
Cap. VI. Progreſſus, ac finis harum aquarum diſquiritur, nec non eorum, quæ in Puteorum foſſione fuerunt obſervata, ratio redditur. 165
Cap. VII. Quæritur proportio quam habeat aquæ elevatio in fiſtula erecta alteri fiſtulæ Horizontali inſerta ad ſui Hydrophylacii altitudinem. 170
Epiſtola Dominici de Conradis Auſtriæ D. Bernardino Ramazzino. 173
Cap. Ultimum. De Fontium Mutinenſium bonitate, ac præſtantia. 178

INDEX ARTICUL. DE PETROLEO MONTIS ZIBINII.

Franciſcus Arioſtus de Oleorum Principis Olei Monzibinii ortu, & virtute ad D. Borſium. 186
Oleorum Principis Olei Monzibinii ſitus, ortus, vis, virtuſque. 187
Robinum Catulum ſicca, & ſeptimeſtri ſcabie Liberatum. 190
Ingentem lumbricorum aciem, quæ Princivallem Arioſtum, Chariſſimum Puellum, ad mortem invaſerat, ab Oleo noſtro ſalubri fuſam fugatamque. ibid.
Lupam, quæ jam ſemeſum crus vorabat, Olei noſtri infuſione exterminatam. 191. Col. 1
Trina cum Oleo noſtro inunctione Venuſtam Mulierem ſeptenni humeri ſiniſtri dolore abſolutam. ibid. Col. 2
Lumen oculi ſiniſtri, quod ſuborta perla Puellæ occuparat, aqua Olei, lotione, Puellæ reſtitutum. 192
Ictu ſecuris abſciſſum pedem, & quatuor menſes incuratum, Olei noſtri cura junctum, ſolidatumve. ibid.
Trigenaria crurum ulcera, putridaque & olentia curata. ibid. Col. 2
Brachiorum debilitatem mirifice convaluiſſe. ibid.
Duos, & Decem annos luce oculorum privum, Olei noſtri frequenti immiſſione luci reſtitutum. ibid.
Colicam paſſionem per hujus Olei unctionem, deglutitionem, & ſummiſſionem manifeſte ſublatam. ibid.
Non ſui compotem ulnam peccantis humoris Cauſa, crebra miri Olei lotione ſui compotem. 193
Ulceris ex Carbunculo Lacunam ad fiſtulam tendentem jugi Olei aſperſione viva carne ſenſim repletam. ibid.
Cancrum genitale membrum lambentem, Oleo noſtro, Rhabarbaro & Olibano eradicatum. ibid.
Orbum etiam Senem viſu, tanti Olei actione viſu donatum. ibid.
In elephantiam tendentem Puellum, perpetua Olei lotione curatum. 194
Saniem emittentem Matricem ulceratam per noſtri Olei ſummiſſionem ad priſtinam redactam valetudinem. ibid.
Dentium dolore, & eorum concuſſione excellentis Olei hujus juvamento Benjamin levatum. ibid.
Veſicam ab excoriatione celebri hoc Oleo curatam. 195
Nodoſa chiragra Durachienſem liberatum. ibid.
Epilepſia laborantem Tragurienſem, ſola Olei inſumptione curatum. ibid.
Stetiſſe intra fomitem Oleum donec Scortum Superventum eliminatum eſt. 196
Ne Stillam quidem etiam Olei emiſſam quoad tres adfuere Fonti, qui ſecum luſuri talos ſupponere falſos conjurant. 197
Epilogus de vi Olei, & Virtute. ibid.
Franciſci Arioſti Peregrini Illuſtriſſ. Princip. D. Borſio Duci Epiſtola. 198
Reſponſio Ducis Borſii. 199
Fr. Hieronymi Bendedei, Franciſco Arioſto Peregr. Epiſtola 200
Ludovici Carri Franciſco Arioſto Epiſt. ibid.

Jesus Barnabas Percivallis Recanethensis Francisco Arioſto Juris-Consulto Epiſtola. ibid.
Bernardini Ramazzini D. Abbati Felici Viali in Patavina Universitate Botanices Professori Epiſtola. 201

INDEX CAPITUM SEU ARTICUL. EPHEMERID. BAROMETRICÆ &c.

Typus Motionum Mercurii in Barometro ſingulis diebus Anni 1694. &c. 214.215
Epiſtola Guntheri Chriſtophori Schelhameri D. Archiatri Gottorpienſis, &c. de Motu Mercurii in Tubo Torricelliano; Acceſſit altera ejuſdem argumenti *Auctoris noſtri*; Itemque Tertia ſive ejuſdem Schelhameri ad Objectiones Ramazzianas Reſponſio. 231
Epiſtola Prior, ſolutio Problematis, cur Mercurius in Tubo Torricelliano, ſeu Barometro, pluvioſo tempore deſcendat, cum deberet adſcendere G. C. Schelhameri D. Lucæ SCHROEKIO Academ. N. C. Leopoldin. Præſid. 233
Epiſtola II. Clariſſ. Ramazzini D. Lucæ SCHROEKIO &c. 237
Epiſtola III. G. C. Schelhameri D. Lucæ SCHROEKIO &c. 247
Samuelis Reyheri Kilonienſis Profeſſoris &c. ad Auctorem Epiſtola & hujus in eandem brevis Commentatio. 266
Bernardini Ramazzini Epiſtola D. Lucæ SCHROEKIO. 268

INDEX CAPIT. DE MORBIS ARTIFICUM DIATRIBÆ, Ejuſque Supplementi & de S. Virginum Valetudine Tuenda.

Cap. I. De Morbis, quibus obnoxii ſunt Metallorum Foſſores. 277
II. De Morbis Inauratorum. 282
III. De Jatrapliptarum Morbis. 284
IV. De Chymicorum Morbis. 286
V. De Figulorum Morbis. 287
VI. De Stannariorum Morbis. 289
VII. De Vitriariorum & Specularium Morbis. ibidem & ſeq.
VIII. De Pictorum Morbis. 291
IX. De Morbis quibus tentari ſolent Sulphurarii. 292
X. De Morbis quibus obnoxii ſunt Fabri Ferrarii. 293
XI. De Gypſariorum, & Calcariorum Morbis. 294
XII. De Pharmacopœorum Morbis. 297
XIII. De Morbis Foricariorum. 299
XIV. De Morbis Fullonum. 302
XV. De Morbis, quibus obnoxii ſunt Olearii, Coriarii, aliique ſordidi Artifices. 307
XVI. De Morbis Tabacopœorum. 311
XVII. De Veſpillonum Morbis. 314
XVIII. De Obſtetricum Morbis. 316
XIX. De Nutricum Morbis. 318

XX. De Morbis, quibus obnoxii ſunt Oenopœi, Cereviſiarii & Zythopœi. 327
XXI. De Piſtorum & Molitorum Morbis. 333
XXII. De Morbis eorum, qui Amylum conficiunt 336
XXIII. De Morbis, quibus Frugum Cribratores, & Menſores vexari ſolent. 338
XXIV. De Lapicidarum Morbis. 340
XXV. De Lotricum Morbis. 341
XXVI. De Morbis, quibus Lini, Cannabis, ac Sericearum Placentarum Carminatores tentari ſolent. 342
XXVII. De Balneatorum Morbis. 343
XXVIII. De Morbis eorum, qui in Salinis operantur. 344
XXIX. De Morbis, quibus tentari ſolent Statarii Artifices. 346
XXX. De Sedentariis Artificibus, ac illorum Morbis. 348
XXXI. De Morbis Judæorum. 349
XXXII. De Curſorum Morbis. 351
XXXIII. De Morbis Equiſonum. 353
XXXIV. De Bajulorum Morbis. 356
XXXV. De Athletarum Morbis. 358
XXXVI. De Lepturgorum Morbis. 359
XXXVII. De Morbis quibus tentari ſolent Phonaſci, Cantores, aliique hujus generis. 361
XXXVIII. De Agricolarum Morbis. 363
XXXIX. De Piſcatorum Morbis. 367
XL. De Morbis Caſtrenſibus. 368

DE LITTERATORUM MORBIS DISSERTATIO 373

De Artificum Morbis Supplementum. 381

Cap. I. De Typographorum Morbis. 382
II. De Scribarum & Notariorum Morbis. 383
III. De Morbis eorum, qui apud apud Aromatarios, varia Plantarum Semina Saccharo condiunt. 385
IV. De Textorum, & Textricum Morbis. 386
V. De Morbis, quibus obnoxii ſunt Fabri Ærarii 387
VI. De Lignariorum Morbis. 388
VII. De Morbis eorum, qui Novaculas, & Phlebotomos ad cotem acuunt. 389
VIII. De Morbis Laterariorum. 390
IX. De Puteariorum Morbis. 391
X. De Nautarum & Remigum Morbis. 393
XI. De Venatorum Morbis. 395
XII. De Saponariorum Morbis. 398

De Virginum Veſtalium Valetudine Tuenda Diſſertatio. 400

INDEX CAPITUM DE PRINCIPUM VALETUDINE TUENDA.

Cap. I. Ad publicam felicitatem plurimùm conferre bonam Principis Valetudinem; ideòque peculiari diligentia cuſtodiendam. 407

II. Qualis debeat eſſe Medicus, cui verè Archiatri nomen conveniat, quidve in Principis Perſona deſideretur. 409

III. Aëris Naturam, & ſupra Viventium corpora poteſtatem, nulli ætati magis innotuiſſe, quàm noſtræ, rectum propterea illius regimen, pro Sanitatis tutela, inſtituendum. 413

IV. Non benè inter ſe convenire Principum menſas, & bonam Valetudinem; victu parco & ſimplici facilè obtineri Sanitatem cum longævitate; quid ſit cibi attritio in ſtomacho apud Galenum exponitur; neminem in ſeipſo, etiamſi caveat, determinare poſſe juſtam cibi menſuram. 417

V. Cibaria, quæ ad bonam Valetudinem ſunt minùs apta, Principibus magis uſui eſſe; de cibis primæ, & ſecundæ menſæ quædam adnotantur; quid ſit apud Hippocratem, carnes eſſe leves ad ſtateram, quid apud Ariſtotelem vinum ethicum. 420

VI. Nemini magis, quàm Principi pro conſervanda Valetudine neceſſariam eſſe quotidianam corporis exercitationem. 425

VII. Regulam inverſam Somni, & vigiliarum, Principum Aulis valdè familiarem, ad tuendam Valetudinem minimè aptam eſſe. 429

VIII. Excretionum naturalium, quæ reliquiæ ſunt coctionum in noſtris corporibus rationem habendam, ut ritè fiant, ac ne una alteri impedimento ſit. 432

IX. Ex nulla re magis, quàm Animi affectibus periclitari Principum Valetudinem, nihilque eſſe, cui minùs ſuccurrere poſſit Ars Medica. 435

X. Quale debeat eſſe in Principibus Literarum Studium, ne bonæ Valetudini inferatur noxa. 437

XI. Quale eſſe debeat in ſenili ætate Valetudinis regimen. 441

XII. De nimia obeſitate, & corpulentia Principibus, non minùs inſalubri, quàm indecora. 444

XIII. De præſervatione à quibuſdam morbis, quibus magis obnoxii ſunt Principes. 447

XIV. De regimine Valetudinis Principum in Militari Expeditione, & Caſtris. 450

Diſſertatio de Contagioſa Epidemia, quæ in Patavino Agro, & tota fere Veneta Ditione in Boves irrepſit; Habita in Patavino Lyceo die 9. Novembris 1711. 453

Diſſertatio de Peſte Viennenſi; Habita in Patavino Gymnaſio die 20. Novembris 1713. 465

Annotationes *Auctoris* in Librum Ludovici Cornelii de Vitæ Sobriæ Commodis, &c. cum ejus Libro. 471

NB. Syllabus Artificum pag. 276. quod ad notas numerorum attinet, dirigatur juxta normam Indicis de Morbis Artificum.

BERNARDINI RAMAZZINI,

Medicinæ Professoris Primarii, &c.

ORATIONES.

ORATIO PRIMA,

In solemni Mutinensis Academiæ instauratione

SERENISSIMO FRANCISCO II.

Mutinæ Regii &c. Duci X.

ET si jam satis certum, & inconcussum est, *Serenissima Celsitudo*, immortalem hunc quo vivimus animum, à naturæ elementaris confinio esse quàm maximè dissitum, utpotè *Divinæ particulam auræ*, qualem olim satis religiosè Venusinus Poëta descripsit; illum tamen huic corpori, quod animat, & circumfert, adeò cognatis legibus devinxit idem qui condidit Divinus Opifex, ut illius affectus ex Platonis effato nunquam clariùs eluceſcant, quàm dum sub specie aliquâ corporalis mali adumbrantur. Geminæ sunt malorum species (ajebat ille Virorum sapientissimus) quæ à statu melioris vitæ humana corpora quandoque deturbant, Morbus scilicet, & Turpitudo; ac profectò, quis unquam, vel Stoicæ mentis, ibit inficias, quin in classe malorum sint morbi, cùm nihil magis optandum, quam ut sit *mens sana in corpore sanô?* Corporis verò turpitudinem cur in eôdem censû referre non liceat? Quotus enim quisque pro corporis elegantiâ, ac venustate Gratiis, ac Naturæ non litasset? Totidem igitur ex Platonis decretô animis nostris possunt inesse malа; corporali ægritudini respondet in animô improbitas, turpitudini ignorantia. Ægrotat igitur, auditores Sapientissimi, animus noster, quoties illum occupavit improbitas; febriculosus est cum à luxuriâ peruritur, ictericus cum livore suffunditur, tabidus cum voluptate marcescit, distortus cum ab æquitate declinat, repandus cum ambitione superbit, gibbus cum ad terrena propendet, quarè satyrico œstro percitus exclamabat olim Volaterranus Vates:

O curvæ in terras animæ cœlestium inanes.

Verùm sicuti ægrum, ac languentem animum, si sit improbus, non ineptè quis dixerit, ita quoque deformem, si sit ignorans, non immeritò pronunciabit. Exulet enim ab illo liberalium disciplinarum decor, & ornamentum, quid turpius fingi potest, quid fædius? Ignoret enim quot, & quanta naturalium rerum arcana reserarit huc usque Philosophia, non imaginaria illa, & phantastica, quæ tam curiosè ac Anatomica penè indagine Ens rationis (sit verbo venia) in partes quas non habet dissecat; sed illa quæ Naturæ indagatrix rerum rationes, & causas exquirit; quam invenustus prodibit in publi-

cum, quam inamœnus? Ignoret quanta ſit numerorum dignitas, & poteſtas, quomodo cœleſtium corporum curſus, recurſus, errores deprehendat Syderalis ſcientia, quàm facillimè quamcunque formam in aliam reddat Geometria, quam puſilla vi ingentia pondera ſuſpendat Statica, quot in facultate Optica, Catoptrica, Hydraulica, Pneumonica ſpectentur prodigia, quam inelegans Sapientiorum oculis apparebit, quam illiberalis? Ignoret quot nova quotidie Exercitationes Latrophyſicæ, Hermeticæ, & Anatomicæ Mundo Literario aperiant phænomena; ignoret quibus legibus, quibus ſanctionibus terrarum Orbem regat Jurisprudentia; ignoret denique Divinitatis arcana quæ luminum Pater ſola dignatione ſuæ pietatis mortalium mentibus obcæcatis aperuit, quantum præferet deformitatis, quantum horroris? At quorſum hæc, inquiet aliquis, niſi quoque conveniens afferatur medela ad has peſtes animorum eliminandas? Rectè quidem; quemadmodum igitur ad profligandos morbos reperta eſt Medica facultas, & ad corporis decorationem excolendam inſtituta fuit Ars Gymnaſtica, cum homines in Thermis publicè exercerentur, lavarentur, ungerentur, ità quoque ad animorum ægritudinem propulſandam, & deformitatem emendandam publica majores noſtri aperuere Gymnaſia, ubi ingenua Juventus liberè, ac ſine ullô gravioris ſupercilii metû exerceretur, deſudaret, ac velut publicis in Thermis, improbitatis, & ignorantiæ ſordes elueret. Jam videtis, Auditores Ornatiſſimi, quid velim, quid animo intendam, non niſi profectò, ut in hâc meâ Inaugurali Oratione, dum tantâ ſolemnitate hujus Lycei panduntur fores, non ſecus, ac ſi bifrontis Jani reſeraretur Templum, non niſi inquam, ut ſummatim expendam, quantæ dignitatis, quantæ utilitatis futurum ſit hoc Athenæum non ſolum huic nobiliſſimæ, & fortunatiſſimæ Civitati, verùm etiam univerſæ Ditioni, quam *Eſtenſes Aquilæ* ſub grandium alarum umbra tutantur, ac fovent.

Adeò antiqua, Viri Sapientiſſimi, ſunt literarum primordia, ut in ipſô Mundi exordiô per nondum calcatam Signiferi Orbitam vix unum gradum, vel alterum lucis Sol diſpenſator abſolviſſet, cum Terris divinarum, humanarumque rerum Sapientia contemplatrix illuxit. Etenim cum Sapientiſſimus ille Artifex primum humani generis Parentem fictili magiſterio plaſmaſſet, eôdem auræ vivificantis afflatû & animam ut viveret, & Sapientiam, ut Conditoris Opera contemplaretur, inſpiravit. Hinc ſeminaria transfuſione, ac veluti per traducem, ſi non perfecta illa, ac tam diſtincta rerum cognitio, ſaltem innata diſcendi cupiditas continuato ductû deſcendit in poſteros. Nulla idcircò tempeſtate, tam barbaræ, ac à civili cultû adeò ſemotæ gentes exſtitere unquam, quæ, hoc Naturæ geniô ſuadente, literarum Studium non excoluerint; & Academias pro erudienda Juventute non aperuerint. Quandoquidem enim Divinus ille Opifex eadem nos penè corporali ſarcina cum cæteris animantibus inſtructos ab iiſdem ſolâ ratione ſejunxit, ut, non more ferarum in ſylvis, ſed in Urbibus ſociali vita degamus, quodnam quæſo aptius eſt inſtrumentum, quod & ad ſocietatem magis alliciat, & horum aſperitatem faciliùs emolliat, quàm ſtudium liberalium diſciplinarum?

Scilicet ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Nimis à ſcopo aberrarem, ſi antiqua vellem hiſtoriarum monumenta evolvere, ac referre, quot, & quales Academias inſtituerit quæque regio, & quàm vetuſta ſit conſuetudo, loca habuiſſe ſtudiis deſtinata. Liceat mihi tamen pauliſper peregrinari, & injucunda recordatione noſtratium Academiarum vetus aliquod ſpecimen vobis exhibere. Primò itaque in ipſô Aſiæ veſtibulô antiquiſſima apud Judæos pro inſtituendâ Juventute ſe ſe offert Academia, quam ſacri Codices poſitam fuiſſe memorant in Civitate Dabir dicta, quæ priùs Cariat ſepher vocabatur, id eſt Civitas literarum. Inſigni quoque famâ priſcis illis temporibus claruerunt Epheſus, & Tarſus, ac in Phœniciâ Barutus, quam Urbem olim

olim Imperatores legum Nutricem appellavêre, cùm in illâ Jus Civile Romanorum doceretur. Quod si penitiores Orientis partes perluſtrare placeat, celeberrima occurrent Gymnaſia, quibus præerant Gymnoſophiſtæ, quos Brachmannas appellabant, quemadmodum etiam apud novi Orbis incolas non pauca obſervabimus Scholarum, quæ noſtras æmulentur, ſpecimina.

Sed quid de Africâ referam, quæ anteactis ſæculis tot peperit ingeniorum monſtra? Ægyptus enim virtutum æquè ferax, ac ſegetum, quot aluit præclariſſimas Civitates, quæ ſolidioris doctrinæ ubertatem toti penè Mundo diſpenſarunt?

Dicat præ cæteris, quæ in Ægypto olim maximè claruit Heliopolis, id eſt Civitas Solis, (nunc non proh dolor, Turcicæ Lunæ devota ſolitudo) ex quâ abditioris Philoſophiæ prima lumina ſuſtüratos eſſe ajunt Homerum, Platonem, Solonem, primæ magnitudinis Sydera, quæ in Cœlo Sapientiæ refulſerint. Dicat Carthago illa Romani nominis æmula, literarum non minùs, quam armorum venerabilis Magiſtra, quæ optimarum artium ſtudiis ità inclaruit, ut cum ipſô Latiô auſa fuerit de armorum, & eloquentiæ primatû contendere. Sed ut propiora nobis quæ ſuggerit Europa noſtra contemplemur, ſubeat animos veſtros ſolius Græciæ recordatio, ac præcipuè Athenarum, quam Civitatem meritò dixêre nonnulli Græciæ Græciam, ex quâ velut fonte Sapientia defluxit in Tiberim.

Solum itaque Athenarum nomen pro laudum compendio ſufficiat, quandoquidem, quæ magis inter nos excellunt Academiæ, multum ſibi adſciſcant decoris, ſi fronte præferant titulum Athenæi. Non uni tamen Græciæ conceſſum, ut ſola diceretur omnium diſciplinarum Altrix, & Magiſtra, nam Galliæ ſua non defuere Lycea, & Academiæ, qualis fuit Maſſilienſis, quam Tacitus appellavit Studiorum Magiſtram, & Lugdünenſis, ubi Caligulam aram erexiſſe tradunt, ad quam fierent quotannis græcæ, acclatinæ, facundiæ certamina, ac victi pœnâ, ut ſi maximè diſplicuiſſet, ſcripta ſua ſpongiâ, vel linguâ deleret, hi mallet in proximô flumine demergi; unde *Lugdunenſem Rhetor dicturus ad aram* ſubito occupabatur pallore, non ſecùs ac ego expallui, ac inhorrui coram tam erudito Conſeſsû dicturus. Apud Hiſpanos quoque Oſcæ Urbis ampliſſimæ, Sertorium eruditum exulem Romanum publicas Scholas aperuiſſe, ſcientiſſimis Præceptoribus magnô ſtipendiô conductis, hiſtoriarum monumenta teſtantur, ut Hiſpanam Juventutem hoc beneficio ſibi firmiùs obſtringeret. Sed cur tandiù externis immoror? An priſcis iſtis temporibus habuit Italia noſtra Gymnaſia, quæ Provincialibus tùm celebritate, tùm vetuſtate faſces ſubmitterent? Antequam Romanum nomen Mundo inclareſceret, Pythagoram in extremâ Italiæ orâ, circa Metopontum, Heracleamque & Crotonem Juvenum æmulantium ſtudia cœtus habuiſſe abundè conſtat; poſtquam verò Roma jam ſatis gloriæ armis quæſitum eſſe proſpiceret; tunc literis Aſylum aperuit, quod contigit ſecundo bello punico, cum

Muſa pennato gradû,
Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem feram.

Primùm equidem aluit Roma tantummodò publicos Rhetores, & Juriſconſultos, ſed poſtmodùm etiam reliquis Profeſſoribus publica ſtipendia conſtituit, quæ uſque ad Symmachi ævum manſere, cum Imperii labente Majeſtate, Romanæ Juventutis Magiſtris detracta ſunt ſubſidia ſolemnis alimoniæ. Hinc factum, ut varia poſtmodùm in Italia emergerent Gymnaſia, ut Bononienſe, Patavinum, Ticinenſe, Peruſinum, Ferrarienſe, Piſanum, Parmenſe; parum abfuit, Viri Sapientiſſimi, quin & his quoque immiſcuerim Mutinenſe Gymnaſium. Sed cur in illorum cenſû, & noſtrum quoque non referam? An quia novum alicui videbitur? At ſi novitas ſola ſpectetur, hæc nihil officit; *Principem* enim habemus generoſiſſimum, cui arduum non eſt (ut Plinii verbis ad Veſpaſinum Imperatorem utar) cui inqûam arduum non eſt, *vetuſtis novitatem dare, novis auctoritatem, obſcuris lucem, obſoletis nitorem, faſtiditis gratiam, omnibus naturam & naturæ ſuæ omnia.*

Verùm si rem exactè perpendamus, non adeò novum, ut quis putat, est Mutinense Gymnasium; Hæc enim Civitas Bononiæ æmula, cum olim non tam pro finibus, quàm pro gloria dimicasset, prima jecit istius Universitatis fundamenta, accersitis ad hoc opus Clarissimis Viris, Pileo, & Azone, quos Mutinæ Jurisprudentiam tradidisse satis constat, honorifico stipendio illis constituto, & publico Palatio eisdem pro Schola concesso; eleganti sanè spectaculo, cum ubi Jus diceretur, ibi quoque doceretur; cum hinc in Tribunali Prætor sederet, hinc staret in Exedra Præceptor, ac uterque Sententias pronunciaret, hoc tamen discrimine, quòd hic modò damnans, modò absolvens, hunc tristem, illum hilarem dimitteret, alter legum ænigmata solvendo, unumquemque lætiorem, quia peritiorem, remitteret. Quare si justâ appellatione unumquodque quale prorsus est appellare volumus, non est quod quispiam putet, novam Academiam in hâc Civitate institui, sed antiquam restitui, non jaci fundamenta, sed multò antè jactis ædificium superstrui. Equidem res novas condere, novas Ædes, nova Theatra, nova Templa, splendidum, ac magnificum est, at vetusta jam collapsa reparare prorsus religiosum est. Cum olim à Gothicâ barbarie Urbs hæc eversa penitus fuisset, ac propriis ruderibus penè sepulta jaceret, magnâ contentione agebatur inter Cives, qui excidio supererant, de novâ Urbe alibi ædificandâ; vicit Pietas, ut hôc ipsô locô, quo priùs steterat, cum P. R. Colonia deducta est, instauraretur. Quamobrem ut Majorum nostrorum tentamen Universitatem in hâc Civitate stabiliendi jam impleamus, pietas, ac reverentia exposcunt, nunc potissimùm quando Piissimus Princeps assurgens hoc Opus tàm hilari vultû intuetur, ac ut rem sibi acceptissimam tantô favore prosequitur. Ecquid enim tali sub Principe sperare non liceat? Nùm suspicari fas est, quin glorioſissimum Avum sit fortiter æmulaturus, quem jam sibi proposuit exemplar? Æmulabitur profectò illius & pace, & bello præclarissima gesta, nec illo se minorem aut secundum nisi solô nomine præstabit. *Franciscus primus*, Princeps glorioſissimi nominis, qui dum esset turbulentis bellis implicitus, inter armorum strepitus studuit semper, ut solidiorem pacem populis suis redderet, ac dum pace frueretur, ità se se armavit, ut hostium impetus cum lacesseretur repelleret, pulcherrimam, & munitissimam Arcem, condidit, hujus Urbis Ornamentum, & Tutamen; Præstantiorem Arcem, hoc scilicet literarum Asylum, *Monimentum ære perennius*, perficiet *Franciscus* alter, haud dispari fœnore & perpetuæ laudis, & gloriæ. Binæ igitur Arces pro Civitatis hujus tutela stabunt in posterum, utraque condita sub auspicatissimô Franciſci nomine. Sic prior illa belligeri Martis erit Domicilium, hæc posterior Minervæ Sacrarium, illa gentis armatæ Hospitium, hæc Togatæ; illa horrorem spirans, hæc amœnitatem; illa fossis, & Vallo munita, hæc in propugnaculum Templum habens, ubi colitur literis propitium Numen; illa in murorum ambitû, seu penè tota extra muros posita; hæc in mediô Civitatis, quia Cor, immò Anima ipsius Civitatis exsistit.

Hoc autem inest discrimen, quòd ad illam difficilis, ac non sine periculô est accessus; Nemo illuc infert pedem nisi nomen aperiat, & per medios armatos milites inermis incedat, nec licet cuiquam illius penetralia, & armamenta nisi summô favore introspicere. In hanc Musarum Arcem facilis, ac securus est ingressus; patent Valvæ; nullæ hic nocturnæ excubiæ, nulli hic ferro armati custodes, quia nihil est, quod hic quisquam surripiat & asportet, præter eruditam supellectilem, & Ornamenta virtutum, quæ summâ liberalitate vel immerentibus dispensantur.

Nec irrideat quisquam, quasi parùm aptè Gymnasium cum Arce contulerim, nam vero verius est, esse publicas Academias Civitatum firmissima præsidia; neque enim credendum est in duplici, vel triplici murorum ordine positam esse Urbium securitatem, sed in Civium prudentiâ, & consilio. Cùm olim sapien-

ſapientiſſimus Legiſlator Lycurgus de Spartanorum muris interrogaretur, reſpondiſſe fertur, non eſſe expertem muri Urbem illam, quam non laterum, ſed Virorum corona ambiret. Eâdem fermè ratione Homericus ille Agamemnon, non ſibi plures Ajaces, aut Achilles optavit, ut hoſticâ Civitate potiretur, ſed decem Conſultores, qualis eſſet Neſtor, omnium Græcorum prudentiſſimus. Gignunt autem potiſſimùm hujuſmodi notæ Viros Academiæ, in quibus liberalia ſtudia excoluntur, cùm ſint quædam veluti Promptuaria, è quibus magni Principes ſolent educere, quos volunt ad ſumma magiſteria provehere.

Suppeterent mihi ſatis abundè pro hac Veritate firmandâ quàm plurima exempla; at unum ſufficiat à Pariſienſi Academiâ petitum. Cum ſublato Regum Longobardorum nomine Carolus ille ex rebus feliciter actis, & auctis cognomento Magnus libertatem Italiæ vindicaſſet, omnes literas, omnem doctrinam revexit in Galliam, novum triumphi genus commentus, cùm quotquot Romæ, ac univerſa Italia famâ clarerent doctiſſimi Viri ſecum Gallicus ille Alcides aureâ munerum catenâ devinctos traheret, ut Pariſiis celeberrimæ Academiæ jaceret fundamenta, quæ poſtmodùm eſſet veluti Mater cæterarum. Hæc fuit Arx potiſſima, hoc Palladium, quod tantus Rex, ac Imperator, pro perpetuæ incolumitatis auctoramento in magnâ illâ Civitate conſtituit; norat quippè nullum firmius excogitari poſſe præſidium, quod magis præſtet, tùm ad Urbium ſecuritatem ſtabiliendam, tùm Regnorum fortunam provehendam. Neque illum ſua fefellit opinio. Undè enim ampliſſimi Galliarum Regni tam perennis felicitas? Undè Francorum Regibus tantus ſemper ad tot ſecula ſuppetiit Heroum proventus? Undè tot Ulyſſes, tot Neſtores continuò educit, qui nunc vivit & ſibi viam ſternit ad immortalitatem Lodovicus XIIII? Non niſi profectò ex Equo illo Trojanô, ex illô Literatorum Panathenæo, ubi mille adultis, *non deeſt aurea meſſis.*

Quantùm porrò ad reparandas Urbes ab everſore Marte peſſundatas conferant hæc Palladi dicata Sacraria neminem latere arbitror; quod ſi id quoque exemplis roborandum eſſet, præter externa, non pauca nobis ſuggereret Italia noſtra. Cum ex diuturnô eôque aſperrimô bellô adeò graviter afflicta fuiſſet Piſana Civitas, ut ſqualore obſita, Civibus vacua, magnæ potius ſolitudinis ſpeciem præferret, tam miſerandus illius adſpectus Magnanimum *Laurentium Medicem* impulit, ut Urbem antiquiſſimam Etruriæ redderet, nam redivivus ille Literatorum *Mæcenas*, nobiliſſimo inſtituto Lyceo, Piſis addidit & *Præſidium*, & *Decus*, novum libertatis genus pro veteri amiſſa rependens, ut quæ tam celebris Reſpublica tamdiù, ac tàm amplum mari præſertim imperium, armis exercuerat, exindè facta Literatorum Reſpublica, præſide Sapientia, *Dominari in cætera poſſet.*

Quamvis autem hic non agatur, Auditores Ornatiſſimi, de Urbe noſtrâ reparanda, cum nihil damni prorſus ex anteactis bellis ſenſerit, cum Gallici Jovis fulminum Miniſter Ales Eſtenſis alio bellorum tempeſtates averterit, haud modicùm tamen dignitatis, & ſplendoris Mutinæ triumphali palmarum meſſe onuſtæ adjicient Pacis ornamenta, ac potiſſimum hujus Lycei tam feliciter inchoata reparatio. Suſpicari autem nequaquam licet, quin majora in dies incrementa ſuſceperum ſit tam eximium Opus; cujus fundamenta jecit Religioſa pietas, & cujus Valvis prominent Eſtenſes Aquilæ, quæ non niſi in ſublimi, ac excelſo loco figunt pedes. Neque enim exiſtimandum eſt diù manſuram hanc quam proſpicimus Lycei formam, quæ profectò ſatis ampla eſt, qualis debetur initiato operi, ſed non quanta opus eſt pro futura illius magnitudine, quam licet ominari ex ſola Principis magnanimitate. Proferet ille proculdubio illius pomœria, ampliora reddet Atria, ampliores Aulas, cum major erit Auditorum confluxus, cum longior Lectorum nomenclatura. Plures quidem in cæteris Gymnaſiis numerantur Exedræ, & Præceptores, at in noſtro, numeri damnum penſat

doctiſſimorum Virorum in omni diſciplinarum genere Virtus, ac præſtantia, quorum cœtui cum me adſcriptum eſſe animadverto, rubore ſuffundor. Non admodùm tamen longè accerſendos Præceptores eſſe crediderim, quotieſcunque illorum numerum adaugere oportuerit. Ferax omni ævô fuit ſemper hæc Civitas præſtantiſſimorum ingeniorum, nec licet opinari quod Mutina, quæ aliàs primariis Academiis tot non infimi ſubſellii Profeſſores ſuppeditavit, nunc aliundè cogatur exoticam Sapientiam emendicare.

Nutriit olim hæc Civitas, ac poſtmodùm Bononienſi Archigymnaſio commodavit Nicolaum Mattarellum Bartoli Præceptorem, Petrum Rocham Medicum præſtantiſſimum, Paulum Caloram Aſtronomum peritiſſimum, Carolum Sigonium Virum eruditiſſimum Ferrarienſi Scholæ, Bartholomæum Bellincinum, & Joannem Sadoletum, J C. Excellentiſſimos, Piſano Lyceo, Gabrielem Fallopium Anatomiæ reſtauratorem, & Lodovicum Scapinellum Virum Oculatiſſimum, Patavino Athenæo, præter multos alios, Geminianum Montanarium adhuc viventem, Matheſeos Profeſſorem celeberrimum. Suppetent igitur ex noſtrô penû Literati Viri, ſuppetet ex Urbe ipsâ, & ex indigenis honeſtiſſima Juventus, etiam ſi externa non accedat. Verùm & externam quoque ad hunc Sapientiæ fontem allicient Principis favor, Mutinenſium comitas, aëris ſalubritas, omnium rerum affluentia, omne genus oblectamenti, &, quod præcipuum erit incitamentum, doctiſſimorum virorum nomen, quibus utique pro viribus elogia contexerem, niſi illorum modeſtiæ nimis oneroſa cenſerem.

Hæc & majora in hujus noſtri Lycei natalitia celebritate libet auſpicari, obſtetricantibus præſertim Eſtenſibus Aquilis, quæ grandes alas expandunt, non ſolum ut foveant, ſed ut provocent ad volatum. Hinc ſpes affulget, ut hæc Civitas priſcum ſplendorem ſibi vindicet; ac quamadmodum olim Eloquentiæ Parens honeſtavit illam titulo ſplendidiſſimæ P. R. Coloniæ, ità impoſterùm appellanda ſit amœniſſima Literatorum Colonia. Atque ut hæc mea impleantur auſpicia, ne quis putet exigi annorum Chiliadem; ſoſpitent modò nobis Sydera Principem noſtrum, ac dent illi ætatem, quam & ipſe meretur, & nos optamus, quam citiſſimè ſaturabuntur vota noſtra. Scit enim ille quomodò lentos ſucceſſûs temporum redigere poſſit in compendium, & quomodo integri ſeculi fœtura maturanda ſit vel ſolius anni curriculo. Novit ille in quantum hujus Civitatis commodum ceſſura ſit hujus Lycei inſtauratio, quam minori impendio, quantâ alacritate animi depoſituri ſint Parentes liberos ſuos in ſinû hujus Literarum Nutricis, ſeu Matris, ut hinc hauriant ſolidiora alimenta Virtutum. Ac profectò quanta licebit illis animi quiete perfrui: quam dulces ſomnos capeſſere, dum ipſis ſuccurret, eſſe propria pignora ſub illius oculis, cujus aures ſuavius ferit vox Parentis, quam Principis.

Sed jam video, qualia ſint vota veſtra, Religioſi Viri, qui hujus Gymnaſii jeciſtis fundamenta, & ad hanc formam provexiſtis; attendunt procul dubio aures veſtræ, nùm Principis benignitatem deprecer, pro facultate impetrandâ à S. Cæſaris Majeſtate, ut Doctorali Laurea in hôc Lyceô decorari poſſint, qui ſtudiorum metam attigerint. Abſit ut hoc expoſcam à prudentiſſimô Principe; Novit ille ſatis, ſuperque, quid deceat, quid dedeceat. Non enim ipſum latet, quàm eſſet incongruum, ut qui ſub hôc Cœlô, in hôc ſolô deſudaſſet in excolendâ virtute, alibi poſtea precariam gloriæ meſſem exquireret; quàm indecorum, ut qui in hâc literariâ palæſtrâ legitimè decertaſſet, in alia poſtmodùm coronaretur. Cura itaque Doctoratus Inſignia ab Aulâ Cæſaris impetrandi ipſum manet, cui jam ab initiô ſui regiminis propoſitum fuit, ut nullum habeant egregium Ateſtini faſtus quod non imitetur exemplum. Factum ſatis inſigne, ac memoratû dignum hic apponam, ut potius ſollicitudinem omnem vobis adimam, quam ut ipſum memoriæ Principis regeram, qui quotidiè in annoſis ſuorum Majorum Imaginibus illorum ſplendidiſſima legit facinora.

Alber-

Albertus ſecundus, Ferrarienſium X. Princeps, cum non ſolum Aulam, ſed & Templa, & Theatra, & Fora Martis pompis præpedita proſpiceret, non indecorum credidit, ſi Eſtenſi familiæ adjiceret Togæ ornamenta. Gymnaſium itaque Ferrariæ aperuit, quod ut firmius ſtabiliret, Romam ad Bonifacium IX. Pontif. Max. cum CD. nobiliſſimis Equitibus profectus eſt, ubi honorificè exceptus ampliſſimum Diploma obtinuit, quod adhuc videre eſt Ferrariæ, in fronte majoris Templi aureis characteribus conſcriptum. Vereri autem non oportet quin Principis noſtri Virtutem *Avunculus excitet Hector, cum non progenerent Aquilæ Columbas.* Præveniet itaque vota veſtra, & quidquid ad ſummum decus, & complementum hujus operis ſpectabit feſtinata generoſitate perficiet. Ubi enim vox publicæ Scholæ illius perſtrinxit aures, illam ſubitò deſignavit in Plantarium, ex quo educeret Oratores, Poëtas, Philoſophos, Mathematicos, Archiatros, Juriſconſultos, Theologos, atque etiam ipſos Armorum Duces. Quid enim arma ſine literis? Qua ſpe victoriæ Dux utut fortis, ac ſtrenuus aciem regat Martis in campô, niſi Pallas aſſideat armata conſilio? Quotquot igitur uſui erunt, ut vel manû, vel conſilio proſint, hinc depromet, ut aliquando ad hujus Lycei fores inſcribenda ſit hæc Epigraphe: *Hac iter ad Superos.* Quis igitur noſtrorum temporum felicitati non gratuletur, ac præſertim Principis, cujus gloriæ tantum intereſt, ut tamdiù ſtet, ac vigeat hoc Gymnaſium, quamdiù illi optabile eſt, ut ſui ipſius nomen in poſterorum memoria perduret? Non deſunt equidem Principibus Viris, dum vitali hac aura fruuntur Præcones, & Vates, qui illorum geſta ad ſydera extollant. Gemunt quotidiè Præſa ſub incumbente preſſurâ; perſtrepunt ad ravim uſque *ſummi, minimique Poëtæ*, ac palam videre eſt per omnium manus folia, & Poëtarum flores *Inſcriptos nomina Regum.* Poſtquàm verò occubuerint, ac regio fulgori ſepulcrales umbræ ſucceſſerint, obmuteſcunt Muſæ, ac paulatim tam decantata nomina obſoleſcunt. Eos verò Principes, qui vel novas Academias inſtituerint, vel collapſas inſtaurarint, ſuperſtes manet etiam poſt mortem nominis immortalitas. Sic etiamnùm celebrat in Hiſpaniâ Salmaticenſis Academia Alphonſum octavum Caſtellæ Regem, in Galliâ Pariſienſis *Carolum Magnum*, in Angliâ Oxonienſis *Sigisbertum Regem*, in Belgiô Lovanienſis *Joannem* Brabantiæ Ducem, in Poloniâ Cracovienſis *Cazimirum Secundum*, in Germaniâ Viennenſis *Albertum* Auſtriæ Ducem, in Italiâ Bononienſis *Theodoſium Imperatorem*, Piſana *Laurentium Medicem*, Parmenſis *Raynucium primum*, & ad illarum exemplar Mutinenſis quoque Academia poſt multas etiam ſeculorum verſiones ſummis decorabit Elogiis *Franciſcum ſecundum* ut Principem, qui leges dederit, ut Mæcenatem, qui muneribus cumularit, ut Parentem, qui alimenta ſuppeditarit.

Illuſtriſſimis, & Excellentiſſimis D. D.

D. FREDERICO MARCELLO, Divi Marci Procuratori, D. HIERONYMO VENERIO, Equiti, & Divi Marci Procuratori, D. MARINO GEORGIO,

BERNARDINUS RAMAZZINI Felicitatem.

Cum mihi hactenùs mos fuerit ſingulis annis pro ſolenni ſtudiorum inſtauratione Orationem aliquam in Lyceô habere, ut diu feriatam Juventutem aliquo non incurioſo argumento ad capeſſenda ſtudia illicerem, cumque jam octavus agatur annus, ex quo profeſ-

professorio muneri in hôc Gymnasiô sum addictus, ac totidem Orationes mihi sint habitæ, quarum quidem nonnullæ typis traditæ fuerunt, aliæ publicam lucem non videre, consultiùs fore credidi, si easdem in unum compactas evulgarem, quàm si dissociatas, & citò perituras vagari sinerem. Hosce itaque pusillos ingenii mei fœtus in unum coactos, qualescumque sint, Vobis Illustrissimi & Excellentissimi Domini sisto, ac tutelæ vestræ commendo, quam si impetrarint, in publicum securi prodibunt, ne si laudem non promeruerint, despectui sint futuri. Ea enim est apud omnes dignitas Vestra, & Nominum Amplitudo, ut qui sub patrociniô Vestrô degunt malignos afflatus non pertimescant. Optassem equidem librum grandioris molis Vobis offerre, & qui dignitatem Vestram magis deceret, ac forsan (si Lachesi adhuc supererit quod torqueat) incrementum suscipiet; etenim cum Institutum hoc meum Studiorum principio inaugurandi, religiosè servare mihi in animo sit, Opusculum hoc meum adjiciali Oratione, & annua fœtura, sensim augescet. Ita Vos ad publica commoda, & literariæ Reipublicæ quoque felicitatem natos, nisi Seculo emenso, & summis honoribus perfunctos, ex hac vita migrare fata non sinant, mihique detur vitæ lineam ulteriùs producere, ut sæpiùs Donario aliquo Vobis litare possim. Valete plurimùm Patavini Athenæi Custodes Vigilantissimi, & Sapientissimi.

Patavii Die 13. Junii 1708.

LECTORI BENEVOLO

S.

HAud sum nescius non defuturos quibus titulum, quem huic meo Opusculo præfixi, arrodere libido erit, quòd nimirùm complures, appositа veluti hedera, allicere voluisse, & Oratoris quoque laudem affectasse visus fuerim. Sentiat quisque ut velit, ego certè hujusmodi ambitione non sum ductus, ut Orator dici, vel credi velim. Intra Medicinæ Castra steti, & quia quæ ex Cathedra dicturus essem, neque Progymnasmata, neque Prælectiones vocare poteram, cum à materiâ, de quâ totô annô verba facturus essem longè differrent, Orationes appellare licuit; pro lubitu enim, & genio, ex Artis penû argumenta deprompsi, quæ mihi magis curiosa viderentur, & quibus documenta theorica, & practica Studiosæ Juventuti possim suggerere. Quâ lege autem mihi interdictum esse debuit, ne aliquô sermonis & eruditionis cultû id agerem, quando hâc nostrâ ætate, barbarie excussâ, aliô vultû & ornatû in publicum Medicina procedit? Fecit hoc olim Carolus Patinus, in hâc Universitate celeberrimus Professor, eruditione clarus, qui singulis annis elegantissimas varii argumenti Orationes in Lyceô habuit, ac typis tradidit. Cæterùm si disertos Lectores Orationes hæ meæ non repererint, ægrè non feram, imò pro gratia habebo; est enim aliqua Eruditorum rejectio, qua usus est Marcus Tullius: *Hæc doctissimum Persium legere nolo, Lælium Decimum volo*, ajebat ille: sic ego quoque mea hæc Eloquentiæ Professores legere nolo, Medicos volo, eosque ingenuos, & præcipuè, qui cultum aliquem â Medicinâ alienum non putent. Interim, Lector benevole, mea hæc æqui bonique consule, & vale.

ORATIO

ORATIO SECUNDA SECULARIS,

Quam Auctor primam habuit in Patavinô Lyceô

Die XII. Decemb. Anno M D C C.

SI quis unquam fuit, A. N. qui in hôc ampliſſimô ac totô Orbe celeberrimô Sapientiæ Theatrô primùm dicturus apertè trepidârit, eum ipſum eſſe me ſentio, & Vos, qui hic conſiditis, ac me intuemini, ſenſiſſe jam video. Etenim cùm pro Medicâ facultate, ad quam publicè profitendam ſum accitus, dicendi mihi munus incumbat, eamque nunc magis, quàm aliàs, celebrari oporteat, quando noſtrâ hâc ætate ſic crevit, ut grandior pene fieri non poſſit, idque ſit agendum in tam ſplendidô locô, ante ſpectatiſſimum tot Profeſſorum ac Literatorum cœtum, ac in eâ Civitate, è cujus ſinu in Latium uſque manarunt Eloquentiæ Fontes, dubia fateor, mihi mens hæret, non ſatis perſpiciens, quonam modo tantarum rerum magnitudini poſſit ſatisfieri. Jamdudum equidem, ac antequam patriis è laribus ſolverem, hujuſmodi animi æſtus præſenſeram, quos tamen compeſcere ſtudebam, ſubinde memorans, ſingulos hujus Lycei Clariſs. Profeſſores mihi pro more priùs audiendos, quàm Exedram hanc dicturus conſcenderem; rebar enim hôc pactô, poſſe me paulatim aſſueſcere, ut omnium poſtea ſimul oculos, & ora in me converſa firmiori obtutu ſuſtinerem, vel ſaltem trepidationem meam non tam facilè proderem. Verùm quàm læva mihi mens eſſet, & quàm parum fido Nepenthe curas meas ſopirem, poſtmodùm cognovi. Singuli enim Eloquentiæ non minùs, quàm Sapientiæ præſidiis armati, audientem me deterruere cùm dicerent, quid poſtea omnes ſimul facturi, cum me tam ineptè, & ſemipaganô ſermone dicentem audirent? Sic nova in dies trepidandi ſuccreſcente materiâ, mihi nonſemel optandum fuit, ut in Areopagô potiùs, ubi in tenebris agebantur judicia, quàm in Patavinô Athenæô, coram fulgurante Sapientia veſtra, cauſam meam agerem. Quoniam verò aleam hanc, quocumque res cadat, ſubire mihi neceſſum eſt, ac ulterius humanitatem veſtram morari non decet, propterea rem aggrediar, ac eò lubentiùs, quo ſorte quadam in hujuſmodi tempus incidiſſe me video, quo Medicam facultatem peculiari modo celebrandi peropportuna oblata eſt occaſio. Dicendi principium itaque mihi erit Seculi hujus extremam pulſantis metam finis & exitus, & conformandæ Orationis modum Romana dictabunt Exempla. Perantiqua, & ſolennis fuit olim Romæ conſuetudo, ut centeſimo quoque anno, ludos quoſdam agerent, tanta quidem celebritate, ac tam magno hominum conventu, ut una in Urbe totus pene Orbis hoſpitari videretur. Ludos hujuſmodi, Seculares dictos, primus Valerius Poplicola, exactis Regibus, & primo libertatis Anno, inſtituit, quorum tempore adventante, miſſitabantur circumquaque Præcones, qui populos convocarent ad ſpectandos ludos; quos nemo vidiſſet unquam, nec eſſet ampliùs viſurus. Eruditis auribus veſtris nimis oneroſum me crederem, ſi ea, quæ per totum triduum, & trinoctium in ſummâ Romani Imperii Majeſtate fieri conſueverant, recenſere velim. Liceat mihi tamen ritum quendam memorare, quo ipſis ſolenne fuit Carmen quoddam, Seculare dictum, in Apollinis Palatini Templo Græca & Romana voce concinere, quo ob res illo Seculo proſperè geſtas Diis gratiæ agebantur, ac iiſdem Urbis, Senatus, Romanique Imperii æternitas commendabantur, cujuſmodi

carminis penes Venuſinum Poëtam pro ludis Auguſti egregium adhuc habemus Exemplar.

Jam pene Seculum exegimus decimum ſeptimum, exordio ab ærâ Chriſtianâ, & redemptâ libertate deſumpto, quo Seculo mehercle nullum aliud feliciùs, nullum glorioſiùs vidit, nec forſan ampliùs viſura eſt univerſa Medentum Reſpublica, ut in quo, & Profeſſorum ſolertia, & Fortunæ blandientis favor ex æquo decertarint, ut Facultatem hanc ad ſummum gloriæ faſtigium eveherent. Quemadmodum igitur Romanis (ſi fas eſt parvis magna componere) in ſecularibus Ludis, exacti Seculi, geſta, & faſtus recolere & ſeculari carmine in Apollinis Templo inſignire mos fuit, ita mihi in hâc Ædeampliſſima Sapientiæ, ubi datum eſt Apollineam Artem profiteri, mihi, inquam, liceat hâc meâ ſeculari Oratione ſeculi hujus in re medicâ proſperitatem recolere, ac perveſtigare, quibus machinamentis, quali alarum remigio Facultas hæc, quæ tot retrò actis ſeculis humi quodammodò repſerat, nunc tam in ſublime, ad prodigium uſque conſcenderit. Sic mihi talis contingat Oratio, qualem & materiæ dignitas, & loci reverentia, ac hujus ſapientiſſimi Conſeſſus majeſtas expoſcunt.

Ut Romanis documentis Orationis filum perſequar, Roma terrarum princeps, quæ Imperii fines eò uſque provexit, ut magnitudine laborans ſuâ de Imperii finibus ſtatuendis aliquandò cogitarit, quingentis pene annis à Romulô Conditore ſortem ſuam vidit intrà Italiæ clauſtra concluſam. Tandiù illi cum finitimis populis conflictandum fuit, imò interdum pro focis & aris dimicandum, & libertas ipsâ quandoque aurô redimenda. Erupit tamen poſt tam longum intervallum Romana Virtus, fractiſque Italiæ repagulis, citiſſimè totum terrarum Orbem tanquam flamma pervaſit. Hinc noſtrâ hac ætate non parùm laborat Annalium, & Numiſmatum fides, ut vix credi poſſit, Romam paulò plus unô ſeculô tot bellis, tot victoriis eò deveniſſe, ut nec parem haberet, nec ſuperiorem.

Ablegatis ad Poëtas & Mythologos notis figmentis de Apolline, Hygæaque, Hippocratem Medicæ Artis primum Conditorem fuiſſe ſat abundè teſtantur egregia ejuſdem monumenta, imò quæ adhuc exſtant Oracula. Jecit quidem ille ſumma, qua pollebat ingenii profunditate ſolidâ, ac æternùm duratura fundamenta, quibus egregiam molem ſuperſtruxit, ſed non abſolvit, ut cui ad Artem longam perficiendam, longior, imò Neſtorea, debebatur vita. Operi tam magnifico ex Galeni induſtriâ, Viri acris ingenii, & ſolertiæ, non levis acceſſit ornatus & amplitudo, cujus veſtigia ſi poſtmodum preſſiſſent Poſteri, jamdudum fuiſſet abſoluta, *æquataque Machina Cœlo*. Verum ab Hippocratis & Galeni ævo uſque ferè ad hæc poſtrema duo ſecula jacuit ſqualens & cultu horrida Medicina, cujus quippe nativum candorem obfuſcarint non parum Arabes, ac Mauritani; quin (quod pudet referre) & Græcè & Latinè loqui penè dedidicit, voces adeò barbaras crepans, ut propter ipſas penè liceret vadimonium deſerere. Non vacat hic tam diuturni, & gravis Veterni cauſas diſquirere, ni forſan arbitrari liceat, id fato quodam contigiſſe, ut huic Seculo tota reſervaretur gloriæ plenitudo; habent quippe, ut reliqua omnia, ſic Artes, & Scientiæ ſua Sydera, quibus ſplendeſcant magis, & culmen ſuum pertingant.

Præluxit quidem huic Seculo præcedens aliud, & Medicina à barbarie & ſqualore non parùm vindicata, magna futuri incrementi exhibuit præſagia, aſt id ſub finem præſtitit, & cum ad metam jam properaret. Seculum verò iſtud ab ipſis incunabulis uſque ad extremum ſenium egregia ſuæ virtutis edidit ſpecimina, ac ſemper ferax, validumque tot præſtantiſſimos Heroës edidit (& quorum pars magna fuit nobiliſſimum iſtud Lyceum) ut nonniſi Nomenclatoris miniſterio juſta fieri poſſet illorum recenſio. Hi ergo anatomicis ſtudiis inſtructi ſummâ alacritate, tanquam è ſtativis erumpentes, ampliſſimum Naturæ imperium ſunt adorti, ac alii quidem Regnum Animale, alii Minerale, alii Vegetabile

tabile ſibi pertentandum delegere. Tam provido conſilio velificante fortuna, ſub ipſius Seculi initium, viam præmonſtrantibus Aquapendente, & Caſſerio, in Regni Animalis interiora altiùs penetratum eſt, cùm antea circa oras extremas Anatomicorum ſolertia velitatione quadam oberraſſet. Per innumeras ergo Animalium cædes, crudeli quidem diligentia, ſed in bonum commune ceſſura, in amplam Regionem, adſpectu jucundam, fluentem lacte, ac Venerandæ Antiquitati non antè viſam, perventum eſt. Lactearum Venarum Inventum hic innuo, quod Clariſſ. Aſelio potiſſimùm debemus, qui primus in Microcoſmo Galaxiam indigitavit, veros nempe ductus, per quos Chyli pars tenuior diſcurrit in Mare purpureum devolvenda. Felix profectò, ſi Cordi potiùs, quàm Hepati nectareum hoc libum deberi advertiſſet, nec pluris credulæ Autiquitatis documenta, quàm Veritatis indaginem feciſſet.

Verùm rei novitate ac tam jucundo ſpectaculo forſan abreptus, ſuam paſſus eſt perfrigeſcere induſtriam, (a) communi tunc temporis præjudicio detentus, lacteum ſcilicet ſuccum purpuram in Hepate induere. Quòd ſi tot rivulos per meſenterium ſuperiora verſus diſcurrentes in unicum fluentum neceſſariò coire debuiſſe animadvertiſſet, donec in cavitatem aliquam contentum humorem profunderent (quod enim flumen eſt, quod certo tramite ad Mare non devehat?) ſicuti lactearum principium deprehenderat, ita quoque earundem finem deprehendiſſet. Sic autem integram, quam Sors obtulerat, gloriæ palmam cum Pecqueto partitus eſt, qui candida primi Obſervatoris veſtigia relegens Chyloſi laticis ſtagnum, ac Thoracica vaſa Chylum in ſubclaviam refundentia poſtmodùm obſervavit, magnôque plausû lactearum hiſtoriam feliciter abſolvit. Meherclè tamen fortunati ambo, qui per lacteam viam, ac veriùs quidem, quàm priſci Heroës ad nominis immortalitatem migraſtis. Chyli ergo motu ac illius ductibus in apricum deductis, illicò ab hæmatoſeos munere exauctoratum Hepar, ac purpura illi detracta, Venæ Meſentericæ à Chyli vectura abſolutæ, Cordi priſca dignitas reſtitura, lactis generatio in mammis patefacta, multæquæ futiles diſceptationes, quæ ad ravim uſque Scholas exercuerant, è Foro Medico penitùs proſcriptæ.

Verùm ſicuti proſper eventus ad alium proſperiorem perſæpè viam pandit, ita inſigne lactearum Inventum aliud glorioſius, circularis nempè ſanguinis motus, excepit. Phænomenon iſtud, non ſecùs ac novum & prodigiale in Cœlo Sydus, omnium Oculos valde perſtrinxit, tanquam in Medentum Republ. magnam portenderet rerum viciſſitudinem. Tam admirabile Oſtentum nobis quidem novum, Naturæ antiquiſſimum (quid enim, precor, Veritate antiquius?) circa hujus ſeculi ſextum luſtrum primus omnium Mundo viſendum præbuit Celeberrimus Harvejus, cujus nomen tandiù ſtabit, quandiù movebitur ſanguis, ac in orbem agetur è Corde in Arterias, ab Arteriis in Venas, à Venis in Cor, refluo curſu rediturus:

Non ſecùs ac liquidis phrygius Mæander in undis (b)
Ludit, & ambiguo lapſu refluitque, fluitque,
Occurrenſque ſibi venturas adſpicit undas.

Ex Italis noſtris tamen (ut ſuus cuique honos perſtet) ac potiſſimùm à Celeberrimô, & ſui ſeculi omniſciô Virô, Paulô Servitâ, (c) non exigua tam famoſi Inventi documenta Venetiis, ac Patavii, hauſit Harvejus, quæ poſtea in ordinem digeſta poſt ſuum ad Britannos reditum evulgavit, & Orbi literato patefecit. Aſt ab Italô ſolô, tanquam divite Fodinâ, informem hanc gemmam & rudi ſaxo involutam Anglus ille Artifex, ac peritus rerum Æſtimator eruerit, illam tamen ſic expolivit, ſplendentemque effecit, ut eam Orbi erudito, veluti rem ſuam venditare potuerit. Verùm, ut fieri aſſolet, ac ſicuti olim Vir magnus literis prodidit, *Intacta & nova*, *graves offenſæ*, *levis gratia*, (d) ſic Harvejo ex tam celebri ac frugiferô Inventô

(a) Vid. Sennert. de Morb. Meſent. (b) Ovid. lib. 8. Met. (c) Vid. V. vall. in Epiſt. ad Barthol.
(d) Plin. Jun. l. 5. Epiſt. 8.

nulla ferè gratia, imò non niſi probra, cum illud Mundo aperuit, acceſſere. Hinc Pariſanus, illinc Primiroſius, aliique hunc Magnæ Britanniæ Democritum, non ſecùs ac olim ſuum Abderitæ, inſanire proclamarunt. Illorum tamen latratus Magnus Vir ille deſpexit, nec quemquam reſponſo eſt dignatus, Tempori, Judici æquiſſimo, cauſa commiſſa, donec tandem pro livore, qui ut plurimùm in vivis paſcitur, ac cineribus parcit, meritas laudes, & æternam venerationem promeruerit. Hinc penes Literatos omnes, cum Philoſophos, tum Medicos, nihil æquè celebre eſt quàm Harvei nomen; nihilque tam prò rato habitum, quàm admirandum hoc Naturæ Magiſterium, ut certior ſit ſanguinis in Microcoſmo circuitus, quàm Aquarum in Magnô Mundô è fluminibus ad Mare, & è Mari ad fontes & flumina pericycloſis.

Quid nunc clariores priorum temporum Medicinæ Coryphæos, dicturos putamus, ſi ab Elyſiis evocari poſſent, ac iiſdem non apodicticis argumentis, ſed oculatâ fide purpurei laticis in orbem motus demonſtraretur? Quid, inquam, dicturos putamus de commentitia tot facultatum familia? quid de ſuis Morborum theoriis? quid de tam curioſô in phlebotomiâ venarum delectû? quid de creditâ Revulſionis per Venam ſectam tam grandi poteſtate? quid de ſuis Intercipientibus, quid de Derivantibus, quid de tot errorum tenebris, quibus tranſverſi agebantur, quos Phænomenon iſtud ſplendidiſſimæ facis ad inſtar planè diſcuſſit? Hiſcerent profectò, & animalem œconomiam ab eâ longè diverſam, quàm ipſi in mentibus ſuis procuderant, & hiſce quoque in Scholis tradiderant, admirarentur ſtupore perculſi, non ſecus ac Arabes illi, qui in Caſtra Pompei tranſgreſſi alium admirabantur umbrarum ordinem, quàm quem in torridâ Regione ſpectare conſueverant, de quibus ſic Poëta:

Ignotum vobis Arabes veniſtis in Orbem, (a)
Umbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

Mirarentur ſanè tanquam Hoſpites, quomodò tam ſiniſtrè, ac inversô ordine illorum animis res procederent, ac ſecum ipſi non caperent, quòd rem tam obviam ignorarint, quaſi noſtrum hoc Seculum illud ipſum ſit, quod olim prænovit, ac prædixit Seneca, qui cùm à morali Philoſophiâ, (b) quæ paucos ſemper habuit Auditores, ad naturales quæſtiones divertiſſet, ſcriptum reliquit, venturum tempus quo Poſteri mirarentur, *illos tam aperta neſciviſſe.* E Cymmeriis tenebris igitur, ac poſt altam noctem Mundo coævam, Harvejanô Phoſphorô emergente, cœpit albeſcere Veritas, ut non ampliùs in dubiâ & creperâ luce, ſed in meridianâ claritudine ſatis pateat; quale ſit Microcoſmi politicum regimen, quis ordo, quis Promôcondus, quis Alimoniæ Diſpenſator, cùm antea vi ἕλξεος non ὤσεος, per attractum, non appulſum alimenti, partes omnes nutriri, conſtans quidem, ſed æquè fallax eſſet opinio. Abſit tamen, quòd in eorum, qui Seculum iſtud præceſſerunt, famam & exiſtimationem quidquam ſtatuam; colendi ſunt utique, ac Parentum loco habendi, multumque illis debemus, ſi illorum ſtudiis adeò profecimus, ſi nos, veluti Gigantum humeros, tam longe proſpeximus. Choream itaque ducente ſanguine, cæteros humores, ut ſuccum pancreaticum, Lympham, nervoſum laticem, & quotquot alia fluida in humanô corpore deprehendit Proſectorum ſolertia, facili obſequiô, & hydraulicô quodam concentû in orbem moveri compertum eſt; hinc Virſungii, Bartholini, Rudbechii, Williſii inclaruere nomina.

Quot alia porrò Phænomena fortunatiſſimum hoc Seculum vidit? res parvas ac minutas omittam, ne relictis fontibus, rivulos, ut dici ſolet, conſectari videar. Veſicularem Pulmonum ſtructuram, nec non Hepatis, & Lienis glanduloſam compagem Mundo aperuit Malpighius, veram nervorum originem Fracaſſatus; variam, & numeroſam glandularum ſobolem & uſum Warthonus ac Steno, Vaſorum lymphaticorum valvulas Sylvius, & Rudbechius, ductus ſalivales Gliſſonius, generationis Organa, & Ovarium mu-

(a) Luc. l. 3. (b) l. 7. c. 25. Q. N.

mulierum R. Graaff, Cordis fabricam Lowerus, Muſculorum ſtructuram & motum ad Geometriæ leges nunquam ſatis laudandus Borellus. Parcant, quæſo, tot Clariſſimorum Virorum Manes, ſi illorum nomina ac geſta unicò veluti faſce complector, tam numeroſa etenim hoc ſeculo gigantæo Heroum eſt phalanx, ut Orationi ſuus ordo conſtare non valeat. Hiſce artibus igitur, his ſtudiis Proſectorum phalanges ferro, & Microſcopiis armatæ per totum Animale Regnum palantes diſcurrere viſæ ſunt, ut nil tam abditum eſſet, nil tam profundè repoſitum, quod in apertam lucem non fuerit protractum. Hôc pactô Medicina, præ cæteris naturalibus Scientiis, quibus multùm lucis fœnerata eſt, caput extulit, & unius ſeculi compendio tot ſeculorum damna penſavit.

Valeant ergo priſcæ illæ Catonis querelæ, (a) quibus cenſoriâ veluti virgulâ ſuorum temporum Medicos ſugillabat. *Diſcunt*, ajebat ille, *periculis noſtris, experimenta per mortes agunt, Medicoque tantùm hominem occidiſſe, ſumma impunitas eſt.* Diſcimus profectò alienis periculis, & experimenta per mortes agimus, ſed Animalium, quæ mactamus, quorum viſcera luſtramus, in quibus vivam anatomem exercemus, & per longam illorum torturam veritatem in altô poſitam extorquemus. Experimenta, inquam, per mortes agimus, dum per Medicinam infuſoriam (quod hujus ſeculi quoque egregium Inventum eſt,) in Venas Animalium venena infundimus, ac poſtmodum, illis exſtinctis, obſervamus quamnam labem Sanguini affricuerint, num illum in craſſamentum, & offam quandam coëgerint, an in atrum liquamen diſſolverint. Quin ab unô Animali in alterius venas ſanguinem transfundimus, quo pacto Juventam renovandi modum didicimus. Jam fabula deſiit eſſe, quod de Medeâ commenti ſunt Poëtæ, quæ ut Æſoni ſenio confecto juvenile robur conciliaret, reſectis jugularibus, vitales ſuccos per os & vulnus infudit; en quàm eleganter à Poëtâ deſcribitur.

Stricto Medea recludit, (b)
Enſe ſenis jugulum, veteremque exire cruorem
Paſſa replet ſuccis, quos poſtquam combibit Æſon,
Aut ore acceptos, aut vulnere, barba, comæque,
Cannitie poſita, nigrum rapuêre colorem,
Pulſa fugit macies, abeunt pallorque ſituſque.

Hominem porrò occidiſſe, ſumma, ut Medicinæ Oſores volunt, ſit impunitas; at ſumma quoque eorum dementia eſt, qui in tantâ peritorum Artificum copiâ, Agyrtis & Circulatoribus ſe curandos committunt, & à quorundam blanditiis, ob crebras viſitationes, ſe captari ſinunt, qui ut ajebat Sidonius, (c) *parum docti, ſatis ſeduli, multos ægros officioſiſſimè occidunt.*

Neque Pythagoræus aliquis lanienam hanc animalium probro nobis obtrudat; etenim ſi animalia mactamus, quæ tanto ſtudio noſtris in laribus educamus, quæ in artis culinariæ gratiam, imò interdum pro ganea, ſaginamus, quare nobis ut plurimùm Canes macie confectos necare, & hujuſmodi victimis Veritati litare non liceat? Pingues ac toroſos Juvencos florum coronamentis ornatos priſci Haruſpices ad ſuorum Numinum aras immolabant, ut divinando ignarum vulgus fallerent. Nos in quocumque animalium genere Extiſpicia noſtra celebramus, ſeu pinguia ſint, ſeu ſtrigoſa, ſeu magna, ſeu puſilla, in Elephante, in Formicâ, in Culice, in Acarô quoque, ſi lubet, non ut alios decipiamus, ſed ne decipiamur, imò ut immenſam Divini Conditoris Sapientiam admiremur, ut ſic Atheiſmum è Mundo eliminemus. E Luciani Scholâ etenim Lyciſcus aliquis in Theatrum Anatomicum pedem immittat, pius exibit. At quid aptiùs ad notionem aliquam ſupremi Numinis mortalium mentibus imprimendam humana poterat excogitare ſolertia, quàm Anatomicam indaginem! Divini Opificis cuncta nexu admirabili componentis peculiaris, ut ita dicam, ludus eſt Syntheſis, humani ingenii propria eſt Analyſis. Pro Secularium ludorum celebritate (quos in Deo-

(a) Plin. H. N. lib. 9. (b) Ovid. lib. 7. Met. (c) Lib. 1. Ep. 10.

rum honorem inſtitutos ajebant) ingentes Belluæ, & multa Gladiatorum paria in Theatrô urgebantur, ut ab invicem pugnando P.R. oblectamento eſſent, ac homini alterum jugulanti magnô plausû acclamabatur. Mitiores ac ſanctiores ludos habent hæc noſtra tempora; dum in Theatris noſtris Animalium viſcera luſtrantur, dum Inſecta quoque ſecantur, attonito ſtupentique animo Divino Artifici ſolummodò plauditur.

Neque verò lege eſt, quod univerſæ animantium Naturæ pro ſuſcepto beneficio Medicina rependit; quænam enim animalia, quos alites, quæ reptilia, quos vermiculos Terra educat, quos piſces, quæ monſtra alit Oceanus, quorum imagines in amplis Voluminibus non ſint depictæ? Quin, quod elegantius eſt, ipſa animalium primordia, & ſucceſſiva incrementa quotidiana Ovorum inſpectione (quam Spartam primò Fabricius in Patavinô Theatrô, mox Malpighius in Bononienſi adornarunt) tam eleganter, tam affabrè exarata ſunt, ut noſtro hoc Seculo abſolutam, & ab Ovô, ut dici ſolet, Animalium habeamus hiſtoriam. Quantum ergo humanæ ſolertiæ datum, perſpectam omnium penè viventium ſtructuram ac indolem habet Ars Medica; novit intus & in cute; novit numerum partium, novit menſuram ac ſymmetriam, qua ſibi ad invicem reſpondent, novit quoque in pondere. Cui etenim non innotuit Clariſſ. Sanctorii Inventum, qui primus, & ex hôc Lyceô, Staticam in Medicinam invexit?

Luſtrato igitur, & pererrato toto animali Regno, mediciſque legibus parere juſſo, ad excolendum id, quod tanta Diſſectorum induſtria partum fuerat alii ſolertiſſimi Viri operam ſuam impenderunt. Hinc ad veram & ſolidam Morborum theoriam & praxim ſtatuminandam egregia prodiere Monimenta, ut Phyſiologiæ & Pathologiæ reformatæ Methodi medendi ad ſanguinis circulationem, novæ Hippocratis Aphoriſmorum ad veritatis normam Expoſitiones, Pharmaceuticæ & Chirurgiæ Rationales, Irides febriles, nova Medica Syſtemata, ac tot alia cedro digna Volumina.

Non minori quoque alacritate, nec diſpari ſorte ad Seculi famam perennandam in Regni Mineralis viſcera itum eſt. Et hic quoque in quo ſe exerceret Anatomes invenit, non quidem ferro, ſed Igne, magno rerum Analyſta. Vulcani miniſterio itaque, qualis nunc eſt bellandi forma, foſſilium, & metallorum omnium ferocia perdomita ac triumphata, eò uſque devenit Hermeticorum ſolertia, ut ea, quæ forent magis ſylveſtria, cicurare dicerit, & quæ diſcreta dirum ac mortiferum eſſent venenum, ad invicem conſociata, Antidoti naturam adſciſcerent. Haud ibo inficias, quin priora quoque Secula egregios Viros habuerint, qui nervosè quidem, ac totis viribus Mineralis Regni latebras pertentarint, adeò ut ſibi triumphales currus confinxerint. Verùm mineralia triumphata potiùs, quam victa. Revera hoc ſeculo Hermetica diſciplina rem planè confecit, & omnium penè, quæ in Terræ ſinu Natura recondiderat, analyſi facta, medicam gazam ditavit, effecitque ut ea, quæ priùs *irritamenta malorum* dici poterant, in medicamenta ſaluberrima tranſierint. Antimonium, quod tam variam ſortem expertum eſt, ac aliquandò tam malè audiit, ut à Pariſienſi Curia olim damnatum fuerit, (a) ac in exilium actum, licet poſtmodum abſolutum & revocatum, nunc ope Chymica ad tam bonam frugem redactum eſt, ut apud celebriores Pharmacopolas inter ſelectiora remedia ſuum habeat elegans Nartheciun. Quin varios ad uſus paratum, modò emeticum eſt, modò cathartícum, modò diaphoreticum, ac, ſi lubet, etiam coſmeticum. Quænam febris, precor, imò quinam morbus eſt, quem oppugnandum ſuſcipiat Medicus, niſi Stibio diaphoretico armatus? Mercurius quoque, Servus ille olim fugitivus, nunc vinctus & in compedibus, ad quamcumque enchiriſim paratus eſt, ac modò ſe præcipitari, modò in ſublime projici patitur; imò cum volumus, in Torricelliana fiſtula (quod hujus ſeculi quoque nobile Inventum

(a) V. Ettm. T. 2. de Med. purg.

tum est, quod cum Philosophorum, tum Medicorum exercuit, & adhuc exercet ingenia) perpetuò suspensus pendere cogitur, ut sic ingruentium tempestatum, atque etiam exinde secuturæ serenitatis fidelis sit Prænonstrator. Nimius essem si remedia martialia, jovialia, solaria, antihectica, stomachica, ac tot alia è metallorum sinu ad herculeos morbos perdomandos eruta, multaque alia recensere velim, sub quorum ingenti & magnifica supellectile penè laboramus. Præterire tamen non liceat, Thermalium aquarum virtutem non solùm magis, quam aliàs, nunc esse exploratam, sed tam exactam ope Chymicâ illarum analysim factam, ut varia mineralium genera in aquâ naturali dissolvendo, ipsius Naturæ magisteria Ars æquare potuerit, magno utique ægrorum commodo, ut propriis in laribus eos videant Fontes erumpere, quos morbi conditio reposcat. Jamdudum equidem damnum senserat rerum Parens Natura, dum Fontes suos hinc inde muscosos, ac fere desertos conspiceret, secumque ipsa mirabatur, quomodo tantum gratiæ medicatis suis scatebris decessisset, cum per tot secula, *commune Medentum auxilium* audissent, ut de Aponitanis cecinit Claudianus; ast cognita causa risit, ac de Hermetica disciplina rectè judicavit, quòd illius magna Opera tam parvô labore lusisset. Hoc pacto quot egregii Viri nomina sua immortalitati commendarunt, ut Libavius, Drebellius, Crollius, Helmontius, Poterius, Tachenius, ac postremò celeberrimus Ettmullerus?

Non minùs prosperè quoque in vegetabilis Regni amplitudine pervestiganda à Botanicis allaboratum est. Neque hujusce rei adeò longè mihi testimonia erunt petenda. Ad Patavinum Hortum provoco, quem meritò appellare liceat Plantarum totius perè Orbis Coloniam florentissimam. In hoc etenim, non secùs ac nativo in solo, ac præsertim sub tantô Præside, Plantæ omnes ex quacumque Mundi plaga, seu calenti, seu algida revulsæ feliciter vernant,

Miranturque suas frondes, nec non sua poma.

Diversa tamen Methodo, ac reliquis temporibus, nostra hac ætate exculta est Botanica; anteà circa externam Plantarum effigiem, & signaturam præcipuus impendebatur labor, ut ea in re absolutam haberemus Plantarum historiam; modò perfectam habemus Anatomen. Oculis enim microscopio armatis Plantarum parenchymata, membranas, fibras, utriculos, canaliculos, per quos liquor nutritius in Plantam, & è Planta in radices in orbem fertur (qualem circuitum magnus olim adumbravit Hippocrates) apertè conspicimus. (*a*) Quòd verò præcipuum est, innumeris experimentis, non tralatitia Scriptorum fide, Plantarum omnium, fruticum, ac herbulæ cujusque, explosis Veterum fabulis, satis explorata est Virtus, & quanam in parte concluса lateat, num in volatili, an fixa, num acida, an alchalina. Sic non ampliùs, veluti olim, plantarum cujuscumque ordinis confusaneo apparatu, & excogitata compositione luxuriæ (uti olim de Theriaca Plinius) parantur remedia, (*b*) sed tota sua simplicitate, ac nativa dote à cordatis ac ingenuis Professoribus Vegetabilia in usum revocantur, adeò ut ad Homericam Medicinam Ars medendi paulatim remigret. (*c*) *Medicina quondam*, ajebat Seneca, *paucarum fuit scientia herbarum, quibus fluens sisteretur sanguis, vulnera coirent paulatim.* Sic Helena apud Homerum sola radice Oenopiæ, (*d*) qua à Theonis Regis Uxore fuerat donata, nobilem illam mœroris antidotum, Vinum Nepenthes, paravit, quo Menelai, & Telemachi Ulyssis filii luctus & curas consopiret. Equidem eò ventum erat, ut qui prolixiores ac palmares remediorum formulas (scriptas & à tergo quandoque) Ægris præscriberet, is verè utramque paginam absolvisse crederetur.

In hac quoque re Fortunæ favor accessit; quot enim seculis desudarunt Artis primores, ut febrifugum aliquod reperirent, vel arte conflarent? Modò è Peruviana regione Cortex, ad nos defertur, divinum plane remedium

(*a*) De Nat. Puc. in 32. (*b*) l. 29. N.N. c. 1. (*c*) Ep 9. (*d*) Od. δ.

dium ad malè natam febrium ſobolem exterminandam. Poſtremò ut inoffenſa proſperitate ad extremam ſui metam ſeculum iſtud procederet, paucis abhinc annis novum antidyſentericum remedium in Europam delatum eſt, radix nempe quædam, cujus admiranda virtus in cruentis alvi fluxibus, multis experimentis comprobata eſt, qua de re elegantiſſimum libellum edidit Leibnitius, Vir Celeberrimus. Lubenter equidem, ac ut mei muneris eſt, egregios Profeſſores, qui Botanicam hoc ſeculo illuſtrarunt, hic memorarem; verùm quos primo loco memorem, cum omnes primas teneant? Abſit, quòd hac in re cujuſquam dignitati & famæ quicquam detractum velim; omnes in commune bonum allaborarunt, ſuus quemque honos tuebitur. Jactat, æternùmque jactabit Gaſparum, & Joannem de Bauhinis ambos fratres Helvetia, Paulum Hermanum Batavia, Joannem Rajum Anglia, Robertum Moriſonum Scotia, Joſephum Pittonem Tournefortium Gallia, Fabium Columnam, Lælium, & Jo. Baptiſtam fratres de Triumphetis, Illuſtriſſimum & Spectatiſſimum Virum D. Abbatem Felicem Viali, Patavini Horti Præſidem, nunquam ſat dignis laudibus noſtra condecorabit Italia.

Grande igitur patrimonium, ac tam magnificam ſupellectilem Poſteris noſtris relinquimus, Auditores Nobiliſſimi, ut partæ magnitudinis optanda ſit potiùs conſervatio, quàm ſperanda amplitudo. Ac profectò ſi tot experimenta, ſi tot tentamina, vel in minimis, mente recolamus, ſi celeberrimæ Naturæ Curioſorum Academiæ Ephèmerides, ſi ea, quæ veluti in faſtus, & acquiſiti Imperii Rationaria relata ſunt, ut Acta Lipſienſia, Haſſnienſia, Britannica, Gallica, Italica evolvamus, citrà jactantiæ aleam fas eſt aſſerere, Veritatem penè occupatam, tria ampliſſima Naturæ Regna in medicam poteſtatem quaſi ex toto redacta. Admirari tamen ſemper licebit quomodo tot publica Gymnaſia, moribus, locorum diverſitate, religionis quoque cultu diſſita, tanto, ac adeò tacito inter ſe animorum conſenſu, in eundem finem collimarint, ut ſeculum iſtud perennarent. Quomodo autem à tot inter ſe fœderatis Academiis Natura per integrum ſeculum circumventa, obſeſſa, tot machinis petita, arietata, vinctas tandem non daret manus, ac non pateretur ſibi peplum detrahi, ut non ampliùs perſonata, ſed tota quanta eſſet, Oculis noſtris pateret? Illa equidem ſub Iſidis perſona nimis jactabunda olim hiſce gloriabatur verbis: (a) *Ego ſum Univerſum, & flammeum meum mortalium nemo aperuit:* ac propterea ut ſcrutatorum induſtriæ ſecuriùs illuderet, ſe totam in minimis abdiderat; in minimis quoque quæſita eſt, inventa eſt, flammeôque detractô, in apertam lucem protracta.

Quid ergo ſupereſt agendum? Nonniſi, quemadmodum Romanis in ſecularibus ludis mos fuit, ut ob res proſperè geſtas Divinæ beneficentiæ agantur gratiæ (& quando Romanæ libertatis, & Latini ſanguinis reliquiæ è Tyberi in Adriacam Regiam veluti in Portum conceſſère) ut *pro ampliſſimô Senatû, pro Sereniſſimô Principe, pro Veneti Imperii æternitate ſuſcipiantur Vota;* hoc enim ſtante æternùm ſtabit, vigebitque celeberrimum iſtud Athenæum. Stabit profecto, ac novo in dies exiſtimationis & famæ incremento, quod hactenùs obtinuit, potiori jure retinebit, nimirùm ut cæteris præcellat. Videte, quæſo, quos illius cuſtodiæ Sapientiſſimos Moderatores præfecerit ampliſſimi Senatus auctoritas? Ii Veneta in Urbe, tanquam è Specula, non ſolùm illius incolumitati, verùm amplitudini & decori, vigili cura proſpiciunt. Videte quoque, quos ſpectatiſſimos Viros illi propiùs, tanquam tutelaria Numina adeſſe voluerit. Tanti intereſt hanc Palladis Arcem antiquiſſimam in hâc Civitate cuſtodiri, ac in Adriaca Regia Martis Armamentarium ipſum, illud quidem ad publicam ſecuritatem, hanc ad publicam felicitatem. Ibi non ſecùs ac in Lemniâ Vulcani Officinâ ad arma conflanda continuò deſudant, & ictus ingeminant Steropes, ac Brontes, *Stri-*

(a) Plut. de Iſid.

Strident que cavernis (a)
Strictura Chalybum, & fornacibus ignis anhelat.

Hic ad conflandos homines numerosa Sapientum Virorum exercetur phalanx, & continuo, sed non improbo labore perstrepunt Scholæ, Atria,

Semper & assiduo ruptæ Lectore Columnæ. (b)

Sic autem decebat, imò oportebat, Venetam Majestatem non solùm armis esse decoratam, sed Sapientia quoque armatam.

Juxtà Patavium locum quendam olim fuisse, ubi Geryonis Oraculum colebatur, eumque locum adiisse Tiberium, nondum Imperatorem, jactisque in Aponi Fontem aureis talis, futuri Principatus præsagia suscepisse, ex Suetonio habemus. Non est, quòd ubinam esset mendacis Oraculi Domicilium curiosè disquiramus, dum in hâc Civitate Lyceum istud exstat, ubi humanarum, divinarumque rerum tot sunt Oracula, quot Professores. Sic antiquam hanc Reip. Literariæ Sedem sartam tectam tueantur Superi, *cui nec metas rerum, nec tempora ponant.*

(a) Vir. Æne. l. 8. (b) Juven. Sat. 1.

ORATIO TERTIA,

Habita Die XII. Novemb. Anno M. DCC. I.

Feliciùs curari à Medicô populærem gentem, quàm Nobiles, & Principes Viros.

NOn possùm, fateor, non admirari A. O. quomodo mentibus nostris tam altè insederit communis de Fortunæ supra res humanas dominatu opinio, ut si Templa, & Aræ more Veterum non exstent, ubi ad bonæ Fortunæ simulacrum litemus, nescio, quid tamen ignotum Numen mente concipimus, quod nobis benignum & salutare vovemus, cum ad novum aliquid moliendum sollicitamur. Sic nimis amplam potestatem in rebus, tum publicis, tum privatis illi affingimus, in politicis, in œconomicis, in magnis & privatis domibus, licet etiam infimæ sortis, hinc omnibus in locis sola Fortuna invocatur, sola laudatur, non rarò etiam arguitur, tanquam cæca, temeraria, invida, & injusta bonorum dispensatrix. Nihil autem esse ubi quid, & quantum possit Fortuna, magis appareat, *quàm in Gubernatione, in Navigatione, in militari Imperiô, ac Medicinâ*, scripsit Plato in libris de Legibus; hinc nihil æquè vulgatum est, nihilque magis pro re indubia acceptum; quàm oportere Medicum esse fortunatum, ac in illô præter doctrinam, & prudentiam desiderari quoque Fortunam. Num autem in Arte Medicâ tantum dominii, ac potestatis sibi Fortuna vindicet, uti persuasum habet vulgus, mihi non tam facile persuadere possum; etenim si Fortunæ in Medicina facienda locum aliquem largiri liceat, eam esse crediderim, cum Medicus aliquis, alioquin sapiens, exercitatus, ac prudens, in morbum inciderit, aspectu gravem, qui ægrum, & Assidentes perterrefaciat, qui quantus, & qualis est, vigiliis, jactationibus, doloribus, aliisque symptomatibus se prodat, sed qui tamen curationem non respuat; sicuti enim eum infortunatum appellare fas sit, cui accersiri obtigerit ad curandum morbum sonticum, ac malignum, qui latenter spiritus depopuletur, & plus periculi habeat in recessu, quàm in fronte, & qui neque somnum interpellet, appetentiam non dejiciat, neque ullam ab ægrô querelam extorqueat, ut ut enim Medicus prognostico tanquam clypeo, se communierit, non tam facile illi erit ut

vulgi calumniam declinet, cum ægri exſtincti rumor improviſus per Civitatem vagari ceperit. Cæterùm, quòd Medici docti licet, ac boni Practici in curandis ſplendidis perſonis, eam non ſortiantur felicitatem, quam ut plurimum experiuntur Clinici minùs docti, qui ad curandam plebem quotidianam operam impendunt, & quibus admirandæ non rarò contingunt curationes, id inter Fortunæ jura reponendum nequaquam cenſeo, illud enim quod ex quarundam cauſarum complexû, ſic & non aliter fieri neceſſum eſt, fortuitum nemo ſapiens, ut reor, appellabit, atque id ipſum eſt, quod hodierna hac mea Oratione demonſtrandum ſuſcepi; abſolutè nimirum, ac feliciùs curari à Medico popularem gentem, quàm Nobiles, & Principes Viros.

Haud ſum neſcius O. D. omnium ferè mentibus hanc hærere opinionem, non aliam ob cauſam minùs proſperè curari Nobiles, & Egregios Viros, quam vulgarem, & proletariam gentem, niſi quia Medicus, qui ad Virum aliquem excelſum curandum fuerit accitus, non minùs ad ſui nominis exiſtimationem, actu tamen, quam ad ægri ſalutem ſit attentus, adeò ut tali cautione remedia præſcribat, quæ culpa in quolibet eventu vacare credantur, *cum nemo*, uti ajebat Celſus, (a) *in ſplendida perſona ſua conjectura periclitari velit, ne occidiſſe, niſi ſervarit, videatur;* ubi ſi ad plebeum aliquem curandum acceſſiſſet, generoſa remedia, quæ & morbum, & morbi cauſam averuncarent, animosè ac fidenter præſcripſiſſet. Egregiè ſanè, atque ut ingenuum Artificem decebat ſe præbuit Galenus, qui cum ad Commodum Imperatorem paſſione quadam ſtomachi laborantem curandum, *ex cibi*, ut ipſe ait, *in ventriculo atritione*, ut à Romanis Medicis febrire crederetur, cum ab aſſumpto cibo paulò poſt rigeret, fuiſſet evocatus, exploratô pulsû, illum nulla febre teneri pronunciavit, ſed ſimplicem eſſe cibi in Ventriculô attritionem, & in flatus converſionem, quam ob cauſam ab Imperatore quæſitus, quid agendum eſſet, hiſce verbis reſpondit: (b) *Si quiſpiam alius eſſet, qui hoc morbo laboraret, bibendum ipſi dediſſem, quemadmodum ſolitus ſum, vinum pipere inſperſum; Vobis autem Regibus, quibus tutiſſima remedia Medici admovere conſueverunt, lanæ manipulum Nardino pigmento calido intinctum oſtio Ventriculi imponere ſufficiet.* Galeni ingenuitatem admirans Imperator, præſcriptum remedium in vulgari gente expertum ſibi laboranti adhiberi juſſit, accepto enim vino ſabino cum piperis pulvere inſperſo, Imperator ſanitati feliciter eſt reſtitutus. Non ibo ſanè inficias, quin Medentium finis politicus, & circumſpectio in curandis Nobilibus Viris promptæ & expeditæ curationi aliqua remora eſſe poſſit, ut Nobiles, & Principes Viri, in quorum ſinu, honores, opes & omnia fortunæ bona videantur confluxiſſe, ea beneficia, ab Arte Medicâ, quæ omnibus ex ſui natura eadem eſt, non referant, quæ gens vulgaris; aliæ tamen ſuperſunt fortiores cauſæ, quæ non ſinunt, ut hac in re feliciores ſint Patricii, quam plebei homines. Quàm diverſa, immò quam contraria vivendi ratione, eadem in regione, eadem in Urbe ætatem ſuam traducant Nobiles Viri, & viles Operarii, ſub eôdem etiam tectô Servi, & Domini, nemo non novit. Plebs miſera, & malis aſſueta, paucis contenta eſt cibis, ac talis, impellente neceſſitate, eſſe cogitur ſobrie vivendo, ubi enim a manuariis operibus lares ſuos redierit, ſi menſa illi ſit tripes, ſalis concha, & vappæ lagena, lautè ſibi vivere videtur, pulte, ſeu pane ſecundario, & nigro victitans.

Nam tener, & niveus, mollique ſiligne factus (c)
Servatur Dominis.

quin etiam feſtis diebus plerumque ſacrum ſine fumo, ut dici ſolet, celebrare illi neceſſe eſt.

Aſt à pauperum, & operariorum menſis, quàm longè diſtant in Magnatum Palatiis, & Principum Aulis menſæ, non elegantia, & cultu, ſed omnifario dapum genere inſtructæ, & oneratæ. At precor quot homines unius

(a) In Proœmio. (b) Lib. de prœcogn. ad Poſth. cap. 11. Vide Petrum Bayrum lib. 11. c. 9. (c) Juven. Sat. 5.

unius Domini gulæ ſerviunt, ut ad illos recenſendos nomenclatore opus ſit! Sic Saltuarios, Aucupes, Venatores, Piſcatores, Coquos, Cupediarios, Præguſtatores, Pocillatores, & comptam Epheborum phalangem, grandes & argenteas patinas longô ordine geſtantium, videre eſt ſollicitam, & anhelantem. Frugales profectò ac parcas fuiſſe Deorum menſas, ſi iis conferantur, quæ olim apud Romanos Cæſares parari conſueverant, & quæ noſtrâ hâc ætate in Regum Palatiis ſpectantur, fateri oportet; in illis etenim ſolo nectare, & ambroſia victitabant Dii, & ſi aliquando ambroſia ſaturi eſſent, ſolo nectare vivebant, ut de Jove Martialis luſit.

Jupiter ambroſia ſatur eſt, nunc nectare vivit.

Qualem autem chyloſim ex tot diverſis epularum generibus, ex tot monſtruoſis condituris, ex vinis, variis è regionibus conquiſitis fieri credendum eſt, quàm portentoſas in venis, in viſceribus humorum corruptiones progigni conjectare licet? Cum igitur Viris tantâ lautitiâ degentibus ægrotare contigerit, quænam apta remedia habent medica Promptuaria, & Pharmacopœorum pyxides, quibus ipſis ſuccurri poſſit! Quis Medicus, ſi ſapiat, mochlicis remediis Camarinam hujuſmodi movere auſit, quænam Panacea, quod Nepenthes, ad tam grandes turbas componendas ſufficiet? Tempeſtivè quidem ſibi olim conſuluit Aloyſius Cornarius Patritius Venetus, qui alienis periculis edoctus, & cautior factus, cum advertiſſet duos, quos habebat fratres, lautè, & opiparè, uti moseſt Nobilium, aſſiduè degentes, in ipsô juventæ flore, è vivorum ſtatione ſublatos, nec ullâ ope medicâ ſervari potuiſſe, ſecum animo reputans, ſibi quoque idem fatum imminere, ſi illorum veſtigiis hæreret, non aliud effugium ſupereſſe credidit, quàm ſi ſobriæ, & frugali vitæ ſe totum dederet, ex quâ id beneficii eſt conſecutus, ut integrum penè ſeculum fuerit emenſus. Et quod magis mirere, ſenectutem adeò robuſtam, & vegetam traduxerit, ut nonageſimum agens annum, non minùs corporis, quàm animi viribus polleret non ſecus ac quilibet alius ætate, & viribus florens, ut cum vellet, Equum conſcenderet, venaretur, choreas ageret, folle luderet, legeret, declamaret, ſtudiis vacaret, quorum egregium ſpecimen exhibuit, opus in illâ ætate de Vitæ ſobriæ commodis conſcribendo, Opus ſanè elegantiſſimum, ac dignum, quod notis Medicis ab aliquô Profeſſore illuſtretur, & in publicum bonum recudatur. En quomodo moderata vivendi ratio in hôc Nobiliſſimô Virô vitæ lineam feliciter produxit, quam intemperantia miſerè intercidiſſet.

At non ſolum familiaris ciborum, elementa per omnia quæſitorum, quotidiana congeſtio ea eſt, quæ difficiliores, & magis dubias curationes in iis efficit, qui divitiis affluunt, quàm in popularibus, quorum victus ſimplicior eſt, non evenit; multa enim alia exſtant, quæ non ſinunt ut Nobiles, & Principes Viri, è Medicinæ fontibus eam ſalubritatem hauriant, quam Artifices & viles Operarii: Qui enim in Urbibus potentiores ſunt; eòque magis qui in ſummô rerum faſtigiô ſunt poſiti; perrarò Medentium præceptis obſequuntur, auſcultant; eos enim qui cæteris, imperitare ſolent, non parum pudet Arti parere omnium imperioſiſſimæ, ut Medicinam vocavit Plinius, (a) *quæ ipſis imperat Imperatoribus.* Cum autem citiſſimè curari velint, & urgeant, ſi quid non profuit illicò damnant, & nova hinc inde præſidia exquirunt, illos tamen non rarò ſua diligentia fruſtrante, dum præcocem ſanitatem non niſi longo remediorum uſu, & temporis mutatione maturandam ſomniant. Hinc fit, ut Medentium judicia alioquin ſana pervertantur, ac perſæpè in futuri eventus præſagitione, quem habituri ſint morbi, illi facilius divinent, qui ad ægrotantis mores potius, quàm peccantes humores, & morbi ingenium reſpiciant. Curioſum ſanè, & memoratu dignum, quod de familiari quodam Antigoni Regis memoriæ prodidit Celſus (b) Huic Nobili

(a) L. 30. Cap. 1. Hiſtor. Naturar. (b) Lib. 3. Cap. 21.

bili Viro, & notæ intemperantiæ aliquot, ſed mediocria aquæ intercutis ſigna apparere, inceperant, quam ob cauſam duos tunc temporis Medicæ Artis Profeſſores, unum Chryſippi Diſcipulum, alterum Philippum Epirotem acciri Rex juſſit, ut de naſcente morbô judicium ferrent, & quid agendum eſſet edicerent; de naturâ morbi, illius cauſis, parte affectâ, inter ipſos prorſus conventum eſt, ſolummodò circa eventum non pauca fuit diſſenſio. Negabat aſſeveranter Chryſippi Diſcipulus Ægrum hujuſmodi cum ſanitate unquam in gratiam redire poſſe, ac tandem hydropicum moriturum; conſtanter autem aſſerebat Philippus Epirotes curabilem eſſe morbum, ſuamque fidem oppignerare, & polliceri ſe ſuis pharmacis priſtinæ ſanitati redditurum. Acriter hac de re coram Rege diſputatum eſt, donec tandem litem hanc diremit Chryſippi Diſcipulus, judicii enim ſui rationem aperiens dixit Collegam ſuum rectè ſentire, ſed ſolum ad corporis morbum, ſe verò ad animi ægritudinem reſpicere, ut qui ſciret qualis eſſet Juvenis illius intemperantia. Neque eum res fefellit, licet enim Æger ille ſub Regis cuſtodia, & Medici curantis diligentia cuſtodiretur, remedia, quæ ad ſanitatem conduxiſſent, pertæſus, *malagmata ſua devorando, & urinam ſuam bibendo* in extremum exitium ſe præcipitavit. Auream, propterea, egregii Scriptoris ſententiam de hydrope licet ſubnectere. *Facilius*, inquit ille, *in ſervis, quàm in liberis tollitur, quia cum deſideret, famem, ſitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promptiùs his ſuccurritur, quàm quibus inutilis libertas eſt.* Cur non etiam proferre liceat, promptiùs à Medicis auxilia præſtari, popularibus, & Operariis, qui obſequentes, qui Medentis fidei ſe totos concredunt, qui adventantem Medicum tanquam præſens Numen excipiunt, qui præſcripta remedia alacriter capiunt, qui ſuaſoriam non exigunt, antequam poculum ori admoveant, de Medicina tanquam re ſacra contenti, potiùs credere, quàm ſcire; Cur non inquam iis expeditiùs opem ferri aſſeremus, quàm ſplendidis perſonis, quibus cum ex gravi aliquô morbô ægrotent, auctoritas ſua, *Perſæpè noxia eſt.*

Quid porrò magis ancipites, variisque Fortunæ caſibus obnoxias efficit morborum curationes, quàm ubi ad ægrum unicum curandum Medici plures convenerint? Satis vulgata eſt vetus Inſcriptio illa, *Medicorum turba Regem interfecit*, ſint licet, experientia, doctrina, & fama percelebres, ſint ingenui, & ab omni ſimultate, quod perrarum eſt, alieni, pro prodigio erit, ſi omnes idem cenſeant, ſi ad unicum ſcopum colliment; etenim ſi ulla in re, Comici dictum illud locum habet: (a) *Quot capita, tot ſententiæ, ſuus cuique mos*, maximè in hâc re verum eſſe deprehenditur; cuique enim Medentium pro ſuâ indole, pro ingeniô, quo pollet, de eô, quod agendum eſt, in quo potiſſimus verſatur curationis cardo, facilè ſuam ſententiam profert, ſic ut unus ſine morâ properandum cenſeat, hic cunctandum, alter lentè feſtinandum, donec dum conſulitur, agendi opportunitas, quæ præceps eſt, elabatur. Inter has ſyrtes graviter periclitantur Nobiles, & Principes Viri, dum gravis alicujus morbi tempeſtate premuntur, quos non ſine commiſeratione aliquando ſpectare licet à Medicis circumventos, ac veluti obſeſſos; ac ſi quis ex hoc ordine alieno periculo edoctus juramento ſe obſtrinxerit, nolle niſi unicum ſalutis ſuæ Rectorem habere, ubi ex morbo cogatur decumbere, peritum potius, quàm diſertum, non tam facilè votorum ſuorum compotem fieri illi dabitur; ubi enim ægrotare contigerit, ſi fortè ingraveſcat morbus, Uxor, Filii, tota domus, ac Civitas reclamabit uni Medico rei ſummam non eſſe committendam, & Familiæ ſplendori indecorum eſſe, niſi plures Clariſſimi Viri in ſubſidium advocentur, quaſi ſine faſtû, & ambitione ægrotare non liceat, imò quod magis mirere, Medicus ipſe, cujus fidei, & peritiæ ſe totum tradiderit, rationibus, ſive clam, ſive precario ægrum ipſum compellet, ut unum Collegam ſibi habere permittat, quocum ſcilicet in ſiniſtrô eventû potiùs partiatur infamiam, quàm in ſecundô communicet gloriam. Ab hujuſmodi anguſtiis populares homines abſolvit

(a) Actor. 2.

pau-

paupertas & humilis conditio, utpote quibus cum decumbunt unus ſufficit Medicus, interdum etiam nullus, ſuccenturiante Natura, vera, ac fida morborum medicatrice.

At neque Medentium tantum, ſed medicamentorum quoque copia, ac turba promiſcua, Nobilibus Viris offerri ſolita, ſæpènumerò graviores efficit morbos, ſeu ſaltem protractiores facit, qualia incommoda non ſentiunt populares ægri, & operarii, in quibus Natura, quæ paucis contenta eſt, remediorum parcitatem, & ſimplicitatem faciliùs ſuſtinet, & inſtaurationem ſuſcipit; conferantur quæſo, ſi lubet, ingentes illæ Wecherianæ, & Schroderianæ Pharmacopœæ, & Chymicæ Collectaneæ aliæque permultæ, quæ in Procerum, & Nobilium gratiam videntur conflatæ, conferantur inquam cum Medicina pauperùm Prevoci noſtri libro, quidem parvo, ſed aureolo, uti ſcripſit de Crantoris Opuſculo olim Tullius. Nec fortè quis putet vulgaria medicamenta, & paratu facilia popularibus præſcribi, ne tenues illorum facultates pretioſioribus remediis, & operosè elaboratis penitùs abſumantur, nam ſi res benè penſitetur, non hanc ob cauſam facilia medicamenta, & intra Urbis pomœria prognata, à bono, & perito Medico huic hominum generi præſcribi ſolent, ſed quia humorum conditio, quibus ſcatent illorum corpora, hujuſmodi pharmaca expoſcat, & vehementiora reſpuat. Longè profectò diverſa eſt totius humoralis maſſæ in populari, ac in Nobilium corporibus; Plebei enim homines, qui intra Urbes degunt, & laborioſæ vitæ ſunt addicti, (ſi quoſdam Artifices demas, qui ſedentarias Artes exercent, Sutores, Sarcinatores, alioſque hujuſmodi) eòque magis ruſticanæ gentes, quibus ab agrorum cultura nullum otium, nullæ feriæ, niſi hyeme parumper, cum nix alta jacet, cruorem habent, cæteroſque quotquot ſunt in corpore humores ad legem motus circularis ſanguinis faciles, & proni; cujus rei argumentum non leve præbet venarum latitudo, ut non immerito, qui validis exercitiis vitam traducunt Epiphlebii dicantur. Quid enim promptiùs, & faciliùs ſanguinem vitæ humanæ theſaurum in debito fluore detinet, quam motus, & corporis exercitatio? Hinc non tam facilè in vaſis ſanguifluis, ac præcipuè in arteriarum finibus contingunt ſtagnationes, quales in iis, qui mollem, & veternoſam vitam agunt ſæpenumerò obſervantur. Hanc ob cauſam ſicubi hominibus, quotidianis laboribus exercitis febrire, ſive aliquo morbo laborare contigerit, & illorum corpora à noxiis humoribus expurgare neceſſe ſit, tanto molimine opus non eſt, nec fortioribus catharticis utendum eſt, cum ſolis ecoproticis id abſolvi poſſit, quando experientia non rarò commonſtrat à pharmacis fortioribus malè habere pauperem plebeculam, & exſolutiones, ſive hypercatharſes ſubire, erroneum certè eſt, mea quidem ſententia, Operarios fortes alioquin, & robuſtos, fortiora medicamenta faciliùs perferre, quam molles, & delicatos Viros inter otia, & delicias enutritos; in his enim ab humorum lentore, in quibus Ventriculus, & naturalia viſcera ſunt infracta, franguntur purgantium ſpicula, ac inviſcantur, ubi in operariorum ſtomachis ac totò inteſtinorum volumine, in quibus non hoſpitatur tam craſſa pituita, quam motus, & exercitia extenuant, validiora ſolventia vim ſuam exſerunt, & vires exſolvunt. Quid uſitatiùs, quid frequentiùs, quam videre Religioſos Viros, qui in Clauſtris deſidem vitam trahunt; litterarum ſtudiis occupatos, parata è ſtibio remedia, aliaque hujuſce generis in uſu habere ſine noxa, quæ in plebejo homine magnas cierent turbas? Licet enim craſſiori victu utantur Artifices urbani, & ruſticanæ gentes, urgente ſic neceſſitate, ea tamen eſt exercitationis virtus, ut alimenta etiam craſſiora ab aeri fermento diſſolvantur, & in juſtum fluorem faceſſant, quàm tenues cibi in otioſis, & feriatis corporibus. Non enim ſatis eſt ſelectos, & facilis coctionis cibos in uſû quotidianô habere, ut rectè quis nutriatur, & benè valeat, ſed quod potiſſimum requiritur, ut quod aſſumitur, niſi ab humanâ naturâ adeò ſit alienum, à ventriculi fermento in liquorem

abeat, ac juſta anadoſi per corpus feratur. (a) *O dura meſſorum illia*, exclamabat olim Venuſinus Poëta admiratione plenus, quomodo ſegetum meſſores ardenti ſubSole allium ederent cicutis nocentius, ut ipſe ait; Egregiè quoque in hanc rem, nec minus medicè, quàm philoſophicè ſcripſit Lucretius:

Nec multum refert, quo victu corpus alatur, (b)
Dummodo quod capias concoctum didere poſſis
Artubus, & ſtomachi humectum ſervare tenorem.

Ne autem quis hæc mea commenta eſſe, & mentis cogitata, ut propoſitum meum quoquo modo confirmem, adeamus ſi lubet Hippocratem noſtrum, fallere, (c) & falli neſcium, ſi ab illo percunctemur, in quo ſtatuenda ſit ſanitas, non enim ulla in re ſanitatem ſitam eſſe ille voluit, quam in juſtâ quadam commoderatione, inter cibos, & labores; obſervare enim oportet ajebat ille, *an labores cibos, ſuperent, aut moderatè inter ſe habeant, utrum enim tandem ſuperetur morbi fiunt, ab æqualitate autem inter ipſa ſanitas adeſt.* At precor in Proceribus, & ſummis Viris, qualis eſt proportio inter cibos, & labores, qui non fateatur, ſi ad illorum vivendi modum parumper attendat, longè ſuperari labores à cibis, quàm cibos à laboribus; quid mirum poſtea, ſi craſſiores ſucci cumulentur in venis, & æquabilis ille motus in cruoris circulo pervertatur, & unà cum ipſo naturalis totius corporis œconomia, quæ poſtea non tam facilè, nec niſi validioribus remediis reſtitui poſſunt; neque ſibi blandiantur, quòd exercitationis neceſſitatem agnoſcentes, identidem equitatione, venatione, aut quovis alio modo ſe exercendo, incolumes præſtare poſſint, non enim adeò ſecurum eſt, à diuturna corporis quiete, ad inſolita & valida exercitia migrare, atque id eſt, quod Oraculi ad inſtar ſcripſit Hippocrates: (c) *Faciliùs eſſe tranſire à negotio ad otium; quàm ab otio ad negotium.* Cum ergo illuſtrium Virorum hujuſmodi vivendi genus, ut cibi ſuperexcedant labores, non adeò conſtans, & firma poterit eſſe illorum valetudo, nec tam facilè reſtitui, ubi à ſtatû ſuô deciderit, ſicuti in popularibus, in quibus cum inter labores, & alimenta proportio ad æquabilitatem magis accedat, expeditiores erunt viæ; per quas impuritates, quæ in illis morbos faciunt, promptiùs è corpore eliminentur, ſive anœ, ſive catœ; ſiquidem ſi magis fluxiles, & ad motum proni ſint humores medicamentis emeticis, catharticis, deobſtruentibus, aliiſque minùs obſiſtent. Sic ubi hoc hominum genus febribus tenetur, ſi ſudores elicere (quod præcipuum in febribus ſolet eſſe præſidium) opportunum cenſeatur diaphoreticis facilioribus, è vegetabilium familia petitis res abſolvitur, neque opus eſt ad Bezoartica, Jovialia, Mineralia confugere, uti in Nobilioribus Viris, ut hujuſmodi machinis obſtacula, & humorum reſiſtentia vincatur. In Operariis enim, & Artificibus, qui ex conſuetis exercitiis proni ſunt ad ſudorem, ut etiam media hyeme ad quemlibet motum illorum artus madeſcant, perfacilè Medicus remediis parvo conſtantibus optatum ſudorem impetrabit. Idem quoque de diureticis aſſerendum, ubi per urinarias vias ſeroſa colluvies ſit educenda. Nimius eſſem, ſi per ſingula morborum genera ire vellem, & palam facere, quomodo hic, vel ille præter naturam affectus, promptiùs, & faciliùs curetur in pauperculis, & vili plebecula, quam in ditioribus. Unicum tamen morbum pro reliquis omnibus in Scenam producere mihi liceat. * Lues Celtica, morbus olim ignotus, & exterus, ſed jamdudum Civitate donatus, hujuſmodi eſt indolis, ut cuique hominum generi, cuique ætati, temperamento facilè conſocietur, adeò philanthropos eſt hic morbus, nullius conſuetudinem, nullius hoſpitium, & contubernium reſpuit, *æquô pede*, ingreditur *pauperum tabernas, Regumque turres*, nulla illi ambitio, nullus faſtus, veluti Podagræ, quæ penes Magnates in Palatiis hoſpitatur, in humiles verò caſas, & ruſticorum mapalia, pedem immittere, dignitati ſuæ indecorum exiſtimat. Podagra habet neſcio

(a) Epodon L. Ode 2. (b) De Rer. Nat. L. 4. (c) L. 3. de diæta n. 7. (d) De rad. vic. inaent. d. n. 24.

neſcio quid regium ajebat Cardanus, (a) *ſedet cum alii ſtant, cubat in mollibus ſtratis, & ſi in publicum procedit, ſella geſtatur;* ſic olim dum Carolus Quintus Imperator ſuper Equum ſublimis Mediolanum ingreſſus eſt; illi ad latus adſtabat Antonius de Leva in lectica, quia podagricus; at non ſic Lues Venerea, multam habet comitatem, & ſociabilitatem, Amoris enim eſt filia; cum ergo indiſcriminatim hæc morboſa affectio, quemque corripiat, ac mille modis viam ſibi ſtruat, etiam per oſcula, per halitum, & alimentum, ut cum à Nutrice infecta lac pueri exſugunt, nemo eſt profectò, qui hoſpitem adeò infeſtum è domo ſuâ procul abigere non velit, ac ſtudeat; ſi tamen bonos, & ingenuos Practicos conſulamus, nullum profectò fore exiſtimo, qui ultrò non fateatur, feliciùs ſanari hunc morbum in populari, & ruſticanâ gente, quàm in Divitibus, & Nobilibus Viris. Sæpenumerò præmiſſâ purgatione ſimplici Guajaci decoctione lues illa abſtergitur, & ſi quod reliquum eſt virulentiæ, dum ad ſolita exercitia ablegantur, quando ſola exercitatio, ſed valida, & continuata, primis illis temporibus hujuſce morbi, Fallopio teſte, ſingulare erat remedium, facilè excutitur, ut in hypocauſtis non ſint uſtulanda illorum corpora, neque Jatralipta opus ſit, qui Mercuriali unguine animam perſæpè cogat exſpuere, humores enim ob aſſiduos labores, & frugaliorem victum, non adeò craſſi ſunt, nec tantæ ubertatis, ut tam altas radices morboſa ſemina Luis Venereæ jacere poſſint, quemadmodum in iis, (b) qui ex nobili genere nati ſunt, & in conviviorum lautitia vitam traducunt. Sic olim Dorias Celeberrimus ille Claſſium Ductor remiges ſuos quotieſcumque gallico morbo laborarent integri remi faginei decocto, & ſolita remigationis exercitatione ſub dio & in medio mari ad ſanitatem deducebat.

Quantum porrò in quibuſque morbis, ac præcipuè malignis, qui præſens exitium minitentur ad feliciorem curationem conducat, decumbentium animos, moleſtioribus curis quantum licet eſſe vacuos, nemo non novit, etenim in ſubitâ quadam pernicialis morbi tempeſtate, ſi ægrotantis animus, variis curarum fluctibus, tanquam in Euripô, huc, & illuc jactatur; quid, precor, præſtare valeant, & Medicus ſua ſolertia, & doctrina, quid pretioſiora medicamenta? quid celebriora Bezoartica, quid Panaceæ, aliaque hujuſmodi? Oculorum morboſos affectus ſanari non poſſe, (c) *niſi prius curetur caput, neque caput niſi prius curetur corpus, neque corpus ſine animo ajebat Medicus quidam apud Platonem, quando omnia penè bona, & mala ab animo lege conſortii corrivant in corpus;* cum itaque animis curarum multitudine obſeſſis, multum officiat ſanationi morborum, & ab animo ipſo curatio eſſet auſpicanda, quis, oro, ibit inficias, quin hanc ob cauſam quoque præ cæteris proſperiores eventus ſortiantur pauperes, & viles operarii, quàm Excelſi, & Nobiles Viri? Conferatur quæſo vilis Artifex in ſuô grabatulô ex gravi morbô decumbens, ut agnoſcat ſibi non leve vitæ periculum impendere, conferatur inquam cum Magnate aliquô; Ægre fert uterque dum ſentit, ac timet, ne ſibi hæc vita, qua nihil eſt cariùs, ſit deſerenda. Utrius verò animum moleſtioribus curis tranſverſum agi putandum eſt, plebei hominis, an Patricii? dolet ſanè miſellus Artifex, dum ſe in ancipiti caſu eſſe videt, & periculum inſtare, ne Conjugi, Filiis ſupremum vale dicere illi neceſſe ſit, attamen ad Religioſi viri venientis adſpectum non expaveſcit, quin ipſemet ſponte accerſiri jubet, qui ſacra remedia adminiſtret, non illum rei familiaris, neque condendi teſtamenti cura ſollicitat, neminem quærit, cui filiorum tutelam commendet, quos ſummi Rectoris providentiæ commiſit, ſic de divinâ pietate ſecurus placidè, quantum humana imbecillitas patitur, ad mortem ſe componit, *& quia non agnovit literaturam, ſicut audivit, ſic ſperat ſe viſurum in Civitate Dei,* (d) ſi illi ab hac vita ſit migrandum. Jacet alter aurato in lecto purpura, & byſſo regaliter inſtrato, ac dum veretur ne à morbi violentia è vivorum

(a) In encomio Podagræ. (b) Fallopius de Morb. Gall. c. 39. (c) Plato in Charmide. (d) Pſalm 70.

vorum albo eradatur, & ſtare loco neſcit, curarum mole licet oppreſſus, hac, & illac ſe jactans, animo identidem occurſant opes, honores, dignitates, familiæ ſplendor, Fortunæ bona, Conjux, Liberi, quæ omnia poſſit deſerere, adeò ut, quid de rebus ſuis deliberet æger ſæpè neſciat, & impar conſilio illa fatis committat. Si verò in ſtatu orbitatis Vir aliquis ex Nobilium ordine dives, & opulentus exſiſtat & graviter ægrotet, ubi rumor aliquis vagari incipiat graviter illum periclitari, ex templò ſibi tanquam ad cadaver adeſſe videt, vultures, captatores, hæredipetas, vultu quidem, pietatis officia ſimulantes, ſed qui citam illius mortem opperiantur. Quid verò ſi invaleſcente morbo videat amicos affines accedere, illum bono animo eſſe hortantes, ſuadenteſque ut oblata alicujus feſti occaſione, & devotionis ergo animum à culpis expiare, & ſacra Synaxi beare ſe velit. At ſi magnæ ſunt anguſtiæ, & curarum fluctuationes, cum æquis viribus inter naturam, & morbum decertatur, & neſcitur quorſum res evaſura ſit, num ad ſalutem, an ad interitum, quid porrò cum res conclamata eſt, ac depoſito ſimulationis vultu mors præ foribus denunciatur, ac de tabulis teſtamenti interrogatur, & de funebri pompa, humine, an ſublime velit putreſcere. Verùm haſce Magnatum, & potentiorum Virorum anguſtias nemo meliùs novit, quam qui in Medicina facienda ætatem ſuam triverit. Si ergo nihil magis cavent Medici, nihil magis apud ægros & aſſidentes crepant, quam iſta animi pathemata, quæ curationem feliciter, & ex arte inchoatam poſſint evertere, cur ſtatuere non liceat, hanc quoque ob cauſam, longè feliciores eſſe morborum curationes in vulgari gente, quàm in Nobilium, & Illuſtrium Virorum ordine.

Haud aliter in fœminis illuſtrioribus difficiliores, & magis protractæ obtingunt morborum curationes, & curantibus Medicis non leve negotium faceſſunt, quàm in plebejo fœminarum genere. Nobiles enim Mulieres, & ſpendidæ Matronæ, inter otia; & molles delicias enutritæ, gentilitia intemperie non minus quàm viri laborant, unde ciborum varietate oblectantur, ſtrenuè perpotant, noctes totas vigilant, in ludis, choreis, theatris, ac poſtea ad multas diei horas altùm ſtertunt, ac ſimul exinde meridiando, commeſſando, pergræcando, uti ajebat Plautus, vitam ducunt, ut Viros etiam provocent, ſicubi autem ægrotarint quàm moroſæ ſunt, quàm moleſtæ, & artis præceptis refractariæ. Qualem crucem Medicis figunt, ut non rarò eaſdem ludificari neceſſe ſit, larvata remedia offerendo. *Quædam non niſi decepta ſanantur*, ajebat Seneca, (a) hiſtoriam referens filiæ cujuſdam Regis, quæ cum in mamilla tumorem haberet jam maturum, nec ullis precibus adduci poſſet, ut ſineret illum ſibi ferro aperiri, Sagax Chirurgus ab ipſa tandem impetravit, ut ſpongia oleo imbuta tumorem blandè mulcere ſibi liceret, dum igitur leniter tumorem oblinit, ſcalpro in ſpongia abſcondito abſceſſum aperuit, quo pacto regiam puellam grata deceptione ſanavit. Conquerebatur olim hic morum Inſtitutor, quòd ſua ætate Mulieres Medicorum maximum ſua intemperantia mendacem reddidiſſent: *Mulieres podagra non laborare*, (b) *niſi menſtrua defecerint*, *neque calvas fieri* inter ſua oracula ſcripſit Hippocrates. *Atqui hæ*, ajebat Seneca, (c) *jam & capillis deſtituuntur*, *ac pedibus ægræ ſunt*. *Non mutata fœminarum natura ſed vita eſt*, *nam cum virorum licentiam æquaverint*, *corporum quoque virilium vitia æquaverunt*. *Beneficium ſexus ſuis vitiis perdiderunt*. Hac tamen Senecæ in muliebre genus tam acri, & felle reſperſa objurgatione, illuſtres Fœminas tantum ſugillari, nequaquam verò vulgares è plebe mulieres, ex aliis ejuſdem Scriptoris verbis, quæ hic miſſa facio ſatis liquet: Perrarum enim eſt noſtris quoque temporibus, & monſtro ſimile plebejas mulieres, ac præcipuè ruſticanas aſſiduis laboribus, & frugaliori victui ex neceſſitate addictas arthriticis fluxionibus tentari, niſi fortè aliquando in caritate annonæ leguminibus uti cogantur, quemadmodum in conſtitutione

(a) De Ira lib. 3. cap. 39. (b) 6. Aph. 36. (c) Seneca Ep. 91.

ne quadam penes Hippocratem, (a) ubi in Æno Civitate Thraciæ Fœminæ, & Viri, qui continenter leguminibus, & orobo præcipuè utebantur gonagra laborabant. Quid mirum igitur si in tam impropriô, & naturæ legibus incongruenti vitæ genere frequentiùs, & graviùs præ vilioribus fœminis ægrotent Nobiles Matronæ, & affectibus, & morbis, qui sexui magis sunt proprii, mulctentur, quàm cæteræ mulieres; facilè enim fiunt hystericæ, crebrò subsistunt catamenia, difficiliores sunt partus, & magis protracta puerperia, & consectariè in iis magis sint laboriosæ curationes, ast hæc in plebeis, & rusticanis mulieribus, ob contrarium omninò vitæ genus non eveniunt, parciùs enim degunt, magis laboribus exercitæ, & operosæ totos dies vigilant, atque etiam antelucanis horis ad consueta munia exsurgunt, ac si quandoque illis ægrotare contingat, paucis remediis faciliùs evadunt. Quàm bellè, quàm eleganter Poëtarum Princeps descripsit veram Matrem familias.

Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva (b)
Impositum cinerem, sopitos suscitat ignes
Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercet penso, castum ut servare cubile
Conjugis, & possit parvos educere natos.

Non est ergo, quòd Nobiles, & Principes Viri, sicubi gravioribus morbis plectuntur, quòd Artem, & Artifices culpent, & exsecrentur, si non tam citò ac tutè curentur, uti pauperes, & viliores Artifices; sed æquo animo ferant, si aliquid in terris sit, quod plebeæ & proletariæ genti invideant.

(a) 4. in 2. Epid. Vide Gal. 3. Aph. 16. (b) Æneid. lib. 8.

ORATIO QUARTA,

Habita Die VI. Novembris, M. DCC. II.

Veram Febrium Theoriam & Praxim inter ea, quæ adhuc desiderantur esse recensendam.

Biennali peragratione non improsperè tamen, neque infrugiferè, ut reor, celebriores microsmici imperii provincias & fines medicâ indagine lustravimus, singularum scilicet humani corporis partium, non structuram, & usum, quam Spartam Prosectorum solertiæ exornandam relinquimus, sed morbos inquilinos, quantum per vires nostras licuit, pervestigavimus, & singularia remedia, quæ ratio & usus salubriora ostenderit recensuimus. Quæ Monstra, quas pestes, intra ipsius Vitæ hospitia, nedum in extremis artubus cubantes deprehendere obtigerit, Vos ipsimet nostis Ornatissimi Juvenes, quorum non paucos hôc annô quoque, quod felix faustumque sit, summâ cum animi mei voluptate datum est revisere. Herculi profectò terrarum Orbem discurrenti non occurrere tot Belvæ tot Monstra, quot nobis obviam processere multiformes & monstruosæ Morborum cohortes, ut non minùs laboris fuerit modum tradere, quo ab iis, quos obsederant locis abigi possent, ac ipsimet Herculi Augiæ stabulum repurgare. Memoriæ vestræ non refricabo, quos perniciales affectus intra ipsius Pallâdis sacram Arcem, & Animæ Lararium, Caput scilicet, deprehenderimus, herculeos verè morbos, veluti Epilepsias, Apoplexias, Catalepses, Manias, Phrenitides, & alios consimiles affectus, qui Animam ipsam è suâ sede dejicere sunt potis, nec non quæ mala Cor ipsum Vitæ Fontem

ac primum movens impetant, ac arietent, uti Syncopes, Polypi, Eclyſes, & animatæ quoque peſtes, verminoſa ſcilicet propago, nec memorabo, quot exitiales ægritudines naturalia Viſcera, Stomachum, Inteſtina, Hepar, Lienem, Renes, & ipſa quoque generationis organa infeſtent & exerceant, ac denique non repetam quomodo pars quælibet ſuos patiatur manes.

Per biennium itaque cuncta iſthæc perveſtigavimus, & ad oppugnandos tot hoſtes, qui Vitæ noſtræ clanculum & apertè excidium pertentant è triplici Regnô Animali, Vegetabili, & Minerali ſubſidia advocavimus. Itum eſt in viſcera terræ, ut ea Sulmonenſis Poëta, aliô tamen ſenſû, irritamenta malorum vocavit, in remediorum materiam faceſſerent.

Verùm utut operam noſtram pro virili impenderimus, non omnis tamen penitùs exantlatus eſt labor; multum operis adhuc, imò quod præcipuum, & maximum eſt, ſubeundum ſupereſt; cum Hydra multorum capitum, quam igne potiùs exacuas, quàm perimas, nobis hôc Annô agendum, cum Febre ſcilicet, cujus Monſtri ingenium atrox ac verſipelle clarioribus Artis Proceribus ad tot ſecula illuſit, & quod dolendum, noſtrorum quoque temporum Anteſignanis non rarò illudit & imponit.

Quàm cautum igitur, quàm circumſpectum oportet eſſe Medicum, ubi cum hôc Proteiformi monſtrô congrediendum acceſſerit, nunquam enim ſatis armatus, ſatis inſtructus ad illud oppugnandum incedet. Id ſanè mirum eſt, quòd cum Ars Medica tot morborum, quibus humana corpora malè plectuntur, naturam, ſedem, & curandi modum, indagine, nunquam ſatis laudanda, in apricum eduxerit, in curandis verò febribus, quo morbi genere nihil humanæ naturæ exitialius, nihil horribilius, poſt tot ſeculorum fluxum, tam parum profecerit. Hinc Arti cui milito, & in qua conſenui injurium me ab ingenuis, & cordatis Viris ſaltem nequaquam credi poſſe arbitror, ſi hodiernâ hâc meâ Oratione demonſtrem veram febrium Theoriam & Praxim inter ea, quæ deſiderantur adhuc eſſe recenſendam.

Neque verò perterrefieri in ipsô limine Vos velim, Ornatiſſimi Juvenes; abſit enim quòd meticuloſos faciam, quôs alacres & animoſos peropto, cautos tamen ac prudentes, ubi præſertim de humanô coriô agitur; expertus quippe ex longâ obſervatione didici, qua confidentia febrium paſſim ſuſcipiatur curatio, qua confidentia, utpote ignorantiæ filia, nihil in Arte Medicâ exitialius; Inſcitia enim, ut vetus fert parœmia confidentiam parit. Si militiæ peritos, & clariores Exercituum Ductores conſulamus, longè ſecuriùs, & auſpicatiùs eſt, pugnaturos de hoſtium fortitudine, & vafritie in anteceſſum commonefacere, quàm de illorum ruditate & in re bellica inexperientiâ ſecuros reddere, ad fortiter enim pugnandum acres ſtimulos adjicit de inſigni victoria & opimis ſpoliis concepta præſumptio, quàm cum viliori Adverſario credita concertatio.

Hactenus itaque cum de morbis particularibus ageremus, quibuſdam veluti velitationibus cum hoſte palante pugnavimus, modò cum Febre morborum Principe, cujus imperio omnes penè morbi auſcultant, & facili obſequio ſocias vires jungunt, totis viribus, & plenô Marte decernendum, ac inter armorum ſtrepitus, quibus aures noſtræ verberantur, ac obſurdeſcunt in hôc Literatorum Aſylô, ſeu potiùs Prytanæô, quod ampliſſimi Senatus Veneti magnificentia nobis indulſit, exerceamur, ac documenta captemus, qua fortitudinis & prudentiæ temperantia, febrium oppugnationes aggredi opporteat.

Primò itaque, quod in re militari primum quoque eſt, adverſarii, cum quo colluctandum, naturam, indolem ac vires, quantum ſolertiæ datum eſt, perſpectas habere, neceſſum eſt; ne cæco modo, callidiſſimo cum hoſte congrediamur. Ut autem inſitæ feritatis, qua febris ad humani generis internecionem paſſim exardeſcit, notio aliqua mentes veſtras ſubeat, ac altùm inſideat, advertatis velim, quòd cum in morborum censû alii ſint Endemii & Indigenæ, qui ſcilicet locorum & regionum

gionum peculiares ſunt, ut Plica in Poloniâ, Scorbutus in Germaniâ, Tabes in Angliâ, Bronchocelæ in Appenini incolis, alii ſint Epidemii, qui in quibuſdam conſtitutionibus per vulgus graſſantur, uti alvi fluxus, Rheumatiſmi, & ſimiles alii morbi, ſola Febris non Endemii, non Epidemii, ſed Coſmici, id eſt Mundani affectus, cognomentum ſibi adſciverit, ac adoptarit. Quis locus enim, quæ regio tam impervia, extra Anni Soliſque vias, gelidoque ſub axe, quò non pervadat febrile incendium?

Habent ætates ſuos peculiares morbos, ſuos ſexuum diverſitas, ſuos varia ac diverſa Anni tempora, de quibus Magnus Hippocrates, ſuos quoque varia vitæ conditio, & exercitii genus. Febri non vacat talia minutè diſtinguere; Nulla non ætas Febri Victima jugulatur; non infantilis, quæ humidiſſima eſt, non ſenilis, quæ frigida eſt, ſatis habent præſidii ne febrilis flammæ ſint pabulum: Tam fortiori quàm ſequiori ſexui infeſta eſt Febris, tam pauperes in ſuis tabernis, quàm reges in ſuis turribus æquô pede proterit, idque nullô non Anni tempore. Nullis itaque legibus adſtricta eſt Febris, imò penitùs exlex, excors, & ex aſſe tota inhumanitas eſt.

Verùm quod dolendum eſt, poſt Annorum chiliades, omnes Medentium conatus & machinamenta ad Febris naturam explorandam, nedum oppugnandam penè in irritum ceſſerint. Quoties cum Veterum, tum Recentiorum Medicinæ Procerum præſtantiora monumenta, & quæ creduntur Cedro magis digna Volumina evolvere mihi volupe eſt; idem prorſus mihi evenire ſentio ac Terentiano Seni, qui cum in filii ſui cauſa plures Advocatos accerſiſſet, coſque inter ſe pugnantes deprehendiſſet, *Incertior*, inquit, *multò ſum quàm dudum.* (a)

Non niſi ſub Ignis ſymbolô Febrem nobis adumbravit Magnus Hippocrates; paſſim enim in illius Operibus, modò Pyr, modò Pyretos appellatur. Hippocratis veſtigia relegens Galenus *Febrem nativæ caliditatis in igneam naturam* conversionem *vocavit*, (b) in cujus ſententiam poſtmodum manibus & pedibus, ut dici ſolet, ivere, qui Medicinam ex traduce diſcunt, ac tradunt in Scholis. Stetit equidem longum in tempus hæc Galeni opinio, & ad oppugnandam Febrem nihil priùs nihil ſalubriùs creditum, quam *ſi Frigida pugnarent calidis, humentia ſiccis.*

Non parum tamen prægreſſo nuper ſeculo nutare cœpit hæc Galenicorum opinio, poſtquam enim deſitum eſt *ſapere ex commentario*, & Veterum interpretatione, ac ſedulò ſecretiora Naturæ adyta pertentari cœpta, nova jacta ſunt fundamenta, ingentes ac magnificæ exſtructæ ſunt moles; adeò ut Febris noſtrâ hâc ætate longè aliam præferat faciem, quàm quòd olim veram ne, an adhuc perſonatam, non auſim aſſerere. Scriptorum enim unuſquiſque pro lubitu, vario adſpectu, ut polymita veſte, illam cœpit nobis depingere, prout ideam ſibi mente confinxit.

Hinc nova indignantis Archei & Animæ ſenſitivæ thymoſeos vocabula in Scholas irrepſere, (c) ſic nonnulli poſt cognitam in humanô corpore ſanguinis pericycloſim Febrem nil aliud eſſe quàm ſanguinis motum præter naturam acceleratum credidere, (d) alii ab inversâ ratione arguentes Febrem in ſanguinis motu præter naturam retardato conſtituendam tradidere, alii ab opere piſtoriô Zymoſim in maſſam ſanguineam deduxere, & exinde febrilem efferveſcentiam, nec defuere qui caliditatem Febris eſſe quid adſcititium, ac poſteriùs adveniens, nec illius perpetuam comitem, (e) Febres algidas in Scenam inducendo, quæ à ſui principio uſque ad ultimam ſolutionem unà cum perpetuo frigore tragœdiam ſuam abſolvant. (f) Sic nova in dies procedunt Febrium Syſtemata, ſeu potiùs, ſi ritè expandantur, precariæ Hypotheſes, & grandia poſtulata.

Nomenclatore porrò opus eſſet, ſi Febrium ſingulæ differentiæ, & ſpecioſa nomina, quibus noſtrâ ætate inſigniri ſolent, ſint recenſenda. Veterum nominibus, quibus Febres

(a) In Phormione Act. 2. Scen. 4. (b) In Comment. Aph. 16. p. 1. (c) Helmontius de Febrib. (d) Corn. Bontekoe in Diatr. de Febr. Blancar. Inſtitut. Medic. l. 3. c. 11. (e) Vide Regn. Graaff. de S. Pancre l. 11. (f) Bontekoe in diatriba de Febr.

quædam non vulgares deſignari conſueverant, tot alia addidere Recentiores, ut qui Febrium nomenclaturam ex ſubſellio recitare velit, non vulgari memoriæ commendatione dignus cenſeri poſſit. Nequis tamen putet hujuſmodi conſuetudinem alioquin laudandam mihi improbari, reipſa enim Febris Monſtrum eſt, cui non ſecus ac Furiarum maximæ, ſunt

Nomina mille, mille nocendi Artes.

Quot autem diſceptationes circa Febris ſubjectum, num pars ſolida ſit, vel fluida, num Cor primum vivens, an tota cruoris moles, utpote febrilis tempeſtatis capax, viguere, & adhuc vigent in Scholis? Quot pariter diſputationes de vera & proxima Febris cauſa, num cum Galenicis bilis ſit vel ſincera vel permixta, vel putreſcens, (a) vel ſolum excalefacta & peruſta, an cum Hermeticis ſulphur, & nitrum Microcoſmi accenſum, vel Alchali cum Acido lucta & conflictus.

Quot pariter ſomnia, & figmenta circa periodi, & circuitus in Febribus cauſam literis prodita fuere! Profectò quemadmodum in totâ Philoſophiâ nihil eſt, quod ſolidiora torſerit ingenia, quàm fluxus & refluxus Maris ſtatis horis veræ cauſæ diſquiſitio, ac præcipuè Euripi in Eubœâ, ubi ſepties die ac nocte fluctuum obſervatur reciprocatio; ità in universâ Medicinâ nihil æquè Clariorum Virorum fatigavit indaginem, ſed fruſtrante diligentiâ, quàm febrilis circuitus cauſæ perveſtigatio? Quis enim, precor, ſolidam rationem, quæ Sapientum palato arrideat, adhuc protulit, quare Febrium quædam quotidie, aliæ alternis diebus, aliæ quarta, quinta, ſexta quaque die ſtatis horis redeant, ac tempora diſcernant, non ſecus ac elaboratiſſima Automata! Quis Clinicus tam ſolers tam expertus eſt, qui ad Ægrum Febre primò correptum accitus, tentato pulſu, dictatoriè pronunciare poſſit hujuſmodi Febrem fore vel intermittentem, vel continuam, (a) Tertianam ſimplicem vel duplicem, Quartanam, vel alterius ſortis, quidquid ſcripſerit Galenus eum Medici nomine indignum, qui Febris typum in illius primo inſultu non dignoſcat, ac præſertim ſi quartana fuerit! (c) Non immeritò ſanè Jo. Campeggius Galenum ob tam glorioſum aſſertum gravi cenſura plectendum credidit, illum jactabundum vocans & cæteros græcos in hiſtoriâ mendaces, quod itidem aſſeruit Celeberrimus Sylvius, hujuſmodi gloriationem thraſonicam appellans.

Cum ergo tam inflexa, tam involuta ſit Febrium natura, ut poſt diuturnum ſeculorum fluxum, inter eaſdem ambages, ac in eodem luto hæſitemus, neque in univerſa morborum claſſe ullus exſtet nobis hoſtis infenſior, (d) & cui minùs fidere oporteat veluti Febris; attamen eò audaciæ ventum eſt, ut inter Quæſtiones Medicas ſit, num ad alios morbos curandos Febrem excitare liceat, eò quod interdum in quibuſdam affectibus, veluti convulſione, & Hypochondriorum dolore ſuperveniens Febris remedii loco fuerit; quaſi in noſtrâ poteſtate ſit ignem febrilem accendere, ac pro lubitu ipſum reſtinguere. Quàm libenter ſcirem quodnam corpus ſive de genere ſimplicium, ſive compoſitorum proſtet, quo quis Tertianam febrem, Quartanam, Synocham, vel quamcunque aliam excitare poſſit. (e) Pro fabula enim accipitur, quod quidam de Pharaonis ficu referunt, quam ajunt Tertianam Febrem excitandi vim habere. Non abſimilis priori eſt alia Quæſtio, non adeò tamen audax, quam habet Celſus, num Febrem lentam augere liceat, (f) ut curationi opportunior fiat: Verùm quàm ſuſpecta, & quàm infauſti ominis ſint beneficia & dona, quæ ab hoſte proveniunt, ſatis compertum eſt, ut vetus proverbium admonet: *Hoſtium munera, non munera.* O quàm egregiè in hanc rem Seneca: (g) *Graviſſima infamia eſt Medici opus quærere, multi quos auxerant morbos, & incitaverant, ut majori gloria ſanarent, non potuerunt diſcutere, aut cum magnâ miſerorum vexatione vicerunt.*

At

(a) Vide Laurent. Jourbertum in ſuis Paradoxis. (b) L. 3. de Cri. c. 4. P. de differ. Febr. c. 10. (c) In Campis Hiſtorialibus. (d) Vide Zacut. Luſit. de Prin. Med. Hiſt. l. 1. (e) Vide Ricard. Morto. Exer. de Febrib. (f) L. 3. c. 9. (g) Lib. 6. de Benef. cap. 36.

At quorsum hæc, inquiet aliquis, quæ disputari solent in Scholis, ad Medicum Theoricum potiùs quàm Practicum spectant? ac reponam ego non minùs suis difficultatibus implicitam esse Febrium praxim quàm theoriam. Quoties enim evenit, ut cum plures Medici ad Ægrum ex Febre decumbentem conveniunt, de Febris natura, & illius curativa methodo non satis inter illos conveniat, adeò ut Consultatio, (a) quam rem sacram appellavit Plato, non rarò turpiter prophanetur! Hinc nonnullos totos operosos & pæonium in morem accinctos observare est ad ravim usque clamitantes, febrilem Ignem illicò exstinguendum, ne tota domus conflagret, hostem suis in castris quàm properè opprimendum, antequam erumpat, & fortior invalescat, reclamantes alios, lentè festinandum, humorum coctioni incumbendum, ne prætervertatur Crisis, exspectandum ut Febris se ipsam conficiat, (b) *Medicos plus interdum quiete, quam movendo proficere.* Sic evenit ut Ars Medica non secus ac Militaris suos habeat Fabios, suos Marcellos.

Haud aliter circa remediorum usum quosdam videas, qui nonnisi sanguinis missione jugulandam Febrem velint, alios humani sanguinis abstemios, quos Hæmophobos vocant, quia humani corporis thesaurum in cassum profundi asserant, (c) cum *obstructio & putredo*, quæ sunt Febrium potissima causa, *sanguinis missione non tollantur;* Non paucos observare est, qui toti sunt in purgandis corporibus, ac piaculum crederent, nisi cuique Febri suum præmitteretur leniens, & in fine, sive soluta jam Febre, ad tollendum recidivæ metum, solennis, & eradicativa, ut vocant, institueretur purgatio; ex adverso alios, qui ab hujusmodi purgationibus, circa finem seu exstincta jam Febre, cane pejus & angue cavent, naturæ ductum & ingenium sequentes, quæ perrarò, aut ferè nunquam, alvi solutione Febres finire soleat; nonnullos aquam largè potandam præscribere, cum ex Hippocratis Oraculo *Aqua non præstet bonum alimentum Igni*, (d) alios verò quos Psychrophobos vocant, frigidæ usum pertimescere, ne calor innatus stranguletur, & causa morbifica deterior fiat; quidam porrò toti sunt in præscribendis Alexipharmacis, quæ Cordialia appellant, ad malignitatem, ut ajunt, præcavendam, si subsit, & non appareat, perdomandam; quidam verò (cordatiores forsan) in cordialium usu suspenso pede procedunt, ac temperant, ne addere oleum camino, & equum currentem incitare, ut dici solet, videantur.

Quid verè possint, tot Alexipharmaca tum galenica, tum chymica, quorum usus in Febribus suspectæ indolis tam frequens & communis est, licet non tam obvia sensibus sit utilitas, non vacat neque hujus loci est disquirere, solum de illis Virgilianum illud proferre libeat:

possunt; quia posse videntur. (e)

Hæc tamen nec Artis, neque Artificum culpa eveniunt, sed propter Febris sævitiem, Monstri multiformis, quod ratiocinia nostra persæpè eludit. Absit autem, quod Veterum dogmata despiciam, ac illorum methodum, ut qui sciam ex Hippocratis effato, (f) *Multa de eodem rectè præcipi posse sive eadem potentia, sive non*, ac multò minùs, quòd Neotericos scriptores improbem ac fugillem, quòd ejuratis Antiquorum opinionibus adhuc interse non consentiant. Hinc enim licet inferre non ampliùs cæca persuasione nos duci, & pecudum ritu præcedentium vestigiis hærere, sed circa veritatis inquisitionem certatim adlaborari. Neque enim pro nihilo habendum, quòd auctoritatis, à qua tantillum aberrare religio erat, soluto fascino, quisque sua tentamina, & excogitata, quibus Monstrum istud è latebris suis in apricum produci, & perdomari posse credidit, in medium proferat.

Nunquam igitur satis commendanda est nostra hâc ætate in re medicâ philosophandi & sentiendi

(a) In Theage. (b) Livius l. 22. (c) Galen. 11. Meth. cap. 14. (d) 4. De Morbis n. 25. (e) Lib. 5. Æneid. l. (f) 7. in 6. Epidem.

Libertas quæ ſera tamen reſpexit inertes; ſpem enim facit, ut id ad quod tot Scrutatorum induſtria collimat, omnium oculis tandem pateſcat.

Tam exacto rei abſtruſiſſimæ ſcrutamini non parùm velificari viſa eſt Fortuna advecto in Europam inter peregrinas merces Peruviano Cortice, antipyreticorum omnium, quotquot excogitavit Antiquitas, & Chymicorum ſolertia conflavit, facilè Principe: E ſingulari hujus remedii præſtantia, quod in periodicas Febres vim ſuam potiſſimùm exſerat, id beneficii fuimus aſſecuti, ut verum diſcrimen inter Febres intermittentes, ac eas, quæ verè ſunt continuæ, nec non inter illarum focum teneamus, (*a*) neque amplius unica methodo Febres omnes curentur tam Gaſtricæ, quàm Venoſæ, continuato ſcilicet refrigerantium & humectantium uſu, tot repetitis Venæ ſectionibus, tot iteratis purgationibus, quæ humani corporis machinam potiùs infirment quàm confirment, ſed illæ tantum Febres, quæ de Intermittentium familia ſunt, Pulveris exigui hauſtu in vino ſoluti, aut compreſſæ quieſcant, aut etiam penitùs aboleantur.

Profectò poſtquam hujus remedii uſus innotuit, & præmiſſis juſtis purgationibus, non ſemel tantum, ut olim, ſed plures ad dies exhiberi cœptus, donec febrile miaſma fuerit penitùs exantlatum, talem circa Febrium doctrinam, ac illam curandi methodum factam fuiſſe fateri oportet, qualem in re militari poſt inventum pulverem pyrium omnes norunt. Quemadmodum enim abjectis catapultis & arietibus, ſolô tormentariô pulvere terræ cuniculis incluſo, & accenſo, alta propugnacula temporis momento ſolo æquantur, & arces obſeſſæ ad deditionem coguntur, ſic valere juſſis tot pharmaceuticis præſidiis, modico Quinquinæ pulvere exhibito contumaciores Febres victas dant manus.

In hujus divini remedii laudes non effundar, cum ſe ipſum ſatis commendet; hariolari tamen licet ex admirandâ hujus Corticis Virtute, Febris naturam medullitùs aliquando erutam iri; paſſim enim hujus celeberrimi Febrifugi chymica analyſis inſtituitur, & à Botanicis ſedulò allaboratur ad Plantam aliquam indigenam in Regno vegetabili ejuſdem Virtutis reperiendam; ne tam longè petantur remedia; quòd ſi unquam favore Numinum, & commiſeratione qua ſolent in res humanas, aliud majoris energiæ Febrifugum reperire daretur, quod eadem ſecuritate qua Peruvianus Cortex periodicas ſanat, reliquas Febres, quas ſynochas, & continentes vocant, ſanandi facultate polleret, jam illius quod Hippocrates in votis habuit eſſemus compotes, (*b*) nimirùm quòd *invenire aliquid eorum, quæ nondum inventa ſunt, & quod notum quàm occultum eſſe præſtat, ſit ſcientiæ Opus, & Votum.*

Licet autem in Peruvianô febrifugô, non arte quidem aut induſtriâ reperto, ſed nobis divinitùs conceſſo, nondum teneamus quid verè ſit Febris, nec ſatis conſtet, quid in noſtris corporibus præſtet hoc remedium, cur interdum intervallatas Febres figat, & ſopiat, interdum ex toto exterminet, magnum tamen mortalitati noſtræ ſolamen foret, ſi conſimile præſidium haberemus, quo contra Febres verè continuas, quæ nobis exitium interminantur, cæco licet modo, & Andabatarum more pugnaremus, quando idem penè de omnibus remediis, quotquot habet Ars Medica, proferre liceat, poſſe nos quidem pro lubitu fingere, quid agant, quove modo operentur, ubi noſtri corporis penetralia ſubierint; modum autem & ingenium, quo morbum, & cauſas morbificas oppugnent, verè ac ſcienter nequaquam poſſe pertingere.

In id operis itaque hôc Annô incumbemus, ut quid Veteres, quid Recentiores, in hâc re literis prodiderint, qualis ſcilicet hactenùs fuerit Febrium Theoria, qualis curandi modus, compendiosè exponamus, ex tot enim diſſentientium inter ſe opinionum diſcuſſione, id frugis colligere licebit, quòd magnâ cautione procedere oporteat, ad congrediendum cum hoſte vaferrimô, cujus ingenium poſt tot Medicinæ Procerum conatus nondum eſt ſatis perſpectum. ORATIO

(*a*) Vide Guliel. Ballonium in ſuis Ephemerid. (*b*) De Arte n. 1.

ORATIO QUINTA,

Habita die 4. Novembris, Anno M. DCC. III.

Medicam Artem Navigatoriæ ſimilem eſſe.

JAm quartùm, quod felix fauſtumque ſit, A. N. Exedram hanc ſpectatiſſimam, ex quâ veluti delphicâ Tripode tot Doctiſſimorum Virorum, quos inter Celeberrimus olim Sanctorius, manarunt Oracula, Divinâ favente clementiâ gravem morbum eluctatus conſcendo; utinam Sexennium integrum, quo fidem meam Ampliſſimo Senatui Veneto oppigneravi, abſolvam, ac tandem Profeſſorio muneri nuncium remittam. Perarduum ſanè opus, ac nimis longam navigationem, ſi ad Ætatem annis gravem, ſi ad vires ſtudiorum, qualiacumque fuerint, laboribus fractas, ſi ad Temporum iniquitatem, quæ inter circumſtrepentium armorum, quibus penè obſidemur, fragorem, literarum Cultores Studiis liberè vacare non ſinunt, animum adverto, ſuſcepiſſe me fateor; abſit tamen quòd animum deſpondeam, imò potiùs totis viribus connitar, ac remis veliſque, ut dici ſolet, contendam, ut fortiter Portum occupem. Neque ineptè prorsùs, ut reor, Medicam hanc meam Excurſionem per Triennium integrum habitam, dimidio ſpatio jam emenſo, Navigationem dixi; Artis enim Medicæ, ſi cum Theoricen, tum Practicen ſpectemus, ea eſt difficultas & amplitudo, ut illam peragrare velle idem prorsùs ſit ac incedere per amplum Mare, infidum, naufragiis frequens, ac tùm magis ſuſpectum, cum majorem, Ventis ſilentibus, præfert malaciam. Norunt id ſatis, qui in Medicina facienda ætatem trivere, nemo enim tam ſolers, tam expertus eſt Artifex, qui de certô eventû ſibi polliceri poſſit, ac interdum, non ſine alienæ vitæ, & propriæ quoque, exiſtimationis ſcilicet & honoris, qui vera hominis vita eſt, gravi periculo, fœdiſſima vel in ipsô portû paſſus non fuerit naufragia.

Ita eſt profectò A. N. adeò convenit inter Navigatoriam Artem & Medicam, ut ſi illarum ortum, progreſſum ac tenorem, quo ad Opus ſuum procedunt, expendamus, Ars una alterius ſit veluti Exemplar & Specimen, ac ambæ ab eâdem Parente ad Vitæ commoda videantur prognatæ. Lubet itaque Medicam Facultatem Nauticæ perſimilem oſtendere, adeò ut prudens & ſolers Medicus iiſdem legibus, & eodem penè regimine ac peritus Navita adminiſtrare debeat eam quam ſuſcepit provinciam. Id autem neque incurioſum Argumentum fore exiſtimo, neque prorsùs infrugiferum, ſtudioſæ præſertim Juventuti, in hunc ſaltem finem, ut in re ſacra tractanda ſumma utatur prudentia, & circumſpectione, ac ſingula accidentia, utut parva, attentè obſervet, cùm non ſecùs ac magnarum in Mari Tempeſtatum, magnorum quoque Morborum parva, & obſcura ſoleant eſſe ſigna atque principia.

Scitè quidem non minùs quàm eleganter Magnus Hippocrates Jatricæ facultatis Parens ac Princeps, & inter Medicos non ſecùs, ac alter Tiphys inter Argonautas, (a) in libro de veteri Medicina literis prodidit; Medicorum pleroſque idem in ſe admittere, quod imperiti Navigantes: *Etenim* inquit ille, *qui in tranquillitate Navim gubernantes delinquunt manifeſti non fiunt; at ſi Ventus Magnus, ac Tempeſtas ipſos deprehenderit, tunc conſpicui fiunt palàm omnibus hominibus, quòd ignorantiæ, & erroris ſui culpa Navim perdiderint.* Divini Præceptoris auctoritate igitur non atopôs prorsùs Medicam Artem Navigatoriæ cognatam eſſe pronunciare liceat; ac revera ſi ritè rem penſitemus, iiſdem penè facultatibus & diſciplinis Medicum,

(a) num. 17.

cum, ac peritum Nautam, inſtructum eſſe oportere, facilè deprehendemus Navis Gubernatorem Philoſophiæ operam dediſſe, & decet & neceſſum eſt; de ea tamen Philoſophia intelligi nolim, quæ circa futiles Quæſtiones & Logomachias Ingenia potiùs deterit quàm exacuit, ſed de verâ ac ſolidâ Philoſophiâ, quam experimentalem vocant, & quæ in Celebrioribus Lyceis doceri cœpta, utpotè quæ ad Veritatem explorandam & aſſequendam facem præferat & manu ducat, haud ſecùs in Mathematicis facultatibus, veluti Geometria, Geographia, Aſtronomia, Hydroſtatica, ac præſertim in Mechanicis eundem inſtructiſſimum eſſe debere, nemo non novit.

Hujuſmodi ſubſidiis armatum Chriſtophorum Columbum ad Oceani clauſtra reſeranda proceſſiſſe, haud dubia conjectura fas eſt credere, ſicque veros, non fictos eſſe Antipodas (quamvis apud Regales Aulas, à quibus ad tam grande opus auxilia repoſcebat, lepidè delirans crederetur) re ipſa demonſtraſſe, relictaque poſt tergum ultima Thule, Tragici Poëtæ vaticinia impleſſe. Quomodo enim fidam navigationem ſibi ſpondeat Nauclerus ille, qui in Phyſicis, & Mathematicis hoſpes omninò ſit, qui quale ſit Coſmicum Syſtema ignoret, qui terrarum, & variarum Regionum ſitus non calleat, qui Syderum ortus, & occaſus heliacos, unde magnæ Temporum mutationes pendent, non norit, qui ubi Syrtes, & Scopuli naufragiis infames, & alia Oceani monſtra cubent ac latitent, indigitare neſciat?

Sic pariter Medicum inſtructum eſſe oportere, nemo cui pectus ſapiat diſſimulabit. Polymathiam omitto, variam ſcilicet literaturam, magnum alioquin Medicæ Artis Ornamentum; hanc enim Medico non eſſe neceſſariam ultrò fateor, haud neſcius quippe, Mutæ Artis (quo titulo olim Medicina penes Poëtarum Principem audiit) Profeſſorem, cujus Opera conducta eſt non ſermo, etiamſi facundia careat, cum tamen, *ſi remo media uſu diſcreta rectè norit*, ut ait Celſus *in Proœmio, tantò majorem eſſe futurum Medicum, quàm ſi ſine uſu linguam exercuerit*; Philoſophiam tamen Medico neceſſariam eſſe, certo certiùs eſt. Qua ratione etenim Medicus Naturæ rectè operantis vulgò Adminiſter, & Rector dici queat, niſi ſecretiora Naturæ Adyta, Philoſophia duce, perluſtrarit? Philoſophiam neſcio quid Divini Medico affigere ſcripſit olim Medicorum Maximus Hippocrates. (*a*) Ἰητρὸς γὰρ Φιλόσοφος ἰσόθεος: ἡ πολλὴ γὰρ διαφορὴ ἐπὶ τοῦ ἕτερα, hoc eſt, *Medicus Philoſophus eſt Deo æqualis, neque enim magna inter ipſos eſt differentia.*

Non minùs ad verum Medicum, non tam ad Seculi genium, quàm ad Rationis Criterium efformandum, paulò ante memoratas Matheſeos facultates, tantum non neceſſarias eſſe, fas ſit aſſerere. Si verò quis repugnet, ad Hippocratem provoco, Judicem æquiſſimum, & ex illo celebri Macrobii elogio, *fallere, & falli neſcium.* Hic ergo de Geometria ſic in Epiſtola ad Theſſalum filium: *Ad Geometriam cognoſcendam, Fili mi, multum ſtudii adhibeto; Geometriæ enim cognitio, quæ uniformis eſt & omnia cum demonſtratione tranſigit, utilis eſt & ad Oſſium ſitus, & exarticulationes, & membrorum componendorum ordinem.* (*b*) De Aſtronomia pariter, illam ad rem Medicam non parùm conferre protulit; quin terminis Mathematicis aliquando uſus eſt, (*c*) ut *Mochliſi, & Momento*, quo Vocabulo nihil in ore Medicorum uſitatiùs eſt, ut ſpirituum impetum facientium energiam, & fibrarum vim Motricem, & aliorum Corporum reſiſtentiam exponant. Non vulgare itaque & præſidium & decus ſibi adjiciet, qui Mathematicorum Monumenta identidem evolvat, & ea quæ ad rem medicam magis faciunt, ex illis decerpat.

Verùm aliquis regeret, non fieri Medicum ex libris, neque ex precariis Mathematicorum Poſtulatis, ſed uſu, & experientia, & continua Ægrotantium inſpectione. Profectò ex ſimplici librorum lectione, cujuſcumque ſint facultatis, Medicæ quoque, non conflari verum Medicum, & dictum illud, *Nau-*

(*a*) De ~~Medico~~ Decenti Ornatu n. 5. (*b*) De Aër, Aqu. & ſoc. n. 4. (*c*) De Nat. Pueri n. 42.

Nauta ex libro, iis quoque congruere, qui ex Scriptorum Monumentis Medicinam hauſerint; & ipſe quoque teſtor & deprædico. Cornelium Celſum (quem latinum Hippocratem vocant) de re medicâ egregiè ſcripſiſſe, quamvis nunquam Medicinam exercuerit (quidquid Rubeus illius interpres aliter ſenſerit) cum Romana gravitas Ægris manum apponere non dignaretur, ſatis conſtat. Vero tamen veriùs eſt, eum Medicum qui uſui & experientiæ prædictas facultates conſociarit tantùm inter cæteros caput efferre, quantùm inter Pumiliones Gigas, ac inter Viburna Cupreſſi.

Felix qui potuit Morborum agnoſcere cauſas, Atque omnes motus.

Virgilianum illud hic per Parodiam, hoc eſt paucis mutatis, uſurpare liceat. At quis feliciùs id præſtet, quàm ille Medicus, cui tanquam fidæ comites adſtent Philoſophia, & Mathematica? Atque ut exemplo in Mathematicis res planior fiat; Quis, precor, modum quo fiat viſio, quomodo depravetur, veriùs exponat, quàm qui Opticem didicerit? Quis admirandum Naturæ artificium, quo fit auditio promptiùs expediet, quàm qui Muſurgiam calleat? Quis leges mechanicas, quibus Corporis noſtri latices tam facili obſequio in orbem feruntur, ac per diadoſim partibus diſpenſantur, nec non quomodo illorum fluxus, ac refluxus quandoque perturbetur, apertiùs ad ſenſum uſque demonſtret, quàm qui ad Hydroſtaticæ Fontes largè potarit? Qui ergo ſic inſtitutus fuerit, quantùm humanis viribus in Arte conjecturali datum, *ſecura naviget aura*, ac Morborum, & Symptomatum procellis obſiſtat.

Neque verò congruentiùs acutum & exitialem Morbum adumbrari poſſe crediderim, quàm ſub maritimæ Tempeſtatis ſpecimine. Fingite, quæſo, ſi lubet, animis veſtris, Auditores Ornatiſſimi, Navim in Pelagi medio Ventis jactatam, & periclitantem, ac Nautam anxium & ſollicitum, ut illam ab Undarum ulnis eripiat & ſartam tectam ſervet. Peritus itaque Navis Gubernatòr, non ſolum ubi ab aliqua improviſa Tempeſtate deprehenſus fuerit, ſed etiam ubi illam impendentem præviderit,

Colligere arma jubet, validiſque incumbere remis, (a)

ut olim Palinurus celebris Nauta apud Virgilium; ſic quàm properè Vela ſubmittit, ſeu in Ventum obliquat, ne totum illius impetum ſuſtineat, Anchoras jacit, Clavum manu tenet, Oculos ad Verſoriam intentos habet, timidorum pavorem compeſcit, & ad colluctandum cum Ventis, & Maris rabie ſe totum accingit, ſique Pelagi & Ventorum furorem crebreſcere obſervet, ac de proximo naufragio timeat, Navim exonerari jubet, ac in Mare projici non ſolùm viliores, & graviores ſarcinas, ſed pretioſiores quoque merces, extremis è Terræ finibus tantô labore ac ſtudiô conquiſitas, veluti ſi Neptuno æquoreo Deo hiſce Donariis litando, illius iram placari poſſe exiſtimet.

Fingamus altera ex parte Medicum totum operoſum, ſtantem circa Ægrum exitiali Morbo conflictatum; Nonne idem prorsùs agit ac Nauta? Aſſidentes primò ad ſua munia exſequenda hortatur, ad Medicinæ Armamentaria ſollicitus accurrit, pulſum tanquam gubernaculum manu prehendit, obtutum ad Ægri faciem defixum ſervat, ut omnes cubantis notas perſpiciat, ſpem vultu ſimulat, fœminarum clamorem & ejulatus coërcet; ſi verò morboſam Tempeſtatem magis ſævire obſervet, Ægrotantis Corpus ab humorum ſaburra, tum κάτω, tum ἄνω, catharticis, & emeticis exonerat, ad Sacram Phlebotomiæ Anchoram confugiens, Sanguinem, reſectis Venis, ac Arteriis quoque ſi opus fuerit, abundè profundit. Quid autem Sanguine, Nectare vivifico, & Naturæ genio pretioſius, quo ad quotidiana vitæ diſpendia reparanda, & biolychnium ſuſtentandum, nihil æquè neceſſarium?

Modò ſperat, modò deſperat Nauta, anceps ac dubius quò res evaſura ſit; hinc unà cum iis qui in eadem Navi ſunt Vota concipit,

(a) Æneid. lib. 5.

pit, & quotquot in Cœlo ſunt Numina, illorum opem implorat.

Tanta, adeò cum res trepidæ reverentia
Divum (a)
Naſcitur, & raræ fumant felicibus Aræ.

ut olim Silius Italicus Romanas Matronas deſcribens ſupplicantes ad Aras Deorum, ac diverſa Donaria afferentes, dum Hannibal Urbi immineret, ac illi extremum minaretur excidium, uti etiamnùm fieri aliquandò videmus, aliqua magna Calamitate impendente, veluti Terræ motibus, Peſtilentiis, aliiſque terrificis caſibus, *Etenim alii potiùs Homines quàm alii mores*, ajebat Politicorum Magiſter.

Sic pariter Medicus Clinicus quoque, licet ſpem vultu ſimulans, Superos, tacitè tamen, votis fatigat, ac præſertim ſi ſplendidam aliquam perſonam curandam habeat, aut pravæ aliquot & contagioſæ Conſtitutiones per vulgus graſſentur, in quibus illud τὸ θεῖον Hippocratis obſervetur; *Medicina autem circa Deos reverenter ſe habet, ac iis ſupplicare bonum & decorum eſt*; (b) verba ſunt ejuſdem Hippocratis, ac ut ſacri teſtantur Codices, Deum pro Infirmis deprecari *ut ſanitatem dirigat* Medici officium eſt.

Nihil porrò eſt, in quo Medicina Navigatoriæ ſimilem ſe magis præſtet, quàm in rerum futurarum præſenſione, & ſignis expiſcandis, quibus Morbi ingenium ac indolem exploret. Navis Gubernator nihil magis cavet, quam ne Maris tranquillitas illi imponat, & Venti ſilentes, illum ex improviſo excitent, & Claſſicum canant; cuncta Signa propterea, utut parva, quæ ſiniſtri aliquid portendant, attentè obſervat, veluti parvam nubeculam longè aſſurgentem, lenem auram molliter undas criſpantem, piſcium ſaltus ac luſus inſolitos, & ſimilia, quæ recenſuit Mantuanus Vates, experientia ſcilicet edoctus, magnarum in Mari Tempeſtatum parva ſolere eſſe ſigna prænuncia. Hujuſmodi mehercle A. N. Mundi hujus, quem nos incolimus, ſolet eſſe conditio, ut magnarum Calamitatum puſilla, & obſcura ſint ſigna, atque veſtigia. Peſtilentem Æſtatem Aranearum frequentia, & Ficus folia Cornicis pedem referentia, (c) teſte Plutarcho, prænunciant; Annonæ caritatem parvæ maculæ rubræ, quibus fruges dum matureſcunt ſint reſperſæ, ex Agricolarum obſervatione, portendunt; Terræ motum Aqua in puteis repentè rubidior facta, nec ſine odoris tædio, præmonſtrat. Hoc idem quoque in re medicâ non rarò evenit; & Medicis parùm cautis illudit, niſi ad minuta & puſilla Morborum & Symptomatum ſigna, & accidentia obſervanda incumbant.

Sæpè exiguus Mus
Augurium tibi triſte dabit, Tellure ſub ima
Quem non ullus amor tenuit, ſed in aſ[illegible]apertum
Erupit ſcrobibus, vitæque, atque immemor uſus.

ita olim Fracaſtorius (d) inſignis Poëta & Medicus, in libro de Contagione; Sic exigua, & minuta puncta in cute Febricitantis apparentia, quæ interdum ſub Pulicum morſus ſpecie illudunt, malignam Febrem, quam Punctilarem vocant, Viſcera intus depaſcentem, indigitant; levis Aura frigidior è pedis extremo ſurſum repens, Epilepſiam, Microcoſmi terræmotum, præmonſtrat. Stupor quidam mentis inſolitus, una cum Artuum levi torpore, Apoplecticum fulmen citò caſurum denunciat. (e) *Nihil temerè, nihil negligere*, ajebat Hippocrates, hoc eſt, uti egregie Valleſius in Commento, nihil caſu fit, ſed ſuam habet cauſam, licet nobis ignotam; nihil propterea leviter contemnendum. In ea Medicinæ parte, quam Simioticen dicunt (qua nihil forſan magis neglectum, & minùs excultum) Hippocratem accuratiſſimum Obſervatorem fuiſſe, ex ejuſdem, quæ exſtant, Monumentis, ſatis liquet, adeò ut ſigna quædam alicui forſan ridenda, & quæ tanto Medico credi poſſent parùm decora, obſervaret, veluti Aurium Sordes, num dulces eſſent, an amaræ, (f) (quaſi Ψυχροφάγος eſſet) & Ventris flatus, num ſine, an cum crepitu ac ſonitu prodirent; ſi enim Aurium ceroma dulce ſit, (g) illud non Κακὸν, ſed Θανάσιμον, hoc eſt, non malum eſſe, ſed lethale

(a) Lib. 7. (b) Eccleſiaſtic. cap. 38. (c) De Orac. defect. (d) Lib. 1. cap. ult. (e) 2. in 6. Epidem. (f) 5. in 6. Epidem. (g) L. Prænot. n. 15.

thale pronunciavit, & Ventris flatus ſine crepitu prodire optimum eſſe, literis prodidit.

Quemadmodum igitur periti, & circumſpecti Nautæ nulla re magis commendanda eſt ſolertia, quàm in obſervandis ſignis quæ ingruentem Tempeſtatem præmonſtrent, ut opportunè in aliquam fidam ſtationem Navim recipiat, vel ad concertandum cum Ventis, & Maris inſania ſe præmuniat; ità prudentis & experti Medici eſt, Signa quæcumque utut exilia, tùm prophænomena, tùm epiphænomena diligenter attendere, ne poſtmodum veluti ex inſidiis erumpente Morbo unà cum magno Symptomatum turbine, ipſe poſtea, tanquam è Veterno excuſſus, quo ſe vertat neſciat, neque quid prius, quid poſteriùs agat. Quàm turpe, ac Arte Medica indignum ſpectaculum eſt, Medicum intueri nil ſiniſtri de Ægro cogitantem, ac ut dici ſolet, ſuper utramque aurem dormientem, à ſubdolo morbo deprehenſum! Nil inexpertum, nil intentatum, ſed tumultuariè, de remediorum materia relinquit; Cœlum terræ miſcet, Botanica, Metallica, Alexicaca, aliaque è Terra, Marique petita, ac perſæpè inter ſe pugnantia, uti ajebat Eraſiſtratus, in unum confundit, Naturam eodem tempore & frænis & ſtimulis in diverſa trahens ac diſcerpens, donec Mulierculis ipſis palam faciat, quòd oſcitantiæ ſuæ culpa Ægrum miſerè perdiderit.

Prudentes itaque & circumſpectos Artifices ſuos expoſcunt Ars Medica, & Navigatoria, utrobique enim agitur de humanô coriô, & de exiſtimationis & honoris jactura. Prudentia verò partim Naturæ donum eſt, partim uſu & experientia comparatur, hinc eſt, quòd Senilis ætatis magis quàm Juvenilis, Prudentia ſit propria. Quemadmodum igitur verum ac legitimum Nautam, Virum gravem ad provectiorem ætatem vergentem, *Qui mores hominum multorum viderit & Urbes*, ut de Ulyſſe cecinit Homerus, eſſe decet, talem quoque fas eſt eum eſſe, qui Medicinam ritè adminiſtrare velit.

Demiror autem non rarò, nec parùm, quomodo qui longam Navigationem ſuſceperturus eſt, antequam Navim ſubeat, diligenter obſervet, qualis ſit Nautæ facies & externus habitus, neque illi tam facilè ſe committat, ſi illum viderit Juvenem comptum & elegantem, tam facilè verò non pauci dum ægrotant Juveni Medico, qui recens ab Academia venerit, ſe curandos dedant. Permulti ſint Juvenes docti, (quod non abnuo) qui Medicinæ Adyta perluſtrarint, Experientiæ tamen, quæ Temporis filia eſt, eos expertes eſſe neceſſum eſt. Sic Veteres Æſculapium Medicinæ Præſidem, ingenti barba decoratum fingebant, quamvis Apollo illius Genitor intonſus, imberbis, & elegantis formæ fingeretur.

Haud equidem ibo inficias, quin Fortuna, quæ Juvenili audaciæ interdum magis favet, quàm Senili prudentiæ, in re Medica, non minùs ac in Navigatoria multùm polleat; in re tamen ancipiti ac dubia, Rationi atque Experientiæ, tanquam fidis comitibus, hærere, majorem ſemper apud Sapientes promeruit laudem, quàm cæca Temeritas.

Non ſum neſcius curanti Medico vix interdum permitti ut prudenter agat, & ea quæ Artis ſunt ritè opportunè exſequatur, cum quotidie ferè interpellari ſoleat, ac penè compelli, ut moras omnes præſcindat, & Ægrum quàm properè in Vado reponat, cui tamen quotidianæ Cantioni, uti nimis periculoſæ, Medicum, Ulyſſis exemplo, aures obſerare decet, & obſurdeſcere. Cùm olim navigaret Seneca, (a) ut ipſemet in quadam Epiſtola ad Lucilium ſuum refert, & gravem jactationem ſibi ſubeundam prænoſceret, Navis Gubernatorem rogare cœpit, ut ſe in aliquo littore exponeret; cui prudenter non minùs quàm generosè reſpondit Nauta; *Se nihil in Tempeſtate æque timere, quàm Terram.* Haud abſimili dicto Medicus quoque cum urgetur, ut Anchoras tollat, ac remis, ventiſque Portum rectà contendat, animosè, ac uti periti Artificis eſt, reſpondeat; Nihil æquè timendum, quàm ſæviente, & ſpumante

(a) Epiſt. 53.

mante Morbo, Salutis Portum occupare velle.

Cautione igitur opus eſt in Medicina adminiſtranda, nec tam confidenter, ac certa ſpe Victoriæ congrediendum cum Morbis, id enim Ignorantiæ palmarium, & apodicticum argumentum eſt; Inſcitia enim ex vulgari dicto Confidentiam parit.

O nimium Cœlo, & pelago confiſe ſereno, (a) ſic olim Virgilius de Palinurô, qui in Mari demerſus occubuit. Cur non idem quoque interdum de iis dicendum, qui Morbo ſatis placidè, & laneô pede procedenti, nullaſque turbas excitanti, nimis fidentes, famæ, ac fortunæ ſuæ infelix patiuntur naufragium?

Nimius eſſem, ſi ſingula, quæ in hiſce binis Facultatibus ad invicem ſibi reſpondent, recenſere velim; id tamen obſervatione dignum (ut etiam aliquid ex iis, quæ ad illarum felicitatem & gloriam ſpectant, pertingam) id inquam animadverſione dignum, quòd uno, vel altero Seculo, æquô pede ac pari proſperitate adeò proceſſerint, ut ſummum penè perfectionis culmen attigerint. Si Navigatoria recens cum Veteri conferatur, & noſtrorum temporum Medicina cum antiquiori, utraque aliô vultû, quàm quô olim apparebit. *Glorioſiſſimæ Venetæ Reipublicæ* Navale adeamus Armamentarium, ac vetera ſpectentur Navigia, quæ inibi pro Venerandæ Antiquitatis monumento aſſervantur: quis, precor, ea cum amplis, & roſtratis Navibus, non minùs robuſtæ, quàm elegantis formæ, conferre velit, & cum auratis Cymbis, quæ per Urbem Adriæ Reginam continuò diſcurrunt, & remorum alis tanta pernicitate prætervolant? Poſt repertum Magnetis uſum longè diverſa eſt Maria ſulcandi ratio, vel ſub intempeſta, & caliginoſa nocte, oculis non ad Cynoſuram, ſed ad Verſoriam, & Tabulam Geographicam defixis, neque ſub divo, ſed in ſuô Muſæolô concluſus Navis Gubernator ſatis novit ubinam locorum ſit, in quamnam partem feratur, & quantùm à deſignato loco diſtet; ſic prægreſſis nuper ſeculis Columbus, Veſputius, Magallienus Solis veſtigia ſecuti, totum Orbem peragrarunt. Magnum olim ac Poëtarum dignum Argumentum viſum eſt, Argonautas Colchos uſque navigaſſe, ut Navis, quæ Heroës illos geſtâvit in ſinu, digna haberi potuerit, quæ in Cœlum tranſlata inter ſydereas imagines radiaret. At quid Expeditio illa, cujus præmium erat Phrixei Arietis aureum Vellus, cum iis, quæ quotannis ab Anglia, Hollandia, Gallia, Luſitania, Hiſpania, ad Indos fiunt, quæ Expeditiones aureos Montes, & alterius Mundi Imperium pollicentur? Sic toto Orbe pererrato nullus penè novarum Regionum (in Boreali ſaltem plaga) ſcrutamini locus relictus videtur, niſi exiguum quidpiam ſub Polo, humanæ induſtriæ impervium, ubi Mare per hyemem ſolidatur in glaciem, quam olim frangere pertentarunt Hollandi, ut compendiaria via in Sinarum Regnum penetrarent, ſed fruſtrante diligentia, cùm glaciali Remora tota Claſſe devincta, inibi inter Cimmerias plurium menſium tenebras, ſine Solis adſpectu hyemare coacti fuerint.

Quid autem exacto nuper ſeculo non pertentavit, & non aſſequuta eſt in Microcoſmo Ars Medica? Suos quoque Columbos habuit Ars noſtra. Realdum Columbum Cremonenſem hic innuo, qui primus forſan perennem Sanguinis in orbem motum mente concepit & nobis adumbravit, ut taceam Cæſalpinum, ac poſtremò Magnum Harvejum, qui poſteà Myſterium iſtud ſoli Naturæ à Mundi primordiis cognitum ad ſenſum uſque aperuit, & rem totam ex aſſe perfecit. Hic non eſt quòd tot alia celeberrima Inventa memorem; uti Abdominis, & Thoracis Vaſa lactifera, unde verus Viſcerum naturalium uſus anteà ignotus innotuit, Lympham & Vaſa lymphatica, & omnium fluidorum motum; adeò ut ſicuti in magnô Mundô cuncta Maria, Sinus, Lacus, Flumina, Fontes, inter ſe, vel clam, vel apertè, mutua ſervant commercia, ita in parvo Fluida quæque ad invicem communicent, & concordem agant choream. Quid, ſi Artis Medicæ noſtrorum tempo-

(a) Æneid lib. 5.

porum adeamus Armamentaria, ac illa cum iis quæ habebant Veteres, componamus? Quot paraſangis, & magnificentia, & præſtantia, & uſu illa ſuperexcellunt? Id ſatis abundè teſtantur, ampliſſima Anatomes Theatra, & varius Inſtrumentorum ad Corporum diſſectionem Apparatus, necnon Hermeticorum Officinæ ad elegantiſſima & efficaciſſima remedia concinnanda: Sic Parentes noſtri peramplam quidem nobis reliquerunt hæreditatem, ſed illam amplificandi omnem penè ademerunt locum. Hinc factum, quòd noſtra hâc ætate novarum rerum alicujus ponderis in humanô corpore penè deſperata cognitione, ad omne Inſectorum genus inſectandum, quodam veluti Venationis ſtudio, Anatomicorum induſtria diverterit. Quid mirum igitur, ſi alia nunc ſit Medicinæ facies, quam quæ olim, ac poſt tot glorioſa Inventa, non ſecùs ac poſt repertas Cereales fruges, ingenui Profeſſores in Scholis ſaniori doctrina paſcant Ingenia, & peritiores Clinici diverſa methodo Morborum curationes inſtituant?

Verùm jam tempus, ut

Vela trahamus, ac terris feſtinem advertere proram;

Tandem haud diſpari ſorte Navigatoria, & Ars Medica ab iis, quibus operam ſuam, licet ſedulò, impenderint, non rarò aut parùm, vel nihil gratiæ referunt. Sic qui in horrida Maris tempeſtate Nautæ ſolertia ab Orci faucibus fuerint erepti, ubi à longè Terram parentem ſalutarint, ac littus attigerint, vix Nautæ faciem agnoſcunt. Haud ſecùs qui ex perniciali morbo periclitati fuerint, ubi rem in Vado eſſe cognoverint, modico Soſtro, interdum etiam nullo, Medicum dimittunt, niſi etiam ab illo Soteria repoſcant, ſive illum irriſui, & deſpicatui habeant. Si verò atrox tempeſtas malignorum Symptomatum gravida Ægrum obruerit, quot & quanta in Medicum effunduntur conviciorum plauſtra? Sic in proſpero Eventu (ut Plautino dicto utar) *levior pluma eſt gratia*, in ſiniſtro, *plumbeæ ſunt iræ:* Hujuſmodi vitium ſatis vetus exprobrabat olim Seneca, (a) graviſſimus Morum Cenſor, cùm ſimplici Mercedula, Medico debitum non perſolvi crederet, ſi diligentem præſtiterit operam. *Quædam pluris ſunt*, ajebat ille, *quàm emuntur. Emitur à Medico res inæſtimabilis, Vita & bona Valetudo.* At quid agendum? Num rejiciendum levidenſe illud quod offertur? Nequaquàm; id enim eſſet avari hominis, & lucrimulgi Medici ſpeciem ſubire; præterea extrema dementia eſſet, *poſt omnia perdere Naulum.* Quoniam igitur inter Navigatoriam Artem & Medicam tanta intercedit affinitas ac ſimilitudo, ſalutaria Documenta ex Arte cognata prudens mutuetur Medicus, ut Ægrotantium Saluti poſſit proſperè velificari.

(a) De Benef. l. 6. cap. 15.

ORATIO SEXTA,

Habita Die 12. *Novembris M. DCC. IV.*

Multum Conferre Practico Medico, Noſſe, qualis ſit de ſe communis hominum Opinio.

QUemadmodum in Oratoria Facultate olim dum vigeret Eloquentiæ ſtudium, quæſitum eſt, quis fuerit, & qualis eſſe debeat verus, & perfectus Orator, neque, vel ipſo Tullio judice, decerni potuerit, quiſnam hic fuerit, ut pro exemplari eſſe poſſit, quibuſve dotibus Oratorem inſignitum eſſe oporteat: Ita prorſus in re medicâ idem eveniſſe crediderim, non minùs ſcilicet arduum eſt Ægrum perniciali morbo conflictatum ſervare, ac reum in capi-

capitali judicio ritè, & ex arte patrocinari. (*a*) De Marco Antonio Oratore literis proditum eſt, illum præ cæteris laudibus hanc præcipuam meruiſſe, quòd nullum unquam verbum ante Judices illi ab ore exciderit, quod ei pro quo dixiſſet obeſſe potuerit, cum perſæpè contingat, quòd Orator, aut Patronus imprudenter, ac intempeſtivè dicendo, vel agendo deteriorem potiùs, quàm meliorem faciat eam quam ſuſcepit cauſam. Si tale quidpiam fortè præſtarit Medicorum aliquis, ut facilè perſuadere poſſet, nullam ſe unquam dictaſſe remedii formulam, quæ morbum exaſperarit, id ſanè perrarum eſſet, & Sapientiæ, & Felicitatis exemplum. Sed neminem adhuc fuiſſe facilè putarim, qui tam ritè, ac prudenter Medicinam fecerit, ut laudem hanc promeruerit, ſeu proferri poſſit, id quod quidam qui nullam unquam cædem patrarat dicere ſolebat, nulla domus, mei culpa, pullam veſtem induit. O ſi quemadmodum in acta, & medicos faſtus referuntur magnificæ quædam curationes eorum, qui poſt aliquod exhibitum remedium è gravi aliqua tempeſtate ſeu *fati ope vel Medici* emerſere; ita in iiſdem deſcriptos legeremus quos vel intempeſtiva Medicina in profundum demerſit, vel inopportuna venæ ſectio jugulavit, feliciorem forſan, & ſecuriorem haberemus Medicam praxim quam quòd habemus. At nemo eſt, cui licet tacita culpa ſudet mens conſcia, qui inſcitiæ ſuæ velum aliquod non prætendat, Hippocrate excepto, qui ingenua confeſſione, more ſcilicet magnorum Virorum, ſe à futuris deceptum fuiſſe poſteris tradidit. Quibus verò ſtudiis ac facultatibus inſtructum eſſe oporteat verum, & perfectum Medicum, ſtatuere, aut diſquirere mihi haudquaquam mens eſt. Fecit id olim Hippocrates Medicorum maximus, qui boni Medici Ideam nobis depinxit, quod itidem Galenus aliique Clariſſimi Viri noſtra quoque ætate fecere, ut in eo, qui ſupra vulgares eminere debeat deſiderari velint non ſolam Philoſophiam, atque eam partem potiſſimum, quam experimentalem vocant, ſed Mathematicas facultates, & Polymathiam præcipuè, variam ſcilicet literaturam. His, atque aliis, ut lubet, inſignibus præfulgeat is, qui profeſſorio muneri ſe addixerit, aut librorum editione poſthumam famam affectet; ego ſiquidem (quando in hôc celeberrimô Lyceô, & ab hâc Exedra Practicæ Medicinæ tradendæ mihi munus incumbit) peculiarem quandam prærogativam forſan, vel neglectam, vel parum animadverſam, ex qua tamen plurimum Ægris emolumenti, & Artis Medicæ decoris proficiſci queat, in practico Medico deſiderarim. Eamque eſſe dico, ut qui ritè, ac piè Clinicam exercere velit, ſatagat noſſe, quale ſit de ſe in Medicina facienda commune hominum judicium.

Mirum ſane, & obſervatione dignum, quomodo Medentium ferè quiſquis, prout hac vel illa corporis temperie à natura donatus eſt, & conſectariè prout his, vel illis animi affectibus obnoxius, ita morborum curationem ſuſcipiat, ac de illorum eventu facilè judicium ferat. Sic quoſdam præfervidi ingenii, & quibus ex maſcula bile turget Jecur, videre eſt, ubi ad Ægrum aliquem graviter decumbentem acciti fuerint exemplò, certa victoriæ ſpe concepta, Claſſicum canere, & ad Medicinæ armamentaria ſollicitè accurrere, licet Ægri naturam, & morbi ingenium non habeant ſatis benè perſpectum. Iſtos ſubinde, ſi quis obſiſtat, & illorum impetum parumper ſufflaminare contendat, ad ravim uſque clamitantes audias, hoſtem quàm celerrimè conficiendum, antequam fortior invaleſcat, ſerò medicinam parari fractis, ac attritis jam viribus, (*b*) *Dilationem omnem malàm eſſe*, in Arte verò medica peſſimam, ubi *Dilatio* eſt Animæ *periculum*. Ita penes iſtos nec mora, nec requies, nullæ feriæ, nullum Sabathum, nulla viſitatio ſine aliqua novi remedii formula præſcripta. Mineralia offeruntur, ſi vegetabilia, & animalia non proficiant, compoſita & inexplicabiles mixturæ, ſi non ſatis virium credanrur habere ſimplicia, ipſa quoque alimenta

(*a*) Tull. lib. 2. de Oratore. (*b*) De Arte num. 20.

menta variarum rerum mixtione fuſcantur, nec offerri ſolent niſi medicinale quid ſapiant; Sic aſſiduis ferè ſtimulis naturam licet repugnantem, ad pugnandum cum hoſte inteſtino compellunt Hæc itaque virtus animi vivida, & nimia ad agendum promptitudo non rarò inofficioſa eſt, & ægri rebus non parum noxia, eoque deterior, ſi is, qui Medici officio fungitur, *recens*, ut dici ſolet, *è Lyceo venerit* Juvenili audacia exſultans, & experiundi cupidus; quanquam non deſint etiam Medici provectioris ætatis, & ſilicernio jam proximi, qui vel ob aſſuetuditem, vel ob aliquot nativæ indolis igniculos adhuc ſuperſtites, nullas cum morbo inducias paciſci volunt, ſed perpetuum bellum gerere ad internecionem uſque vel morbi, vel ægri.

Neque verò hic mihi de iis Medicis ſermo eſt, qui dolo malo, ac peſſimo conſilio remedia remediis aggerant, ut Pharmacopœis, quorum gratiam demereri fœnerare eſt, gratiores ſint, ſeu ne in ſiniſtro eventu quicquam inexpertum, vel intentatum videantur reliquiſſe, hos enim æruſcatores, atque ut cum Plinio loquar, animarum negotiatores potiùs appellarim, ac ſolùm dignos, ut è Medicorum albo eradantur, ſed cum iis mihi res eſt, qui rectè & ex arte ſe agere exiſtimantes, ſuo genio nimis auſcultant, & à naturalibus ſuis affectibus ſe tranſverſos agi patiuntur.

Aliud porrò Medentium genus eſt ab iis, qui nimis actuoſi ſunt longè diverſum; hi vultu, ſermone, inceſſu melancholiam præferentes, habent omnia ſuſpecta, & ex ſuâ naturâ meticuloſi in quocumque ferè morbo ad funeſta præſagia ſunt valdè proclives, timent, quippe ne morbus vultu placidus ſibi illudat, lentè propterea, ac ſuſpenſo pede ad morborum curationem procedunt, cunctandum rati, atque exſpectandum, *quid ſerus Veſper vehat*, quid dies craſtina, obſervando, num magis ſe prodat morbus, num ſat virium Naturæ ſit ad oppugnandum ſe ſola morbum, num præindicata ſit Criſis, num à catharſi, an à Venæ ſectione exordienda ſit curatio; ſic perſæpè ſibi moras nectendo & prolatando occaſionem, quæ præpeti pede fugit, & agendi opportunitatem ſibi è manibus turpiter elabi patiuntur.

At qui decumbit, ſentitque in dies vires fatiſcere, atque unà illius domeſtici non ulteriùs differendum reclamant, habet hoc Medicorum genus paratas ac veluti in numerato rationes & argumenta, quibus talem operandi modum tueantur. Primò quidem percelebre dictum illud Q. Fabii M. quod T. Livius recenſuit, obtrudunt, (*a*) *Medicos & Imperatores plus interdum quiete, quàm agendo & movendo proficere. Tempus ut morbos facit, ita & ſolvere*, non eſſe tam facilè, ut creditur, conjecturis aſſequi, quid Natura intus moliatur, quò tendat, eam ſolam Morborum medicatricem eſſe, cui repugnare velle, nil aliud ſit, (*b*) uti ajebat Tullius, quàm *more Gigantum pugnare cum Diis.*

Hæc & ſimilia objectant, ut naturalem ſuam ſegnitiem à culpa vindicent; intereà tam qui nimis operoſi ſunt ac ſolliciti, quàm qui nimis lenti ac ſegnes, non ſatis benè audiunt, tum apud Sapientes, tum apud vulgus, ut illi paſſim traducantur tanquam fræno, hi verò tanquam ſtimulis egentes, veluti de Ephoro & Theopompo ſuis diſcipulis dixit Iſocrates Orator Clariſſimus.

Longum eſſet recenſere ſingula ingeniorum diſcrimina, & quò quemque Natura ducat vel trahat, penè incredibilis enim in hâc re eſt varietas, adeò ut non pauciores ſint animorum, quàm corporum formæ; idem propemodum, quod in Oratoribus evenit, quorum quiſquis ſuum habet peculiare dicendi genus, ita & in Medicis obſervatur, quorum ſinguli ſuam habent ex genio medendi formam: Sunt qui placitis ſuis mordicùs hæreant, nec tam facilè ab eo quod ſemel ſecundum rationem ſtatuiſſe viſi fuerint divelli poſſint, reclamante licet experientia, & Ægro in pejus ruente; ſunt qui mobilis & inconſtantis genii, prout mitelcit & aſperatur morbus, ſententiam & remedia in contrarium mutant; ſunt qui ſubagreſtis, ac tetricæ naturæ nihil Ægro gratificantes, vel in rebus leviſſimis,

(*a*) Lib. 22. (*b*) De Senectute.

simis, Tortorum vices subeunt, & tyrannidem quandam exercent? sunt alii qui nimis mites, & philanthropi *cubantium deliciis subscribunt.*

Quidam nimis creduli, remediorum efficaciæ multum tribuunt, sunt qui nihil, pyrrhoniano more suum illud, ἐπέχω, proferentes ut aliquid agere videantur, herbulam unam, vel alteram in jure decoquunt & exhibent. Quosdam observare est taciturnos, pauciloquos, dictatoriè quid agendum sit præscribentes, sed qui de morbi natura & præscripto remedio rationem nullam edisserant; quosdam ex adverso multiloquos, clamosos, aptiores potiùs ut laboranti Lunæ quàm dolenti Ægro succurrant, decumbenti propterea non parum infestos, ut exindè Græcum illud manarit adagium Ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος, hoc est, Medicus loquax Ægro alter morbus; Habet quippe medicum Forum suos quoque Rabulas & loquutulejos, qui Mutam Artem loquacem fecere.

Cum autem talia passim eveniant, neque tantum penes locorum & regionum diversitatem, cum revera uti ajebat Celsus, (*a*) aliud sit Medicinam exercere Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia, sed hæc observentur iisdem in locis, eadem in Urbe, in Medicis, iisdem in scholis instructis ac veluti collactaneis, quamnam precor, aliam causam, cur tam variæ ac diversæ sint medendi formæ, imaginari possumus, quàm temperamenti diversitatem, & exinde morum dissimilitudinem, sic ut quisque sui ingenii voluptati indulgeat, atque obtemperet. Rem non absimilem in celebrioribus suæ ætatis Oratoribus admirabatur olim Tullius, (*b*) ut hanc ob causam nesciret quis esset Orator imitatione dignus. *Quid enim majus*, ajebat ille, *quam cum tanta sit inter Oratores bonos dissimilitudo, judicare quæ sit optima species, & figura dicendi!* Id ipsum quantò magis admiraretur ipse Tullius, si illi reviviscere daretur, & in hôc Celeberrimô Athenæô latialis facundiæ Domiciliô, tot Professores de sublimioribus Scientiis tam doctè, tam disertè, sed tam diversis dicendi formis differentes unicâ die audiret! Cum igitur inter Medicos non vulgares, sed probatos & commendatione dignos, tum in prædicendis morborum eventibus, tum iisdem curandis, tanta ubique locorum observetur morum diversitas, quisnon videt, cuique Medicinam facienti necessitatem incumbere, ut ad illud Oraculi Monitum Γνῶθι σεαυτόν vires, & animum intendat.

Studeat igitur quisque ut se ipsum perfectè agnoscat, & quantum ab ea mediocritate, quæ in unaquaque re expetitur, ac præcipuè in re medicâ, ubi de humanô coriô agitur, declinet, ut si naturalem corporis temperiem immutare nequeat, saltem animi affectus prudentia medicatrice moderetur, inflectat, & ad Symmetron illud, in quo Virtus posita est, paulatim deducat. Quotus enim quisque Medicorum est, cui ex tam bono luto Titan præcordia finxerit, ut temperiem illam, quam Elementorum pensores ad pondus vocant, obtinuerit, ut neque plusquàm decet promptior sit ad agendum, neque segnior, neque plus æquo audax, neque magis quàm par est meticulosus? (*c*) *Quisque suos patimur manes*, rectè ajebat Poëtarum Princeps, nullusque ferè est è Medentium classe, qui hac in re medela non egeat; remedia verò non è decantatis Medicinæ fontibus haurienda, sed è Moralis Philosophiæ Promptuariis petenda.

Hujusmodi curationis necessitatem præ cæteris agnovit Galenus, siquidem cum elegantissimum Tractatum, cui titulum fecit: *Quòd animi mores sequantur corporis temperaturam*, conscripsisset, alium adjecit: *De cognoscendis, & curandis animi morbis.* Talis equidem curatio non adeò facilis est, neque paucorum dierum est opus, illam tamen inter adynata nequaquàm reponendam esse, quotidiana experientia satis commonstrat. Quemadmodum autem Medicus, si quando illi ægrotare contingat, sibi ipsi non fidit, sed alium accersit à quo morbosi affectus, quo premitur, naturam dignoscat; ita in hac re, de qua agitur, à recta ratione non aberrabit Medicus

(*a*) In Proœmio. (*b*) De Oratore. (*c*) 6. Æneidos.

dicus Practicus, si ab aliis addiscat, qualiter sit affectus, num Medicinam ingenuè, prudenter, & cum plausu exerceat, quibus in rebus ex communi hominum consensu delinquat, & malè audiat. Dextrè itaque, & pro re nata ab hoc, & illo quasi ludens commune hominum judicium subolfaciat; ac licet non rarò quædam illi parum grata sint audienda, hilari tamen animo accipienda, non secùs ac Medicatæ potiones, ac sincero examine expendenda, num vera an ficta, num ab amico, an ab inimico pectore prodierint, atque hinc documenta pro affectibus suis moderandis excipere.

Quantum referat perspectum habere quale sit de se hominum judicium, (*a*) ipsemet Servator Noster satis ostendit, dum enim humana sub imagine terras lustraret, quamvis quis & qualis esset perfectissimè nosset, visus est tamen aliquando scire optasse, quid de se sentirent homines, cum ad discipulos suos conversus illos his verbis interpellavit, *Quem dicunt esse filium hominis?* Licet enim interrogationem hanc ab eo factam velint ad eliciendam à suis discipulis fidei confessionem, non abs re tamen fuerit hinc documentum excipere ad mores nostros componendos.

Neque pudori sit Practico Medico quoquo modo pervestigare qualis de se circumferatur opinio, neque solum quid amici sentiant, sed quid Æmuli, quibus cum aliqua fuerit simultas; ab amicis enim laudem quæ palato perjucunda est, facilè est referre, ab inimicis autem veritatem, quæ salubrior. Non modica profectò sunt emolumenta, quæ ab inimicis referri possunt, si quis animum rectè advertat, & malo benè uti velit; (*b*) *Qui enim inimicum habet Magistrum gratis habet, ex quo aliquid discat quod amicos fugiat*, cæcutit enim Amicus in eo quem adamat, uti ajebat Plato, qui enim livore tangitur ea quæ laudanda sunt, vel sicco pede præterit, aut extenuat, quæ vero vitium sonant, ampliat, ac spargit in vulgus. Ita verò naturæ humanæ imbecillitate, aut malignitate comparatum est, ut aliena vitia lynceis oculis perspiciamus, nostra verò lippis, (*c*) nec videamus *manticæ*, *quod in tergo est*, ut vetus fert paræmia.

Neque peritorum Medicæ Facultatis tantùm, sed cæterorum quoque, quos in aliis Scientiarum generibus fama commendet, Sententiam scrutari, salutare consilium fuerit, quin popularium quoque sensa explorare, non inutilis erit indago; prudentia enim & recti cognitio non solis literarum Cultoribus mancipio datur, sed plebeis quoque, quibus mira sagacitas in rebus suis agendis inest, literatis ipsis non rarò invidenda. (*d*) Pomponium secundum Tragœdiarum Scriptorem referunt tantum populari judicio tribuisse, ut quoties aliquis ex ejus amicis illi Suasor esset, ut aliquod ex scriptis tolleret, ipse verò retinendum arbitraretur solitum, dicere fuisse, *Ad populum provoco*, *atque ita Populi vel assensu*, *vel silentio*, *aut suam*, *aut amici sententiam sequutum.*

Pictoribus quoque olim id moris fuit, ut post tabulas palam expositas laterent, ut non tàm curiositatis, quàm emendationis studio prætereuntium judicium auscultarent, (*e*) ut de Phidia perhibent, qui cum Jovis imaginem absolvisset, illam hominibus visendam ostendit, ipsum verò post januam attendisse quid quisque spectantium laudaret, aut reprehenderet, quibus digressis ad populi judicium, & opinionem imaginem emendasse; *Neque enim existimabat mediocre aut contemnendum esse populi numerosi consilium*; verum quippe, & Oraculi loco præcipuè quod morum correctionem attinet habitum est dictum illud, *Nemo populum*, *populus neminem fefellit.*

Quisquis igitur Medicæ praxi se devoverit, ad mendum illud, in quod omnium oculi offendant, emendandum totis viribus intendat, ut id quod in corporis constitutione à Natura non impetrarit, propria virtute animo suo adsciscat. Medicus itaque Practicus, cui non vile lucrum, sed ægrorum salus, & proprii nominis existimatio curæ fuerit, ad publicam hominum censuram, tanquam ad Speculum

(*a*) Divus Marcus cap. 16. (*b*) Plutarch. de emolum. ab inim. capien. (*c*) Catullus. (*d*) Plin. Jun. lib. 1. epist. 17. (*e*) Luc. de imag.

ſuos componat affectus, ſique intelligat nimiam ſuam alacritatem, & in agendo celeritatem damnari, illam pauliſper compeſcat, & lentè feſtinare perdiſcat, ſi nimiam tarditatem improbari, & morum ſeveritatem faſtidiri, torporem ſuum excutiat, & comitatem quantum licet ſibi adjiciat, atque ut dici ſolet, *Gratiis litet*. Habent enim id Medici, quos vel in conceptu, vel ortu Saturni Sydus afflaverit, ut non adeò gratus ſit illorum acceſſus, & conſuetudo, qualis eſt eorum, quibus ſub feliciori aſtro natis amœnum ingenium Natura indulſerit. Quod forſan in hanc rem eleganti dicto innuere volut Clariſſimus Orator, (a) *in quibuſdam Virtutes gratiam non habent, in quibuſdam vitia delectant.*

Medicus itaque ſic compoſitus talis erit, qualem optabat Pindarus, ἐπιχειρότατον, hoc eſt, ad manus promptiſſimum, ſic enim agendi opportunitatem agnoſcet, quando ſcilicet properandum, quando cunctandum, quando periclitari, quando morbi impetum eludere oporteat, quo pacto Quinti Fabii Maximi & Marcelli laudes ſibi adjiciet, quorum unus Romanæ Reipublicæ Clypeus, alter Enſis dicebatur.

Quod verò præcipuum eſt, altercationes, ac lites ſummoperè cavebit, ubi cum aliis Medicis conſulere oporteat, malum ſatis frequens, quod in Medicina *ſemper damnabitur, & ſemper retinebitur*. Nihil eſſe quod Medicam Artem magis dehoneſtet, & impoſturæ ſimilem faciat, quàm crebras Clinicorum concertationes, ac rixas, non rarò coram Ægris ipſis, & ubi de aliquo remedio deliberandum ſit, ſatis liquet, *nemine idem ſentiente, ne alterius videatur acceſſio*, quod non tam in Artis infirmitatem, & incertitudinem acceptum referri debet, quàm in odia, quæ Medici ipſi tunc magis exercent, ac pandunt, quando occultanda eſſent, aut ſaltem ad tempus ſeponenda. Ariſtides, ac Themiſtocles duo apud Athenienſes principes Viri, & ad præcipua Reipublicæ munia deligi ſoliti, apertis odiis ob æmulam Virtutem ſeſe ad invicem inſectabantur, (b) *quoties tamen in legationem, vel expeditionem aliquam proficiſcerentur, deponebant ad fines ſimultatem, quam reverſi reſumebant*. Egregium ſanè Medicis documentum, ubi ad conſultandum, atque Ægrum aliquem curandum unà conveniant.

(a) Quintil. Lib. 11. inſtitutionum. (b) Plutarchus in Præceptis politicis.

ORATIO SEPTIMA.

Habita Die 15. Novembris, M. DCC. V.

Antiquitatis, & Novitatis Studio Medicum perfici.

SI olim, cum nondum intra Urbes, & Oppida concluſi homines per agros palantes ævum traducerent, Artes quaſcunque, ac eas præcipuè, quarum magis neceſſarius eſſet uſus, magnis honoribus exceptas fuiſſe, ac illarum Inventores à bona poſteritate in Deorum cœtum relatos quandoque legimus, nihil omninò admirari ſolemus A. N. Quo enim, precor, à ferarum victu differret humanum genus, niſi repertæ fuiſſent Artes, quarum beneficio ſocialem vitam, qua nihil in terris beatius eſt, degeremus! Artium porrò quaſdam à primævâ ſua dignitate, & exiſtimatione deſciviſſe, ſive ob ſolitam rerum viciſſitudinem, ſive ob hominum ſocordiam, uti conqueſtus eſt, qui de cauſis corruptæ Eloquentiæ ſcripſit, neque pariter admirationi eſſe conſuevit. Quòd verò ingenuæ quædam ac honeſtæ Diſciplinæ tunc primùm neglectui eſſe cœperint, cum ſummum penè perfectionis culmen pertige-

tigerint, cui infortunio præ cæteris maximè obnoxia eſt Ars Medica, id unum eſt quod nec ſatis admirari ſoleo, nec parum dolere poſſum. Medicina olim cum ruditatis multum, & opere, & ſermone præferret, ac fidenter magis, quàm ſcienter de partium ſtructura & uſu, de morborum natura, ac indole, de remediorum poteſtate, tum coram Ægris in Conſultationibus, tum in Lyceis declamaret, magna præmia, & magnos honores promeruit, adeò ut Medico prætereunti quilibet vir honeſtus caput aperiret, ac de via decederet; modò eadem poſt tot exantlatos labores, poſt tot glorioſa Inventa, cum non ampliùs analogiſmis, ſed apodictìcè procedat, imo oculata fide indigitet, quale ſit verum Naturæ regimen, qualis Cerebri, partium ſpiritalium, Cordis, inferiorum Viſcerum, & cujuſque minimæ partis vera conformatio, & officium, ubi nam cubent graviores morborum peſtes, ac ingenuè confeſſa, quo uſque protendatur remediorum virtus, ridetur, deſpicitur, ac tanquam Ars ſervilis traducitur, quam non ampliùs, ut olim, dignentur patritiæ manus attingere. At quid hoc rei eſt unquam? Num corruptos ſeculi mores, ac temporum noſtrorum barbariem culpare liceat? abſit. Quandonam enim unquam literatior fuit Mundus! Quanam ætate tam unanimi ubique terrarum conſenſu à doctis Viris deſudatum eſt ad priſcum literis honorem reſtituendum! Mihi equidem circa hujuſmodi contemptum, & tam proſtratam Medicæ Artis exiſtimationem animum intendenti, cum variæ, ac diverſæ obverſarentur cauſæ, potiſſimam eſſe credidi perpetua ferè inter Profeſſores ipſos diſſidia, ac præcipuè Antiquitatis, & Novitatis contraria ſtudia, adeo ut Medici in binas veluti acies, tanquàm dimicaturi diſceſſerint, quarum unà Veterum doctrinam pene adoret, & mordicùs retinendam velit, novam autem deſpiciat, altera verò auctoritatis jugo excuſſo, ſoli rationi & autopſiæ auſcultandum aſſerat; undè factum ut cùm ſapientes Viri, tum plebei quoque homines, qui haſce concertationes norunt, & quandoque audiunt, ſtomachentur, & Medicinam ab arte captatoria, vel parum, vel nihil differre exiſtiment. Vobiſcum itaque hac mea parænetica Oratione mihi res erit, Ornatiſſimi Philiatri, ut ſi forte labes iſta animos veſtros irrepſerit, illam eluam, & abſtergam, oſtenſurus Antiquitatis, & Novitatis ſtudio Medicum perfici.

Quàm graves turbas in politico regimine ferè ſemper ciere conſueverint retum Novitates, ubi quis nimirum veteres mores, ac leges abrogare, ac novas, licet poſtmodum in majora commoda ceſſuras, inferre pertentarit, jam ſatis, præter experientiam ipſam, cùm veteres, tum recentes hiſtoriæ loquuntur. Magni quippe ſemper intereſſe creditum eſt, qualemcunque Civitatis ſtatum, dummodo quietum, integrum ſervare; (a) quam ob cauſam Romæ olim libros de Sacrorum origine in Sepulcro Numæ Pompilii à bubulco repertos, Senatus cremari juſſit, ne ſi ad vulgi manus deveniſſent, cum abſurda quædam in iis continerentur, popularem ſtatum perturbarent. Quibus inteſtinis motibus, exacto nuper ſeculo, concuſſa fuerit Medicorum Reſpublica, ubi primùm ab Anglico Cœlo celeberrimum illud Phænomenon circularis Sanguinis motus apparuit, quod Medicorum non paucos in ſui admirationem, & amorem pellexit, jam ſatis perſpectum eſt ut nihil magis. Ad novum enim illius lumen cæcutientes, ac penè inſanientes docti alioquin Viri clamitare cœperunt, fatuum Ignem illud eſſe, citò deſiturum, ac purum prurientis ingenii Commentum, quo ſtante, brevi totam Medicinam everſum iri neceſſum eſſet. Diù equidem, & acriter utrinque pugnatum eſt; verùm, ut olim de Romanorum bellis civilibus:

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Sicuti enim Veteris Medicinæ Aſſertoribus nequaquàm datum eſt, tam egregium, & frugiferum Inventum, multaque alia, quæ exinde Scrutatorum æmula virtus aperuit, evertere; ita neque illis priſcam Medicinam

(a) Div. Auguſt. de Civit. Dei lib. 7. cap. 34.

adeò convellere, ut licet multum de illius amplitudine detractum fuerit, adhuc tamen multum honoris, ac dignitatis, illi non superſit. Quoniam autem res nondum ſatis benè ſunt compoſitæ, & quibuſdam in locis contentioſum hunc funem ducere libido eſt, propterea prudentis, ac ingenui Medici, qui ſolius Veritatis conquirendæ ſtudio teneatur, erit, ita ſe gerere, ut ſine partium ſtudio, ſine offenſa poſſit utriuſque Provinciæ fines longè, latèque diſcurrere, eaque ſibi comparare, quæ non ſolùm ad Medicam Eruditionem faciant, ſed quæ ad Medicinam ritè, & cum laude exercendam conducant.

Ampliſſimus autem ad id patebit campus; nam ex ſolô Hippocrate quantum bonæ ac ſinceræ frugis licebit colligere! quot documenta, imò quot Oracula ad morbos prænoſcendos, & fugandos quoque, ab inexhauſto illius penu haberi poſſunt! Nemo ad illum accedit, quin doctior abeat, nihil eſt, quod quis diſcere velit, quod ille docere non poſſit. (*a*) Experientiſſimus hic Senex, Qui ſatis norat, quantùm juxta locorum & regionum naturam Medicina differat, tanti tamen ſua documenta ad morbos prænoſcendos fecit, ut Vir alioquin modeſtiſſimus literis prodere veritus non fuerit, illa vere eſſe, & in Lybia, & in Delo, & in Scythia, hoc eſt in calidis, temperatis, & frigidis regionibus. Quàm doctè porrò, quàm eleganter Celſus, quem Latinum Hippocratem vocant, Medicum inſtruit; imò ſi lubet, expertum Chirurgum facit, quid autem è Galeni, non dicam Operibus, ſed Bibiliotheca ſperare non liceat, ſi quis illam modò pulverulentam excutiat, ſivè raram, & peregrinam eruditionem circa Philoſophorum, & Medicorum placita, ſive particulares caſus, & medicas hiſtorias, ſive egregia documenta pro reparanda, ſive pro tuenda valetudine exoptet. Neque irritus labor fuerit Arabum Sapientiam deguſtaſſe, aliorumque Scriptorum, qui poſtmodùum per tot ſecula commentaria ſua poſteritati tradidere. Nolim tamen, quis putet velle me quod Medicus, qualem peropto, exactè calleat, *ut digitos ungueſque ſuos*, quidquid apud hujuſmodi Auctores ſcriptum reperitur. Etenim, cum ob antiquum illud ſcribendi Cacoëthes, quod noſtra ætate non parum perfrixiſſe viſum eſt, magna ſit librorum turba, quæ diſcentem potiùs oneret, quàm inſtruat, nimis improbus labor eſſet, velle in cunctis diſquirere quid boni reperiatur, niſi interdum contingeret erronea quædam dogmata, & ſupervacua diſcere, mox dediſcenda. Medicus tamen à bono Præceptore inſtitutus facilè noſcet quos libros attentè legat, quos obiter excurrat, & quorum, ne hoſpes in Medicina videatur, ſolam nomenclaturam habere ſufficiat.

Haud ſecùs bonum Medicum novitatis ſtudioſum eſſe, & decet, & neceſſe eſt. Quot beneficia, & inopinata commoda ex abditarum rerum ſtudio, atque ſcrutamine ad perficiendas Artes proficiſci ſoleant, ſola Magnetis ad Polum cognita converſio, cujus beneficio per ampla Oceani ſpatia *extra Anni Soliſque vias*, oculis non ad Aſtra, ſed ad Verſoriam intentis, licet diſcurrere, ſatis palam fecit. Curioſitas equidem Ignorantiæ filia dicitur, ſed poſteà Sapientiæ Mater evadit, niſi tam curioſa indagine tot Scrutatores, quos habuit fortunatiſſimum præcedens ſeculum, nobis aperuiſſent, quomodo, quibuſve legibus in orbem feratur ſanguis, per quos ductus chyloſus latex, lympha, aliæque fluidæ ſubſtantiæ ſuos abſolvant motus, qualis ſit partium ſolidarum configuratio & uſus, qualiſve earum ad invicem harmonia, quænam vis cunctos infuſa per Artus corpoream molem agitet, quanta rerum caligo nos teneret? adhuc inter antiqua ſomnia verſaremur inter facultates Tractrices, Retentrices, multaſque alias tum ſocias, tum famulas; adhuc inter primarum qualitatum repagula Phyſiologica, & Pathologica coërceretur Doctrina; adhuc Jecur infectorio munere candidam chyli veſtem in purpuream verteret; adhuc Lien peculiarem ſuccum ſtomacho pro acetario ad excitandam Orexim ſuffunderet; ad-

(*a*) Hippoc. lib. Prænot. num. 27.

adhuc Pancreas, cæteræque glandulæ ſub vili miniſterio fulciendi Vaſa laborarent; adhuc ad Cor tantummodò perfrigerandum & extrudendas fuligines anhelarent Pulmones. Adhuc, cæcorum ad inſtar, cum morbis congrederemur.

Quoniam autem Proſectorum induſtria, manibus ferro, oculiſque microſcopio armatis, tam altè in Regnum Naturæ penetratum eſt, immò Natura ipſa, quæ nobis antea tot variis formis illudere conſueverat, tandem non ſecus ac Virgilii Proteus, tortura & vinclis in vivorum anatome verum fateri coacta eſt, modo ad oppugnandos morbos, ratione duce, & auſpice procedimus, ut Pharmaceuticam rationalem, Chirurgiam, & rationalem quoque Diætam teneamus. Sit autem, quod non abnuo, non ignotum prorſus fuiſſe veteribus ſanguinis in orbem motum, aliaque Inventa, quæ modo habemus, non niſi obſcurè tamen ac ſine uſu ea noverunt, quæ nos tam magno emolumento, tam manifeſta ac clara luce, conſpicimus, ut non ineptè Prophetæ dictum illud pronunciari poſſit. (a) *Seniores ſomnia ſomniaverunt, juniores autem viſiones viderunt.* Hinc diſcere liceat, Ornatiſſimi Philiatri, quantum interſit nova Documenta, non ſolùm nudè & ſimpliciter cognita, ſed ritè habere perſpecta, ad quæ extra omnem controverſiæ aleam poſita, ac veluti ad Polycleti regulam referre liceat quidquid ſcriptum reperitur. Non ſatis itaque fuerit ab antiquis Fontibus Medicinam hauſiſſe, ſed neceſſe quoque eſt puros ac ſecuros latices deguſtaſſe, quos novæ ſcaturigines tam larga vena effudere. Ex novarum itaque, & antiquarum rerum peritia, bonus, ac verus conflatur Medicus, qui ſciat qualis fuerit Medicinæ ortus, & progreſſus, qualis præſens illius ſtatus, ac ſi licet divinare etiam qualis futurus ſit. Hoc eſt vere Medicam Artem profiteri, nequaquam verò in veterum decreta ſolumodo juraſſe, ac variis textuum interpretationibus, idem agere, quod veteramentarii Sutores, *Dentibus antiquas ſoliti producere pelles*, aut ejuratis Galeni, aliorumque Doctrinis, ſolam novitatem affectare.

Quanquam, ſi rem attentè expendamus, uſitata iſthæc Antiquitatis & Novitatis Vocabula non rarò nobis imponunt, dum rebus antiquiſſimis, antea à nobis ignoratis novarum rerum nomina imponimus; ſic novum Orbem eam Mundi partem vocamus, quam rerum Univerſitati coævam primus omnium Columbus navigatione nulli antea pertentata aperuit; ſic novos Planetas Corpora illa cœleſtia dicimus, quæ à Mundi origine mortalium obtutui inconſpicua, Galilæus, Vir ſanè Lynceus, oculis Teleſcopio munitis viſenda præbuit, atque ut ea ſplendidiora redderet, regio Mediceæ Familiæ cognomento inſignivit; ſic verbo rei parum congruo primas Mundi ætates antiqua tempora vocamus, cum verè noſtra tempora antiqua dici mereantur, & Mundi grandævitas in dies major ſemper futura ſit, exordio ſcilicet, uti fas eſt, ab Univerſi fabrica deducto. Non ſunt igitur tanti facienda Antiquitatis & Novitatis nomina, ut vos O. D. à Veritatis ſtudio, quod unicum eſſe debet, abducant, ac tranſverſos in rixas ac ſimultates agant. Id enim quod à nobis novum dicitur, ſi verum eſt, antiquum eſt; quid enim veritate antiquius!

Ad evolvenda igitur tam priſcæ, quam novæ Medicinæ ſelectiora monumenta vires ac animos intendite; Vobis exemplo ſint cæterarum Facultatum cultores. Quibus voluptè eſt Poëſi indulgere, num ſolùm Virgilium, Horatium, Ovidium alioſque illorum temporum (ut intra Auſoniæ fines, intactis Græciæ litoribus conſiſtamus) colere & lectitare cenſendum eſt? an non etiam clariores Poëtas, quos habuere poſteriora ſecula, uti Pontanum, Actium Sincerum, atque eos etiam, quos habet ætas hæc noſtra? De Poëtarum Principe ſatis conſtat, illum, & ſuorum, & antiquiorum temporum Poëtas coluiſſe, atque Ennii carminibus apprimè oblectatum fuiſſe, cumque ab eo quæreretur, quid in obſoleto Poëta reperiret, *Aurum inquit, ex Ennii ſtercore colligo.*

(a) Joel. 2.

Quisnam Philosophus est, qui postquam Aristotelis opera satis versarit, (si tamen sapiat ac verè Philosophus h. e. Sapientiæ amans dici optet) experiri etiam non velit, qualis sit Philosophorum nostræ ætatis Doctrina? Quisnam Mathematicum se profiteatur & solius Euclidis elementis contentum dicat, Galilæi autem & Borelli sapientiam degustare non dignetur? Aut quis Geographiæ studiosus est, qui solas Ptolomæi tabulas, ubi antiquus Orbis describitur, observarit, ac nunquam exactissimas & elegantissimas, quas modò habemus mappas lustrarit, ubi tum antiquus, tum novus Orbis magno mentis & oculorum oblectamento delineatus visitur?

Verùm ut quid externa exempla conquirimus, cum domestica abundè suppetant? (a) Magnus Hippocrates Medicæ Artis conditor, simul & Stator, sicuti novitatis studium commendavit, ubi Democritum convenit animalium Corpora dissecantem, ut amentiæ sedem disquireret, ita neque priscam Medicinam abhorruit; librum enim de veteri Medicina conscripsit, parvum quidem, sed aureolum, quem totum sui juris fecere Hermeticorum Alumni. (b) Galenus quoque in suis, quas suscepit peregrinationibus, se non parum novarum rerum studiosum ostendit. Vir iste solertissimus Destillatoriam Artem mente concipiens in votis habuit, ut modum sciret, quo pars Vini meracior & tenuior à crassioribus secerni possit, sicuti Butyrum à lacte separatur, imò non levem gratiam iis habiturum se dixit, qui tale mechanicum instrumentum sibi ostenderent.

Doctissimus Mercurialis (ut novos quoque Scriptores in scenam producamus) multa quidem cedro digna Volumina conscripsit, ast quantum dignitatis, & claritudinis nomini suo adscivit solo Artis Gymnasticæ libro, ubi modum, ac leges patefecit, quibus Veteres corpora sua exercerent, non solùm ad publica spectacula, sed ad salubritatem, & decorationem conciliandam; qualem Artem nostra ætate penè obsoletam Majores nostri tanti fecere, ut illi ad Juventutem exercendam, suos Pædotribas, & Gymnasiarchas præficerent, quos inter olim percelebris fuit Herodicus Hippocratis Præceptor, qui Platone referente, (c) Artis Gymnasticæ beneficio, licet semper valetudinarius, vitam ad ultimam senectam produxit. Thomas Bartholinus Haffnienſis Academiæ clarissimum lumen Novitatis, si quis alius, studiosissimus Cultor, cum repertis vasis Lymphaticis magnum sibi nomen comparasset, ut in Anatomico Theatro inter novarum rerum Inventores in decimo quarto gradu sedere posset, ad illustrandam antiquitatem animo conversò, egregium Opus de Veterum puerperiis ad umbilicum penè perduxerat, ast illius Gloriæ Vulcanus invidit, qui ejusdem insigni Bibliotheca exusta, id quidem obtinuit, ut hoc tam præstanti Opere careat posteritas, sed non ut illius aboleatur memoria, ac desiderium.

Quantum igitur à Medicæ Artis Procerum Vestigiis aberrent, tum ii quorum palato solùm arridet quæ novitatem sapiunt, & fatua videntur, quæ Antiquitatem redolent, tum ii, qui cum Veterum salivam semel combiberint, reliqua omnia fastidiunt, satis liquet. Quoties aliquem pro dignitate priscæ Medicinæ reparanda perorantem audio, mihi Symmachum Romæ Præfectum declamantem audire videor, qui cum Deorum cultum deseri, ac omnes ad Christianam Religionem confluere videret; magna facundia, ac delenificis verbis suadebat, ut in Curia Ara vetus Deæ Victoriæ instauraretur, cui postea D. Ambrosius non minùs elegantem, quam doctam, & nervosam Orationem reposuit.

Haud aliter sine stomacho audire non liceat, qui omnem Veterum doctrinam, tanquam falsis theoriis superstructam è Scholis proscriptam vellent, non secùs, ac si cuncta omnia, quæ novi Scriptores literis mandarint, tam firmo stent talo, ut aliquando è sua dignitate cadere nequeant Ut unicam rem pertingam, paucis abhinc annis Scholæ totæ erant in fermentis, ut nihil aliud creparent Ca-

(a) In Epist. (b) De simpl. Med. Facult. lib. 1. cap. 17. (c) De Rep. Dialogo 3.

Cathedræ, quàm fermentationem, qua naturalem partium œconomiam exponerent, modo ad Piſtores ablegatis omnibus penè fermentis, naturales functiones per ſimplicem texturam, configurationem, & mechaniſmum explicantur. Suos igitur manes nova quoque patitur Medicina, & non pauca illius dogmata, quæ multo plauſu excepta ſunt, forſan aliquando ab Aula recedent, & quæ exſulare juſſa fuerant, in gratiam redibunt. Aſt ſive illorum ignavia, qui Medicinam diſcunt, & Artem ſuapte natura longam, brevem fieri vellent, in cauſa eſt, ut medio in curſu conſiſtant, ſive varia, & diverſa in Scholis Juvenum inſtitutio effecit, ut Medicæ Artis Alumni Nutricios ſuos nimis diligant, & ab illorum præceptis ne hilum quidem diſcedant; ſed forſan Tempus veritatis Parens, & diuturnarum ægritudinum verus Medicus huic malo medelam aliquam adferet.

Utriuſque juris igitur Medici, antiqui & novi peritum eſſe oportet Jatricæ facultatis Profeſſorem nullique ſectæ mancipatum (*a*) *Sanus homo, qui, & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet. Hunc oportet varium habere vitæ genus, modò ruri eſſe, modò in Urbe, nullum cibi genus fugere;* Sic olim Celſus de Homine ſano & libero; id ipſum quoque de Medico ingenuo, & cui ſanum ſit ſynciput, proferre liceat, nimirum quòd liberè ſentiendi integram poteſtatem ſervet, nullumque doctrinæ genus abhorreat, dummodò rationi & experientiæ reſpondeat. Etenim ſicuti in Nummis non elegantia, neque num recens, an multò ante percuſſi fuerint, ſed bonitas & pondus ſpectatur, ita & de libris idem judicium eſto (*b*) *Qui veteri vino utuntur ſapientes puto*, ajebat Comicus; rectè quidem, niſi tamen vinum in vappam ſeu acorem tranſierit; non minùs tamen Sapientes judicandi, qui recenti utuntur vino, ſi defæcatum fuerit; hoc enim vini genus plus nutrit, multòque plus ſpiritus ab eo elicitur. Non mediocri autem oblectamento Vobis erit Studioſiſſimi Juvenes ab antiquis lectionibus ad novas migrare, à Sylvis poſt longam venationem ad culta Novalia, unde amplæ ſegetes haberi poſſint, ſic quotieſcunque ad Veterum Menſas, ubi aliquantò craſſiores Cibi offeruntur Vos ſaturos noveritis, liceat Vobis ad Scriptorum noſtræ ætatis Sympoſia divertere, ubi elegantiores & ſapidiores præſto ſunt epulæ, quæ magis ad ſtomachum faciunt, & concoctu faciliores ſunt.

Neque vero cuiquam ex Vobis, O. D. pudori ſit ſuis opinionibus, quas diu foverit, interdum nunciam remittere, ſi ad lydium veritatis lapidem non ſatis reſpondeant; perſæpè enim fit ut nonnulli id, quo imbuti fuerint arctè retineant, vel quia vereantur, ne inconſtantes, ac transfugæ dici queant,

Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ (*c*)
Imberbes didicere, Senes perdenda fateri.

Non deſunt Doctiſſimorum Virorum exempla, qui opinionibus ſuis, quas falſas deprehenderint, non ſolùm valedixerint, ſed retractationum libros ediderint, uti inter Sacros Scriptores D. Auguſtinus, ac inter noſtros F. Plempius, qui eam, quam de ſanguinis circulari motu doctrinam evertere contenderat, ſolidis rationum momentis ſtatuminare conniſus eſt, adeò verum eſt ſæpènumerò fieri, veluti ajebat Terentianus Senex, (*d*) *ut illa, quæ te ſcire credas, neſcias, & quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.*

Exemplaria igitur, tum vetera, tum nova *Nocturna verſate manu, verſate diurna*, & quidquid bonæ frugis illis ineſt, ſine partium ſtudio, colligite atque aſſervate. Fas ſit Veterum Sapientiam admirari, non ita tamen ut noſtrorum temporum deſpiciantur ingenia; ceſſent tandem odia, ceſſent convitia, quibus utraque pars damnatur, neutra abſolvitur. Suus apud vos novis Scriptoribus qui Medicinæ pomœria tam amplè tam feliciter protenderunt, perſtet honos & cultus; Priſcis quoque Auctoribus, quorum humeris nos inſidentes tam longè proſpeximus, ſuus habeatur

(*a*) Celſus lib. 1. cap. 1. (*b*) Plaut. in Prologo Caſinæ. (*c*) Hor. lib. 2. Epiſ. (*d*) In Adelph. Actu pr.

beatur honos, & gratia. Licet autem illi humani aliquid interdum paſſi fuerint, erronea quædam dogmata tradendo, non idcircò deſpuenda ſunt illorum opera, tanquam prorſus infrugifera; fateri enim licet ingenioſa fuiſſe, in tanta tunc temporis obſcuritate, illorum figmenta, quibus ſi non laus, ſaltem neque debeatur contemptus. Lubet hic referre Plinii Junioris verba, quibus amicum ſuum in Achajam proficiſcentem admonitum voluit, ut ſuſceptam Provinciam rectè adminiſtraret *ſuus apud te*, (b) ajebat ille, *ſit honos Antiquitatis, ſit ingentibus factis, ſit Fabulis quoque.*

(a) Plin. lib. 8. Epiſ. 24.

ORATIO OCTAVA,

Habita die 5. Novembris, Anno M. DCC. VI.

In Medicina facienda remediorum ſimplicitatem Operoſæ Compoſitioni præferendam.

QUotieſcunque mecum ipſe A. N. ad eam Facultatem, quàm publicè profiteri datum eſt, animum adverto ac perpendo, quàm gravis, quàm numeroſa morborum cohors humano generi incubuerit, atque illud malè plectat, ex adverſo autem quàm parum firmis præſidiis ad tot hoſtes propulſandos Natura nos communierit, magna equidem me corripit commiſeratio, tum mortalitatis noſtræ, cui à tam infeſta, & ſubdola ſtirpe nulla unquam pax fida, nulla ſecuritas, tum Medicæ Artis, quæ cum non ſemper præſtare valeat, quod acerbiùs interdum ab illa exigitur, probris, & conviciis paſſim impetitur, quaſi Ars illuſoria ſit, aut adeò infirma, ut & ipſa quoque medela indigeat. Scitè quidem ac eleganter pronunciavit olim egregius Scriptor, *Natura infirmitatis humanæ tardiora eſſe Remedia, quàm mala:* (a) quod dictum mehercle, quamvis ab Auctore ſuo ita fuerit prolatum, ut ad res quaſcunque, tum publicas, tum privatas accommodari queat, rei medicæ tamen adeò proprium eſt, ut cuncta Remedia, quæ hactenus excogitata, & reperta fuere, ad congrediendum cum morbis non niſi claudo pede incedant. Febris Furiarum maxima funereis facibus armata, quàm properè humana corpora depaſcitur atque abſumit! at præſidia, quæ ad febrile incendium ſi non exſtinguendum, ſaltem ſufflaminandum opponimus tantò tardiora ſunt, quantò unda eſt tardior igne. Simplex afflatus apoplecticus fulminis ad inſtar hominem, utut robuſtum, temporis momento exanimat, atque proſternit; quale autem habemus Remedium licet de volatilium familia, quod tàm gravis affectus in agendo pernicitatem æquare valeat? In iis quoque morbis, qui lentè, & laneo pede, ut dici ſolet, procedunt, antequam erumpant, & diritatem ſuam prodant, qualis eſt hydrophobia ex rabidi canis morſu, ſtupet attonita Ars Medica, & plerumque neſcit quomodo venienti morbo occurrat. Ita eſt profectò A. O. ſingula percurramus morborum genera, vero veriùs deprehendemus tardiora eſſe Remedia, quàm mala. Verum iſtud etiam utcunque ferendum eſſet, quando in Orbem terrarum, ceu in arenam hac lege deſcendimus, ut nobis levi Armatura inſtructis cum truculentis morborum feris continuò ſit depugnandum; at quod magis dolendum, & diſſimulare non liceat, eſt quod non rarò noſtra culpa fit, ut tardiora ſint Remedia, ſi malis conferantur, quam quòd revera

(a) Tacit. in vita Julii Agricolæ.

vera talia sint nata, dum illa ad invicem permiscendo, confundendo, corrumpimus, eviramus, ac talia reddimus, ut cum intra vitæ hospitia fuerint admissa inter se potiùs, quàm cum Morbo, & causa morbifica pugnam ineant. Providè quidem ac satis benignè Natura nobiscum egerat, dum nobis quidem ignoto, sed subtilissimo magisterio innoxia Remedia elaboraverat, imò notis quibusdam, & lineamentis distinxerat, ut facilè, & ipso obtutu peritus Observator posset internoscere, qualem plantam sibi cognatam, & medicatricem pars quælibet corporis fuerit sortita, nisi in nostram perniciem convertere lubuisset; quæ in salubritatis gratiam fuerant fabrefacta. Jam tenetis video, O. D., quid velim, quid mediter, non nisi scilicet, ut quando Practicæ Medicinæ tradendæ mihi munus incumbit, rationum momentis ostendam, in aggredienda morborum curatione, Remediorum simplicitatem nimis operosæ compositioni præferendam.

Medicinam solius Divinæ beneficentiæ, ad malorum, quibus conflictamur lenimen aliquod, donum esse, ex sacrorum Codicum testimonio satis constat; quod ipsum Ethnici quoque sensere, qui proverbiali dicto Medicamenta Θεῶν χεῖρες, h. e. Deorum manus appellarunt. Non sunt ergo Medicamenta humanæ conjecturæ Opus, si Divinum sunt Magisterium; ad Medentium solertiam solummodò spectaret amplum Naturæ Regnum perlustrare ac diligenter scrutari, quænam sint Remedia ad particulares corporis affectus sanandos nata, multiplici nimirùm experimento, & accurata observatione, uti olim priscis Medicinæ Parentibus laudabili instituto mos fuit. *Gloria Dei est rem celare, Gloria Regis investigare*, (a) sic olim humanæ Sapientiæ Promocondus Salomon. Summus rerum Opifex, tanquam ludens in Orbe terrarum, in sinu vegetabilium, Animalium, & Mineralium arcanas vires occuluit, ut esset hominibus unde ingenium, ac industriam exercerent, & rerum Virtutes absconditas in apricum eruerent. Ast minùs periti Artifices nobis videmur, nisi prælongas, ac interdum etiam scriptas à tergo Schedas apud ægros relinquamus, & in simplici quoque affectu non solum simplicia simplicibus, sed etiam composita compositis permisceamus. Non multum equidem hac in re absimiles sumus Pictoribus, qui sinistra manu tabellam, dextra pennicillum gerentes, toti sunt in permiscendis coloribus, hoc tamen discrimine, quòd illorum obtutui extemplò se prodit nova coloris species, nobis autem neque sensuum ministerio, neque ratiocinantis facultatis ope concessum est nosse tam facilè, quale sit concretum, quod ex confusanea Remediorum turba emergat.

Elenchum sanè magnum admittit, & mendosè colligit, quisquis ex qualitatibus, quæ rebus miscibilibus insunt, inferre velit easdem proportionatè in mixto corpore reperiri, cum in novo producto præter nativas qualitates insigniter fractas, persæpè aliæ omninò diversæ, interdum etiam virulentæ caput exserant. Ex binis liquoribus pellucidis, si unà permisceantur, corpus opacum fieri satis vulgare experimentum est, ut in scriptorio atramento. (b) Binas pariter fluidas substantias in ipso permixtionis actu in solidum corpus concrescere, Offa helmontiana demonstrat. (c) Aurum ex sui natura vim fulminandi non habet, cum spiritu nitri fulmineam potestatem adsciscit. Argentum vim purgatricem non possidet, cum eodem nitri spiritu vehemens hydragogum evadit. Ex variis salium generibus, quorum usus seorsim innoxius est, parari aquas stygias & fortes, ut vocant, acerrimum venenum, satis vulgatum est. Imo quod magis mirere, bina venena consociata quandoque in Antidotum migrarunt; quale exemplum habet Ausonius de muliere, quæ cum zelotypo marito toxicum propinasset, ut necem magis acceleraret, argentum vivum superaddidit, ex quorum miscella & luctamine; miserando illi inexspectata salus obortа est. Quid porrò magis palam facit, quanta mixtionis sit dynamis, quam pulveris pyrii compositio? Conflatur hic, ut norunt

(a) Proverb. cap. 25. (b) Boyle in Phil. Expe. (c) Etmullerus Pyrotech. Ratio. cap. 2.

omnes, ex ſulphure, nitro, & carbonibus; ſulphur lentè conflagrat, nitrum ab igne reſilit, carbones accenſi ſcintillas projiciunt. At iſthæc invicem diſcreta quid admirandi continent! Ex horum tamen permixtione cum proportione quadam tale productum ac tantarum virium exſurgit, ut niſi periculis noſtris, atque hac tempeſtate magis qua ferali bello tota exardeſcit Europa, experiremur quid poſſit, tale portentum Atellanis fabulis accenſeremus. (a) Profectò ſi Virgilius tale id ſciſſet, neque Salmonea dementem, neque fulmen non imitabile dixiſſet. Quàm cautè igitur, quàm circumſpectè in pharmacia adminiſtranda procedere debet bonus Medicus, cavendo à tumultuaria medicaminum mixtione, unde ignotarum virium concreta emergant, immo interdum Monſtra, non ſecus ac in Africa ex ferarum diverſi generis coitione; quæ Medicamenta cum Stomachum, qui campus Martius eſt, ubi exercentur graviores pugnæ, ſubierint, quos tumultus, quales turbas interdum non cient? Præterea cum ad rerum craſim, & texturam immutandam, & invertendam multum polleat fermentatio, atque ubi rerum diverſæ indolis fiat permixtio hæc præſto ſit, non immeritò ambigere licebit, noxia ne, an ſalubria futura ſint hujuſmodi remedia, præſertim ſi exhibeantur, abſoluta nondum fermentatione. Sic in cubiculis, ubi Ægri decumbunt, ſuper menſas magno apparatu inſtructas non rarò videre eſt mixturas ex variis cardiacis ad malignitatem præcavendam, vel abigendam in febribus præſcribi ſolitas, in tumorem attolli, & è vaſculis ipſis effundi, Ægris ipſis, qui rem hujuſmodi ſpectant, non parum ſtomachantibus. Haud ſecus cum ſimplicia corpora per menſtrua ſolvantur, ut Extracta, ac Magiſteria haberi poſſint, non tam facilè, ex ingenua quoque Chymicorum confeſſione, (b) menſtrua à ſoluto corpore ſeparari poſſunt, ut aliquid de illis non ſuperſit. Quid verò ſi ad hæc ignis tortura accedat? Ignem magnum Analyſtam, & rerum corruptorem appellavit Helmontius, at propiùs vero acceſſiſſe viſus eſt Plinius, qui tanquam Chymiſta ſcepticus dubium eſſe ſcripſit, (c) num ignis *plura abſumat an pariat, & aliud eſſe quod primis ignibus, aliud quod ſecundis, aliud quod tertiis gignitur.* Cur ergo ſi veri ſpecimen aliquod habent iſta in Medicina facienda, Remediis compoſitis non præferantur ſimplicia tot caſibus, tot mutationibus, haud quaquam obnoxia?

Sit autem, quod non diffiteor, Remedia iſta quæ proſtant ad normam, ac leges, quas Officinarum Diſpenſatoria præſcripſerint, exactè & ſcrupulatim fuiſſe compoſita, & juxta proportiones omnes tum Geometricas, tum Harmonicas (cum in ſubſidium Muſicam quoque advocarint medicaminum fartores, ut in Theriaca diateſſaron) an propterea cenſendum leges hujuſmodi aliquo Numine afflante Logiatris, qui eas tulere, fuiſſe dictatas, ut ſi qui illarum abrogationem intentare velit, tanquam violatæ Religionis reus habendus ſit? Illa equidem præſidia, quæ parens Natura, ſeu Naturæ Auctor fabrefecit, in pondere, numero, & menſura facta fuiſſe credendum eſt, ac ejuſmodi ſtructura, ut mechanica quadam neceſſitate, particulares quoſdam effectus edant, quos magis admirari, quàm intelligere, & imitari poſſumus. Cum autem non levi compendio à ſimplicibus, interdum etiam intra pomœria ipſa prognatis, impetrare liceat quidquid fucatis titulis polliceantur nimis operosè ex variis rebus non tam ſolo diverſis, quàm viribus inter ſe adverſis conſarcinata medicamenta, cur decumbentium vires, & patrimonium fatigabimus?

Neque obtrudat quiſpiam non omni prorſus noxa carere ſimplicia, ideoque aliarum rerum permixtione corrigenda, caſtiganda; caſtiganda utique etiam ipſa ſimplicia, ſed non ſecùs ac triticum, ex quo panis conficitur caſtigari ſolet, dum ſub verſatili mola in pollinem teritur, dum ſimilago à furfuribus ſecernitur, dum fermentatur, dum paſta pinſitur, dum coquitur. Et qua rerum permixtione totum hoc opus perficitur? non niſi ſimplicis aquæ affuſione; quòd verò animadverſione

(a) Æneid. lib. 6. (b) Sennert. de Conſ. & Diſſ. Chym. cum Gal. c. 19. Etmul. in Pyrot. Rat. (c) Lib. 3. cap. ult.

verſione dignum eſt, panis omnem ferè alienam mixturam reſpuit, nam ſi cum melle, ſaccharo, butyro, ovis, aliiſque rebus hujuſce generis paratus fuerit, quantum ſalubritatis illi decedit! licet autem ad unam vel alteram diem palato gratior ſit dulciarius hic panis, quàm denſus poſtmodum, quàm oneroſus ſtomacho evadit? ſic neque Vinum ad hilarandas menſas accedit, niſi prius muſtum ruſtico pede ab uvis expreſſum, in tinis efferbuerit, in doliis deſpumarit, ac defæcatum fuerit? quòd ſi præ nimia ſpirituum copia turgeat, & Capiti noxam aliquam minitetur, aut lympha, aut ſacco franguntur illius vires. Idem quoque fiat de ſimplicibus Remediis illa à ſordibus expurgando, infundendo, macerando, decoquendo, ſuccum exprimendo, & conſimilibus aliis modis. Quòd ſi de maritandis ſimplicibus libido aliqua ſubeat, id cautè fiat, ut non alienigenis, & exoticis tam facilè jungantur, ſed iis quæ de eadem ſint cognatione. Ut autem juſta emendatio, & correctio Medicamenti habeatur, ritè perſpectam, & exploratam neceſſe eſt habere Naturam, tum illius quod emendari debet, tum ejus quod pro corrigente adhibetur; perſæpe enim fit, ut hiſce corrigentibus, Medicamenti nativa virtus, aut nimis obtundatur, aut plus quàm par eſt exaltetur. Ad quot ſecula creditum eſt Opii vim narcoticam calidiorum aromatum permixtione corrigi, atque cicurari, ut in Philoni Romani aliorumque opiatorum præparatione, cæca ſcilicet perſuaſione per traducem ad noſtra ferè tempora deducta, qua credidere Majores noſtri vim Opii ſoporiferam in excellenti frigoris gradu eſſe poſitam.

Nolim tamen quis putet conſuetudinem hanc Medicamenta miſcendi & remiſcendi traduci mihi tanquam ſeculi vitium, & impoſturam; perantiquus enim mos eſt hujuſmodi, & ſola antiquitate defenditur, qui primùm in Græcia poſt Hippocratem caput extulit, ac poſtmodum apud Arabum Scholas maximè inolevit, & exinde totam Medicam Rempublicam contagione quadam pervaſit. Conſuetudinem hanc eleganter expreſſit Poëtarum Princeps, dum Medicum quendam nomine Japidem deſcriberet, Pæonium in morem ſuccinctum, ac ſatagentem ut ſagittam infixam evelleret, qua Æneas in acie fuerat ſauciatus, idque cum fruſtra pertentaret, tenaci forcipe telum infixum trahendo, & vulnus blande fovendo ex variis herbis fotu parato, Venus Dictamnum creticum balneo permiſcendo effecit, ut ſagitta manum ſecuta nullo cogente excideret.

Hic Venus obſcuro faciem circumdata nimbo (a)
Detulit, hoc fuſcum labris ſplendentibus amnem
Inſicit, occultè medicans, ſpargitque ſalubres
Ambroſiæ ſuccos, & odoriferam panaceam.

Non ita verò Homerus, (b) cujus ævo forſan ſimplicior, ac propterea ſalubrior erat medendi ratio; (c) Helenam enim deſcribens celebre illud mœroris, & luctus Pharmacum, h. e. Vinum Nepenthes parantem, ut Menelao, ac Telemacho Ulyſſis Filio graves curas ob longam nimis peregrinationem conſopiret, illam finxit radicem Oenopiæ in vino infundentem, qua planta in Ægypto à Polydamna Regis Thonis uxore fuerat donata.

Αὐτίκ' ἄρ' ἐς οἶνον βάλε Φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον
Νηπενθὲς τ' ἀχολόντε κακῶν ἐπὶ λήθην ἁπάντων. ἐπίλη

At ſi modò languenti ægro medicatum aliquod Vinum eſſet præſcribendum, minùs ritè paratum habebitur, niſi in illo infuſæ, & ad putrilaginem uſque fuerint maceratæ plantarum diverſi generis radices, folia, flores, fructus, ſemina, aromata, ſummatim integra remediorum ſylva, irrita ſanè diligentia, qua numerus computatur, qua virtus, & pondus quæritur; Verùm uſus obtinuit, ut in omni penè morbo miſcellana Remediorum turba, quam non immeritò arenam ſine calce quis dixerit, in Scenam producatur, ac pudori ferè ſit Schedam aliquam ad Seplaſiarium deferendam, & in propatulo collocandam conſcribere, niſi celebre illud *Miſce* tanquam publicum Pharmaceutices ſigillum fuerit appoſitum.

Non poſſum, fateor, non mirari quomodo

(a) Lib. 12. Æneid. (b) Odyſ. Lib. 4. (c) Vid. Lang. Lib. 3. Epiſt. 6.

Medentium ferè quiſquis tam ſeverè tam religioſè in alendis Ægris victus ſimplicitatem ſervandam velit, ut ſiquid hac in re ab aſſidentium indulgentia peccatum fuerit, ad ravim uſque clamitet ac proteſtetur ſibi culpæ minimè vertendum, ſi quidquam ſiniſtri contigerit; in adminiſtrandis verò Remediis, quorum vires perſæpè non ſatis ſunt perſpectæ, & ſtomacho inſuetæ, nullum non mixturarum genus tam fidenter in uſum revocet. Profectò quantùm ad Vitæ longævitatem, ac integram valetudinem ſervandam conducat victus ſimplicitas, nemo non novit, ac ſatis palam faciunt veteres Eremicolæ, qui ſolis herbis, & palmarum fructibus victitantes, ad integrum ſeculum vitam producebant, id ipſum quoque teſtantur ruſticani homines, quibus, ut ajebat Virgilius:

Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus (a)

Non ſic autem urbanæ gentes, ac præſertim nobiles, & principes Viri, qui quodcunque cupediarum genus elementa per omnia quærentes, graves ſibi morbos accerſunt, & in medio vitæ ſtadio in Orci familiam deſcendunt. Rectè quidem in hanc rem Venuſinus Poëta:

Nam cum ſimul aſſis (b)
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita.

Neque ſola ciborum varietas morborum nutricula eſt, ſed & potus quoque; ſic vina celebriora, variis ex locis conquiſita, veluti Hiſpanica, Gallica, Italica, quibus in conviviis ſe proluunt Proceres, cum Stomachum ſubierint, non minùs inter ſe diſſident, ac tumultuantur, quàm nationes, ac populi unde fuerint advecta. Aqua ipſa, qua nullus potus ſimplicior eſt, tunc magis commendatur, cum ſaporis, odoris, & cujuſque peregrinæ qualitatis expers eſt; ſic aquam illam ob puritatem ſuam adeò celebrem, quam M. Agrippa Romam deduxit, Virginem appellarunt, quia, referente Plinio, (c) herculaneo rivo in prænestina via ſe commiſcere reſpueret. Sic magnorum fluminum aquas ad potum inſalubres eſſe, (d) litteris prodidit Magnus Hippocrates, ſiquidem cum magna flumina, velut Eridanus, Rhenus, Iſter, variis ac diverſis fluminibus in unum confluentibus magnitudinem ſuam acceptam referant, non poſſunt non habere aquas difformes, & inæquales, prout variis ex locis varios ſapores combiberint; aquas hujuſmodi propterea divinus Præceptor non ineleganti vocabulo *diſſidentes* appellavit. At ſi ad ſanitatem ſartam tectam ſervandam adeò conducit cibi & potus ſimplicitas, cur ad amiſſam redimendam feliciorem operam non præſtabunt ſimplicia, quàm compoſita Remedia? An ſi humorum ſaburram, vel cato, vel ano educere animus ſit, deſunt in ſimplicium claſſe Cathartica, Emetica, atque etiam Minorativa (ſit verbo venia) h. e. Medicamenta alvum blande ſolventia, quo remedii genere non caruere veteres Medici, (e) qui lenientia ſyrneſmos appellabant? An ſi particulare aliquod Viſcus, uti Caput, Stomachum, Hepar, Lienem, Renes, aliaſque partes roborare, iiſque tonum ſuum reſtituere mens fuerit, è ſimplicium Regno non ſuppetunt Cephalica, Stomachica, Hepatica, Splenetica, Nephritica præſidia? An ſi de veneno propinato, vel ingenito, ſive per ferarum morſus illato agatur, ad Theriacam, ſatis tutum eſt confugium, tanquam ad unicum Alexicacon herculeis viribus inſtructum ad venenum quodcunque perdomandum, ac potiùs, ſi veneni conditio innotuerit, à ſingularibus, & ſpecificis non quæratur auxilium? Abſit autem ut hujus tam celebris præſidii exiſtimationi & famæ ubique gentium quidquam detractum velim, ſolùm innuere liceat Theriacam, quamvis in illa tot ſint congeſta alexipharmaca, non eſſe univerſale Antidotum, cum ſatis conſtet in acri, (f) & rodente veneno noxiam illam eſſe, & longè majora beneficia è ſimplicibus remediis, uti è lacte, & oleoſis ſubſtantiis obtineri. Nomine autem

(a) Georg. l. 1.. (b) Horat. ſermo. lib. 2. Satyr. 2. (c) Lib. 31. c. 30. (d) De aëre, aquis, locis. num. 21. (e) Lang. lib. 1. epiſt. 17. (f) Vide Vallel. in 7. Epidem. num 79.

autem ſimplicium nequaquam intelligi velim ea ſola, quæ nobis è vegetabilium familia, ſed etiam illa, quæ ex animalium, & mineralium claſſe abundè ſuggeruntur, quæ ſingula recenſere nimis longum eſſet. Sicco tamen pede thermales aquas præterire non licet, quas tam larga vena ubique terrarum Natura profudit, quas inter primas tenent Aponitanæ, tum antiquitatis jure, tum ob divinas, quibus excellunt virtutes, (a) quando Claudianus illas *commune Medentum auxilium, & præſens Numen appellavit*, cum omnia penè mala, quæ Artis magiſteria eluſerint, ad haſce medicatrices undas, tanquam ad lethea pocula feritatis ſuæ oblita conquieſcant. Vetus tamèn ſcabies miſcendi, ac remiſcendi Medicamenta non ſinit interdum ut ſacri thermarum latices, quales Natura protulit, ægris potandi exhibeantur, cum aliquando Thermales aquæ variis è Scatebris, & diverſæ facultatis eductæ ſimul commiſceantur, ſive alicujus ſpiritus, ut vitrioli, ſulphuris, aut alicujus acidi ſtagmatis affuſione ut diureticæ fiant, depraventur, conjectura non prorſus improbanda, quòd hoc pacto conflari poſſint aquæ ſtygiæ, & rodentes. Suppeterent quam plurima alia argumenta, ſed vereor ne prolixitate nimia favorem veſtrum minùs demereri poſſim; pauca tamen per humanitatem veſtram adhuc proferre liceat, ut quod mihi ab initio fuit propoſitum planè evincam. Quam diu à peritioribus Artis Magiſtris inſudatum eſt, ad Febrifugum aliquod conflandum, ex triplici Regno materia petita? at omnes hactenus illorum labores, fruſtrante diligentia, in irritum ceſſere, & ſi aliquod antipyreticum in illorum monumentis exſtat, non niſi ſub grypho deſcriptum legitur, ut Delio natatore opus ſit, ſi mens Auctoris ſincera habenda ſit. Solus Peruvianus cortex, nobis à Divina beneficentia munus conceſſum, ſine alterius rei mixtura in qualibet Regione, quocunque anni tempore, ætate, ſexu, temperamento, Febres ſaltem recurrentes atque intervallatas fugat, & exterminat; quanquam non defuerint, qui hieron hoc picron ex Arbore Vitæ decerptum temerare pertentarint Opio; aliiſque rebus adjectis, ut ſolitis mangoniis vulgo imponerent. Ex eadem Peruviana Regione poſtremò ad nos deferri cœpit radix quædam Ipecacaunha dicta, ſingulare ac plane divinum Remedium ad fluxus dyſentericos perſanandos, quod morbi genus, utpote epidemicum Urbes, & Agros depopulatur, ac interdum magnos Exercitus non ſolùm decimavit, ſed prorſus delevit. Ad Luem veneream, Monſtrum horrendum ingens perdomandam, quodnam Guajaco præſtantius habemus Remedium? Hoc ligno in aqua ſimplici infuſo ac decocto celticam labem quolibet alio Remedio ferè ineluibilem mirificè abſtergimus, ac defædatis corporibus priſtinum nitorem conciliamus. Haud ſum neſcius decocto ex Guajaco multa alia admiſceri ſolita, aſt id fieri exiſtimo ex veteri intemperie Medicamenta permiſcendi, cum ea, quæ hoc ligno incoqui ſolent, reddere quidem poſſint potionem minùs gratam, ſed non magis ſalubrem. Hinc nunquam ſatis dignè commendandum Antonii Galli conſilium, qui cum ſua quoque ætate prophanari hoc remedium multarum rerum permixtione obſervaret, idque ſine ſtomacho perferre non poſſet, Librum *de Ligno Sancto non permiſcendo* conſcripſit. Sicubi ergo multiplici, ac fido experimento medicamentorum, quæ ſimplicia vocant, & quorum tam magna eſt ſupellex, ſatis perſpecta fuerit Virtus, prudentis ac ingenui Medici erit talia Remedia in curandis ægris illis præferre, quæ nimis ſtudioſè parata varias metamorphoſes ſubierint. (b) Noſtris tamen temporibus gratulari licet, quibus multis antiquatis opinionibus valere juſſis, analyſis potius, quàm ſyntheſis curæ eſt, & ſaniori conſilio uſui eſſe incipiunt dona incorrupta divinæ Parentis & artificis Naturæ, quæ ſicuti ad lampadem vitalem ſuſtentandam Alimenta nobis liberaliter indulſit, ita ad morbos profligandos Medicamenta abundè ſuggeſſit, & propriis manibus concinnavit.

(a) Claudianus de balneis aponitanis. (b) Ledel. Ephem. Germ. Decur. III. Ann. 19.

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P.F. Vicenzo Maria Mazzoleni Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Orationi di Bernardino Ramazzini Publico Profeſſor dello Studio di Padoa* non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, & buoni coſtumi; concedemo Licenza à Gio. Battiſta Conzato Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 20. Luglio 1708.

(
(Girolamo Venier Kr. Proc. Ref.
(Marin Zorzi Ref.

Agoſtino Gadaldini Segr.

ORATIO NONA,

Habita in Patavino Lyceo Die 5. Novembris, M. DCC. VII.

THEORICÆ MEDICINÆ,

Nullum Jus eſſe, ut ſupra Practicam Dominatum affectet.

QUemadmodum pro civilis ſocietatis recto regimine, cujus beneficio à ferarum victu diſpeſcitur humanum genus, varia inſtituta fuere Politiæ genera, ita ut modò unus, modò plures ſimul dominatum exercerent, ita pro regenda humani corporis Valetudine, quæ unicum in terris bonum eſt, quando non eſt vivere vita, ſed valere, idem pariter eveniſſe arbitrari licet A. O. Ab ipſius Mundi primordiis cum primo noſtro Parenti poſt lapſum, ac exinde illius poſteritati inſudandum fuit, ad victum, ſive terram exercendo, ſive venando, ſive opere paſtoritio, ſibi comparandum, variæque aëris, tum æſtus, tum frigoris intemperantiæ ſubeundæ, ac propterea primævum illud virium robur infringi, & infirmari cœptum eſt, erumpente infeſta morborum ſegete, ſola Medicina Practica tutandæ, & reparandæ ſalutis Jus ſummum, & arbitrium ſibi adſcivit, & ad multa ſecula non improſperè exercuit. Comparata itaque varia remediorum ſupellectile ſimplici tamen, utpote è vegetabilium cenſu deprompta (cum nondum itum eſſet in Terræ viſcera, neque ea, quæ altè Natura recondiderat in apricum fuiſſent eruta) primam ſuam ætatem ſatis placidè, & feliciter traduxit Ars Medica, tunc temporis Ars verè muta, ſilente omninò Theorica. Aſt ubi mortalium mentem ſciendi œſtro inſita vi flagrantem rerum naturalium cauſas inveſtigandi cupido, ſemper tamen laudanda, inceſſit, tunc primùm remediorum, quæ ſalubriora fuerant comperta, quæſita eſt ratio, & naſcentium in dies morborum attentè

tentè obſervari cœpta eſt indoles, & ingenium. Paulatim igitur Practicæ Medicinæ ſe comitem addidit, & ſocias vires junxit Theorica, reverenter tamen circa illam tanquam Parentem ſe gerens, rationem quippe facto, non factum rationi accommodans. Verùm temporis progreſſu, ac potiſſimum ob raram, & admirandam exacti nuper ſeculi felicitatem; propter tot glorioſa Inventa majores nido pennas extendens, adeò in ſublime ſe evexit, ut comitem ſuam multis paraſangis poſt ſe videatur reliquiſſe. Modò igitur ſola Theorica admirationi eſt, ſola commendatur, ac potiſſimum excolitur, jamque ferè nemo eſt, ſive Philoſophus, ſive Philomathes, qui de humani Corporis ſtructura, & partium uſu, qui de cujuſque morbi vel exotici natura, & indole, qui de remediorum poteſtate, ac illorum in humanis corporibus operandi modo diſertè, ac nervosè differere, atque etiam ſcribere, ſi velit non poſſit, licet medendi uſum non teneat magis, quàm navigandi modum, qui Nauticam ex Libris tantum didicerit. Hæc itaque Facultas adeò culta, adeò ſplendida, ut fulgore ſuo reliquas Artes prægravet, Dictaturam, & principatum ſupra Practicam videtur affectare, ac licet Mundo poſterior nata alteri antiquiſſimæ, & cujus fortunæ antea velificabat, gubernaculum è manibus jam jam tentat eripere, leges, & operandi modum illi vel è longinquo præſcribens. Mihi igitur in hoc ampliſſimo Scientiarum omnium, & Artium Emporio Practicam Medicinam profitenti, æquum viſum eſt coram Vobis tanquam æquiſſimis Judicibus hodierna hac mea Oratione cauſam hanc agere, ac rationibus, & exemplis palam facere, non eſſe Theoricæ Medicinæ Jus ullum, ut ſupra Practicam deſpoticum dominatum ſibi depoſcat, ſed potius optandum, ut ambæ hæ humanæ felicitatis Præſides ad invicem fœderatæ mixtum exerceant ex æquo imperium.

Quàm facilè, ac frequenter ratiocinia noſtra, utut ingenioſa, ac penè apodictica nobis illudant, ac imponant, non paucis exemplis, cum iis ex rebus, quæ ad naturales ſcientias, tum quæ ad Civilem prudentiam ſpectant, demonſtrare poſſem ſi vellem. Quid, precor, in Philoſophorum Scholis majori plauſu exceptum, & conſtantiùs retentum, quàm ſimplicium corporum, ex quorum mutuo complexu omnia primò conflentur, & in quæ omnia demum ſolvantur, excogitatus ille quaternio, ex eo deductus, quòd duo ſint corpora, quæ ex ſua gravitate deſcendunt, veluti Terra, & Aqua, alia duo, quæ ex inſita levitate ſurſum petant uti Aër, & Ignis? Aſt hujuſmodi doctrina de Elementorum numero, de credita quorundam corporum levitate apud Eruditos modò quid inaniùs, quid leviùs? Omnia corpora, quæcunque ea ſint, à propria gravitate deorſum ferri, & urgeri, nihil autem ſurſum niſi ab aliena vi efferri extra omnem dubitationis aleam exſiſtit.

Ne tibi dent, timeo, flammarum corpora fraudem;
Nec cum ſubſiliunt ignes ad tecta domorum,
Sponte ſua facere id ſine vi ſubigente putandum eſt.

Sic olim quoque Lucretius de rerum natura; (a) quot Mundi Syſtemata humanæ mentes hactenus cudere, quæ fidem & ſuos Cultores promerita ſunt? Niſi ſacrorum Voluminum auctoritas piorum mentem inter obſequii repagula coërceret, pauci forſan eſſent, qui in eam non irent ſententiam, quæ ſtatuit Terram, cui inſiſtimus, aſſidua rapi vertigine, Solem autem in Mundi centro regia majeſtate immotum ſtare; adeò benè omnibus phænomenis in hoc Syſtemate reſpondet Planetarum Theorica. Porrò quam ſæpè in rebus tum publicis, tum privatis, nos fallant noſtra conſilia ad prudentiæ libramentum licet expenſa, Veterum monumenta, & quotidiani caſus abundè loquuntur. Satis ſit in hanc rem dictum illud Bruti, qui poſt Cæſaris necem pro aſſerenda Patriæ libertate patratam, cum omnia benè conſulta male ceſſiſſe adverteret, ferrum manu ſtringens, quo ſibi mortem conſciſceret, exclamaſſe fertur. (b) *O miſera Virtus ergo fabula eras, ſeu verba,*

(a) Lib. 2. (b) Dionyſ. Halica. L. 47.

ba, & ego te uti rem colebam, & exercebam, verùm fortunæ serviebas.

Haud aliter in Arte Medica, Arte, si qua ulla est, planè conjecturali, ut in qua non secus ac in militari, & navigatoria solet fortuna ludere, passim contingere videmus; non rarò quippe evenit, ut ea, quæ ad morbum aliquem oppugnandum ritè, & ad medicas leges fuerant sancita, ut neque Hippocrates ipse potuisset meliùs, in ipso conflictu eventum sortiantur adeo improsperum, ut suscepta consilia, si non apertè, tacitè saltem damnare necesse sit, & contrariam prorsus inceptæ curationi viam inire, (*a*) exemplo Antonii Musæ qui Augustum graviter laborantem contraria Medicina restituit: Habet equidem ea Medicinæ pars, quæ Theorica dicitur, specioſa theoremata, & universalia quædam effata, quorum merito scientiarum cœtui videatur posse accensèri, ast ubi ad tecmarsim, & curandos particulatim morbos velit descendere, non pauca illi obviam fient impedimenta, adeò ut persæpè reipsa præstare nequeat, quæ fidenter, & magnificè nimis spoponderat. Regionum, & locorum diversitas, varium, & multiforme alimentorum genus, quibus non tàm ad necessitatem quàm ad voluptuosam vitam utuntur homines, particulares in quibusdam Idiosyncrasiæ, Epidemicæ quædam morborum constitutiones, identidem recurrentes aliæque abditiores causæ, peritiores Medicos persæpè compellunt, ut elegantioribus ratiociniis nuncio remisso, sive fortunæ arbitrio, sive Naturæ nutibus cæco quodam modo auscultent, & morem gerant. Si popularis aliqua constitutio, uti febrium, pleuritidum, alvi fluxuum, aliorumque id genus affectuum vagari incipiat, quàm cautum, quàm circumspectum oportet esse Medicum! etenim, si quidquam sapiat, suspenso pede procedet, nec tam facilè, ut in morbis sporadicis ad magna remedia administranda descendet, nisi priùs attentè observarit, quo tenore natura procedat in iis curandis, quos sua sors non peremerit; novit quippe ea remedia, uti phlebotomiam, purgationes, febrifuga, aliaque id genus, quæ in una Constitutione contulerint, in altera licet simili, & in eodem specie affectu Ægros jugulasse. Eos propterea, quibus in hujusmodi Constitutionum principio ægrotare contigerit, sub infausto sydere natos vocare liceat, quorum periculo nimirum perdiscant Clinici, qualem postea in cæteris curationem instituant. Non ideò tamen is censeri velim qui putem, ratione neglecta, ab Eventu solummodo notanda esse facta, careat enim successibus qui ita sentiat; sit Eventus, uti apud Livium ajebat Q. Fabius Maximus stultorum magister, (*b*) si ratio constans, & immutabilis sit; ubi tamen de corio humano agitur, & ratio veri specimen aliquod tantummodo habeat, Eventum, & Experientiam, quæ Artem fecit, præferendam crediderim. In (*c*) longis quidem morbis, quos tempus ut facit, ita & solvit, *si omnia secundum rationem facienti non succedat, secundum rationem* non statim condemnetur, *si quid non statim profuit; in acutis autem morbis cito mutetur quod non profuit; liceatque experiri aliud, atque aliud.*

Novus aliquis morbus, uti aliquando evenisse legimus, caput offerat, quales turbæ excitantur, quàm gravibus logomachiis inter se dimicant celebriores Artis Antesignani! ut morbi non antea visi, neque apud Veterum quemquam adumbrati, indolem rimentur & rationalem medendi modum statuant; quod ferè tamen non assequuntur, nisi postquam Practica Medicina, aut casu, aut analogismo proprium & singulare remedium repererit, ac evulgarit. Jam duo secula effluxere, ex quo Gallicus morbus, Italiam primò in Neapolitano Regno, mox totam Europam dira contagione pervasit, & adhuc infestat, licet tandem mitior factus multum ferociæ & insolentiæ suæ dimiserit; si monumenta Scriptorum evolvamus, qui hujusce morbi historiam, & curandi modum tunc temporis tradidere, quæ somnia, quàm ineptas disceptationes in iis deprehendemus! Profectò in quibusdam illorum versandis vix risum, in quibusdam

(*a*) Plin. Lib 29. H. N. cap. 1. (*b*) L. 22. (*c*) Vide Heurnium l. 2, Apho 52. Celsus L. 3. cap. 1.

buſdam vix ſomnum tenere me fateor. In hanc rem id unum ſufficiat, valde plauſibilem fuiſſe illorum ſententiam, qui crederent Gallicam luem nil aliud eſſe, quàm calidam, & ſiccam Jecoris intemperiem, ex contrariorum regula facilè expugnandam. Simplex autem Guajaci in aqua decoctio non minus ad Theorias omnes, quas de hoc morbo veteres confinxerant, prorſus abolendas valuit, quàm ad Celticam labem eluendam.

Non abſimili ratione Peruvianus Cortex, celebre illud Febrifugum, cujus noſtra hac ætate tam frequens, niſi forſan nimius, & impudens eſt uſus, nondum medullitùs febris naturam nos attigiſſe palam fecit, cum ſat virium habuerit, (a) ut omnium Antiquorum de natura Febris Syſtemata è ſuo gradu dejiceret, & Recentiorum quoque Ideas omnes, quæ de hoc affectu hactenus prodiere, non parum dubias reddiderit, adeò ut inter ea, quæ adhuc deſiderantur non immeritò referri poſſit, ſcire quid verè ſit Febris. Sic Indorum Practica Medicina particularibus ſuis remediis ſuppetias indigentiis noſtris identidem ferens Europæorum Theoricam exercet, & fatigat.

Nolim tamen quis putet, velle me iniquo animo Theoricam, tanquam rem inanem, & nullius uſus hoc pacto traducere; illam enim ſemper maximi feci, & faciam, qua nimirum ſi careret Ars Medica manca eſſet, & imperfecta, ſed ea tantum mihi mens eſt, ut oſtendam non eſſe illi unde tantum ſe efferat, ut ſupra Practicam dominatum ſibi deberi exiſtimet, & illi præire velit, cujus veſtigia olim preſſit,

Ut rota poſterior currens, & in axe ſecundo; (b)

Etenim longè diverſum eſt ratiocinari, ac operari, atque aliud eſt Ægrum videre in lecto jacentem, aliud in libro deſcriptum; Vena tangenda eſt, atque obſervandæ magnæ illæ morborum tempeſtates, & inſultuum reciprocationes, quibus in ſuis lectulis tanquam in Euripo Ægri jactantur. (c) Frequentibus Exſtiſpiciis inſignium Profeſſorum exemplo in corporibus recens denatis, & adhuc calentibus luſtranda ſunt Viſcera, & partium nervoſarum fibrillæ, & capillamenta exploranda, hac ratione divinando, non res futuras, ut olim Haruſpices, ſed quænam fuerit morbi non ſat benè cogniti, & ſubitæ, vel non prænunciatæ mortis vera, & germana cauſa. Verus itaque Practicus totus operoſus eſt, & mente, & manu Naturæ librum conſulens, & evolvens, ut exinde magis ad agendum quàm ad dicendum inſtructior, & paratior eſſe valeat; Exſultet in ditione ſua quantum lubet Theorica, ſibi plaudat, & vires ſuas oſtentet, aſt in Practicæ fines transgreſſa ſibi temperet, & magna ſemper efflandi tumore omiſſo, agnoſcat qualis in ea provincia hoſpes illa ſit, & quanto temporis impendio conſtet fidelis, & ſolidæ Praxis acquiſitio. Quis autem, modò literarum ſtudiis fuerit inſtructus, ac puriorem Philoſophiam hauſerit, noſtra hac ætate, qua omnia complanata ſunt, ac ad Scientias omnes facilis patet aditus, quis, inquam, ſola ſelectiorum Scriptorum lectione in bonum Theoricum exiguo tempore, ſi velit, emergere non poſſit, quamvis Lycei fores nunquam ſalutarit, & neminem è ſubſelliis declamantem audierit? Seponat ergo ſecreta ſua ſtudia is, qui ſoli Theoricæ ſe totum mancipavit, & Libris dies noctesque impalleſcens vitam lucernariam degit, ſcire affectans quidquid tùm Veteres, tùm novi Scriptores dixerint (quando perſæpè noſtrum ſcire nil aliud eſt, quàm ſcire quid unus, & alter dixerit,) ſeponat inquam libros, & Medicæ Praxi ſe addicat, Noſocomia adeat, vicatim Ægros inviſendo, uti mos eſt, Clinicis, diſcurrere incipiat; qualis Tyro apud ægros, & Aſſidentes apparebit, præceptis ac documentis Scriptorum licet inſtructus, & ſaginatus? Stupens nimirum, ac attonitus ceu ineptus Artifex, ſuo indicio quaſi Sorex ſe prodet. Idem propemodum in experto Medico in aggrediendis morborum curationibus accidere crediderim, ac olim Declamatoribus in agen-

(a) Hac de re vide Bertinum in Defenſione Medicinæ. (b) Perſius Sat. 5. (c) Jo. M. Lanciſ. Archiater Pontificius de mortibus ſubitaneis.

dis cauſis. Illi etenim, qui privatis in locis declamare conſueverant, doctè licet, ac diſertè Controverſias ad lubitum ſibi fingendo, ubi primùm Forum ingrederentur, alicujus cauſæ patrocinium ſuſcepturi, conſpectu loci, & Judicum interdum ita perterrebantur, ut illos ex improviſo ſua Eloquentia deſereret, & Clientes potius, quàm Patroni cenſeri poſſent. *Proprius eſt Fori profectus*, (a) ajebat olim Oratoriæ facultatis magnus Inſtitutor, *alia lux, alia veri diſcriminis facies, pluſque ſi ſepares, uſus ſine doctrina, quàm citra uſum doctrina valeat; Ideoque nonnulli ſenes in Schola facti ſtupent novitate cum in judicia venerunt.* Quod igitur in judiciario Foro olim obſervari conſueverat, illud ipſum in Foro quoque Medico contingere videmus, ubi quis manus nondum medicas admovere velit ad venas tentandas, & pharmaca præſcribenda.

Faſces ergo ad Ægrotantium lectulos ſubmittat neceſſum eſt, doctus licet, & eruditus Theoricus, atque is præſertim qui recens ab Academia venerit, & paulò ante laureatus de gravioribus morbis facilem victoriam, ſibi ſpoponderit. Non ſatis eſt enim celebriora Hippocratis, Celſi, aliorumque Medicinæ Procerum documenta in numerato, ut dici ſolet habere, ut certo quis proferre poſſit, qualis ſit morbi, quem curandum ſuſcepit conditio, & ingenium, ubi nam cubet, cui parti exitium minitetur, qualem eventum ſit habiturus, & quibus præſidiis tentanda ſit oppugnatio: Pulchrum quidem eſſet ſcire etiam quæ ad medicam eruditionem ſpectant; ſed quemadmodum perito Nautæ indecorum non eſt, Marini fluxus, & refluxus cauſam neſcire, dummodo non ignoret, ubi ſyrtes, & ſcopuli lateant, & quomodo portum occupare oporteat: ita bono Practico nequaquam vitio vertendum, ſi quædam ignoret, quæ ad elegantiam potius, quàm ad ægrotantium ſalutem ſpectant.

Similitudines parere errores etiam bonis Medicis pronunciavit olim Magnus Artis Præceptor, (b) quod utique verum eſt, cum non rarò contingat, ut diverſi omninò ſpecie Affectus iiſdem ſignis, & Symptomatibus ſtipari ſoleant, ut Colica, & Nephritis, Galeno teſte, (c) qui ingenua confeſſione ſe deceptum fuiſſe ſcripſit, dum putaret ſe Renum dolore laborare, ac poſtea Colica paſſione ſe mulctatum fuiſſe deprehenderit; Aſt hujuſmodi Præceptoris dictum longè verius eſt in Theorico quàm in Practico, novit etenim bonus, & expertus Practicus quàm facilè ſit decipi, & quam difficile ſit Judicium, immò quam periculoſum Artis, & Artificis honori de morbi natura Judicium aſſeveranter proferre, atque illud propalam facere. At ſi hæc veri ſpecimen aliquod præferant, quanam ratione, quo titulo unquam Theorica primatum in Arte ſibi depoſcat? an quia conſilio, & documentis multum lucis Practicæ fœneretur, ac illi quodammodo facem præferat, ne ceſpitet, ne à recta ſemita deflectat? Aſt facem præferre miniſterium eſt non ejus qui dominetur, & imperet, ſed qui ſerviat. Multum quidem Theoricæ debet Practica, quis inficiari auſit? etenim benefacta malignè detrectare nefas eſſet, ſi tamen dati, & accepti inunda ſit ratio, in incerto erit quænam alteri plus debeat. Id tamen certum eſt bono Practico longè plus Ægrum debere, quam bono Theorico; eum enim, qui magis cum Ægris, quàm cum ſanis hominibus ævum traduxerit non tam facile fallent morborum ſub larva latentium monſtruoſæ facies, neque erroribus, tum in judicando, tum medendo ita erit obnoxius, ut his, qui legendo, ſcribendo, & declamando conſenuerit. Fidem autem meis dictis promereri mihi non viderer, niſi alicujus exempli appoſitione rem certam facerem. Ab humanitate veſtra itaque Ornatiſſimi Domini impetrare liceat, ut in hanc rem hiſtoriam oppidò curioſam, & memoratù dignam referam.

(d) Venetiis Anno ſeptuageſimo ſexto ſupra ſesquimilleſimum non adſpernanda peſtilentiæ ſigna ex improviſo ſe prodidere, cujus rei novita-

(a) Quint. Inſtit. Orat. L. 12. Cap. 7. (b) 8. in 6. Epid. (c) 2. de loc. affec. cap. 5. (d) Antonius Ricobonus in Gymnaſ. Patav. Lib. Quinto Cap. Quinto.

novitate Primorum Ordinibus, & tota Civitate perculsa, publicæ salutis custodiæ singulari diligentia invigilari cœptum. Verùm cum ob frequentiora in dies funera rumor hujusmodi percrebesceret, ac magnæ inter Medicos, uti mos est, obortæ fuissent circa morbi Naturam contentiones, aliis pestilentem morbum esse negantibus, aliis verò reclamantibus diram, & exitialem pestem esse, non multò post stragem ingentem edituram; idcircò inter hæc discrimina, & Medentium in re tam gravi disceptationes, ut decerneretur qualis esset revera grassantis morbi conditio, publico decreto Venetias acciti Hieronymus Mercurialis, & Hieronymus Capivaccius, Patavini Lycei duo tunc temporis clarissima lumina. Splendido itaque comitatu Venetias profecti sunt hi celeberrimi Viri, neque minori exspectatione ab universa Civitate excepti fuere, ac olim magnus Hippocrates ab Abderitis ad curandum Democritum evocatus. Munus ergo suum adorti vagante morbo ad severum examen juxta normam medicarum legum adducto, ac signis omnibus pestis, tum prophænomenis, tum epiphænomenis, ritè pensitatis, nec non partium inter se dissidentium rationibus utrinque auditis, ad Excelsum Collegium perducti, coram Sereniſſimo Principe sententiam suam tulere, nequaquam pestilentem esse, eam quæ vagabatur Epidemiam, ac liberè professi sunt se suis methodis, ac præsidiis morbum hujusmodi curaturos. Ad tam favorabilem sententiam pronis auribus exceptam, & palam factam magna anxietate, & metu illicò soluta est Civitas, quæ in summum gaudium effusa Soteres suos ad Cœlum usque efferebat. Verum intra paucos dies miserè pessum ivit malè concepta lætitia, etenim cum à solita diligentia lue infectos ad remotiora loca adsportandi desitum esset, exitialis ille morbus à Judicibus tantæ auctoritatis tanquam insons absolutus majori securitate in vulgus sævire cœpit, adeò ut anni unius spatio centum ferè hominum millia in Orci familiam demiserit; perhumaniter tamen erga suos Judices se gessit pestilens ille morbus, illis enim pepercit, ac indulsit, ut sospites, comitatu suo tamen, magna ex parte orbati, Patavium redirent; sic

Quæsitæ nocuere Artes, cessere Magistri, (a)
Phyllyrides Chiron Amythaoniusque Melampus.

ut olim Virgilius de Medicis in pestilenti quadam constitutione. Talem habuit exitum tantorum Virorum, tam magnifica, tam solennis ad Venetam Urbem profectio.

Absit autem ut hujusmodi narratione, tam insignium Professorum famæ, & existimationi quidquam detractum velim, perennis enim erit illorum gloria, & nomen, donec inter mortales vigebit Ars Medica, & Lyceum hoc stabit Æternitati sacrum, sed solum mihi animus fuit, ut Clariss. Virorum exemplo, qui in Theoricis magis claruere, quàm in Practicis, & quorum methodi habebantur pro Secretis, propositum meum firmiùs statuminarem.

Cum ergo satis superque, nisi me fallit philautia, fuerit demonstratum nullum jus Theoricæ legitimum esse, ut supra Practicam dominatum ullum obtineat, nihil optabiliùs foret, nihil ad publicum bonum magis conducibile, quàm ut hæ binæ Valetudinis Rectrices, simultatibus sepositis, sincerum inter se inirent fœdus, & sociale ex æquo regimen exercerent. Multò magis quidem optandum foret, ut idem esset, bonus Theoricus, & bonus Practicus, sed paucis hoc datum est, ac iis tantum,

quos æquus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera Virtus.

Habuere tamen singulæ Ætates hujusce ordinis Professores, habet etiam præsens hæc ætas, & noſtrum hoc Lyceum. Summa itaque votorum sit, ut ambæ hæ Facultates, quibus Ars constat, & perficitur, Consilio & opere, Præceptis & Experimentis ita ad invicem consentiant, ut non duorum, sed unius tantum videatur imperium.

(a) Georg. lib. 3.

ORATIO DECIMA,

HYEMALIS CONSTITUTIO ALGIDISSIMA

Anni M. DCC. IX.

Habita in Patavino Lyceo die XIII. Maji,

Cùm Primariam Practicæ Medicinæ Cathedram primùm conſcenderet.

Illuſtriſſimis, & Excellentiſſimis D.D.

PATAVINI ATHENÆI MODERATORIBUS,

D. FEDERICO MARCELLO, D. Marci Procuratori,
D. HIERONYMO VENERIO, Equiti, & D. Marci Procuratori,
D. MARINO GEORGIO,

BERNARDINUS RAMAZZINI Felicitatem.

ORATIONUM *mearum, quas in Patavino Lyceo occaſione anniverſariæ Studiorum inſtaurationis, hactenus, habui, libello Vobis inſcripto Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Viri, additamento erit Oratio hæc mea nuper habita, cùm primariam Practicæ Medicinæ Cathedram, cui ex ſingulari beneficentiæ veſtræ munere addictum me video, primùm conſcendi. Quàm tenue illud eſſet, quod veſtrorum Nominum amplitudini offerre auſus fueram, agnoſcens, in ipſa nuncupatoria Epiſtola, proteſtatus fueram Opuſculo jam edito velle me quotannis adjicere quidquid in hoc genere è paupere meo penu prodire poſſet; quod nunc præſto ac lubenter præſtabo, cum mea plurimùm interſit librum ita augeſcere, ut milleſima pagina ſurgat. Argumentum quod in hac mea Oratione tractavi Sapientia veſtra forſan non indignum eſſet, ſi Vobis, quos publicis commodis Virtus veſtra perpetuò addixit, iſthæc legere vacaret. Philoſophicè, & Medicè differendi anſam præbuit hyemalis hujuſce Anni Conſtitutio tam algida & communis, quæ Venetæ Urbi obſidionali maris congelatione plus terroris, quam ullus unquam hoſtis armatis navibus injecit. Hoc igitur qualecumque ſit munuſculum ad Opuſculi acceſſionem, & obſequii mei argumentum hilari vultu, ut ſoletis, excipite. Valete diu ac plurimum Mecœnates Ampliſſimi, ſic ut Heſiodi ſenecta Vobis contingat.*

Patavii die 2. Junii 1709.

ET ſi eorum, quæ non niſi multo labore, & conatu ſuperata fuerint, meminiſſe quoddam voluptatis genus dicitur, perpaucos tamen eſſe exiſtimo, qui ad illius loci conſpectum, ubi grave aliquod diſcrimen aliquandò ſubierint, non inhorreſcant; quomodocumque enim ſive fortunæ beneficio ſive redeunte in præcordia virtute, quis evaſerit, locus tamen ipſe, ubi exacti periculi caſus incidit oculos, qui primi in acie, ut dici ſolet, vincuntur, perſtringens animum ad horrorem aliquem concipiendum facili negotio compellit. Id ipſum modò experiri me fateor, nec pudet fateri, dum enim in hac Aula omnium ampliſſima, & ſuper hanc Exedram me intueor, ubi novem ab hinc annis tenuitatis meæ periculum feci,

feci, ut de more solent omnes cum ad publicè profitendum in hoc Lyceo primùm accedunt, sui spectaculum in hac arena præbendo, ac mentem subit recordatio, quantum expaverim loci & personarum dignitate deterritus, ut veritus fuerim, ne in ipso Orationis limine vox, & vires me deficerent, ac modò dum video mihi demandatam provinciam, ut hoc ipso in loco, & ab hoc Subsellio, ex quo tanquam è tripode tot celeberrimi Professores oracula sua effudere, posthac Practicam Medicinam studiosæ Juventuti tradere debeam, novo horrore non possum non corripi, quem sicuti longo usu, & consuetudine imminutum iri non spero, ita vereor ne in dies augescat. Ita fermè evenire solet, ut nunquam satis pensitemus, quid ferre valeant humeri, quid recusent, neque cognoscamus quàm dura, quam onerosa sit aliqua provincia, nisi postquam fuerit suscepta. Isthæc equidem multò antea mecum præsenseram, ac tam gravi discrimini opportunè me subduxisse arbitrabar, sepositò res meas promovendi tentamine: Neque enim indecorum putavi, imò ingenui pudoris plenum opus esse credidi, post honorum ac dignitatum petitionem candidati speciem interdum exuere, ac sinere ut is quem te digniorem noveris & in axe anteriori currentem, locum occupet, quem sua virtute promeruerit. Rectè quidem ac sapienter hujus Cathedræ, quæ tam diu sine suo Professore squalebat, dignitati fuerat consultum; ast quàm grande ornamentum illi Fata invidere, è viventium statione sublato Illustrissimo Comite Allexandro Borromeo, quem Practicæ Medicinæ primarium Professorem Sapientissimi hujus Lycei Moderatores designarant. Verùm summo rerum omnium Moderatori & Arbitro placuit Virum hunc claritudine generis, pietate, ac doctrina percelebrem, ad sublimia Cœli subsellia evocare, ubi nunc ille humana despicit, ac sollicitudines nostras ridet, qui tam clarum lumen huic Civitati, huic Lyceo, atque Ordini nostro ademptum conquerimur.

Quoniam autem tanto Viro suffectum me voluere, Sapientissimi Moderatores, Amplissimus Senatus Venetus, & Serenissimus Princeps, quem nuper terris ereptum ingemiscimus, & Cœlo adsitum colimus, iisque placitum tam honorifico gradu senectam meam decorare in titulum sepulcri, me ipsum excutiam, & si qui sunt in effœto jam corpore igniculi, eos exstimulabo, & admicationes aliquot identidem explicandas, ut solent morituræ faces, pro viribus compellam. Et si autem non ignoro conatus meos tanto muneri suppares nunquam fieri posse, ut quod loci & gradus sublimitas exposcunt exæquent, onus tamen impositum detrectare nefas credidi; quod si exspectationem vestram non implevero, utut nervis omnibus connitar, conscientia mea tamen contentus vivam, ut qui sciam dignitatem hanc non ambitu nec ullis artibus mihi quæsitam, sed à sola hujus Lycei Triumvirorum beneficentia promanasse, quibus nescio quo pacto volupe fuit, eodem fere tempore ac tam raro exemplo tot commoda, tot beneficia, tot honores, in sinum meum effundere, ut nihil ampliùs mihi superfit, quod possim votis expetere, nec ipsis quid valeant ulteriùs conferre. Jam video quod munus mihi nunc incumberet, nimirùm, ut Panegyricum pro justa gratiarum actione contexerem, sed quemadmodum iis ingenii viribus haudquaquam instructum me agnosco, ita temerarium opus censerem, tot amplissimorum Virorum merita, & laudes unica Oratione velle complecti; cùm ad id ritè peragendum vix plures actiones sufficerent; quando igitur verbis gratias agere nimis levidense officium est, & à referendis gratiis quàm longissimè absum, consultiùs facturum me arbitror, si tantummodo gratias habeam, easque immortales, alta mente repositas, atque æternùm servandas. Quoniam autem huc convenisse vos scio, Auditores Ornatissimi, ut me de aliquo quod professorii muneris mei sit differentem audiretis, morem vobis geram, eoque libentiùs, quò argumentum nactus mihi videor, quod ob novitatem adhuc, ut puto intactum, attentione vestra non modò indignum non sit,

ſed quod propter multas difficultates quibus involutum eſt, ingenia quoque veſtra exercere valeat. Argumento erit prægreſſa nuper hyemis algida & nivoſa conſtitutio, quæ frigoris vehementia atque aſperitate non ſolùm Italiam, verum univerſam Europam tanta hominum, & omnium cujuſque generis viventium ſtrage malè mulctavit. Lubet itaque in hanc tam intempeſtam hujuſce hyemis tempeſtatem philoſophica, & medica indagine inquirere; quòd ſi tam portentoſi frigoris veram & germanam cauſam in apricum eruere non dabitur, non abs re forſan neque ad ſanitatis cuſtodiam infrugiferum erit exquirere, quid mali hac proxima æſtate ex hac tam malè morata conſtitutione timeri poſſit.

Humanitate veſtra abuti mihi viderer A. O. ſi hyberni frigoris, quod annum hunc nefaſtum fecit, & ad multa Secula memorandum faciet, inclementiam non dicam, ſed inſolentiam longo verborum ambitu vellem deſcribere; quotus enim quiſque repertus eſt tam denſo corio, ac tàm forti à natura temperie donatus, qui non in cute ſolum ſed intus quoque & intra ipſa præcordia, ubi veſtalis ignis nativos lares, & focum habet, ab algidiſſimi aeris inſpiratu noxam aliquam non perſenſerit? Magna ſunt quæ vidimus, majora quæ audivimus; vidimus magna flumina tam arcto tam alto gelu adſtricta, ut armentis plauſtris onuſtis, & ipſis quoque exercitibus tranſvehendis ſufficerent. Vidimus ad binos & ampliùs menſes vim nivium immodicam è Cœlo non tacitè, ut ſolet, ad inſtar velleris labentem, ſed magno cum impetu in ſolum projectam, & quod magis mirere ſud Æquinoctium ipſum, quod in hac Civitate prodigio par eſt. Vidimus in partibus Ædium interioribus, & in ipſis hypogæis fluida quæque congelari ſolidioribus vaſis ex opere figlino diſruptis, ac dum cibum capturi menſæ accumberemus non procul à luculento igne vidimus fumantes epulas temporis momento gelaſcere. At vulgaria ſunt iſthæc, & fidem invenient. Urbem vidimus Adriæ Reginam, cui nullum unquam niſi navigiis cum terra fuit comercium, continenti junctam, marinis aquis in marmoream duritiem ſolidatis, ut ad ſeptem paſſuum millia ultrò citròque longo agmine commearent Viatores, Veterinarii, & annonariæ gentes cum armentis, & gregibus, ut laboranti Civitati victuales ſuppetias ferrent. Quàm admiranda porrò, imò quàm miſeranda ſunt quæ alibi facta accepimus, velut in Gallia, Anglia, Germania, ac tota Septentrionali plaga, non ſolùm magnis fluminibus marinum æſtum pati ſolitis, ſed Oceano ipſo conglaciato, ut ſublatis commerciis centenæ hominum chiliades in civitatibus, in agris inter frigoris rabiem, & famis morſus miſerè perierint, ac ex iis qui militiæ ſacramento erant auctorati longè plures in caſtris hyemando, quàm in acie pugnando in Orci familiam tranſierint. Profecto ſi cujuſque Regionis, Civitatis, atque Oppidi Necrologiam haberemus, in quibus eorum qui è vita deceſſerint nomenclatura continetur, ac ratio iniri poſſet quot hominum myriades duorum vel trium menſium ſpatio in Libitinæ cenſum deduxerit intolerando ſuo frigore funeſta hæc hyems, nulla certè peſtis utut truculenta & pernicialis, nec ea quæ apud Hiſtoricos, & Poëtas adeò pervulgata, quæ univerſam Græciam depopulata eſt, algidiſſimæ hujus conſtitutionis peſti, ſi ita fas loqui, ullo pacto eſſet conferenda.

Aſt undenam quæſo tam violenti frigoris petenda eſt origo? Si ab Aquilone frigoris Promocondo malum hoc venit, cur hoc Anno tam violentum, tam diuturnum, ut quotquot in viventium numero adhuc exſtant provectioris ætatis homines, & ſilicernio jam proximi tam enorme frigus nunquam ſe perſentiſſe meminerint, nec ſcriptorum quiſquam prodigium hujuſmodi literis prodiderit. Scire optatis O. D. quam proportionem habuerit hujus anni frigus ad præcedentium octo annorum, quos in hac Civitate obſervare mihi datum, ſummum frigus? Pſychrometro teſte proportionem habuit ſeſquialteram, hoc eſt ut ternarium ad binarium. Is fuit hyberni frigoris hoc anno ſupra cæteros exceſſus, qui in regnum quoque vegetabile defæviens, non

ſolum

ſolum plantas, quæ hortorum ornamenta ſunt, ſed quod dolendum Oleas & Vites ad internecionem uſque abſumpſit. Mehercle ſi in hujuſmodi tempora incidiſſet Cardanus, eam quam de frigoris natura opinionem mordicùs tenuit dubio procul abjeciſſet; non eſſe frigus quid revera ſubſiſtens, ſed ſimplicem caloris privationem ventoſque omnes plus minùs calidos eſſe inter ſuas ſubtilitates recenſuit Vir ille, quem cenſoria virgula ſugillans, ſeveriſſimus ille Cardanomaſtyx hiſce verbis ſic eum interpellavit. (a) *Abjice ſoleas, ac pileum, Cardane, quo tempore ex Alpibus Rhæticis urit vos Boreas; frigidus enim, & ſiccus eſt.* Hic autem mihi haudquaquam mens eſt in frigoris naturam curioſiùs inquirere, neque quodnam primum ſit frigidorum, num Aqua, ut Ariſtoteles, an Terra, uti Parmenides, & num venti aerem comprimendo frigus efficiant aut illius Vectores ſint, cujuſmodi quæſtiones Philoſophos tum veteres, tum recentiores exercuere, & adhuc exercent, ſed ſolùm in votis mihi eſſet cauſam perſpectam habere, quæ hac hyeme tantum frigoris ac tam ex improviſo exciverit. Jam præcedens brumale ſolſtitium exegiſſe nos, & Annum cum ſatis placido aeris ſtatu clauſiſſe lætabamur, ut ſpes eſſet hyemis reliquum eodem tenore proceſſurum. Aſt tanto impetu naſcenti anno Janus fores aperuit, ut nobis ferale bellum indicere viſus fuerit; illicò enim, ex boreali plaga ventorum turbines biduo tanta vi efflarunt, ut omnibus horrori eſſent, illos acerrimo frigore comitante, & continuo nivium deſcenſu ſubſequente. Grande igitur aliquid in hyperboreis contigiſſe credendum eſt, quod tam ſubitam in aereo mari magno tempeſtatem excitarit? Anne magnum aliquem terræ hiatum ex improviſo apertum fuiſſe putandum eſt, unde una cum ventis algidiſſimis tanta nitroſi ſpiritus copia eruperit, quæ totam atmoſphæram frigorificis particulis ad ſaturitatem uſque opplerit. Quanta vi polleat nitrum ad ſenſum frigoris inducendum, ſatis commonſtrat experientia, dum nivi & glacici comixtum illarum activitatem exacuit, ac in earum defectu nitri portionem in aqua diſſolvendo, modum habemus quo media æſtate vina & frigidas potiones nobis comparemus, non aliunde autem quàm è terræ ſinu tam horrendi frigoris cauſam deducendam arbitror; ad tam ſubitam enim & adeo turbulentam ventorum irruptionem locum aliquem in aërea regione intra polarem circulum fingere oporteret, in quo ſpiritus adeò furentes concluſi eſſent & effracto carcere ſubitò erumperent, quod tamen Poëtæ, quibus quidlibet audendi data eſt poteſtas, auſi non ſunt, qui ventorum turbam in antris terræ obſcurioribus abditam eſſe voluerunt ac inſuper Regem illi ſtatuere, qui imperio premeret, & laxas ſciret dare juſſus habenas. Minùs porrò rationi congruum videtur cœleſtia illa corpora culpare velle; quæ ſuo lumine & afflatu in noſtram perniciem conſpirarint. Quid novi enim in Cœlo à ſyderalis ſcientiæ peritis antea fuerat obſervatum? Num ferales Cometæ viſi ſunt aut alia hujuſmodi portenta? Num Planetæ in choreis ſuis agendis à præſcriptis ſibi legibus exorbitarunt, ut novis ſyzygiis & inſolitis motionibus Cœleſtem illam harmoniam perturbarint, ut poſtea propter illorum aberrationes nos plectendi eſſemus.

Sit quidem, ut ajunt, multum pollere lunare Sydus ad perfrigerandum, ac illius lumen ad nos reflexum, licet à Sole prodeat, actu frigidum eſſe, ſeu ut alii putant vi magnetica calorem terræ & aëris ad ſe elicere, ſicque frigefaciendi vim habere, at forſan Luna hoc anno propiùs ad nos acceſſit. Haud ſum neſcius ab Aſtronomis, à veteribus Agricolis, à Medicis quoque peritioribus, (b) ut olim ab Hippocrate ad prænoſcendam futuræ hyemis indolem obſervari ſolitum plejadum occaſum, & ortum Arcturi, atque ut monebat Virgilius:

Frigida Saturni ſeſe quò Stella receptet? (c)

At iſthæc ſingulis annis obſervantur & adventantis hyemis ſigna ſunt potiùs quam cauſæ. E magnæ Parentis utero itaque monſtroſum hoc frigus prodiiſſe à vero non prorſùs

(a) Scalig. Exer. 18. (b) In 1. Epid. Sect. 1. (c) Geor. 1.

sùs alienum videtur; Terra enim tota intus cavernosa est, & non secùs ac animalium corpora suos habet ventres distinctos & magnas cavitates, in quibus non hospitantur tantummodo silentes umbræ & segnis aër, sed varia & admiranda intercurrente spiritû exercentur opificia. Nusquam certè operosior Natura est quàm in subterraneis officinis ad generationem intenta tot pretiosorum lapidum, fossilium, mineralium, & metallorum, quæ si hominum avaritia potius quàm curiositas & abditiora quæquæ investigandi cupido surripiat effossis terræ visceribus, non minùs natura sollicita est in illis suo tempore reponendis, & damno resarciendo. Hinc innumeri penè fontes è terræ scatebris erumpunt non solùm aquarum dulcium, sed medicatarum quoque, quales sunt ferratæ, æneæ, sulphureæ, aluminosæ, nitrosæ aliæque omnigenæ. Cum autem borealis plaga in sinu suo nitri multum recondat, quod satis norunt nitri Collectores pro tormentario pulvere conflando, qui è parietibus & locis boream respicientibus longè plus nitri obtinent quàm ab iis qui Austrum, cur suspicari non liceat in regione illa inhospita, & Solis radiis ad plures menses inaccessa ex subito & præcipiti montis alicujus in magnas illas cavernas lapsu, ut in Appenino & Alpibus aliquandò contigisse legimus, portam ingentem algidissimis ventis & nitrosæ exhalationi apertam fuisse, unde tam horrida tempestas hac hyeme ortum duxerit? In Islandia magnam cavernam esse referunt, ex qua venti frigidissimi exspirent, qui glaciei fragmina identidem in altum protrudant. In Hetruria penes lacum Vulsinensium ad radicem cujusdam montis Boream versus antrum exstat in cujus latere rima visitur, ex qua, æstate præcipuè, ventus efflat adeò frigidus, ut sine noxa perferri nequeat, in quo specu si vina reponantur ad pauca temporis minuta penè gelascunt, & fructus pruinosi educuntur, magnum utique blandimentum ad exhilaranda convivia quæ ab Indigenis illis, cum Procyon furit, celebrari solent. In Peruvia duo Oppida Platam, & Potosam describit Acosta (*a*) quæ non multum inter se distent, ac utraque in montanis locis posita, quorum unum, Potosa scilicet temperaturam hyemis habeat, Plata vero vernali similem, cujus prodigii in calidissima regione causam in argenti fodinas referunt, & terræ spiracula unde aura algidissima exspiret. Quando igitur longè probabiliùs est frigus ab imis terræ visceribus in aërem efferri, quàm ab ætherea regione in hæc inferiora descendere, tam grandis Phænomeni, quod hæc hyems præ se tulit, & cui aliquid simile ulla ætas non vidit, nullam aliam causam comminisci possum quàm magnam terræ scissuram recens factam, paratum tamen me protestans ad exspuendum ex animo meum hoc commentum, si cubi aliqui feliciori sorte meliora proferant. Si ergo forte ita evenit uti conjeci, tam horrendi frigoris, ac tantarum nivium descensus causam tenere mihi viderer; Nitrosa enim emanatio illa unà cum ventis validissimis longè latèque diffusa tam magnum algorem efficere, & vapores, aquei elementi sobolem, in aëre suspensos arripiens, iisque se consocians nivem conformare potuit, atque illi suis capillamentis sexangularem & stellatam figuram impertiri. Non adspernandam nitri portionem nivibus inesse chymica enchirisis ostendit, qua nitrum in sinu nivis delitescens educitur, & Medicus usus comprobat, dum ex aqua nivis ratione nitri in illa contenti parantur remedia in æstuosissimis febribus exhiberi solita.

Verùm dictum illud è sacris paginis mihi forsan obtrudet aliquis. (*b*) *Nunquid ingressus es thesauros nivis*, tu qui adeò fidenter modum tradis, quo in aëre conflentur nives? Ultrò fateor A. O. non esse apud me ipsum tanti ponderis, quas produxi de nivis conformatione, & credito terræ hiatu conjecturas, ut veram & germanam tam inusitati frigoris causam è Democriti puteo hausisse me persuasum habeam; Conjectoris tamen non prorsus improbandi munus obiisse me arbitrabor, si in negotio tam abstruso ita fieri potuisse naturæ legibus non repugnet, nil enim ampliùs à rerum naturalium scrutatore in re obscura

(*a*) V. Bachon. in Histor. Ventorum. (*b*) Job. cap. 38.

obſcura exigebat Peripateticorum Princeps. Quid ergo in quæſtione tam ardua & impervia dicendum? Num ad effugium illud hiſtrioniam exercentibus adeò familiare recurrendum, qui, ubi fabulæ negotium ita implexum & involutum eſt, ut nodo ſolvendo humani ingenii acies non ſit ſatis, pro more habent, Deum aliquem è machina in Scenam inducere? ita ſane. Ut ergo aliquid proferam, quod pro vero accipi poſſit, de hac tam horrida Conſtitutione dicam, quod magnus Hippocrates de morbis populariter graſſantibus, ubi Phænomena quædam apparerent, quorum ratio in abdito eſſet, dicere conſueverat; (a) *ἅμα δὲ καὶ εἴ τι θεῖον ἔνεστιν ἐν τῇσι νόσοισι conſiderandum an ſit quid divinum in morbis*, illud itaque θεῖον, apud Medicos tam in morbis quàm in remediis adeò celebre, hic quoque vim habuiſſe cenſendum eſt, ab ipſo Deo nimirùm tam rigidam tempeſtatem fuiſſe excitatam, ut corruptos ſeculi mores & vitia novo & inuſitato pœnæ genere expiaret. Neque enim in ſuis armamentariis juſtiſſimum illum criminum vindicem ſolum ignem & fulmina habere credendum eſt, quæ multorum metu & paucorum periculo jaculetur in terras; in iiſdem enim habet, (b) *Glaciem, & Nives, quæ faciunt verbum ejus.* Ille eſt qui, ut cecinit Regius Vates, de theſauris ſuis ventos educit, qui temporis momento aërem non minùs quàm maria in magnas tempeſtates agant, & palam faciant cui ſerviant, cui militent. Illud ſanè admirationi fuit, quod toto eo tempore, quo à ſexta Januarii uſque ad Æquinoctium ferè pertinaciſſimum perſtitit frigus, nunquam hiſcere auſi fuerint auſtrales venti, quod in hiſce regionibus perrarum eſt, cum vel media hyeme rigidiori identidem caput efferre ſoleant ab ora meridionali calidiores flatus, adeò ut ex improviſo liqueſcant nives & regelent flumina, ſi quæ priùs glacie erant adſtricta, ut quandoque campos inundent; quaſi Deus, borealium ventorum miniſterio plectere nos volens, auſtrales flatus intra ſuos lares, unde ortum habent, concluſos voluerit, ne blando ſuo tepore inflictæ pœnæ rigorem delinirent. Sic eleganter non minùs quàm ingeniosè Ovidius Jovem, qui totum mortale genus aquarum eluvione perdere ſtatuerat, finxit repoſuiſſe tela manibus fabricata Cyclopum, in antris autem æoliis Aquilonem alioſque ventos nebulas fugare ſolitos clauſiſſe, emiſiſſe autem Notos, Euronotos, atque Auſtrum pluviarum pincernam.

Utinam autem malorum hic finis fuerit, & hujuſce anni felicior ſit exitus, quàm fuit initium. Quàm infeſta, quàm pernicialis humano generi fuerit hyemalis hæc conſtitutio, & quænam morborum genera invexerit, nemo eſt qui ignoret. Frequentiſſima fuere in hac Civitate, ut de aliis taceam, funera, ac nulla penè domus viſa eſt, quæ pullam veſtem non induerit. Primò quidem teneros infantes, decrepitos ſenes, & valetudinarios ferè omnes, mox juvenes, & robuſtiores viros, nec ſolum minutam plebem, ſed non paucos quoque ex Procerum ordinibus hiberni frigoris violentia in Libitinæ cenſum deduxit. Tuſſes, deſtillationes, pleuritides, peripneumoniæ, dyſpnœæ, & morbi id genus dominatum obtinuere. Rationi autem conſonum fuit, ut hujuſmodi affectus populariter graſſarentur; ſicuti enim auſtrina tempeſtas capiti infenſa eſt, ita Aquilonaris ſpiritalibus organis eſt maximè infeſta. Poſſumus equidem adſcititiis comis, adverſus aëris injurias calvariam munire, ac bene chlamydati, palliolati corporis extima à frigoris rabie & morſu poſſumus tutari; at quomodo viſceribus in pectoris cavea contentis ab aëre rigidiori proſpici poteſt, ſi ab indefinenti & reciprocante aëris inſpiratu & exſpiratu vitam precariam habemus? Non eſt ergo quod miremur ſi hæc hyems, glaciali aura per oſtium patens, thoracis penetralia ſubeunte, tam diram hominum & cujuſque generis animantium cladem ediderit.

Verùm anne putandum hanc malè moratam conſtitutionem totam ſævitiem ſuam expleviſſe, ut in noſtris corporibus labem nullam reliquerit, quæ nova morborum genera

(a) Hippoc. Lib. 1. Præn. (b) Pſ. 134.

hac æſtate non poſſit arceſſere? Si Coi Senis, cui futurorum mens divinatrix divini nomen adſcivit, oraculum adeamus, reſponſa referemus, quæ non multum nobis arrideant. (a) *De temporibus*, ajebat ille, *ſi quidem hyems ſicca & aquilonia fuerit, ver autem pluvioſum & auſtrinum, neceſſe eſt æſtate acutas febres fieri, lippitudines, & inteſtinorum difficultates.* Obſervatione profectò dignum eſt, quomodo Hippocrates, Vir in prædicendo alioquin cautiſſimus, tam fidenter & abſolutè pronunciarit; quod ſi hyemem aquilonarem, Ver auſtrinum & pluvioſum exceperit, ex neceſſitate ſubſequi debeant æſtate acutæ febres, & alvi profluvia. Aſt ratio ſic fieri oportere ſatis evincit, etenim ſi hyems plus æquo algida & nivoſa ſit, parum perſpirant humana corpora, ac ea præſertim quæ debiliora ſunt, unde ſeroſam colluviem cumulari neceſſe eſt, eamque augeſcere ſi ver pluvioſum ſucceſſerit, qua poſtea per æſtivum calorem diffuſa & in motum concita, acutæ febres & alvi fluxus oriantur neceſſe eſt. Nec quis putet Hippocratem niſi experientia priùs edoctum tam grande effatum pronunciaſſe; in libris enim Epidemiorum Conſtitutionem habet in qua pars hyemis poſterior, ut in noſtra evenit, aquilonaris fuit cum magno frigore & nivibus, cui ver ſucceſſit pluvioſum, unde poſtea memorati affectus Æſtate & Autumno apparuerint.

Ver equidem quod modò excurrit & cujus medium jam tenemus, atque hyemi algidiſſimæ ſucceſſit, ſub initium viſum eſt ad pluvioſum propendere velle, non paucos tamen Aprilis menſe dies habuimus ſiccos, fine ullis omninò imbribus, ſed ita calentes, ut à canicularium dierum æſtu parum differrent, ſub finem tamen menſis tam magna ac ſubita facta eſt à calore ad frigus converſio, ut unica ferè die rariores ſyntheſes & holoſerica deponere neceſſe fuerit, ac è veſtiario pannoſas veſtes repoſcere, quam mutationem poſtea ſubſecutæ ſunt ingentes pluviæ. Quo tenore veris pars altera proceſſura ſit, ſolus novit qui fecit tempora, dies, & annos. Id tamen certum eſt hujuſmodi temporum anomalias, & à ſua temperie aberrationes ominoſas eſſe, & morborum mali moris, quod Superi avertant, prænuncias. Nam ex eodem Hippocrate, (b) *in legitimis temporibus & convenientem ſervantibus temperaturam morbi legitimi & boni judicii fiunt; in tempeſtivis autem non legitimi & mali judicii.*

Sed quid frugis ex hujuſmodi apparatu datur colligere ad præcautionem & ſanitatis cuſtodiam? Paucis dicam quod ſentio. Adverſus temporum tam enormes intemperantias magnum erit præſidium Temperantia, neque ſolùm in victu ſed in omnibus quæ res non naturales vocant Medici. Non inopportunum tamen erit purgationes inſtituere, & ſi opus fuerit ſanguinem mittere. (c) *Quibuſcunque convenit venæ ſectio vel purgatio hos Vere purgare, vel venam ſecare oportet*, ajebat idem Hippocrates. Magna certè animadverſione particula illa disjunctiva digna eſt; Practicorum enim non pauci magnum piaculum committere ſibi viderentur, ſi purgationem verno tempore inſtituentes venam ſimul non tunderent. Aſt quam longè à divini Præceptoris veſtigiis aberrent nemo non videt. Eſt ubi tantum ſanguinem mittere oporteat, eſt ubi ſolùm purgare liceat, eſt ubi utrumque remedium conveniat. Si verò aliquis ex memoratis affectibus hac æſtate populariter vagari incipiat, boni & periti Medici erit non tam properè & inauſpicatò communibus remediis, ut in morbis ſporadicis, curationes aggredi. Rectè propterea Celſus de peſtilenti febre verba faciens ajebat, (d) *ſanguinem non facilè mittere, alvum non facilè ducere*, ſuſpenſo pede igitur procedendum erit, atque attente obſervandum, qua methodo Natura morborum medicatrix in iis utatur, qui ſpontè aut paucis remediis evadant, illa enim ſibi vias & aggreſſiones invenit, quas prænoſcere & divinare non poſſumus; fateamur enim neceſſe eſt, quandocunque aliqua epidemica affectio ex improviſo ſe prodat, eſſe nos juvenes ac tyrones licet medendo ætatem triverimus, ideòque oportere, ut Naturæ, quam autodidacton

(a) 3. Aph. XI. (b) 3. Aph. Aphor. 8. (c) 6. Aph. Aphor. 47. (d) L. 3 c. 7.

didacton & doctam ſine Magiſtro (a) Hippocrates dixit, nos erudiendos tradamus.

Cum ergo propter prægreſſæ hyemis intemperantiam adeò enormem, & veris temperiem hactenus non admodum laudandam non prorſus inanis, & adſpernanda ſit ſuſpicio, ne præ cæteris morbis acutæ febres (quod omen deſpuo) hac æſtate acutarum febrium ſubita tempeſtas ingruat, & buſta cumulent, cumque mihi hoc anno obtigerit de Febribus in univerſum ſtudioſæ Juventuti ſermonem habere, propterea temporis reliquum, quod ſupereſt ad implendum tertium hoc & poſtremum medici curſus ſtadium, circa acutarum febrium, quibus epidemici aliquid inſit, examen, pro viribus totum impendam.

(a) 5. in 6. Epid.

BERNARDINI RAMAZZINI,

Profeſſoris Primarii, &c.

CONSTITUTIONES EPIDEMICÆ MUTINENSES ANNORUM QUINQUE.

Accedit Diſſertatio Epiſtolaris

De

ABUSU CHINÆ CHINÆ

Ad

D. BARTHOLOMÆUM RAMAZZINI,

Mutinæ Medicinam Facientem.

Illuſtriſſimis atque Excellentiſſimis D. D.

EQUITIBUS, D. MARCI PROCURATORIBUS, ET PATAVINI GYMNASII MODERATORIBUS,

D. CAROLO RUZINO, D. FRANCISCO LAUREDANO, D. ALOYSIO PISANO,

BERNARDINUS RAMAZZINI Felicitatem.

Conſtitutiones meas Epidemicas, quas olim circa finem prægreſſi ſeculi evulgavi, & Mutinenſes dixi, quia modo Agros, modo Civitatem afflixerint, denuo in publicum prodire volui, ſed nonniſi ſub Nominum Veſtrorum auſpiciis, Patavini Lycei MODERATORES AMPLISSIMI, neque ab hoc propoſito quidquam me dimovit, quòd novum aliquod Opus non ſint, ſcio enim Auctoritatem Veſtram

eam esse, ut Antiquis gratiam Obscuris lucem conciliare valeat. *Hisce tamen novum aliquid accedit, Dissertatio nempe de Chinæ Chinæ abusu, quem ubique tam grandem, ac familiarem factum video, ut castigatione aliqua & animadversione indigeat. Non est enim tam insons, ut vulgo creditur, Americanum istud Febrifugum, ut aliquando Medico, qui illud exhibuerit, in votis non sit febrem repetere, sed fortiorem, ut tollantur ea mala, quæ China China ob febris exstinctionem invexerit. Certe constat longe tutiora fuisse Veterum febrifuga, quæ olim usui erant ad febris causam sensim eliminandam, quàm Indum istud, cujus operandi modum in nostris Corporibus, admirari potiùs licet, quàm intelligere. Vos autem CLARISSIMI VIRI, quorum Incolumitas ad publicum bonum tanti interest, ita valere volo, ut Medicorum nullus Peruvianum Corticem, aut quidquam aliud pharmaceuticum Vobis unquam præscribat.*

Dabam Patavii die 20. Julii 1714.

CONSTITUTIO EPIDEMICA RURALIS.

A. 1690.

I. SOlemnis Astrologorum, quos Judiciarios appellant, ferè ubique est Consuetudo, ut cum Annus extremo senio confectus est, & ad sui finem properat, illicò succesturi Anni genesim in antecessum describant, & ex Astrorum positu illius Indolem, genium, mores, num salubris, an insalubris, num frugifer, an sterilis futurus sit, suas Ephemerides evulgando, prænuncient. Contraria quidem, sed tutiori methodo mihi visum est incedere, siquidem Anni jam exacti naturam, ac temperiem, qui Morbi grassati fuerint, quæ remedia Praxis salutaria deprehenderit, quæ noxia, compendiosè enarrare constitui, quod Institutum post hac singulis Annis prosequi mihi in animo est, donec Operis filum abrumpat;

Mors ultima linea rerum.

Id autem Ingenuis *Professoribus*, nec injucundum, nec Praxi prorsus inutile futurum credidi, quando Ars Medica solis Observationibus ortum suum, ac progressum debet, majorem quoque in dies habitura, si ea quæ in morborum Curationibus nova, & insolita quotidie accidunt, accuratius observarentur. Erit tamen, non secus ac in *Astrologorum Ephemeridibus*, hic quoque Divinationi locus; non enim ea solùm quæ hoc Anno apud Nostrates acciderint, referre satis duxi, sed pensum meum existimavi, ulteriùs causas disquirere, undenam tam copiosa morborum seges in Agris nostris prodierit, ac si non philosophari, saltem divinare, quem exitum habitura sit hæc Epidemica Affectio. In rebus autem abstrusis, & alta caligine involutis, vaticinari quoque humanam imbecillitatem pudere non debet, multoque minùs in Arte Medica, quando ipse *Divinus Præceptor Ep. ad Phil.* tradidit, *Medicinam, & Vaticinationem esse valdè cognatas, cum ambarum Artium unus sit Apollo Progenitor.*

II. Exactè perdiscendam *Temporum Constitutionem, & quemque morbum, & qui morbis sit bonus, & qui periculosus, aut in Constitutione, aut in morbo*, verba sunt, immò Oraculum *Hippocratis in Libro de diebus Judicatoriis n.* 1. nam ut ibidem ait, *Plerumque Hominis Natura Universi potestatem non superat.* Nomine autem Universi proculdubio *Divinus Senex*, Aëris potestatem nobis designavit, ex cujus vitio omnes ferè Epidemiales Affectus ortum ducunt. Plurimùm autem momen-

momenti, tum ad prænoſcendos futuros morbos, tum ad eoſdem profligandos, & rectam victus rationem inſtituendam, quæ à morbis vulgaribus Optima Præſervatrix dicitur, plurimùm inquam momenti habere, non ſolùm præſentem temporum Conſtitutionem, ſed etiam anteactas diligenter obſervare, nemo non videt; cùm ex iis, tamquam ex ſua radice, variæ, & inſolentes Aëris alterationes progerminent, quæ modò hanc, modò illam morbi popularis ſpeciem quandoque inferant. Antequam ergo Epidemici Affectus, qui Colonos noſtros, & *Ciſpadanæ Regionis* humiliorem partem afflixit, deſcriptionem aggrediar, operæ pretium duxi, prægreſſas Conſtitutiones paululùm perpendere.

III. Quatuor, aut quinque Annos non vulgaris ſiccitatis in tota penè Italia præceſſiſſe jam ſatis conſtat, quo tempore uberrimus fuit frugum omnium proventus, & ſatis proſpera valetudine in univerſum uti conceſſum fuit; adeò verum deprehenſum eſt vulgatum illud, quòd *in ſiccitatibus omnia ſint ſalubriora*. Anno verò huic præcedenti circa Æquinoctium ingentes pluviæ cecidere, quæ identidem repetentes totum Veris tempus horridum, & ignavum reddidere. Æſtas ſubſecuta, & ipſa fuit magna ex parte pluvioſa. Circa Solſtitium Æſtivum ſigna Rubiginis in frugibus obſervari cœpta, quæ *Rubigo* ſenſim augeſcens triticeam ſegetem maximè corripuit, frumenti culmos uſque ad ariſtam maculis veluti ſanguineis adſpergens. Eadem peſtis fabas quoque, ac reliqua legumina obſedit, adeò ut ſpem præconceptam de Anni fertilitate pauci dies eluſerint; ſolabatur tamen Annorum antecedentium felix ubertas, ut venturis temporibus proviſa ſufficerent. Sub initium Septembris, ac multò magis ſub Æquinoctium ipſum largiores pluviæ delapſæ, quæ per totum Octobris menſem perſeverarunt, ut Flumina immenſam aquarum vim intra ſuos aggeres nonniſi improbo labore continuerint. Poſtremi duo menſes ferè impluvii fuerunt, & Annum 1689. ſatis placidè clauſere. In prædictis Conſtitutionibus, non niſi morbi Sporadici obſervati ſunt, nec multa funera Annum infeſtarunt.

IV. Ineunte autem Anno 1690. (quem *rubigalis lues* fruges, & quodcunque fructuum genus depaſcendo, Febrium Ilias primò Ruſticanam gentem, mox Urbanam quoque corripiendo, nefaſtum reddidere) Conſtitutio pluvialis poſtliminiò, ſed gravior recurrens, ac ferè continua, omnium animos obnubilavit. Sic hyemem humidam, nimboſam cum exiguo frigore, nivibus vix delapſis illicò tabeſcentibus, ægrè tranſegimus. Martius menſis porrò ſine pluviis præter morem, & magna aëris tranquillitate uſque ad Æquinoctium exactus animos erexerat, cùm Cœlum denuò omnes, quas in ſinu ſuo contineret aquas, viſum eſt ſuper nos effudiſſe. Unius Nychthimeri ſpatio aquis oppleta ſunt omnia, ut hæc Civitas Inſulæ ſpecimen præferret. Horret animus Agricolarum calamitates, in hac magna eluvione referre, qui

Ducebant remos illic, ubi nuper ararant.

Neque id ſolùm viſum eſt in *Mutinenſi agro*, ſed etiam in *Finalenſi*, *Mirandulano*, & *Ferrarienſi*, qui ſitus pars olim fuit antiquæ *Vallis Paduſæ*, in quam omnia Flumina ex Appennino deſcendentia à Placentina Urbe uſque ad Adriaticum Mare, *Strabone* teſte *l. 5. Geo.* exonerabantur, antequam ſtructis aggeribus *Padum* ſubire cogerentur; quare in his locis ad longum tempus ſtagnarunt aquæ, non admittente *Pado* ad ſatietatem pleno, non ſolùm circumjacentes aquas, ſed per *Sculteunam*, & *Gabellum* proprias aquas in agros noſtros eructante. Perſtitit deinde eadem pluvioſa Conſtitutio, non ſolùm toto Veris tempore, ſed per totam ferè Æſtatem, ut nulla penè dies ſine pluvia viſa fuerit. Hinc factum, quòd unà cum pluviis flante ut plurimum Borea, nulla unquam Æſtas noſtro in hoc Climate exſtiterit, in qua remiſſior fuerit caliditas, ut patuit ex *Thermometris*, unde nunquam ſerior fuit frugum maturitas, meſſe Julio menſe peracta. In *Barometris* quoque obſervatum eſt multò elatiorem, quàm alias fuiſſe *Mercurium*, Aë-

re craſſo, nebuloſo exiſtente. Cicadæ hoc Anno, ut plurimùm aphonæ obſervatæ ſunt, illarum loco per totam ferè Æſtatem coaxantibus Ranis; ſic pro Vere hyemem, & pro Æſtate Ver ſortiti fuimus.

V. Nullus Annus in his Regionibus piſculentior unquam fuit, quare cum Piſces ubique pretio viliſſimo proſtarent, plebs Urbana hoc alimenti genere familiariter uſa eſt, multòque magis plebs Agreſtis, quæ facili negotio propriis in agris, & in ipſis laribus piſces captabat, *Neptuno pro Cerere victum ſubminiſtrante*, ut de *Ichthyophagis* ſcripſit *Diodorus Siculus l.* 4. *c.* 3. donec ſuper cibo iſto leviſſimo nauſeante ruſticano ſtomacho, ſicut olim *gens Hebræa* in Deſerto, Allia, & Cœpas appeterent. Ab amico Mercatore fide digno, qui *Mantuanum Agrum* hiſce temporibus peragravit, ut Sericum emeret, accepi; Ruſticos illos ægrotis ſuis febricitantibus & nauſeabundis, Allia, & Cœpas coctas pro ferculo præbuiſſe, quod cùm in aliquibus feliciter ceſſiſſet, paſſim exinde hoc remedii genus, tamquam Elixir proprietatis, quo mirificè recreabantur, valde ex uſu fuit.

VI. Sub initium Junii denuò, ſicut Anno anteacto, apparuere ſigna *Rubiginis*. Vim Rubigalis morbi prima perſenſit Morus, nec illi quicquam profuit ipſius Prudentia; cujus Symbolum in cenſu Plantarum audit. Mox eadem *Rubigo*, peſſimus omnium frugum morbus, paulatim augeſcens, Frumenta, & omnia legumina ſed præſertim Fabas, occupavit, neque ſolùm in locis humilioribus, ubi computruerant aquæ, ſed etiam in editioribus, ut ſupra *Viam Æmiliam*, & in ipſis Collibus. Luctuoſum ſanè, ac deplorandum ſpectaculum omnium oculis fuit, campos circumquaque non virentes, ſed atratos, & fuliginoſos intueri; ſicut enim Anno huic præcedenti hæc lues rubro colore fruges infecerat, ita hoc Anno, *non Creta, ſed Carbone notando* eaſdem magna atredine reſperſerat. Sic frumentatio peſſum ivit, tum ob rubiginem, tum ob aquarum colluviem, mirantibus Agricolis pro frumento quod ſeverant, ſolam ſibi reſtare loliaceam meſſem. Sed neque Plantarum fructibus, qui Æſtatis principio, vel ſub Opora matureſcunt, peſtis hæc pepercit. Nunquam in tota *Eſtenſi Ditione* Uvarum, ſicuti rerum omnium maximè ferace, parcior fuit Vindemia, botris ab eadem peſte paulatim exeſis. Nucibus tantùm, quarum præter morem anteactis annis magna penuria fuerat, hæc rubigalis lues non nocuit. At neque hortenſis familia vim hujus morbi cuncta depaſcentis effugit, nam Olera ferè omnia, ſydereo veluti afflatu uſtulata ſunt; adjecta quoque altera clades, nam Erucæ, & Bruchi hortos omnes depopulati ſunt, nudis Stolonibus relictis. Melonum, ſicuti & reliquorum fructuum, magna fatuitas, ut & ipſa Animalia illorum eſum quandoque reſpuerent.

VII. Vix riſum forſan tenebit aliquis, quòd res tam minutas adeò curiosè perſequar; at is ſciat, quòd magnarum calamitatum non rarò exigua ſunt ſigna, &

Sæpè exiguus mus
Augurium tibi triſte dabit.

ajebat *Fracaſt. de Cont. l.* 1 *c.* 13.

Quemadmodum in re Nautica ex levi nebula magnæ tempeſtatis ſigna captantur, ita & in re Medica ab exilibus indiciis magni morbi impendentes non rarò prævidèntur, quare *Hippocrates.* 2. *in* 6. *Epid. Nihil negligere.* Sic non immeritò *Cleombrotus* apud *Plutarchum de Oracul. def. Demetrium* dicentem, ridiculum eſſe ex rebus minutis de grandibus facere judicium, arguebat his verbis: *Artem Medicam peſtilentem æſtatem ex araneearum frequentia prænunciare, atque ex foliis ficulnis, quando Vere Cornicis pedem referunt, quis conſitebitur, qui res puſillas ſtatuat veſtigia non eſſe magnarum?*

VIII. Pluvioſam Conſtitutionem, quæ ab anni principio uſque ad totum Julii menſem obſtinate perſtiterat, magna poſtmodum ſiccitas per duos ferè integros menſes excepit; hujuſmodi tamen ſiccitatem non multa caliditas comitata eſt, & qualis cæteris Annis apud nos perſentiri ſolet, præſertim *Procyone furente.*

Poſt

Poſt æquinoctium verò cœperunt denuò apparere pluviæ, ad quarum primum adſpectum, nemo non expavit, fuere tamen valdè moderatæ, & quantùm ſufficerent ad terram ſtrigoſam, ac veluti ſaxeam, ob prægreſſam ſiccitatem, emolliendam, adeò ut Colonorum votis pro deſiderata frumenti ſatione reſponderit. Ultimi duo menſes, ſicuti priori Anno, cum perpetua ferè ſerenitate, & modico frigore, quantum prima pars hyemis poſtulabat, Anni curſum abſolverunt.

IX. Hæc itaque fuit hujus Anni Conſtitutio, omnium non ſolùm Vegetabilium, ſed etiam Animantium naturæ, ut modò videbimus, valdè infeſta. Quamvis ergo hyems adeò intempeſtiva fuerit, nihil tamen contigiſſe ſcio, quod ad Medicam lancem trutinari debeat; neque id mirum, nam tunc temporis cudebantur morbi ſuo tempore, & loco erupturi. Epidemicos Affectus, non præſentium Conſtitutionum, ſed præcedentium eſſe productum & ſobolem, ſcitè annotarunt *Montanus*, *& Valleſius* 3. *in p. Epid.* duo clariſſima Medicinæ lumina, idque apertis verbis ipſe quoque *Hippocrates* 2. *in p. Ep.* aſſeruit. *Cum fere autem*, inquit ille, *totus annus humidus, & frigidus, & borealis, per hyemem quidem ſalubriter degebant maxima ex parte, ante Ver autem multi quidem degebant morbidè.* Succedente itaque verno tempore, ac circa medium Aprilis menſem magna febrium ſeges in *Mutinenſi Agro* intra *Viam Æmiliam*, aliiſque proximis locis, ubi diu ſtagnarant aquæ, ex improviſo caput extulit. Tertianæ omnes intermittentes ab initio fuerunt, & neminem novi, qui in principio hujus Epidemici affectus, alio febris genere tentatus fuerit. Indiſcriminatim Ruricolæ omnes, cujuſcunque ſexus, ætatis, temperamenti, vitæ generis corripiebantur, cum magno horrore, frigore, tremore interdum quoque vomitione, accedebant hæ Febres, copioſi quidem ſudores in principio hujus Epidemici Affectus ipſas comitabantur, qui poſtea in morbi progreſſu remittebant; pauci integrè judicati ſunt, ſed omnes ferè, qui evaſiſſe videbantur, experti ſunt recidivas; neminem tamen hujuſmodi Febrium genus licet tam populariter graſſatæ fuerint, quod ſciam, ſuſtulit. Multoties accidit, ut cùm in die intermiſſionis celebraretur phlebotomia, eadem die Febris corriperet, & de ſimplici Tertiana duplex fieret. Neque id ſolùm Ruri obſervatum eſt, ſed etiam in Oppidis, & in hac Civitate, cum eodem tempore Oppidani quoque, & Plebs Urbana, iiſdem Tertianis febribus intermittentibus exercerentur, ſed longè inferiori numero, ac gens Ruſticana.

X. Perſeverarunt itaque hujuſmodi Febres, per totum Veris tempus cum ejuſmodi typo; accedente verò Æſtate, in duplices Tertianas omnes converſæ, & quæ de novo acceſſerunt, hujuſmodi typum ſervarunt. Duplici Tertiana igitur omnes ferè Agricolæ eodem tempore laborarunt, quæ quidem ut plurimùm intermittens erat, ſed valdè protracta, ut paucæ horæ pro apyrexia numerarentur. Veſpere ut plurimùm exacerbabantur, illas ſtipante magno Symptomatum ſatellitio, veluti vomitione, anxietate, capitis dolore, vertigine, in nonnullis ſtupiditate, in aliis mentis emotione; quod autem non rarò mihi obſervatum eſt, magna erat virium nocturna proſtratio, ac interdum cum aſphyxia, ut proximi Silicernio viderentur, mane cuncta hæc remittebant oriente Sole, ad cujus matutinos radios, è lectulis exſurgentes ſe exponebant, ac vitales ſpiritus ex inexhaufto illo luminis, & caloris Fonte veluti potabant. Cum hoc Anno curioſius ruſticatione, quamvis parùm tuta, oblectatus fuerim, non ſemel admiratus ſum, quomodo Ægri, qui tota nocte cum Morte fuerant luctati, mane ſub Porticibus, velut Angues ad Solem cutem curantes erecti ſtarent, ac tantùm virium iis ſuperfuiſſet, ut campos etiam peragrarent, perſtitit tamen in omnibus ſatis commoda cibi appetentia, quin perſæpè non paucos audivi de nimis parca alimonia conquerentes; ac re vera hujuſmodi Febres quantùm obſervare licuit, fuere magis famelicæ, quàm ſiticuloſæ.

XI. Verminatio nunquam aliàs major fuit,

nec ſolùm in Pueris, ſed etiam in provectioris ætatis hominibus. Memini me vidiſſe Ruſticum quendam annorum circiter 40. ſub Porticum ad Solem ex Febris acceſſu rigentem, atque unà valdè ſingultientem, à quo cum ſciſcitatus eſſem, num Vermes rejeciſſet, ac ille reſpondiſſet, ſe aliquot Vermes inferiùs, ac ſuperiùs dejeciſſe, Singultum, à cujus moleſtia ſe potiſſimùm liberari inſtabat, à Vermibus ſtomachum laceſſentibus fieri aſſerui; cùm autem fortè pulverem *Chinæ Chinæ* ſibi à *Medico Forenſi* præſcriptum in promptu haberet, permiſi ut illum aſſumeret. Siluit pertinax Singultus unà cum febre, quæ tamen paucis poſt diebus rediit, ſed ſine tam moleſto Symptomate. Aliàs poſtea expertus ſum hujuſmodi remedii genus in lumbricis puerorum enecandis, quod mihi feliciter ceſſit.

XII. Sanguis, qui in hac Conſtitutione ſecta Vena educebatur, ut plurimùm craſſus, & ſuppallidus apparuit; in nonnullis etiam Icterodes obſervabatur, quamvis exteriùs in Corpore ſimilis color non floreret. Alvi excrementa in omnibus ferè febricitantibus craſſa erant, & compacta. Quæ per os rejiciebantur ſubacida potiùs erant, quàm amara. Urinæ ut plurimùm craſſæ, ac turbidæ, multùmque lateritii ſedimenti habentes reddebantur, ac perſæpè in febribus, in quibus nulla erat cacoëthiæ ſuſpicio, Hypochondria in omnibus dura, ac diſtenta.

XIII. Quibuſdam, poſtquam illos hujuſmodi tertianæ febres diu exercuiſſent, apparuere *Parotides*, quæ ut plurimùm ſuppurabantur, at neque hoc pacto contumaciſſimæ febres ſummovebantur. Curavi *Mulierem* utero gerentem, quæ, cum per integrum Septembris Menſem febricitaſſet, obortа Parotide, ac feliciter ſuppurata, & ad longum tempus perpurgata, nondum tamen, cùm jam Anni finis imminet, à febre immunis eſt; adeò contumax, ac penè indomabilis erat fomes, cui hærebant hæ febres. Cæterùm nunquam viſæ contumaciores febres ad recidivandum magis pronæ, & quæ magis *Medicorum* induſtriam eluderent; ſiquidem nec repetitæ phlebotomiæ, nec purgationes, nec mille alexipharmaca, quæ pleno gutture, tamquam manus *Deorum*, Receptariorum Chorus adeò celebrat, quicquam profuere. Immò obſervatum, citiùs, ac tutiùs reſtitutos, quibus nec ſanguis detractus, nec purgantia exhibita, nec ullum aliud remedii genus adminiſtratum, toto ſalutis negotio Naturæ morborum Medicatrici commiſſo. Feliciùs tamen ceſſit, quibus purgationes, & vomitiones præſcriptæ, quàm quibus pluries ſecta eſt Vena; ii namque in deterius ſemper labebantur. Vidi pauperem Agricolam à duplici tertiana ad longum tempus conflictatum, & jam in magno diſcrimine verſantem, cui nec detractus fuerat ſanguis, nec ullum aliud remedii genus adhibitum, ſolo Vini generoſi potu, meo conſilio propinati, feliciter convaluiſſe; ſic multos alios novi, hoc ſolo cardiaco reſtituros, aquæ uſu, ac cæteris remediis ablegatis.

XIV. Cùm autem hujuſmodi Tertianæ febres non ſolum Colonos, ſed etiam Oppidorum majorum & Urbium Incolas, ſinon tam populariter, ſaltem eadem contumacia fatigarent, ac uſu potius remediorum exaſperarentur, quam miteſcerent, mihi viſum eſt hoc Anno apud nos contigiſſe, id quod apud *Plutarchum* legimus in libro de Oraculorum defectu, quòd nempe in hac Conſtitutione, quædam Medicæ Artis Oracula obmutuerint, dum cauſam ignorarent, quare præconceptæ opinioni de magna medicamentorum ſupra morbos quoſcunque poteſtate Tertianæ Febres intermittentes, ut plurimum citra malignitatis ſuſpicionem, minime auſcultarent.

XV. Major itaque pars *Medentium* apud Noſtrates, ut vulgi calumniis, & aſſiduis ægrorum querimoniis ſe ſubducerent, in hac Tempeſtate ad *Peruviani Corticis* ſacram Anchoram confugere, at parùm proſperè; nam in periculoſiores ſcopulos ægrotantes ſuos perſæpè deduxere. Uſu febrifugi per aliquot dies equidem ſub doloſo cinere latebat ignis, verùm poſtliminiò violentior recandeſcebat. Qui tamen peritiores erant, ac rebus ægrotantium

tantium magis, quàm propriæ ambitioni consultum volebant, *Nabant ſine Cortice.*

XVI. Hoc itaque tenore proceſſit febrilis acies per totam Æſtatem, ac totum Autumnum, Rura, & Oppida infeſtando, fruſtra *Quartanam ſperantibus ægris*, & intervallum aliquod à quotidianis paroxyſmis exſpectantibus; nam pauci hoc Anno viſi ſunt Quartanarii, ſicuti nec obſervare contigit Synochas ullas, vel Febres ardentes, ſed ſolùm Tertianas, quæ quidèm ſub finem Autumni, & prima parte Hyemis rariores fuere, ſed graviores, intermittentes quidem in principio, ſed quæ tandem in continuas, & lentas migrarent, ut plurimùm cum ſolita periodo circa Veſperas Ægris horreſcentibus.

XVII. Febrili huic Exercitui, qui ſtativa caſtra poſuerat inter *Padum*, & *Viam Æmiliam*, quam tranſgredi auſus non eſt (cum in toto illo tractu, qui Colles, & hanc Viam interjacet, inculpata Valetudine, & ſecura ruſticatione uti conceſſum fuerit) multi alii Morbi junxere ſe comites, qui ſporadicè vagantes, multas prædas agebant, ut Alvi profluvia, Icteri, Apoplexiæ, Hydropes, Catarrhi præfocativi, aliique Affectus. Qui Dyſenteria hoc Anno laborarunt, citiùs ac feliciùs evaſere, quàm qui Diarrhœa.

XVIII. Vim hujus Conſtitutionis Viri robuſtiores, & adulti faciliùs tolerarunt, minus Fœminæ, ac Pueri, quorum qui infra trimatum erant, ferè omnes periere. In ſolo *Finalis Oppido* plus quàm tercentum Pueros referunt exſtinctos, ut ex ejuſdem Oppidi Necrologio conſtat. Magna quoque fuit infantilis ſtrages in *Mirandulano Agro*, & *Novellarienſi*. Ad dies aliquot febriles paroxyſmos tolerabant, poſtmodum fiebant Icterici, ac paulò poſt Epilepticis inſultibus correpti, occumbebant. Cæterùm præ multitudine hominum decumbentium pauci ſunt exſtincti, ac potiùs ex diuturnitate morbi, & frequentibus recidivis, quàm ex Febris vehementia ſuccubuere; qui tamen fuere ſuperſtites, magna ex parte facti ſunt Icterici, Lienoſi, & Cachectici.

XIX. Vim hujus malè moratæ Conſtitutionis experta quoque ſunt, cujuſcunque generis Animalia, quæ in magno numero interiere; ſicut autem in ea, quam deſcribit *Silius Italicus*, quæ ſicca fuit, & præfervida, vim primi ſenſere Canes, ut in hac frigida, & præhumida prima clades Pecudum fuit, quibus, poſtquam per dies aliquot ægrotaſſent, veluti per criſim apparebant Variolæ in capite, & collo, ac plerumque ab iiſdem excœcabantur; ſic quæ ex vehementia morbi non perierant, tandem ex inedia contabeſcebant. Sues quoque turmatim ſuffocati moriebantur.

Nunquam parciùs nobis mellificarunt Apes, vel propriis in ſedibus exſtinctæ, vel aliò migrantes; Bombyces quoque initio quidem catervatim peribant, qui verò ſuperſtites fuere in ipſo Opificio ſemianimes, ignavi concidebant. Nimius eſſem, ſi cuncta ſingillatim recenſere vellem. Extiſpicium aliquod, Pecudum præcipuè, quarum major fuit ſtrages, identidem celebrare, ac hariolari quænam eſſet talium morborum cauſa, non abs re fuiſſet, ſi per tempus licuiſſet.

XX. Scio non defuturos, qui me coarguant, quòd ad Veterinariam tranſgrediar; oblatrent quantùm velint, quòd talia obſervare Medicam Artem profitenti indecorum nequaquam crediderim. Egit id *Medicorum Maximus*, quem non puduit ſcrutari, quare Bobus faciliùs, quàm cæteris Animalibus excidant femora; hæc autem ſunt illius verba *de Artic. n. 6.* nemini, quòd ſciam, obſervata: *Bobus tunc magis excidunt femora, cum tenuiſſimi exſiſtunt, fiunt autem tenuiſſimi Boves ad finem Hyemis, tunc igitur etiam maximè luxantur, ſi tamen, & hujuſmodi quiddam Medicinæ ſcribere convenit. Verùm convenit utique.* Atqui ſi celebriores Anatomici tot ſectiones, tot experimenta per mortes Brutorum agunt, ut Anatomiam in hoc genere comparatam, quam in Medicina deſiderari dictum erat Sapientiſſimi *Bacconis de Augm. Sci. l. 4. c. 2.* jam habeamus, cur non licebit quoque illorum morboſos affectus obſervare? Quin *Medico Chirurgo* licere interdum abſque Artis dedecore Beſtiis mederi, oſtendit Eruditiſſimus

tiſſimus Vir *Carolus Patinus* in ſua elegantiſſima Oratione in *Archi-Lyceo Patavino* Anno 1682. habita.

XXI. Atque hæc ſunt quæ in morbida hujus Anni Conſtitutione magna ex parte ipſemet obſervavi, & quæ ab ingenuis *Profeſſoribus*, & fidis Amicis mihi communicata ſunt, quæ quidem referre, prout obvenerint, non magni negotii eſt, at illorum cauſas rimari, ac in medium proferre, quæ *Jatroſophorum*, & Eruditorum hominum palato ſapiant, hoc opus, audendum tamen pro viribus, ac

Tentanda Via eſt, qua me quoque poſſim
Tollere humo.

XXII. Communes morbos, quos Populares, & Epidemicos appellant, à Communibus cauſis progigni extra omnem Controverſiæ aleam eſt; Communes autem cauſæ ſunt potiſſimùm Aër nobis circumfluus (aliunde tamen, ſive ex ſuperioribus, ſive ex inferioribus infectus) Communia Alimenta mali ſucci, & Aquæ corruptæ. Ex his omnibus, ſed promptius ab Aëre, tamquam è communiſſimo Fonte, è quo nemo non potare cogitur, Morbos quoſdam derivari, qui multos eodem tempore afficiant, omnium pariter eſt conſenſus. Ad hanc verò noſtram Ruralem Epidemiam excitandam in unum conveniſſe & Aërem vitiatum, & prava Alimenta ingeſta, fas eſt arbitrari. Primum quidem locum Aëri à ſua naturali temperie non ſolùm ſecundum Anni tempora recedenti, ſed particulis humanæ naturæ incongruis ad ſatietatem pleno, concedendum putarim; ſecundum autem locum pravis Alimentis, & Aquis vitiatis. Quamvis autem de Miaſmate Contagioſo aliqua poſſet eſſe ſuſpicio, dum uno in aliqua familia à Febre correpto, cæteri paulò poſt ex eadem Febre decumberent, id tamen potiùs in communem Diatheſim, ad maturitatem eodem tempore evectam, non ſecus ac cum Autumno fructus eodem tempore matureſcunt, referendum duxerim, quàm in effluvium aliquod contagioſum, quòd è primo ægrotante exſpirans cæteros afficeret.

XXIII. Quanti autem referat ad bonam Valetudinem in Aëre puro, & à fœdis exhalationibus maximè remoto degere, nemo non novit; nam ſicuti Piſces felicius degunt, ac eſu ſalubriores ſunt, ſi in aqua pura, ac ſincera vivant, ſecus verò ſi in aqua fœda, & corrupta, ita homines feliciorem vitam, ac longæviorem ducunt, ſi Aër ſincerus ſit, ſecus autem ſi craſſius, & nebuloſus; Nec abs re vulgatum dictum illud, quòd tales ſint Corporis noſtri humores, ac ſpiritus, qualis ſit Aër; hinc iis in locis ubi Aër tenuior eſt ac defœcatior, vividiora, & acutiora ingenia florere ſolent, ubi verò craſſior, hebetiora, ac ſtolidiora, quare *Bœotii*, & *Batavi* antiquitùs malè audiebant, unde *Horatius*:

Bœotum in craſſo jurares aëre natum.

XXIV. Non vacat hic diſquirere, quare ad Vitam perennandam adeò neceſſarius ſit Aëris uſus, quomodo in Vaſcula Pulmonum ſe inſinuet, quid in maſſa ſanguinea efficiat, dum illi permiſcetur; circa id inſudarunt Doctiſſimi Viri, ac ultimò *Ettmullerus* in elegantiſſima ſua Diſſertatione de Abſtruſo Reſpirationis negotio; ſolummodò circa illa examinanda immorabor, quæ inſignem Aëri mutationem inferre potuerint, ac illum à ſua naturali mediocritate dejicere. Certum eſt enim, quòd ſi Aër Reſpirationi idoneus eſſe debet, & conſequenter ad vitalia munera, neceſſe eſt, ut quandam ſervet mediocritatem, ut neque ſupra modum craſſius ſit, nec nimis tenuis, nam ſi tenuior ſit, ac rarior quàm par eſt, Reſpirationi inidoneus evadit, ut *Machina Boyeliana* ſatis evincit, ac teſtantur qui in editiſſimis Montibus difficiliorem experti ſunt Reſpirationem, quàm in imis Vallibus, id annotante *Thoma Cornelio de Cogn. Ae. & Aq;* ſi verò craſſior ſit, & ad ſaturitatem Vaporibus, & exhalationibus oppletus, ad Reſpirationis munus obeundum minimè aptus eſt, immò ſuffocationis periculum infert, ut ex eadem *Machina Pneumatica* patet, & Metallorum foſſores, in Fodinis ſæpenumerò experiuntur, qua de cauſa *Hippocrates* 4. *in* 6. *Epid. Somnum in frigore cooperto*, ut ipſe ait, commendabat, nimirum,

rum, ut *Valleſius l.2. Con. Med.31.* & *Ballonius* interpretantur, dormiendum eſſe in amplo Conclavi, ſed corpore ſtragulis benè contecto, qua ratione facilior eſt anhelitus, nec à frigido Aëre partes ſentientes pungente interturbatur ſomnus.

XXV. Notabiles autem in Aëre alterationes (non de iis loquor, quæ ſecundum Naturæ leges, & varia Anni tempora ex neceſſitate fiunt, ſed de intempeſtivis) Venti potiſſimùm, & imbres copioſi efficiunt: Solares enim radii, ob æqualem Solis ad noſtrum Verticem acceſſum, Aërem ſemper æqualiter calefacerent, ſi is aliunde alterationem non ſuſciperet. Haud ſecus Terræ exhalationes ex paludibus, & ſtagnis, ſeu nimis uliginoſo ſolo, eundem non raro contaminant. In noſtro verò caſu Aërem à copioſis imbribus, & lutulenta Conſtitutione vitiatum fuiſſe exiſtimandum eſt, ſicuti etiam à Ventis Borealibus intempeſtivum redditum, qui cùm verno tempore, ac per totam ferè Æſtatem nunquam ſiluiſſent, Solarium radiorum vim hebetando, Vaporum à leni calore elevatorum diſcuſſionem prohibuerint, & volatiles Spiritus, quos in ſuo ad noſtrum Verticem acceſſu, Sol quaquaverſum diffundit, verſus Auſtralem plagam retropulerint. Ex quo factum, ut iis in locis, ubi ſtatariæ fuerant Aquæ, Aër circa Veris principium tepeſcens, multos vapores, & tetras exhalationes in ſinu ſuo exceperit; Aër verò ſic pollutus, ac partibus volatilibus, quæ à Sole promanant, ulterius deſtitutus, dum intra Corpora eorum, qui his in locis degebant admitteretur, totius maſſæ ſanguineæ craſim, & cæterorum fluidorum ſyſtaſim naturalem perturbarit.

XXVI. Reor itaque à naturali ſuæ dulcedinis, & fluiditatis ſtatu, maſſam ſanguineam deſciviſſe, & craſſiorem conſiſtentiam, quàm par eſt, acquiſiviſſe; ſicuti, & proportionem ablatam inter Bilem, & ſuccum Pancreaticum, illa quidem languidiori, hoc fortiori reddito. E Cœlo potiſſimùm Volatiles Spiritus in Terram defluere, è Terra verò, utpote ſuccis mineralibus referta, continuò acidas particulas ſurſum efferri, ingenioſum eſt Clariſſimi *Sylvii Tra.10.* excogitatum, ſed rationibus, & experimentis confirmatum. Quare cùm in hujus Anni pluvioſa, & frigida Conſtitutione, Aër partium volatilium, & ſpirituoſarum magna penuria laboraret, aliaque ex parte acidis particulis è terra lutulenta, ac veluti fermentata elevatis, maximè abundaret, mirum non eſt, ſi poſtmodum intra Vitæ hoſpitia exceptus, talem diatheſim induxerit, è qua tam magna febrium propago emanarit. Acidam verò dyſcraſiam potiùs, quàm bilioſam, & alchalinam in univerſum prævaluiſſe, duo potiſſimùm evincunt, primùm, quòd hoc Anno in tam ampla Febrium ſegete nullam Synochum, nullam Febrem ardentem obſervare contigerit, alterum, quòd hujuſmodi Febres, ut plurimùm, veluti ſuperiùs annotavimus, potiùs famelicæ fuerint, quàm ſiticuloſæ.

Nec miretur quiſpiam, quòd Tertianæ Febris naturam ex prædominio Acidæ Mineræ potiùs deducam, quàm Alchalinæ, qualis cenſetur Bilioſus humor; nam ex quanam materia quæſo, in hac Conſtitutione tam horrida, procelloſa, ac media Æſtate frigida, poſt uſum ciborum pituitoſi ſucci, ex quanam materia, inquam, tanta bilis copia gigni debuit, quæ ſufficeret ad procreandam tam numeroſam Febrium ſobolem, ac illam tamdiu alendam? Nec deſunt *Profeſſores* celeberrimi, qui ab hoc non multùm diſſentiunt, inter quos *Ettmullerus in Colleg. Conſult. Caſ.* 19. qui pro cauſa proxima Tertianæ febris intermittentis, ſtatuit fermentum ſalino acidum, in legitimis quidem magis volatile, & activum, minus autem volatile, & ſubjecto viſcido irretitum in nothis.

XXVII. Præter Aëris malam Conſtitutionem, tamquam hujus Epidemici Affectus communiſſimam cauſam, aliæ quoque nec parvi momenti in idem conſpirarunt, ſcilicet, ut humores ad acidam dyſcraſiam diſponerent, nimirum prava alimenta ingeſta, ut fructus horræi à rubigali lue vitiati, nimia Piſcium ingurgitatio, edulii genus noſtris Agricolis inſolens, in quorum ſtomacho cibis fortioribus aſſueto, facilè putreſcebat, hoc

eſt facilè aceſcebat, cùm nullo evidentiori ſigno putreſcentia ſe prodat, quàm per acorem; his addi poſſunt puteales aquæ, ex nimia illuvione cœnoſæ, & ſemiputridæ, ac denique Boreales Venti, qui Acidi nitroſi Promocondus appellantur. Ex his itaque Communibus Cauſis, ceu Fontibus, harum febrium originem probabiliùs, quàm à quacumque alia deduxerim, neque enim ad cœleſtes influxus recurrendum, quaſi Aſtra maligniori lumine Ruſticanam gentem potiùs, quàm Urbanam, veluti innocentiorem adſpicerent, cùm præterid, improbabile ſit, quòd cœleſtes influxus tam arcto ſpatio potuerint circumſcribi, ſicuti neque ſubterraneæ exhalationes culpari poterant, cùm Terræmotus nullus præceſſerit, neque in hac noſtra magna Planitie *Ciſpadana*, & *Tranſpadana* exſtent Antra, & Terræ hiatus Charonei, è quibus pernicioſa effluvia poſſent erumpere, & aërem inquinare.

XXVIII. Quod ſpectat ad Cauſam internam, quam *Conjunctam* appellant, hæc nonniſi in craſſam, & viſcidam pituitam, cui acidum fermentum hæreret, referenda erat, vel ſtabulantem in ſtomacho, ut placet *Ettmullero de febr. c.* 17. vel ductus laterales Pancreatis obſtruentem, ut ſtatuit *Sylvius Tra.* 10, quæ materia in Venas transfuſa, & partibus ſpirituoſis ſanguinis permixta, febrilem efferveſcentiam excitaret; utut enim cruoris maſſa effœta ſit, & vapida, ſemper tamen aliquid oleoſi, & ſulphurei continet, quod ad flammulam vitalem alendam ſufficiat. Focus itaque febrilis hoſpitabatur extra Vaſa ſanguinea, quemadmodum in febribus omnibus periodicis; cùm alioquin perdifficilè ſit, intermittentes febres, ab iis quæ verè Continuæ ſunt, diſtinguere, cujuſmodi Febres Ignis nomine *Divinus Præceptor* inſignire conſuevit, ut ex variis hiſtoriis in libris Epidemiorum videre eſt. Non enim concipi poteſt, ajebat Scientiſſimus *Carteſius P.* 1. *Ep* 51. & 88. quænam poſſit eſſe Circuitus cauſa, niſi materia quædam, quæ maturatione indigeat, antequam maſſæ ſanguineæ miſceatur, quæ per venas ad Cor delata, potis eſt tot excitare turbas, & febrilem tempeſtatem ciere, quæ non alio pacto ſedetur, quàm eadem hoſtili materia ſub forma ſudoris per corporis ambitum diſcuſſa, vel per urinarias vias ablegata.

XXIX. Rarum quidem eſſe, quòd Tertianæ febres Epidemicæ ex Aëris vitio obſerventur, ait Doctiſſimus *Ettmullerus de febr. c.* 17. ac revera Febres, quæ alicujus pravi Seminii in Aëre latentis ſoboles ſunt, nullum certum ordinem ſervare ſolent, multòque rarius eſt, quòd ſint de genere Intermittentium; hoc Anno tamen hujuſmodi febrium genus, in hiſce Regionibus populariter graſſatum fuiſſe, tam Ruri, quàm in Oppidis (quamvis poſtea ob diuturnitatem in continuas, & lentas migrarent) ſat perſpectum eſt. Haud abſimilem Conſtitutionem, quæ in *Anglia* Anno 1658. ac magis per Rura, & Pagos, quàm per Oppida, & Urbes deſæviit, Doctiſſimus *Willis* in ſuo Tractatu de Febribus deſcribit; ſuæ tamen Febrilis Epidemiæ originem, & cauſam procatarcticam non Aëris vitium Vir ille Peritiſſimus refert, ſed potiùs in prægreſſam Conſtitutionem nimis æſtuoſam, & illi Climati inſolentem; Febrem Tertianam intermittentem Epidemicam obſervavit quoque Celeberrimus *Bartholinus* Haffniæ, Anno 1652. ſed & ipſe illius cauſam calidiſſimæ, & ſicciſſimæ Æſtati, præter morem, & conſuetudinem illius Cœli, adſcribit, hanc verò noſtram Ruralem Epidemiam lubet referre in Conſtitutionem præhumidam, ac frigidam, huic Cœlo inſolitam, ac ſimul in Aërem ob cœnoſam colluviem vitiatum. Si enim hujus Epidemici Affectus cauſa, eſſet ex totius Anni intempeſtiva Conſtitutione, quæ frigida, & procelloſa toti penè *Italiæ* communis fuit, non ſatis conſtat, quare hic popularis morbus, in humilioribus tantùm locis, ac ubi ſtagnarint aquæ, ſedem fixerit, & non ampliora ſpatia occuparit; cùm tamen Incolæ cæterarum regionum, quæ ab hujuſmodi atmoſphæra remotiores erant, (ut totus tractus ſupra *Viam Æmiliam* verſus Colles) nunquam aliàs à Febribus magis ſecuros, ſe vixiſſe meminerint.

XXX.

XXX. Qua de causa porrò, à Constitutionibus tantæ siccitatis, quales, ut dixi, ad plures Annos experti fuimus, ad Constitutionem imbrium adeò feracem talis factus fuerit transitus, certè hic mihi *hæret aqua*, ut dici solet, & ad hanc Veritatem eruendam *Delio natatore* opus esset. Nullus profecto *Astrologorum*, qui ex imaginariis Astrorum configurationibus futuros rerum eventus prædici posse existimant, tam magnam illuvionem prædixit, neque postquam facta est, rationem ullam attulit, cur ita fieri deberet. Sint utique Astrorum in hæc inferiora Influxus, quos velle negare, magna dementia esset, at modus, quo agant, id omninò indeprehensibile est. Rectè quidem *Ptolomeus* uti videre est *ex lang. l. 1. ep. 35.* inscribitur, Stellarum effectus incertos esse, & varios, pronunciavit, quoniam incertum est, qua ratione materia subjecta influxum recipiat. Observandas quidem magnas Temporum mutationes, Æquinoctia scilicet, & Solstitia, ut in illis, *neque medicamenta exhibeamus, neque uramus, neque secemus* pluribus in locis monuit *Hipp.* uti *De Ae. Aq. & lo. n. 30. 1. in 6. Ep. 3. de Diæt. num. 2.* sicuti etiam considerandos exortus Canis, Arcturi, & Plejadum occasum; nam ut idem ait, *morbi his maximè diebus judicantur, alii perimunt aut in speciem aliam transmutantur;* quare verò tam magnæ alterationes, tum in magno, tum in parvo Mundo dictis temporibus fiant, scrutari velle, id esset merè divinare. Satis sit igitur quoad rem nostram, quòd hoc Anno tam magna, & insolita aquarum inundatio morbosam hanc Constitutionem invexerit, contrario prorsus modo, quo in *Ægypto* votiva Nili inundatio, miraculi ad instar, solet pestem abigere, quamvis *Alpinus de Med. Aeg. l. 1. c. 18.* mutationem illam Aëris in salubriorem statum, ad Nili incrementa subsequentem in Etesias videatur potiùs referre, quæ tunc temporis, Sole signum Cancri subeunte & septentrionali plaga fumigante, flare incipiant, & Campsinos Ventos pestis vectores repellant. Quæcumque ea causa sit, ob quam Nilus *Ægypti* Pincerna, salubritatem invehat, certum est tamen, ad illius incrementum Morbos populariter grassantes decrescere, & in magna illa inundatione demergi; adeò verum est illud *Celsi in Proe: Differre pro natura locorum genera Medicinæ, & aliud opus esse Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia.* Annus jam agitur centesimus, ex quo haud absimilis inundatio *Cispadanam*, & *Transpadanam Regionem* occupavit, unde postea subsecuta est summa Annonæ caritas tritico in lolium converso, uti persuasum habuit *Paulus Crassus Corrigiensis* in suo libello de Lolio, de qua conversione frumenti in Lolium non parùm dubitatur. Inchoarunt autem tunc temporis circa Maji principium pluviæ, quæ postea per totam Æstatem obstinatissimè perdurarunt. Observantur itaque per intervalla quædam eædem Temporum Constitutiones recurrere, sive in Astrorum vim nobis ignotam id referamus, sive in justam Dei vindictam, qui sicut olim Universali Diluvio totum Orbem puniit, ita particularibus eluvionibus quasdam particulares Regiones aliquando plectat.

XXXI. *Rubigalem luem* non exiguam operam ad Morbosam hanc Constitutionem contulisse, superiùs dixi; at ne id gratis, ac veluti dictatoriè pronunciasse videar, libeat in disquirenda, & examinanda *Rubiginis* natura paululum immorari. De *Rubigine* multa quidem *Veteres* scripsere, at de illa secundum suæ Philosophiæ Systemata ratiocinati sunt. In sacris quoque Codicibus uti *Amos Ca. 4. Rubiginis* fit mentio, cùm aliquando hac, veluti itæ suæ ministra, *Deus* populo suo fruges, & fructus omnes ademerit, ut illum ad bonam frugem perduceret; nonnulli verò ex *Recentioribus* de hac peste aliquid scripsere, ut *Ruvellius*, *Levinius Lemnius*, *Ludovicus Vives*, *Langius*, sed ea quæ à *Veteribus* scripta fuerant recoxere. Vegetabilem itaque Familiam suis Morbis laborare, iisque diversi generis, multosque gravissimos *Auctores* de iis scripsisse, ut *Varronem*, *Plinium*, *Columellam*, aliosque, jam satis perspectum est. *Rubiginem* verò, frugum omnium, & fructuum communem morbum, ut illam *Theophrastus* appellat, adeò exhorruerunt *Antiqui*,

ut ad avertendam hanc peſtem ſibi *Deam* finxerint, quem *Robigum*, teſte *Varrone de re Ruſtica*, appellabant, unde *Rubigalia feſta* emanarunt, quæ à *Numa Pompilio* Regni ſui Anno XI, referrente *Plinio l.* 18. *H. N. c.* 29. inſtituta ſunt, & ad 7. *Kal. Maji* celebrabantur. Mactabant autem lactentem Catulum in hujuſmodi ſacrificio, unde *Columella*.

Hinc mala Rubigo virides ne torreat herbas?
Sanguine lactentis Catuli placatur, & extis.

Litabant autem lactentem Catulum, eò quòd à *Rubigali Numine*, mediante maligno Canis Syderei influxu, putarent hanc labem in terras immitti; quare cœca ſuperſtitione, ac non niſi habita ratione nominis, id agebatur ſacrificium, ut ingenue *Ovidius*.

Pro Cane ſydereo Canis hic imponitur Aræ,
Et quare id fiat, nil niſi nomen habet.

XXXII. *Rubigalia* itaque ſacra, ſicut & *Floralia*, ut cuncta benè defloreſcerent, inſtituta ſunt, ac celebrari ſolita, ſub finem Aprilis, propterea quòd hujuſmodi tempore à *Rubigine* frugibus, & fructibus valdè metuerent, occidente tunc temporis Cane, Sydere per ſe vehementiſſimo, qui occaſus ex *Plinii* obſervatione *l.* 18. *H. N. c.* 29. tunc in 4. Kal. Maji incidebat. Obſervabant autem *Veteres* multa attentione Canis occaſum, ubi nos vix ortum, qui perſæpè credimus eodem tempore ubique inchoare *dies Caniculares*, veluti non rarò doctos alioquin, & celebres *Profeſſores*, ita quidem, ſed turpiter ſentientes, audire contigit, cùm tamen juxta diverſam latitudinem, quam variæ regiones habent, varii ac diverſi ſint Aſtrorum ortus, & occaſus, quod non ignotum *Galeno* 1. *in* 1. *Epid.* qui tradidit, eodem quidem tempore omnibus in plagis fieri tum *Æquinoctia*, tum *Solſtitia*, Aſtrorum verò ortus, & occaſus communes eſſe iis ſolùm qui ſub eodem vertice habitant.

XXXIII. Hanc peſtem *Græci* Ερύσιβην *Latini* Rubiginis nomine appellavere, ſive à rodendo, ut *Varroni* placet, ſeu quòd rubro colore fruges inficiat; *Uredinem* quoque, ſeu *Carbunculárem morbum* vocavit *Plinius l.* 18. *H. N. c.* 28, quòd fruges exurat, veluti hoc Anno contigit, cùm fruges, & plantæ omnes carbuncularent, ut *Pliniano vocabulo* utamur. Hos equidem *Rubiginis* noxios effectus obſervare, & contemplari licuit; at quænam ſit hujus peſtis natura, & indoles, non tam facilè eſt decernere. Sapere ignis naturam, ſeu acrimoniam lixivialem, & Alchalinam ex Sale acri, & volatili, proclive quidem eſſet aſſerere; at multa obſtant, ne in hanc ſententiam eam. Gigni *Rubiginem* ex Rore, ſed vitiato, ſerenis noctibus, vel in plenilunio, vel interlunio, quibus temporibus Luna frigidius lumen ad nos reflectit (cum in Plenilunio, Æſtivo tempore à noſtro vertice multùm abſit, in Interlunio verò totum lumen, quod à Sole recipit eidem regerat) *Antiquorum* fuit opinio; cui recentiorum quoque non pauci ſubſcripſere, inter quos *Ludovicus Vives* in doctiſſimis ſuis Commentariis in librum *D. Auguſtini* de Civitate Dei *l.* 4. *c.* 21, ubi ſcripſit, *Rubiginem eſſe Rorem putrefactum, fruges tenues corrumpentem, & friantem.* Generari utique *Rubiginem* ex Rore, ſerenis noctibus (cum Ros non decidat niſi ſereno Cœlo) & ſilente Luna, veritati valdè congruum videtur, nam re vera ſub initium Junii propè Interlunium, ſigna Rubiginis obſervari cœpta in frugibus, & plantarum foliis, quæ parvis maculis nigricantibus diſtincta, puncticulari morbo laborare videbantur, argumentum evidens, hujuſmodi ſtigmata à Roris guttulis, ubi diu hæſerant, fuiſſe inuſta.

In Rore (quem Lunæ, & Aëris filium Alcmon dixit, & à raritate ita appellatum Iſidorus tradidit, eò quòd non ſit craſſus ut pluvia) multum liquoris volatilis Salini, ratione cujus abſtergit, & alvum ſolvit, omnes docent Chymici, qui pro egregio menſtruo ipſum commendant ad extrahendas omnium Vegetabilium Tincturas: ex eodem quoque tradunt elici ſpiritum, qui ad metalla diſſolvenda efficax ſit, quo ſpiritu utebatur Cnofellius *ex Cramer. Diſſ.* 5. *c.* 2. ad parandam Coraliorum Tincturam, ignita Coralia in Roris ſpiritum projiciendo. Vim hujus

Salis

Salis ſentiunt, qui manibus rorem tractant, aut nudis pedibus per campos, & prata rorulenta incedunt; nam manus, & pedes ſcabri fiunt, idque ob ſalinas, & nitroſas particulas, quæ cutim arrodunt. Vi quoque pollere graciliora reddendi corpora tradit Plutarchus *Quæ nat.* ac propterea Mulieres habitiores illius uſu nimiam polyſarciam emendare. Sale ſaccharino pariter divitem eſſe Rorem, ut multis morbis opituletur per analyſim, & ignis examen, ſe deprehendiſſe teſtatur Helmontius. Multa de Roris viribus ſcripſit in doctiſſimis ſuis Animadverſionibus Excellentiſſimus D. Joſeph Lanzonus Medicus Ferrarienſis, cui non parum debeo, quòd ea quæ in hac Conſtitutione ipſe obſervavit mihi per literas benignè communicârit.

XXXV. Hæ ſunt nativæ dotes matutini Roris, ac præſertim Majalis, in ſalubri tamen Conſtitutione, ac ſolo minimè uliginoſo, nec paluſtri; at ſi ex malis temporum Conſtitutionibus, & noxiis afflatibus, ſeu pravis è Terra exhalationibus Ros vitietur, in Rubiginem degenerat, malum, quo nullum noxius eſt, & cui, ut ait Plinius *l.* 18. *H. N. c.* 25, *non comparantur grandines, neque procellæ, quæ nunquam Annonæ intulere caritatem.* Gigni Rubiginem itaque ex Rore exiſtimo, dum multa nitroſa, & acida corpuſcula è ſolo elata, & per aërem undequaque diſperſa, ſalinis particulis, quibus naturaliter Ros abundat, ſociantur, quæ ſimul in magno aëris Receptaculo fermentata, & exaltata, modo nobis imperceptibili, in liquorem coëant, qui poſtea ſub forma Roris deciduus & plantis inhærens, eaſdem maculis diverſi coloris ſugillet, uti apud nos factum, his duobus Annis, cùm in priori Plantæ omnes, & fructus rubris veluti peticulis, hoc Anno verò nigris laborare viderentur. Præpollere itaque in *Rubigine* acrimoniam acidam, & corroſivam, haud abſimilem *Aquis ſtygiis*, & *Spiritibus Nitri*, & *Vitrioli*, longè veriſimilius, quàm Alchalinam ex ſale Acri, & cauſtico; quando nulla cauſa animo fingi poſſit, quæ in tam remiſſis caloribus hujus Conſtitutionis uſtionem, & acredinem accerſere potuerit.

XXXVI. Neque huic meæ opinioni quicquam refragari *S. Scripturæ* auctoritatem crediderim, dum apud *Amos Prophetam* fit mentio *Rubiginis* his verbis: *Percuſſi vos in Vento urente, & in Ærugine, multitudinem fructuum veſtrorum, & Vinearum veſtrarum, oliveta veſtra, & ficeta comedit Eruca;* cùm non magis Auſtrini flatus ſua caliditate, quàm Boreæ penetrabile frigus adurat.

XXXVII. Diſplicet quidem, quòd eo tempore quo ſæviit *Rubigalis lues*, aliquo experimento non pertentarim, ut certiùs illius naturam explorarem; ſiquidem nimis ſerò animum ſubiit cogitatio de hac Rurali Epidemia, & *rubigali peſte* deſcribenda. Non deſtiti tamen, quin poſtmodum variis experimentis perveſtigarem, num ea quæ mente excogitaram Veritati congruerent; expertus itaque ſum, variis liquoribus modò acidis, modò alchalicis, & lixivialibus, plantarum folia, flores, & fructus adſpergendo, attentè obſervans, quis inde color emergeret; folia itaque recentia Fabarum, quæ apud nos circà finem Octobris ſeri ſolent, Spiritu Vitrioli irroravi, & non multò poſt flaventes maculæ, ubi guttulæ liquoris hæſerant, apparuere; placuit autem magis in Fabis experiri, tum quia in hoc leguminis genere vim ſuam magis exercuit *Rubigo*, tam quia *Theophraſtus* teſtatur *l.* 4. *de Cav. Plan. c.* 15. *Fabam inter legumina magis æruginem ſentire.* Fabarum itidem folia liquore alchalico, & urinoſo, ac lixivio acerrimo adſperſi, neque notam ullam alicujus coloris inuri deprehendi. In aliis quoque Plantis, ac variis Oleribus, ut foliis Lactucæ, Braſſicæ idem pertentavi, & ab acidis Spiritibus ſeu Vitrioli, ſeu Nitri, flavas maculas prodire, nunquam tamen nigras, obſervare contigit. *Rubiginis* itaque Naturam in Acida potius acrimonia, quam Alchalica lubet ſtatuere. Congruunt autem huic meæ opinioni ea, quæ in ſtrage Animalium evenere, nam præter malam Aëris diatheſim, Brutis quoque noxiam, ob paſcua rubiginoſa Sanguine acidiori reddito, ac in motu ſuo præpedito, vel ſubitæ mortes integros greges Pecorum ſuſtulê-

ſuſtulere, vel obortæ ſunt Variolæ, quas ex ſanguinis ſtagnatione fieri, dum in orbem agitur, communis eſt *Recentiorum Opinio*. Tubercula autem illa, quæ in capite, collo, & cruribus pecudum viſebantur, revera Variolas fuiſſe, licet profectò aſſerere, quando nec colore, nec liquore in illis contento, nec magnitudine, nec modo quo ſolvebantur, poſt ſuppurationem nigra cruſta ſuperſtite, quicquam à Puerorum Variolis diſcrepabant. Nihilò ſeciùs eadem paſcua infecta cæteris Animalibus cladem intulere. Sic Apes haud ampliùs ex florum Calycibus nectareum laticem, ſed acidum ſtagma delibantes, partim exſtinctæ ſunt vel aliò ſuas Colonias tranſtulerunt. Pariter neque mirum, quòd hoc Anno Cicadæ, ut plurimùm taciturnæ fuerint; cum, præter remiſſum Æſtatis calorem, qui illas ad cantum nequaquam cieret, vel nutritium Rorem nactæ non fuerint (ſi tamen verum, quòd Rore paſcantur) vel quòd majori ex parte perierint. A Cicadarum obmuteſcentia, malas Temporum Conſtitutiones prænunciari, ſcripſit Doctiſſimus *Mercurialis de Peſt.* qui Anno 1577. obſervavit in *Agro Patavino*, aut nullas, aut rariſſimas Cicadas ceciniſſe, unde poſtea gravis ſubſecuta eſt Epidemia. Cicadas autem re ipſa Rore nutriri fabuloſum non eſſe reor, etenim non in Arboribus pernoctare, ſed ſuper ſolum ipſum, & in aprico loco ad Rorem faciliùs excipiendum, manè autem ad Solis ortum ſuper Arbores advolare, ex Agricola quodam didici, à quo cùm ſciſcitatus eſſem, quare in Villa quadam, quæ *Roboretum* dicitur, penes *Gabellum flumen*, tanta ſit Æſtate Cicadarum copia, ut illic hujuſmodi Inſecti genus, ſuum habere videatur Emporium, id fieri dixit ille, quia ſolum illud arenoſum ſit, in quo faciliùs quàm in ſolo argilloſo parva foramina efficiant, in quibus deponant Ova, pro fœtura in ſecuturam Æſtatem.

XXXVIII. Hæc omnia itaque *Rubiginis* naturam ſatis in propatulo ſtatuere videntur, luem mehercle, & Animalibus, & Plantis valde pernicioſam. Quare autem Solæ Nuces *Rubiginis* noxam non ſenſerint, id fortaſſe in cauſa fuit, vel quòd hujuſmodi fructus gemino operimento ſit munitus, vel quòd Corticalis ſubſtantia multo Sale Volatili abundet, qui diverſam indolem ab Acido poſſidet. Succum è viridi cortice Nucis Juglandis, tamquam remedium à ſe repertum, & magnæ virtutis ad faucium phlegmonas tollendas, multis laudibus extollit *Galenus 6. de Com. Med. 2. l. c. 1.* putabat autem ille, talem effectum præſtare hunc ſuccum, eò quòd vi adſtrictoria polleret, & ſimul tenuium eſſet partium, ex tinctura pene ineluibili, qua manus tractantis inficit, partium tenuitatem deducens, vim autem adſtringendi à ſalubri effectu, quem obſervabat, dum inflammationi mederetur; pro rato enim, ac veluti lege habebatur, quòd in principio Phlegmonis utendum eſſet repellentibus, & adſtringentibus, ne pars ob laxitatem fluentem humorem tam facilè reciperet, quod etiamnum apud non paucos *Profeſſores* frequenti in uſu eſt; quod num rectè, an perperam fiat, non eſt hujus loci diſquirere. Hujus ſucci efficaciam ad inflammationes ſanandas agnoſcunt quoque *Recentiores*, vim autem adſtrictoriam prorſus negant, immò vim diſſolventem ipſi adſcribunt, inter quos *Leonardus è Capua Serm. 5.* qui Corticem Nucum viridium multo Sale volatili divitem eſſe ait, & qui potis ſit grumos Sanguinis diſſolvere, & illius acetoſitatem emendare, quo pacto non ſanguinis fluxum in partem adſtringendo prohibet, ſed ſanguinis refluxum per Venas ad Cor reſerando, promovet. Sicuti autem Priſcis ignoſcendum, ſi ob ignoratum ſanguinis circularem motum, non aptas interdum naturalium effectuum ætiologias afferebant, ita noſtro huic ſeculo gratulandum, de quo veriùs pronunciare libeat, id quod de ſuo ævo ſcripſit *Plinius l. 18. H. N. c. 29. ſcilicet non minùs ingenioſam fuiſſe antiquitus obſervationem, quàm nunc rationem.* Ex Nucum viridi Cortice parari Decoctum in *Anglia* expertæ virtutis ad luem Gallicam perdomandam, quam *Recentiores* omnes in Acidi prædominio ſtatuunt, nuper accepi à Cl. *D. Nathan Lacy* Medico Anglo, & inſigni Anatomico.

mico. Cum itaque Nucum putamen multo Sale volatili abundet, mirum non est, si *Rubigini* obstiterit, & inclusum nucleum à communi lue præservarit. Atque hæc de *Rubiginis* natura, & indole.

XXXIX. Modò supereſt, ut Symptomatum, & quarundam obſervationum perquirantur cauſæ; Adnotatum, veſpertinis horis, has Febres exacerbari conſueviſſe, unà cum virium nocturnâ proſtratione, ut ægri morituri viderentur, mane verò oriente Sole, veluti redivivos tantum virium habuiſſe, ut è lectulis exſurgentes deambularent. *Quale eſt veſperi exacerbari, tale ipſis morbi, & cujuſcumque conſtitutionis ad ſe mutuò*, ajebat *Hipp. 1. m. 1. Ep.* Veſpertinæ itaque exacerbationes, morbi naturam ſuperiùs deſcriptam, & cauſas morbificas, ſatis indicabant. Virium autem dejectionem noctu factam, & matutinam earum veluti redintegrationem, in Solis receſſum & acceſſum, & acidæ Dyſcraſiæ prædominium, referendam putarim. Sole namque occumbente, & volatiles ſpiritus per Aërem diſperſos ſecum trahente, ſpiritus vitales Sanguinis ab Acido coagulante figebantur, unde Facultatum omnium torpor, qui porrò ab iiſdem Solaribus radiis matutinis diſcutiebatur, non ſecus ac quando à brumali frigore, fluentium aquarum curſus noctu intercipitur, qui poſtea à Sole novo lumine Terras luſtrante, reſtituitur. In hac rerum Univerſitate nihil eſſe utilius Sale, & Sole ſcripſit *Plinius*; ſic *Celſus l. 3. c. 21.* Leucophlegmatia laborantes Soli ſubjici oportere ajebat, utendumque frictione manibus aqua madefactis, cui ſal, & nitrum, & olei paululum eſſet adjectum. Mirum itaque non erat, ſi in caſu noſtro à blando Solis calore liquato veluti pituitæ gelu, Cruor ſolitum curſum per ſua vaſa repeteret, & conſopitæ Facultates, ad conſueta munia exercenda revocarentur.

XL. Præ cæteris notatu dignis, obſervavimus inexpugnabilem harum febrium contumaciam, ut non ſolùm omnem *Medicorum* induſtriam eluderent (cum neque Venæ ſectionibus, neque Purgationibus, neque Cardiacis quicquam auſcultarent) ſed uſu remediorum magis exaſperarentur, quod factum exiſtimo, ob malam Aëris diatheſim, quæ Morbum aleret; quare licet etiam opportuna remedia quandoque adhiberentur, nihil remittebat morbus, immò ſæviebat magis, ac ſatiùs profectò fuiſſet in multis hanc Camarinam non movere; tanti eſt Oraculum illud *Hippocratis*, quod initio hujus Diſſertationis attuli, nempe quòd *Hominis Natura interdum Univerſi poteſtatem non ſuperat*, quæ *Hippocratis* verba ſi *Medentes* attentè perpenderent, tot Medicamentis ægros non fatigarent, in Epidemicis præſertim Affectibus, quorum vera Curatio non innoteſcit, niſi cum Buſta plena fuerint.

XLI. Venæ ſectio profectò in his febribus non fuit ſaluberrimum remedium, nec quemquam novi, de quo dici potuerit, quòd illius febris ſanguinis miſſione jugulata fuerit, quin ubi pluries celebrata eſt phlebotomia, magis attritæ ſunt vires, & febres magis protractæ ægros vel ad Mortem, vel ad Cachexiam deduxere. Cur autem in his febribus, tam improſperè ceſſerit Sanguinis detractio, obviam eſt arbitrari, Maſſam ſanguineam ſale volatili, & particulis Spirituoſis ob malam Aëris diatheſim, & Diætæ errores effœtam, per Venæ ſectionem pauperiorem redditam, unde major Acidi præpollentia, & Bilis depreſſio conſequeretur, febriſque exinde protractior fieret. Venæ ſectionem febribus intermittentibus non eſſe per ſe aptum remedium, cum de foco febrili, qui extra Vaſa ſanguiflua larem habet, nihil detrahat, commune eſt *Recentiorum* aſſertum, ſed ſolummodò per accidens convenire ajunt, quatenus obviam iri poſſit multis ſymptomatibus, ac periculis, quæ in Corpore præſertim plethorico nimiam effervescentiam ſubſequi poſſent, ſcilicet inflammationes, & vaſorum diſruptiones, qualis fuit caſus à *Ballonio* memoratus *l. 2. Ep. in Conſt. Æſt. 1576.* de quodam nobili Viro, cui Tertiana Febre laboranti, ob neglectam ſanguinis detractionem ruptæ ſunt Venæ in quarto paroxyſmo, & tanta foràs ſanguinis excretio eſt conſecuta,

ta, ut eò ipso die, illi obeundum fuerit. In hac verò nostra Rurali Epidemia sanguinis efferveſcentia non adeò magna fuit, ut de ejusmodi periculo metuendum esset, immò potiùs lenta, ex Acidi prædominio, & propter bilem enervatam, quæ in confluxu cum succo pancreatico, & cum lympha minùs efferveſceret: propterea V. S. non adeò proficuum fuit remedium, ut in prægressis præcedentium Annorum Constitutionibus, quas valde siccas, & æstuosas esse diximus, quare cum in iis valde turgeret bilis, & sanguis facilè exardeſceret, mirum non erat, si tunc adeò conferret V. S. & à periculis præcaveret, quæ nimiam sanguinis efferveſcentiam, & rarefactionem comitantur; assueti autem *Profeſſores* Venam facilè tundere, ubi constaret esse febrem, ac nullum alium scopum sibi præfigentes, quàm solam caloris febrilis attemperationem, in hac Constitutione à cæteris toto Cœlo diversa, repetita Venæ sectione utentes, ægros persæpè in extremam perniciem præcipitarunt. Nollem equidem, quòd quis me inter hæmophobos recenseat, sed neque inter hæmatochitas numerari velim. Est ubi liberaliter sanguinem demamus, est ubi parcè, est ubi nihil, licet sit eadem affectus species. In *Stymargi* famula usque ad animi defectum sanguinem detraxit *Hipp.* 4. *in* 2. *Ep.* licet frigido Affectu laboraret, qua de re legendus *Valleſius*, rationem autem addidit, *Oportet enim*, inquit ille, *devenire ad Occaſionem*, *& Occaſionis initium.* Causa morbi nimirum illa est, ex qua potissimæ fluunt indicationes. *Similitudines parere errores etiam bonis Medicis*, *contrarium autem facere Cauſam*, monitum est ejusdem *Hippocratis*; nam revera cognita causa, non tam facilè à recto tramite, & legitima curatione deflectitur.

XLII. Quærit idem *Ballonius l.* 2. *Epid. Conſ. æſt. An.* 1575, Practicus olim celeberrimus Parisiensis, cur phlebotomia febres quasdam miraculi ad instar tollat, alias potiùs exasperet; paucis quidem respondit, at illius verba ponderanda sunt, non numeranda. *Febres*, ait ille, *aliæ sunt Venoſæ*, *aliæ Gaſtricæ*, *ideſt quædam phlogoſim ſequuntur potiùs venoſi generis*, *quàm vitium humorum in præcordiis contentorum*; *quæ venoſi sunt generis*, *hæ primo quoque tempore per phlebotomiam ceſſant*, *quæ alius sunt generis*, *non facilè phlebotomia ſolvuntur*, *contra potiùs cathartico egent.* Tales erant Tertianæ istæ intermittentes hujus nostræ Constitutionis, erant enim potiùs Gastricæ, quàm Venosæ, ac propterea ad Venæ sectionem magis exacerbabantur, & contumaciores fiebant, magis autem prosperè cesserunt purgationes, & vomitiones usu Emeticorum, quibus non rarò penitùs avulsus est febrilis fomes. Claudam hunc locum digna animadversione ejusdem *Ballonii l.* 2. *Conſ. Me. Hiſ.* 4. *in Com.* in eos, qui ut nil non agant, ex quacunque re occasionem captant mittendi sanguinem. *Nam ſi induxerint*, (inquit ille) *Venam reſerare*, *& id cunctanter faciunt*, *ſi guttulæ ſanguinis è nare fluant*, *tunc quaſi trophæum reportantes*, *clamant oblatam legitimæ phlebotomiæ occaſionem*; *ſi luculenta ſit hæmorrhagia*, *audacius ſecant*, *qui naturam copia gravari ajunt*, *ſi infra modum ſanguis fluat*, *compenſandum iſtum defectum*, *apertione venæ*, *contendunt.*

XLIII. Non minùs disquisitione dignum est, cur in hac Constitutione tam sæpè contigerit, quòd Tertiana simplex in duplicem migrarit, ea ipsa die, qua secta est Vena. Id olim observarunt *Amatus Lusitanus Cent.* 1. *Cu* 11. & *P. Caſtellus*, nec quemquam scio, qui præter hos hujusmodi phænomeni, quod aliquando in praxi observatur, mentionem habeat: refert autem *Amatus* cuidam Juveni 25. Annorum Tertiana febre laboranti, cùm Venam die intermissionis secuisset, vesperi febrem ex simplici factam fuisse duplicem, hujusce rei rationem reddit his verbis: *Nec enim credere eſt*, *ob ſanguinis extractionem*, *ex ſimplici*, *duplicem factam fuiſſe*, *quum dubio procul niſi ſanguis extractus eſſet*, *in Tertianam continuam futurus erat morbus*; hujusmodi excusationis genus, plerique *Medicorum* nostris etiam temporibus in promptu habent, quotiescunque ex aliquo malè administrato remedio, pejus Æger se habeat; statim enim obtrudunt,

trudunt, quòd multo deteriùs se haberet, nisi tali remedio usus fuisset; meliorem itaque Ætiologiam, & ævo nostro accommodam perquiramus; puto ergo in illo casu (sicuti & in nostra Constitutione) culpandam potiùs Venæ sectionem, quàm Febrem, quæ ex sui natura proclivis esset, ut in Tertianam continuam migraret. Refert *Amatus*, Juvenem illum vigente Autumno ægrotasse, sanguinem in prima pelvicula exceptum atrum fuisse, in secunda rubicundum sine ulla aquositate: rationi congruum est igitur, in illo Juvene, ob prægressos Æstatis calores, partes magis spirituosas, & volatiles sanguinis fuisse absumptas, ac postea massam sanguineam Autumnali tempore in acidam dyscrasiam degenerasse, eo prorsus modo, quo Vina postquam per æstivos calores ebullierint, Autumno facilè acescunt (ut ex atro sanguine primæ pelviculæ, nam sanguis secundæ rubicundior erat, quia arteriosus) secta itaque Vena, & Systasi cruoris magis debilitata, ac depauperata, mirum non fuit, si Acidum prævalens, ac veluti sine Adversario licentiùs insultaret, ex quo Tertiana simplex in duplicem transierit. Convaluit autem Juvenis ille, post bonam purgationem ex pharmaco, nam Febris illa fortasse fuit potiùs *Gastrica*, *quàm Venosa*. In hac verò Constitutione, non ab exhaustu spirituum, ob nimium æstum, massam sanguineam acorem contraxisse arbitror, sed potiùs ob frigidam Anni Constitutionem, ac Diætæ errores, obruta Bile, & concentratis partibus cruoris magis spirituosis, Acidum Stomachi fermentum, & succum Pancreaticum magis viguisse, & post celebratam phlebotomiam, vim majorem acquisivisse, unde febris simplicis in duplicem Tertianam fieret conversio.

XLIV. Culpanda itaque potiùs in his casibus est Venæ sectio, tamquam non aptum remedium, quàm quicquam aliud, quod idem sensisse *P. Castellus* in aureo suo libello *de Abusu Venæ sectionis*. Opponet, scio, aliquis harum febrium propensionem, ut in duplices transirent, cùm sponte, ut superiùs dictum, sub initium Æstatis, Tertianæ omnes simplices duplices factæ fuerint; at regeram ego, nullas ferè duplices Tertianas toto Veris tempore visas esse, tum Ruri, tum in hac Urbe; nisi eas quas Venæ sectio geminarit; quare non video, ab hoc crimine Phlebotomia tamquam innocens possit absolvi.

XLV. Eandem ob causam, nihilò seciùs quàm Venæ sectio, noxiùs fuit in hac Constitutione Aquæ usus; etenim in frigida & humida tempestate, Bile valde refracta, & Acido exuberante, quid opis exspectandum erat in his Febribus ab aquæ potu? non nisi meherclè, ut Aqualiculo infracto, & distento, Cacochylia cumularetur, sanguis pigriori lapsu per sua Vasa flueret, ac tandem Cachexiæ, & Hydropes succederent. Novi Juvenem in hac Civitate, qui in Hydropem ascitem incidit, cum illi Tertiana Febre laboranti suasisset *Medicus*, ut biberet quantùm vellet, immò interdum coëgisset. Succurrit mihi in hanc rem *Terentianum* illud *in Andr.*, ubi *Medicus* in Scenam inducitur. Obs.

Quod jussi ei dare bibere, & quantum
imperavi date,
Mox hùc revertar.

Multòque magis noxius fuit hoc Anno aquæ usus, ac Ruri præsertim, quòd ob pluviarum assiduitatem, aquæ cœnosæ, & graveolentes essent; in hac verò Urbe, non adeò gravem noxam intulit aquæ usus; hæc enim Civitas purissimos habet Fontes, & admirandæ originis, quorum Fontium historiam brevi editurum me spero. Invaluit autem apud Nostrates Opinio, quòd Venæ sectioni, & Aquæ potui, tamquam duabus solidissimis Columnis, tota curandarum Febrium Moles innitatur. At num id rectè? Profectò in hac Constitutione neutrum ex usu fuit. Haud sum nescius scripsisse *Hippocratem* 4. *de Morb. n.* 25, *Aquam non præstare bonum alimentem igni*; at nomine ignis intellexit *Hippocrates* febres continuas, & essentialiter tales, non verò intermittentes, summatim *Venosas*, non *Gastricas*. At forsan aliquando, si otium suppetet, de Aquæ abusu in febribus aliquid conscribam.

XLVI. Verùm quali potu, inquiet aliquis, utendum erat in his febribus? Ego certè Vini uſum rarò, quod ſciam, interdixi, immò ſuaſi, ut modico Vino uterentur, eoque non oligophoro, ſed mediocriter generoſo, multoſque ab Orci faucibus, hoc ſolùm Cardiacum eripuit; Bilis enim erat potiùs acuenda, quam ſufflaminanda, & partes ſanguinis ſpirituoſæ in motum ciendæ, quòd præſtare poterat Vini uſus, & ea remedia, quorum vis in Alchali volatili ſita eſt, quod ſolo naturæ ductu, in *Agro Mantuano* fecere Agricolæ; qui ſuis febricitantibus Allia, & Cœpas cum ſalubri eventu præbuere. Morbos quoſdam Chronicos, pravis eduliis (ſed quæ verè in cenſu Medicamentorum, caſu potius, quàm arte repertorum reponi debeant) aliquando ſanari compertum eſt; ſic diuturnas Quartanas Allii uſu cum multo meraco ſanatas obſervarunt *Antonius Benivenius c.* 59 & *Amatus Luſitanus Cen.* 2. *Cu.* 42. Vino autem generoſo, potiùs quàm tenui, utendum duxi, nihil metuens à febrili efferveſcentia, in hoc enim ſæpius peccatur, quòd rem agi ſine periculo creditur, ſi Vinum tenue in diuturnis Febribus, & chronicis morbis permittatur; at hujuſmodi Vina, ut plurimùm acidiuſcula ſunt, & acorem ſanguinis exaltando, morbi cauſam deteriorem efficiunt; quem errorem notavit olim *Crato l.* 2. *Con.* 27. qui in Podagra ſicuti Vinum meracum, ſed in modica quantitate commendat, ita Vina tenuia improbat, quæ Venas multa ſeroſitate impleant, quod idem ſentit *Willis p.* 2. *de An. Brut. c.* 14. ſicut enim à Vini ſpiritu dulcificantur Spiritus ſalis, ac nitri, ita quoque à Vini generoſioris temperato uſu, Sanguis ad acorem vergens dulceſcit. Variantibus itaque Temporum Conſtitutionibus, varianda eſt methodus.

XLVII. Sic neque *Peruviani Corticis uſus* hoc Anno, ut ſuperiùs adnotavimus, admodum ſalubris fuit, immò in extremum Vitæ diſcrimen, Ægros non rarò deduxit. Id ego in non paucis obſervavi, ſed præcipuè in nobili Virgine, quæ cum ad 40. dies duplici Tertiana conflictata fuiſſet, & poſt ſolita remedia adminiſtrata, ex meo conſilio, aſſentiente quoque Excellentiſſimo *D. Antonio Abbate*, Chinam Chinam ſub forma boli aſſumpſiſſet, eùm in Vino infuſam reſpueret, poſtmodum ſtupida & comatoſa evaſit, cum pulſu adeò exili, ut vix perciperetur; ac trium dietum ſpatio, in tali ſtatu perſtitit, donec ſoliti paroxyſmi redeuntes ſtuporem diſcuſſerint. Inſalubrem autem fuiſſe hujus remedii uſum crediderim, eò quia, cùm maſſa Sanguinea multis cruditatibus ſcateret, ac craſſiorem haberet conſiſtentiam (ut ex ſanguine per Venam ſectam educto ſatis patebat) ideoque ſegnis eſſet ad motum; quotidiana illa febrilis efferveſcentia eſſet loco remedii, qua ceſſante, fieret quædam veluti in Vaſis ſtagnatio, & congelatio, unde functionum Animalium torpor, & Vitalium quoque interceptio; adeò verum eſt illud *Celſi l.* 3. *c.* 9. quòd febrem lentàm interdum augere oporteat, *fortaſſe enim*, ait ille, *curationi opportunior fiet.*

Scio equidem hujuſmodi doctrinam, non ſolùm pleriſque *Medicorum*, ſed etiam aliis, qui Artem Medicam non profitentur, eſſe ſuſpectam, ut ipſi *Senecæ l.* 6. *de Ben.* qui beneficium ſanationis levioris morbi factæ à graviori morbo exprobrat his verbis: *Multi quos auxerant morbos, & irritaverant, ut majori gloria ſanarent, non potuerunt diſcutere, aut cum magna ægrorum vexatione vicerunt.* In hac tamen Conſtitutione experientia ipſa ſatis evicit, febrilem efferveſcentiam ſtimulandam potiùs fuiſſe, quàm frænandam, & uſum calidorum magis profuiſſe, quàm frigidorum; ſicuti in hiſtoria *Polycratis*, viceverſa, frigida magis, quàm calida juviſſe ſcripſit *Hippocrates* 5. *Ep.* 28. innuens hoc dicto, *Divinus Præceptor*, non tanti faciendum præconceptum de natura morbi judicium, ut illud ipſimet Experientiæ in contrarium reclamanti, velimus præferre. Obſervatum eſt tamen feliciori eventu exhibitam *Chinam Chinam* Agreſtibus, quàm Oppidanis, & Urbium Incolis. Gens enim ruſticana, ubi tantillum a morbi faſce levata eſt, illicò laboribus, & exercitiis ſe dedit, quare non erat metuendum, ut tam pernicioſi effectus in iis conſequerentur, quales in Urbanis obſervabantur.

bantur. Sic Doctiſſimus *Ettmullerus* tradidit, non tam facile pati recidivas, poſt aſſumptum hoc febrifugum, homines exercitiis, ac laboribus deditos, ſicuti deſidioſos, & otio innutritos. De hac noſtra itaque Conſtitutione libet proferre id quod olim de quadam ſimili ſcripſit *Hipprocrates 7. in 6. Ep.* ingenua certè confeſſione, more tamen magnorum Virorum, & magnam rerum fiduciam habentium. *Nihil memorabile proderat, non Ventris turbatio, non Venæ ſectio, neque quæcumque alia tentavi.*

XLVIII. Nullas Febres Synochas, vel Ardentes hoc Anno, quòd ſciam, obſervatas diximus, ſicuti paucas Quartanas: de prioribus quidem non eſt quòd miremur, nam partibus ſpirituoſis, & ad conflagrationem aptis, non adeò turgebat maſſa Sanguinea, immò craſſis, & frigidis ſuccis abundabat: ſic Vina tenuia, & acidiuſcula non tam facile fervorem concipiunt, veluti Vina generoſa, ubi Æſtivum calorem ſenſerint; magis quidem mirum eſt, quòd in tanta Febricitantium frequentia, tam pauci viſi ſint Quartanarii, idque magis, ſi verum eſſet quod nonnulli aſſerunt, nonniſi ex majori viſciditate materiæ differre Quartanas à Tertianis. Conſuetam itaque Febris Quartanæ geneſim animadvertens, & hujuſmodi Febrem, tamquam fructum Autumno matureſcentem, conſiderans, cujus uberior eſt proventus, cum Æſtas magis fervida, ac torrida præceſſerit; propterea rationi congruum eſt, quòd in hac Conſtitutione frigida, & humida, in quo non multa fieret partium ſeroſarum per Cutis poros diffiatio, ſuccum Pancreaticum ad eum fixitatis gradum, qui ad quartanarium circuitum requiritur, evehi non potuiſſe, ſeu quidquam aliud defuiſſe, quod humana imbecillitas aſſequi nequit; cùm nihil ſit quod ipſos *Medicinæ Proceres* magis tranſverſos agat, quàm perveſtigatio cauſæ, cur ſtatis horis recurrant febriles paroxyſmi, ac tam exactè, ut ipſa Automata aliquando ſuperent.

XLIX. Verminationem in his Febribus ſatis familiarem, & præſertim in Ruſticana gente ſuperiùs recenſuimus, cujus rei cauſam fuiſſe reor, tum prava Alimenta putrefactioni obnoxia, qualia fuere Piſces, & fructus horræi, tum Ventriculi fermentum ex mala conſtitutione vitiatum, & improportionatum ad cibum rectè ſubigendum; quare Vermium ſeminibus, quæ in alimentis laterent, integris ob tenuem Stomachi calorem manentibus, ut probabiliter reor, mirum non fuit, ſi facilè in magna copia prodierit Verminoſa ſoboles. *Uſum Chinæ Chinæ* valde proficuum ad necandos Vermes expertus ſum; quod præſtare ob inſignem amarorem, quem poſſidet hic Cortex, non abs re crediderim; ſi tamen tutior eſt Praxis, quæ Verminoſos Affectus curat per aloëtica potiùs, quàm per ſaccharata, & mellita. Haud ſum neſcius apud Noſtrates quoque facta fuiſſe experimenta, & obſervatum, quòd Lumbrici in aqua ubi diſſolutum fuerit Mel, vel Saccharum, citiſſimè moriantur, in amariſſimis verò liquoribus ad integros dies vixerint; aſt ab iis, quæ extrinſecùs apparent medicamentorum vires, metiri velle, non adeò tutum exiſtimo, quin errandi periculum ſubſit. Suſpicari enim licet, quòd medicamenta propinata, quæcumque ea ſint, iis quibus armantur viribus citò ſpolientur, dum primò cum ſtomachico fermento, cujus vim tranſmutativam nemo non novit, mox in Inteſtinis cum Bile, qui humor ſuapte natura ferox eſt, & cum ſucco Pancreatico ſpiculis armato congredi debent; quòd ſi ulteriùs pervadant, cum lympha quoque in communi Receptaculo, iiſdem ſit concertandum. Sic Crocus Martis, qui aperitivus dicitur, ut notat *Junchen in Chym. Exper. Se. 5. c. 6.* niſi acidum ſuperfluum reperiat in Ventriculo, à quo ſolvatur, Adſtringens evadit. Id ipſum quoque teſtatur *Chirurgia Infuſoria*, qua conſtat, quòd liquor purgans in Venas Canis infuſus magnam excitat purgationem, nullam verò vel paucam, ſi per os idem liquor, vel in majori doſi, injiciatur, idque ob Acidi copiam, quo Caninus ſtomachus abundat, quod Acidum vim catharticam, & emeticam potenter infringit. Hanc ob cauſam Venena quædam, ut ait *Celſus l. 5. c. 17.* non guſtu,

ſtu, ſed vulnere nocent, & *Pſylli* è Serpentum morſibus venenum innoxiè exſugebant. Quot verò, & quantas ſubeant mutationes medicamenta per os aſſumpta, dum varias corporis regiones præterlabuntur, ingenioſiſſimè explicat *Bellinus de San. miſ. prop.* 9. *de med.* ut nihil præſtantius. Reor itaque ex medicamento aſſumpto, & ſuccis quibus commiſcetur, gigni novum concretum, è quo illæ operationes, quæ poſtea conſequuntur, promanant, & quæ ſolius medicamenti efficaciæ ſolent adſcribi.

L. Poſtquam hujuſmodi Febres miſeros ægrotantes diu fatigaſſent, diximus nonnullis apparuiſſe Parotides, quibus licet ſuppuratis, eadem tamen pervicacia Febres perſtabant. Id equidem magnam humorum cruditatem in toto Venoſo genere ſignificabat, ſed hanc non eſſe potiſſimam harum Febrium Cauſam & fomitem, ſatis demonſtrabant, qui Fomes, in Ventriculo, & Pancreate præcipuè ſedem fixerat. In nonnullis pariter poſt multos febriles paroxyſmos ſupervenerunt Diarrhœæ, ac Dyſenteriæ, irritata ad expulſionem Natura, tum à copia, tum à pravitate ſuccorum; neque enim hæſitationi locus, quin etiam aliquando malignum quid ſubeſſet in his Febribus, quamvis intermitterent; plures tamen ſuſtulit Diarrhœa, quàm Dyſenteria, eò quòd forſan in iis, qui Diarrhœa laborarent, communicata eſſet labes maſſæ ſanguineæ, quæ ſerum acre per glandulas inteſtinales excerneret; in iis verò qui Dyſenteria vexarentur, mali fomes eſſet extra Venas, viſcida nempe & acida pituita Inteſtina abradente, & excoriante. Frequentes porrò fuere Recidivæ, non ſolùm ob diætæ errata, ſed ob communem cauſam, Aërem nempè vitiatum, qui febrile Miaſma ad aliquod tempus conſopitum, in novos motus, & exorbitantias cieret; eandem quoque ob cauſam, adeò contumaces fuerunt hæ Febres, cùm nihil ſufficeret ab abſtergendam labem illam, quam Aër continuò inſpirarus ferè ineluibilem redderet; adeò gravis eſt Morbus, quem Cœlum fecerit. Sic pacari non viſa eſt Affectio, niſi cum ſub Anni finem, humidæ & nebuloſæ tempeſtati ſicca & ſerena ſucceſſit: quare ſicuti ex *Hippocrate de N. Ho. n.* 17. *Quicumque Morbi Æſtate augeſcunt, Hyeme deſinere ſolent*, idque non niſi ob naturalem Temporum mutationem, ita in hoc Epidemico Affectu optimi remedii loco eſſe cœpit Aëris in vitalem temperiem reſtitutio.

LI. Præ multitudine ægrotantium, tam ex genere Agreſti, quàm Urbano, paucos interiiſſe ſuperiùs monuimus, quod ſanè præter opinionem *Medentium* contigit, qui majorem ſtragem pertimeſcebant. Duas potiſſimùm ob cauſas in Epidemicis Affectibus pereunt homines, vel ob humorum διάχυσιν, vel ῥάσιν, ut ipſis vocibus *Hippocraticis* utar 7. *in* 6 *Epid.* id eſt vel ob Maſſæ Sanguineæ diffuſionem à Sale acri, & Alchalico factam, vel ob ejuſdem concretionem, ab Acido exſuperante; frequentiora tamen funera ſanguinis διάχυσις, quàm ῥάσις ſolet inferre: propterea graſſante peſtilentia, ut plurimùm acida primas tenent. Cùm ergo in hac noſtra Conſtitutione acidum quidem præpolleret, ſed non earum eſſet virium, reluctante præſertim febrili efferveſcentia, ut potis eſſet lethalem ſtagnationem inducere, ac fluxum, & refluxum Sanguinis prohibere, hinc eſt, quòd licet hominum myriades eodem tempore decumberent, pauci in Libitinæ cenſum venerint. Sic mirum non eſt, quòd Fœminæ & Pueri ob molliorem habitum, & vitam minus actuoſam, hujus Epidemiæ vim magis ſenſerint, ac multò magis lactentes Pueri, in quorum venis, ob lac vitiatum, & ad coagulationem aptum, faciliùs ſanguinis ſtatio ſuccederet; ſic narrat *Hippocrates* 3. *in* 1. *Ep.* in quadam Conſtitutione, *ex laborantibus mortuos eſſe maximè Pueros Adoleſcentes vigentes ætate, glabros, ſubalbidos, & qui in ſocordia vixerint.* Fiebant autem Pueri Icterici, ob Hepar obſtructum à viſcida pituita redundante, ac à febrili calore in motum concita, quæ in Hepatis ſubſtantia defixa, Bilis ſecretionem prohiberet, cujus ſignum erat, quòd in omnibus tenſum, ac durum Hepar perſentiretur; ſero autem acri, & acido in Cerebri membranas transfuſo, convulſi moriebantur

riebantur, morbo alioquin Pueris familiari, ſed huic Conſtitutioni magis proprio, utpote valde aptæ ad acorem maſſæ ſanguineæ conciliandum.

LII. Si verò quærat aliquis; cur hæc mala Conſtitutio Agricolas magis, quàm Oppidanos, & Urbium Incolas vexarit, videtur ſatisfieri poſſe dicendo; potiſſimam cauſam fuiſſe Aërem à fœdis exhalationibus vitiatum, ob nimiam illuvionem, quæ campos, & Agricolarum domos inundarit, non ſic Urbes & Oppida in editioribus locis poſita; huic cauſæ addi poterit Victus pravus, & inſalubris, ac præſertim nimia Piſcium ingurgitatio, alimenti genus Colonis noſtris inſuetum, & quod in illorum ſtomacho facilè putreſceret. Scio equidem à non vulgaribus *Medicis*, Piſces ægris quoque exhiberi ſolitos, tamquam laudabile alimentum, ac multò magis ſanis corporibus; verùm, ut ait doctiſſimus *Plempius de Togat. Val. tu. c.* 4, illorum uſus *Athletis non convenit, non caſtra ſequentibus*, non Agricolis addam ego, quibus utilior eſt caro bubula, & ſuilla. Id ipſum teſtatur *Galenus* 3. *de Alim. fac. c.* 30. qui Piſcium uſum in hominibus otioſis, Senibus, & ægrotis commendat, non ſic verò in iis, qui corpus exercent; his addendum, quòd ſicuti Piſces, qui in rapidiſſimis fluviis capiuntur, ex *Athenæi* ſententia *l.* 8. *c.* 9. omnium ſunt optimi, ita hi eſſent omnium peſſimi, quòd in aquis ſtagnantibus fieret illorum captura.

LIII. His quoque cauſis accenſeri poſſunt labores, & exercitia ſub aſſiduis imbribus, unde pororum Cutis conſtrictio, ſudoris parcitas ob frigidam, & humidam Anni intemperiem, cùm aliàs per Æſtatem ſub aſſiduis laboribus copioſiſſimè ſudare conſueviſſent, quas cauſas in Oppidanis, & Civibus, qui meliori victu utuntur, nec Aëris injuriis ſunt ita expoſiti, non tam facile quis reperiat. Sedes præterea hujus Ruralis Epidemiæ à Civitatibus, & Oppidis majoribus circumſcribi videbatur; quare *Mutina*, & *Regium*, eò quòd eſſent veluti in circumferentia, & *Appennino* proximiores, minùs hanc labem ſenſere, magis autem Ferraria, & Oppida *Mantuanæ Ditionis*, *Pado* proximiora, ubi major fuit infantilis clades, quemadmodum à variis Profeſſoribus, ac aliis, per literas accepi. Magna verò hæc Planities his locis circumſcripta, & tota Colonis oppleta, in cujus ſinu ad longum tempus ſtagnarant aquæ, hujus Epidemici Affectus Sedes, ac Domicilium fuit.

LIV. Circa cæterorum Affectuum examen, qui has Febres comitati ſunt, quales fuerunt Apoplexiæ, Epilepſiæ, Catarrhi præfocativi, Cachexiæ, & Hydropes, non multùm immorabor; ejuſdem enim Conſtitutionis ſoboles fuerunt, & Acidi prædominium ſignificabant, vel ſanguinem, & reliqua fluida coagulantis, vel nervoſum Syſtema occupantis; hæc omnia itaque, veriſſimum eſſe *Divini Senis* Oraculum, comprobarunt 3. *Aph.* 16. quòd *Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ, alvi profluvia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ, & anginæ.*

LV. Ut autem circa res venturas, Conjectoris quoque partes agamus, ſupereſt videndum, num ſperare liceat, poſtquam pacata eſt non parùm hæc Affectio, an in totum ea deſitura ſit, an potiùs hæc eadem, vel deterior exſuſcitari poſſit. Sperare licet utique, malam hanc Conſtitutionem emendandam, cùm poſtremi hi duo Menſes, cum perpetua ferè ſerenitate, & Aëris tranquillo ſtatu, Annum jam clauſerint; nam ut ait *Montanus in p. Ep. Tempora conſequentia ſecundum naturam exſiſtentia, corrigunt vitia præcedentium præter naturam exſiſtentium;* at metus ſubeſt, ne ob aliquam Annonæ caritatem infelices Coloni, qui ad ſedandam latrantis ſtomachi rabiem, atro pane & confuſaneo uti cogentur.

Metus inquam ſubeſt, ne proximo Vere, & Æſtate novis calamitatibus vexentur. Sic in *Æno Civitate Thraciæ*, ex *Hippocrate* 4. *in* 1. *Epid.*, *uſu leguminum continenter utentes Fœminæ & Viri crurum impotentes fiebant*, quam hiſtoriam citat *Galenus* 3. *Aph.* 16, aitque ſæpè evenire, ut ob caritatem Annonæ

nonæ exitiales morbi oriantur. Vox Λιμός, quæ famem ſignificat, non niſi per ſolam diphthongum diſcrepat, ab ea quæ perniciosam Epidemiam denotat, unde effluxit dictum illud Ex Λιμῦ Λοιμός. Quamvis enim Edulia mali ſucci videantur aliquando ſat benè concoqui, attamen ut egregiè monet *Galenus de Alim. Fa. l. 2. c. 6. Nobis non advertentibus, pravus ſuccus ex ipſis poſt longum tempus in Venis colligitur, qui poſtea exiguam ad putredinem occaſionem nactus febres malignas accendit.* Quodcunque malum avertat Divina Clementia, & priorem ſalubritatem huic Cœlo reſtituat.

Talis fuit Anni MDCLXXXX. apud nos Conſtitutio, atque hæc indoles Epidemii Affectus, qui Colonos noſtros, & Urbanos quoque afflixit; divinarint jam Aſtrologi pro ſuo lubitu, & ex ſyderalibus ſchematiſmis Anni, qui modò ſucceſſit, præſagia deduxerint, quòd ego ejusdem, poſtquam curſum ſuum abſolverit, ſi fata dabunt, medicam hiſtoriam conſcribam.

CONSTITUTIO EPIDEMICA URBANA,

Anni MDC LXXXXI.

Ad

Illuſtriſſimum, & Celeberrimum Virum

D. GUILIELMUM GODIFREDUM LEIBNITIUM,

SERENISSIMI ERNESTI AUGUSTI,
Luneburgenſium & Brunſvicenſium Ducis
HISTORIOGRAPHUM & CONSILIARIUM.

ILLUSTRISSIME DOMINE!

CUm non rarò fieri ſoleat, *ut veluti cæteris in rebus, ita & in re literaria, provincias quaſdam nonnulli ſuſcipiant quibus ſunt prorſus impares, ac eoſdem poſtea conatuum ſuorum pœniteat, Tu me in illorum cenſu repone, ſi lubet, Vir Doctiſſime; nunc enim ſentio quàm me tranſverſum egerit neſcio quis mentis ardor, ut non ſatis verſans, quid humeri ferre valeant, quid recuſent, ipſemet onus mihi impoſuerim cujuſcunque Anni Conſtitutionem, & Medicam hiſtoriam conſcribendi, ac evulgandi; quam Spartam ſuperiori Anno ſum aggreſſus, in hanc rem edita Diſſertatione, & Doctiſſimo Viro D. Malliabequio, Hetruriæ Ornamento, inſcripta. At quoniam ſaltem prodire, ſi non datur ultra, neceſſum eſt propterea, ut datam fidem exſolverem, idem quoque hoc Anno molitus, utcumque potui, multis occupationibus diſtrictus, hanc meam Diſſertationem Tuo Nomini, Vir Illuſtriſſime, nuncupatam volui. Neque verò eidem D. Malliabequio quicquam acceptius facturum me credidi, quàm ſi Te pariter eodem obſequii genere proſequerer, quando Vos arctiſſimo amicitiæ fœdere junctos ſcio, & ejuſdem beneficio obtinui, ut Te præſentem agnoſcerem, ac Tua ſuaviſſima Conſuetudine fruerer, cum duobus abhinc annis in Germaniam rediens Mutinæ ad menſem moram traxiſti, quo tempore nunquam ad Te acceſſi, quin doctior abierim; verè ſiquidem de Te omni Scientiarum genere inſtructo, proferre liceat, quod olim de Ariſtone ſcripſit Plinius, ſcilicet*

licet Nihil esse quod quisquam scire velit, quod Tu docere non possis. *Diu itaque in sinu meo gavisus sum, quòd geminos Literatorum Principes (facessat invidia) adeò amicos ad invicem, mihi tam benevolos sortitus essem, sed tandem mihi temperare non potui, quin publico aliquo testimonio, id palam facerem. Huic meo proposito, D. Malliabequium quod spectat, pro meis viribus jam factum est satis, nunc aliud votum meum impleo. Hunc ergo meum Libellum, quem de morbis popularibus inter Nostrates, sed populariter sarcivi, ea qua soles humanitate accipe, Vir Sapientissime, munus quidem levidense, sed quod pro specimine Observantiæ in Te meæ esse possit; quòd si aliquando temporis pauxillum (novi enim quantus sis heluo librorum) perdere non pigeat, meum hoc Opusculum evolve. Vale Clarissimum Germaniæ Decus, ac amare perge,*

Mutinæ pridie Kal. Jan. 1692.

Celeberrimi Nominis Tui

Officiosissimum Cultorem
Bernardinum Ramazzinum.

CONSTITUTIO EPIDEMICA URBANA.

I.

RUralem Epidemiam, quæ præcedenti Anno *Mutinensis Agri*, & proximarum Regionum Colonos graviter afflixit, Urbana Epidemia hoc Anno excepit, quæ nihil urbanitatis, imò insolentiæ plurimùm in infelicem plebeculam potissimùm exercuit. Instituto itaquo meo inhærens, prægressam Constitutionem, qualiscumque ea fuerit, in fine cujuslibet Anni describendi, eò libentiùs id exsequar, quòd hæc Constitutio ab ea, quam superiori Anno experti fuimus, toto Cœlo differens, satis uberem materiam suggerat mentem exercendi, quando in re medica nil foret utilius, quàm succedentes sibi ad invicem Constitutiones conferre, ut recta medendi methodus institui posset, quoties eadem tempora, ac iidem morbi recurrerent. Quæ si attentiùs à *Professoribus* observarentur, non esset forsan, quòd Medicina comparata desideraretur, sicuti Anatomiam comparatam desiderari ajebat Sapientissimus *Verulamius l. 4. de Augm. Scien. c. 2.* quæ si haberetur, ut ille ait, & Individuorum interiores Structuræ ad invicem componerentur, non tam pro morborum causis culparentur humores, quàm mechanicum Viscerum artificium, quod cùm ut plurimùm inemendabile sit, omnem medicam opem, & magnos Promissores sæpissimè eludit.

II. Superioris Anni Constitutio, ut in mea Dissertatione super illam edita, ob assiduos, & copiosos imbres impensè humida, & lutulenta in universum exstitit, unde gravis Epidemia unà cum Annonæ caritate effluxit; hujus Anni verò Constitutio, ex opposito maximè sicca, & pulverulenta, primò quidem ob Aquilonares Ventos, postmodum verò ob continuum, & flagrantem æstum meritò audiit. Sicuti autem prima pars hyemis, quæ antecedentem Annum clausit, statum satis placidum, ac serenum, ut diximus, sortita est, ita pars altera, quæ huic Anno fores aperuit, eandem serenitatem, ac tranquillitatem secum invexit, donec Januario mense ad finem vergente, flantibus Ventis

Septentrionalibus, frigora adeò intensa fieri cœpta, ut illicò conglaciatis fluminibus, cuncta præ nimio gelu horrescerent. Cùm autem nullæ prorsus nives decidissent, hyemem non solùm algidissimam, sed siccissimam exegimus, ita ut in tota *Cispadana*, & *Transpadana Regione* pulverulentæ essent Viæ, non secus ac Augusto mense, cùm insana Canicula campos torret, quod apud nos prorsus insolens est, ex quo factum, ut Boreæ penetrabile frigus sata consueto nivali vellere destituta, mirum in modum exureret.

III. Morbi qui hisce temporibus vagabantur erant Apoplexiæ, Pleuritides, Peripneumoniæ, Catarrhi suffocativi, Anginæ, Erysipelata; præ cæteris tamen affectibus, morbi pectoris grassabantur magis, ac busta implebant. Sanguis qui secta Vena educebatur, multum pituitæ, & polyposæ concretionis præferebat. In nostro hoc Nosocomio, variis Cadaveribus dissectis, præcipuè in Cachecticis, ac demortuis ex morbo pectoris, reperti sunt Polypi, non solùm intra Cordis sinus, sed etiam intra ipsam Aortam. Remedia quæ magis ex usu erant, & quibus promptiùs morbus auscultaret, ea fuere, quæ vi pollerent crasim Sanguinis compactam reserandi, & fluxibiliorem reddendi, ut Spiritus Salis Armoniaci, Sal volatile Cornu Cervi, Sperma Ceti, & similia. Non deerant tamen, qui cum alioquin scirent, quòd Sulphur Balsamum Pulmonum passim audiat, in hujusmodi Affectibus Spiritum Sulphuris exhiberent, cum suis aquis Pectoralibus, at num rectè, & ex arte id agerent, ipsi viderint; indubium tamen est, quòd partes integrales Concreti longè diversas possident qualitates, ac ipsum Concretum, sicuti vero verius, Spiritum Sulphuris alterius esse indolis ac ipsum Sulphur. Repetita sanguinis missio, non adeò felicem sortiebatur eventum, ut aliàs. In hac tam rigida, ac horrida Constitutione, magis exercebatur Plebs Urbana, quàm Agrestis, ac Senes valde periclitabantur, quare *Medicis* sæpenumerò nil tale cogitantibus Morbus plus habens in recessu quam in fronte, facilè imponebat; nam ex improviso, cùm priùs satis commodè cœnassent, tanquam confecto Silicernio, paulò post occumbebant, ac citiùs quibus detractus fuisset sanguis.

IV. Horum Affectuum tam multiplex, ac discolor Sylva, ab eadem prorsus radice succreverat, ac propterea eodem modo averruncanda; omnium itaque unam, ac eandem esse Theoriam, ac Praxim dictabat ratio; veram autem, ac potissimam causam fas erat referre in pravam diathesim, quam sanguis haberet ad concrescendum. Cùm enim ex præcedentis Anni frigida, & lutulenta Constitutione, necnon ex pravo victu, ob rei Annonariæ angustiam, talis esset in universum massæ sanguineæ dispositio, mirum non fuit, si succedente postea hyeme tam rigida, ac summè aquilonari, majorem promptitudinem ad grumescendum adsciverit, unde pullularint morbi, qui ex sanguinis stagnatione variis in partibus, ob retardatum illius circularem motum, genesim suam deduxerint.

V. Apoplexias autem, Pleuritides, Peripneumonias, Catarthos suffocativos, Erysipelata, ac reliquos memoratos Affectus, à sanguinis stagnatione, ob præditam ad concrescendum dispositionem generari, unanimis est *Recentiorum* omnium consensus, quidquid circa horum Affectuum Theoriam in contrarium senserint *antiquiores Medici*, qui in hujusmodi Affectibus partem aliquam Mittentem robustam, & aliam Recipientem imbecilliorem imaginabantur. Duplicem fluxionum causam commentus est *Galenus*, unam in qua Pars ipsa humorem ad se traheret, aliam, in qua humor à parte robustiori ad debiliorem transmitteretur. Hujusmodi doctrinam primus forsan cœpit convellere *Helmontius de diff. Feb. c. ult.* nullam enim in fluxionibus partem Mandantem, Dirigentem, nec Sagittarium, aut Scopum agnoscit hic Auctor, qui tamen exemplo spinæ digito infixæ, & indignantis Archei, non satis exposuit ob ignoratum Sanguinis circulum, quomodo fiant humorum decubitus; quod solùm accidit, eò quia præpedito, & intercepto Sanguinis per Venas refluxu, vel propter fibra-

bratum crispaturam (ut in vehementi dolore) vel propter massæ sanguineæ nimis crassam ac densam texturam, humores circa Vasorum extremitates, vel in carnium porosiatibus detincantur; quare si congruè loqui velimus, Detentiones potiùs, quàm Fluxiones sunt appellandæ.

VI. Neque interdum exiguus labor mihi impendendus fuit, ut aliquibus à præjudiciis occupatis persuaderem, erroneum prorsus esse comminisci, quòd cùm pars aliqua inflammatur, ac in tumorem assurgit, tunc humores majori impetu ad eam partem ferantur, quàm ad alias, si vera est, non commentitia lex Circularis motus sanguinis; qua stante, stant ac stabunt perpetuò tot clarissima *Recentiorum* excogitata, quot in dies intercidunt Antiquiorum placita; nam revera, si mentis aciem intendamus, pigriori lapsu sanguis movetur ad partem, quæ inflammatione tentatur, quàm ad alias ubi expeditæ sunt Viæ, ac nullum repagulum, quod sanguinis cursum remoretur. Quidam autem res in cute solùm, non intùs reputantes, cùm vident partem brevi temporis intervallo in tumorem attolli, ut in Phlegmone, putant sanguinem pleno fluento, eò confluere, quod sanè locum habet, cùm Vas aliquod sanguiferum disruptum est, in aliquam cavitatem sanguis decidit, vel extra Corpus effunditur, non ita verò in Phlegmonum, & aliorum tumorum generatione, qui non aliam ob causam fiunt, quàm quòd præpedito circulari sanguinis motu, plus sit quod Arteriæ ad partem deferant, quàm quòd Venæ referant, sive id fiat ob lutulentam sanguinis crasim, sive ob fibrarum motricium crispaturam ex vi dolorificæ passionis, ut in vulneribus, ac Nervorum puncturis. Hic autem Veritati fortasse manus darent, si cùm brachio vinculum injicitur ad celebrandam phlebotomiam, veram causam perpenderent, quare infra nexum tumeant Venæ, unà cum mole carnea, quod non fit, quia tunc temporis sanguis eò rapidiùs moveatur, (multò enim velociùs ante eò propellebatur ubi nullus erat obex, ac minor resistentia superanda) sed quia ibi detinetur ob interceptum ejusdem per Venas ad Cor refluxum.

VII. Haud absimilis quoque est Catarrhi generatio, de cujus natura, ac ortu inter *Medicos* non satis convenit. Popularis, ac vetus opinio est, Caput Catarrhi Fontem, ac Scaturiginem esse, unde frequens proluvium in fauces, & pectus, ac etiam usque ad extremos artus. Opinionem hanc de Catarrhi ortu, ac descensu, ex quo Etymon desumpsit (cùm non nisi descensum ac defluxum hæc vox sonet, unde voces, κατάῤῥοπος & ἀνάῤῥοπος à *Galeno* 2. *Ad Glaucum* usurpatæ, ut humorum descensum, vel ascensum innueret) hanc inquam opinionem eliminarunt è Scholis recentiores omnes Anatomici, ut *Willisius*, *Richardus Lower*, *Stenon*, *Rolfincius*, *Etmullerus*, *Blancardus*, ac inter Italos nostros Doctissimus *Bellinus*. Hi omnes ad Anatomicum Tribunal, omnibus indiciis, quibus Caput hujus criminis Auctor insimulatur, diligenti examine perpensis, nullaque apparente via, per quam Caput sordes suas in fauces, ac Thoracem exspuat, ipsum plenis suffragiis absolvunt. Non desunt tamen adhuc qui obstipo capite, Antiquorum placitum mordicùs tueantur, nec desinant in morbis pectoris, Caput non solùm pharmacis, sed ferro, & igne tanquam reumplectere. Per quos porro ductus, Cerebrum superfluitates suas, quibus procul dubio diffluit, possit excernere, inter quærenda esse ait Celeberrimus *Stenon Tra. de Gland.* nisi tamen per observatos à *Blancardo in Anat. reform.* ductus in jugulares Venas, fiat hujusmodi excretio.

VIII. Catarrhi Fontem non veriti sunt alii adstruere, esse ipsum Vitæ Fontem, Cor scilicet, quod per Arteriarum ductus circumquaque Catarrhi materiam deferat; hinc Rheumatismi, & tumores, & quidquid nomine fluxionum venit; quod Assertum est *Rolfincii*, cui consentiunt *Schneiderus*, *Vedelius*, & alii, qui Catarrhum à massæ sanguineæ sero prodire variis observationibus testantur. Sat celebre est experimentum *Richardi Lower* de Cane, cui cùm arctè Venas Jugu-

lares vinxiſſet, partes omnes ſupra ligaturam tumefieri, necnon copioſas lacrymas ex oculis, & plurimam ſalivam ex ore profluere obſervavit, quo tandem tanquam ex Angina ſuffocato, ac diſſecto, nullæ partes ſanguine perfuſæ repertæ ſunt, ſed ſolùm muſculi omnes, & glandulæ ſero limpido diſtentæ apparuere. Ab hac opinione non multùm diſſentientes alii, Glandulas Catarrhi Fontes ſtatuunt, ut *Stenon*, *Etmullerus*, & alii; ſi enim Glandularum ſtructuram accuratiùs perpendamus, conſtabit eas eſſe faſciculum Arteriarum, Venarum, Nervorum, & Vaſorum excretoriorum, ideòque in illarum ſinum deponi ſerum ab Arteriis, & ſuperflui aliquid à Nervis, quæ opinio valdè probabilis eſt, & verò uſui, quem in noſtro corpore habere poſſint Glandulæ, valdè congrua.

IX. Hanc tamen doctrinam de Catarrhi origine, ex ſanguinis latice in Glandularum ſubſtantiam rejecto, ex *Helmontio* habemus, qui primus forſan Caput inſons à Catarrhi infamia vindicavit; ob quam tam ſæpè inurebatur. Hic enim Auctor licet motum ſanguinis circularem ignoraret, mente tamen concepit, id quod credebatur è Cerebro depluere nil aliud eſſe, quàm laticem ſeroſum, huc & illuc delatum *à Spiritu impetum faciente, ac initio Vitali*, ut ipſe ait, nimirum è Corde, tamquàm primo Impulſore, quin & ad Glandulas ipſas ablegari, quas non ut Vaſorum Pulvinaria eſſent, à Natura conſtructas fuiſſe adſtruit, ſed ad emunctionem laticis è maſſa Cruoris; ac re vera hic latex ſeroſus *Helmontii*, præter alios uſus hunc habet potiſſimum, quòd ſanguini ſocius, ac totum corpus pervadens, ad variarum partium culinas everrendas inſerviat, & ſales diſſolutos combibendos, ut exinde per Glandulas excretrices extrudatur, & ſic tota cruoris maſſa defæcatior evadat. In hunc finem in palato, lingua, faucibus, & naribus, copioſas Glandulas Natura conſtruxit, ut ſanguis arterioſus, qui per Carotides ad Cerebrum deferri debet, pro nervoſi ſucci, & Spirituum Animalium elaboratione, ſincerior reddatur, mucoſa parte per has Glandulas repurgata, in ſtatu etiam naturali, quando alia ex parte conſtat, eos, qui ſunt emunctæ naris, nec multum Deſputores, lubricæ ſanitatis eſſe, ut refert *Bonetus Sepulc. T. 1. Se. 17.* de *Franciſco Galliarum Rege*, qui cum eſſet ἀμυξώδης, aurium ulceri obnoxius fuit dum vixit.

X. Atque hæc quidem quotidiana per nares, & ex faucibus muci excretio, iis etiam qui ſatis commoda Valetudine fruuntur, familiaris eſſe ſolet; cæterùm ubi Corpus cacochymum ſit, ac ſeroſus latex luxuriet, qui ſuopte genio promptus eſt ad concreſcendum, mirum non eſt, ſi accedente Boreali Conſtitutione, qualis eſt de qua hic ſermo, tunc temporis graſſentur populariter Tuſſes, Rheumatiſmi, & quodcumque aliud morbi genus, quod in fluxionum cenſu reponitur, detenta in Glandulis vitiata, ac ſuperexcedente lympha, non ex Naturæ providentia, quæ ſe hoc faſce levare ſatagens, noxium humorem ad extrema detrudat, ſed ex mechanico partium artificio, ac particulari humorum textura, juxta varias Aëris alterationes, ea lege, ut decubitus ibi fiant, ubi major eſt diſpoſitio, ut humores detineantur. Neque id fieri in noſtris Corporibus magis miremur, quàm in Automato alioquin benè conſtructo, quod interdum ad quaſdam Aëris alterationes, à ſolito ſuo munere aberrat, & ab ignaro popello tanquam inſanum ridetur. Mira eſt autem, ac penè divina vis Ventorum in Aëre alterando; talem enim affectionem Aër poſſidet, qualem Ventus qui perflat, ac talis eſt Sanguinis diſpoſitio, qualis eſt Aër quem inſpiramus. Sic ut refert *Vitruvius l. 1. de Archit. c. 5.* apud *Mitylenem* (quæ Urbs in *Lesbo* erat quidem magnificenter exſtructa, ſed non prudenter poſita) cùm flabat Auſter homines ægrotabant, quando Corus tuſſiebant, cum Septentrio, reſtituebantur in ſalutem. *M. Varro de Re Ruſt. l. 1. c. 4.* quoque cùm Romana Claſſis Corcyræ eſſet ac tota penè ægrotaret, *immiſſo feneſtris novis Aquilone, & obſtructis peſtilentibus, ſuos incolumes reduxit.*

XI. At quorſum tot ſpeculationes, inquiet

quiet aliquis? Ut juxta veram horum Affectuum Theoriam, congrua medendi methodus instituatur, regeram ego; ubi enim ingruunt hi morbi, qui non è capite decidui, sed ab humorum stagnatione pendent, illicò ad vehementia Cathartica, Inustiones, Phœnigmos, Cucurbitulas, ad Narcortica quoque, ac mille alia remedia ad materiam fluentem revellendam, intercipiendam, derivandam, suspendendam quoque, ut putant, Ceratis capitalibus, confugiunt. Interim neglecta manet vera morbi causa, ad quam oppugnandam seriò, ac omnibus nervis esset incumbendum, ut postquam sufficiens evacuatio est facta, usu alterantium, ac naturalem sanguinis texturam restituentium, fluidæ substantiæ æquabili tenore per suos ductus cursum repeterent. Quot verò modis per Venæ sectionem peccatur? Jam Phlebotomus velut gladius Delphicus passim tam in magnis, quàm in levibus morbis stringitur, ad innocentes Victimas sæpius mactandas, quàm graves affectus jugulandos.

XII. Postquam Mundo innotuit circularis sanguinis motus, Scopi equidem quos in morbis, qui ab humorum fluxione pendere supponuntur, sibi proposuerant *Medici*, non tanti sunt ponderis, ut creditur. Certè Intercipientia locum nullum habent, quomodo enim quis intercipiat materiam ad partem per Arteriam fluentem, nisi Arteriam ipsam vinciat? neque enim jure postliminii, aut redhibitionis actione redire potest humor, unde est egressus, nisi per circulum. Revulsio verò per V.S. de Throno suo jam decidit; imò si strictè loquamur, ferè nulla est, qui enim fiat, ut humor per Arteriam fluens, per eandem possit revelli? Profectò si qua fit per V.S. Revulsio, per id solum tempus fit, quo Vena est aperta, tunc enim Sanguis per Venam sectam, ac pariter per proximam Arteriam quæ illi humorem suggerit, majori velocitate movetur, quàm per alia Vasa; illa verò clausa, cessat hæc in velocitate inæqualitas, ut ingeniosissimè ad demonstrationem usque explicat *Bellinus*. Non ibo tamen inficias, quin diminuta sanguinis copia, minor humoris portio ad partem laborantem deferatur, & minus sit sanguinis stagnantis incrementum. Quanti autem sit facienda per V.S. Revulsio, & quàm facilè quibusdam imponat, qui hoc nomine inscitiæ suæ velum prætendunt, explicat egregiè *Andreas Cnoffelius*, uti videre est apud *Bonet. Med. Sept. p. 1. l. 3. Se. 11. c. 16.* in quadam sua Consultatione pro *Joh. Casimiro Poloniæ Rege*, cui ob immodicum hæmorrhoidalis sanguinis fluxum laboranti; cùm magni nominis *Medici* frequentem sanguinis missionem è brachio suaderent ad revellendum sanguinem fluentem, ac ipse acriter renueret, hæc scripsit verba, quæ utpote elegantissima, & magni ponderis hic libuit apponere. *Et quomodo sanguinis ad peremptoriam medicæ Revulsionis citationem dicam, & locum, scribere possumus; qui privilegio speciali vitalitatis in circulum, & in se ipsum rediens cum spiritu suo hospite, nullius loci, & temporis leges respicit, neque locum standi ullum in universo corporis foro agnoscit.*

XIII. Revellenda itaque esset ex quorundam animis, quibus altè insedit hæc de vi Revulsionis per V.S. opinio, cùm re vera non nisi ad demendam plenitudinem conferat Venæ sectio. Condonandum quidem aliquid *Æmilio Parisano*, & *Primerosio*, qui non aliam ob causam, ut ait *Leonardus* è *Capua Serm. 5.* in Harvæum Stylum acuerunt, nisi quia stante Sanguinis Circuitu, viderent Revulsionem per tot secula adeò celebre præsidium, ferè penitus corruere, non ita verò nostrorum temporum *Professoribus* in tam clara luce cæcutientibus. Multùm profectò *Hippocrates* Revulsioni in fluxionibus detulit, ut passim in illius Operibus videre est; locus tamen insignis apud eundem 2. *de Morb. Mul. n 2.* exstat, qui Revulsioni videtur parùm favere. Ad sistendum immodicum mensium fluxum jubet ille, ut vincula injiciantur supra genua; verùm quidem est, quòd præcipit quoque, ut eodem tempore vinciantur brachia; nodum hunc solvere anniti sunt *Rorarius Contrad.* 34. & *Fonseca Cons.* 55. sed non planè satis-

ſatisfaciunt; meum ſanè non eſt hujuſmodi ſcrupos diſſolvere, meliori enim vindice dignus eſt hic nodus, proferam tamen quod ſentio. Quidquid ſit de efficacia hujus remedii, & num eventui reſpondeat: Videtur *Hippocrates* mente attigiſſe, motum ſanguinis perennem per ſuos ductus, multis enim in locis mentionem habet de ſanguinis ſtaſi, & interceptione Venarum; quam φλεβῶν ἀπόλειψιν appellat; ut ergo fluxum catameniorum cohiberet, ſanguinis ſtationem, ſeu ſaltem remoram aliquam humoribus impetrandam curabat, tam in partibus ſupra, quàm infra Cor, vinculis ad brachia, & femora injectis, nihil veritus, quòd ligaturæ ſupra genua ad Uterum quicquam traherent. Ac revera quid magis ex improviſo hæmorrhagias ſiſtit, quàm ſuperveniens animi deliquium, cui neceſſariò conſectaria eſt Cordis à motu feriatio, ac eodem tempore ſanguinis ſtaſis?

XIV. Sic autem nos cogit Divinum prorſus Inventum Circularis motus ſanguinis, quod unicum φαινόμενον innumeras diſcuſſit errorum tenebras, effecitque ut humani Corporis, cæterorumque Animantium, quibus præcordia finxit *Divinus Opifex*, vera, ac genuina Oeconomia innotuerit. Cor enim nectaris vivifici, quo Corpus univerſum ſuſtentatur, Promus, & Condus eſt, habens ad latera Arterias, & Venas adminiſtras; Arteriæ è ſiniſtro penu, alimoniam depromunt, ac partibus omnibus, vel remotiſſimis diſpenſant; Venæ aſſidentes, quòd à nutritione reliquum fuit, ſuis radicibus, tanquam manibus, recolligunt, & ad dexterum Cordis Condum comportant. Iiſdem Venis medio in itinere ſuccenturiant Venæ lacteæ, quæ novum commeatum ſanguini ſub forma candidi laticis refundunt, qui poſtea in Pulmonibus admirando artificio purpuraſcit. Hæc eſt Vitalis Facultatis vera, & naturalis Oeconomia, cui non parvas ſuppetias fert Animalis Poteſtas, quæ pro beneficio purioris ſanguinis ad Cerebrum delati, uberem ſpirituum influxum per nervos Cordi ſuppeditat, ad illius motum perennandum. Sic binæ iſtæ Potentiæ, licet ſedibus & regimine diſtinctæ, tanquam fœderatæ Provinciæ, ſibi invicem collata beneficia rependunt. Sicuti autem in Civitate benè conſtituta, quouſque legibus ſuus vigor perſtat, ſumma tranquillitate degitur, iis autem peſſundatis, turbarum plena ſunt omnia, ita in humano corpore Circularis motus ſanguinis lege ſervata, ſarta tecta Valetudo eſt, ea verò infracta, ſuſque deque aguntur omnia, ac inteſtinæ ſeditiones ſubſequuntur.

XV. Quamvis autem Lex iſta, quam primus tulit *Harvæus*, vel cujus prima fundamenta jecere Itali noſtri, ut *Andreas Cæſalpinus in Quæ. Med. & Quæ. Peripat. l. 5. c. 4. Realdus Columbus* Cremonenſis *l. 11. c. 2.* pro rata, imò ſacra habeatur, non defuit tamen qui nuper legem hanc abrogare contenderit, ſub titulo *Ultionis Antiquitatis*, Circularem ſanguinis motum tanquam Recentiorum Commentum traducens. Hic mihi non vacat ejuſdem rationes, ac fundamenta expendere, ſolùm hoc innuam, quòd illius primum argumentum, ab hujus legis inobſervantia petitum (eò quòd *Medicorum* quotidiana praxis, præcipuè circa uſum V. S. ſuppoſitæ doctrinæ de ſanguinis circuitu, quicquam non reſpondeat) Profeſſoribus incuriam exprobrat, quod equidem verum eſt, ac maximè dolendum, cùm innumeri penè ſint, qui paſſim crepent hunc circularem ſanguinis motum, ſed poſtmodum, vel ob inſcitiam, vel oſcitantiam, non benè penſitatis iis, quæ ex tali principio conſequuntur, operibus tollant, quod magnifico verborum apparatu ſtatuerant. Verùm cùm huic malo medelam aliquam apponere ſit neceſſe, *Profeſſor* in hac Civitate mihi jamdudum conjunctiſſimus, Opus jam molitur, cui hunc vult eſſe titulum: *Rationarium Medicum Seculare, quo ſummatim, ac veluti facta ſupputatione apparet, quid lucri ex celebrioribus Inventis Anatomicis hujus Seculi Arti Medicæ, tàm quoad Theoriam, quàm quoad Praxim, acceſſerit.* Habent Mercatores ſua Rationaria, ſicuti & diligentes Oeconomi, habent & Principes ut olim *Auguſtus*, *Svetonio teſte*, qui diuturnæ valetudinis tædio Rationarium Imperii Senatui tradidit;

didit; non abs re forsan erit, si Medica Respublica Rationarium suum habeat, quod monstret quantum Medicinæ pomœria ampliarit hoc nostrum fortunatissimum Seculum, & quod simul pro saniori medendi methodo inserviat. Hujus operis editionem usque ad finem hujus Seculi animus illi esset differre, spe forsan quòd novo aliquo Invento Seculum hoc coronetur, cum adhuc vivant multi egregii Viri novarum rerum Repertores, inter quos Celeberrimus *Malpighius*, qui Romæ nunc degit ad Pontificiæ Valetudinis custodiam; verùm ego non desino Collegam hunc meum urgere, ut ad meditata serio incumbat, ac utinam eò usque illi fata Vitæ lineam protendant, ut Opus hujusmodi ad umbilicum deducat. Verùm è Diverticulis in viam.

XVI. In iis ergo Affectibus, qui ab humorum fluxione fieri supponuntur, iterata V. S. ad tot scopos implendos, totum corpus depeculatur, & morbi causam persæpè deteriorem efficit. Ubi enim Vasorum plenitudini, quæ vires premit, factum fuerit satis, seu ad humorum Orgasmum sufflaminandum si adsit, sanguinis sufficiens copia detracta fuerit, satius profectò esset, iis hærere remediis, quæ sanguini debitam crasim restituere nata sint. Certè in hac hyemali Constitutione, Catharris obnoxia repetita V. S. non adeò salubriter cessit. Multos Pleuriticos certè scio inopinatò periisse, pòstquam bis, vel ter secta fuisset Vena. Præ cæteris *pius Sacerdos* firmi alioquin habitus ex Pleuritide laborans, postquam tertia vice detractus est sanguis, eadem die interiit. Non solùm autem turpis est calamitas, ægrum epoto medicamento occidere, ut ajebat *Hippocrates*, *De Med. Pur.* 4. sed etiam si detracto sanguine paulò post intereat. Senioribus verò in hac tam rigida tempestate periculosum fuit Sanguinem etiam semel detrahere; Nobilis mulier nonagenaria, & Pleuritide spuria decumbens, cùm instaret, ut sibi tunderetur Vena, ac ego renuerem, alter *Medicus* accersitus, illi morem gessit, & citissimè eam sustulit.

XVII. Ut constet quali cautione in Senum regimine sit procedendum, quotiescumque ab aliquo Rheumatico Affectu premantur, in Boreali præsertim Constitutione, insignem oppidò, ac notatu dignam *Hippocratis in 7. Epid. n.* 54, historiam hic lubet apponere, *Halicarnassensis qui in domo Xantippi diversabatur hyeme autem dolebat, & caput non mediocriter; erat autem Annorum circiter* 50. *Vena secta est juxta Mneximachum, læsum est caput, evacuatum, ac perfrigeratum, non enim facta est suppuratio. Phreneticus factus est, & mortuus.* Tot circumstantias hic apposuit *Divinus Præceptor*, ut credi possit historiam hanc plus continere in recessu, quàm in fronte; rarò fit nec scio quòd alibi in ullo ægrotante annorum numerum definierit *Hippocrates;* considerandæ igitur erant, ætas ad senectutem vergens, Anni tempus hyemale, humor peccans, crassus nempe, ac frigidus, ætati ac tempori congruens, qui obstructionem faceret, ac tensionem in parte, atque hinc dolor; ex alieno præscripto (mentionem enim facit curantis *Medici*, quod illi non adeò familiare) missus est sanguis, at quonam eventu? perfrigeratum est cerebrum, subsequente caloris nativi necrosi, ac prohibita est suppuratio: neque enim tanquam parergon, ut ait *Vallesius*, adjecit *Hippocrates* illa verba: *non facta est suppuratio*, pernicioſum enim effectum ex intempestiva V. S. sequutum, innuere voluit, prohibitam scilicet humoris maturitatem, Lethargicum autem potiùs, quàm vere Phreneticum factum fuisse interpretatur *Vallesius*, cùm in libris Epidemiorum quoscumque delirantes, Phreneticos *Senex Cous* appellare consueverit

XVIII. Sæpiùs quoque mihi advertere obtigit, quòd in hac Rheumatica Constitutione, si febre superveniente missus fuerit sanguis, deterior factus fuerit affectus, ac etiam quandoque cum funesto eventu. Ut plurimùm ubi Catarrhi urgent, vel in pectore, vel quacumque alia parte, si febris superaccesserit, multis ex *Professoribus* solenne est ad Phlebotomiam, tanquam ad sacram Ancho-

choram, confugere. An tum Navis ſecurior? Periti Nautæ ventis etiam adverſis aliquandò utuntur, ut Portum fortiter occupent. Febris autem non tam horrendum eſt Monſtrum, quod etiam à perito Artifice ſub jugum mitti nequeat, nec ſine aliquo emolumento. Eſt ubi Febris ſanguinis miſſionem hortetur, eſt etiam ubi dehortetur; ſed opus eſt Dioriſmo. Si nimis denſam compagem ſanguis adſciverit, & ad ſtaſim aptus vel in pectore, vel in capite reſtagnet, ſi febris poſtmodum accendatur, vel parcè, vel nullo modo ſanguis mittendus; ſæpè etenim Naturæ ipſi manu gladium abripimus, quo morbum ſola potuiſſet conficere; ſi verò contrariam diatheſim ſanguis habeat, & ob orgaſmum aliquem ad διάχυσιν, ſeu diffuſionem promptior ſit, febris ſuperaccedens V. S. hortatur. Locus eſt inſignis apud *Hippocratem* 5. *in* 2. *Epid.* quam hic referre non abs re fuerit, Quicumque *de repente obmuteſcunt, ſi ſine febre fuerint, ipſis venam ſecato.* Solenne eſt *Hippocrati*, in libris Epidemiorum illud verbum adjicere ἀπύρετος; magni enim ponderis ad rectam curationem eſt hæc conſideratio, num Affectus ſit cum febre, vel ſine febre; non ſolùm enim à febris præſentia, ſed etiam ab ejuſdem carentia deſumendæ ſunt Indicationes, ut in hoc loco *Hippocrates*, qui tamen interpretandus, ubi craſſi humores Naturam onerent, ac periculum ſit, ne calor innatus ſuffocetur. Videant ergo quantùm à Via quam trivit *Hippocrates* deflectant, qui à Febre alicui Affectui ſuperveniente, illicò oblatum ſibi ſcopum tundendæ Venæ ad ravim uſque conclamant.

XIX. Præ oculis itaque ſemper habenda Anni Conditio; etenim ſicuti in maxima frugum abundantia, *Annus eſt, non Terra, quæ fructificat*, ut ait *Theophraſtus l.* 8. *de Hiſt. Plan. c.* 8. ita in quibuſdam temporibus non particularis Corporum diſpoſitio, ſed Anni Conſtitutio ea eſt, quæ morbos progerminat; attentè idcircò obſervandum, quam Diatheſim ſanguis adſciſcat, ſive id in ſenſibiles qualitates, ſive in inſolita effluvia è Terra exſpirantia, referre placeat, & quænam re-media proſperum ſortiantur eventum; ſæpè etenim fit, quemadmodum ſcitè advertit *Tho: Sydenham de Morb. Epid. c.* 1. Morborum Epidemicorum accuratiſſimus Scriptor, ut qua methodo, quis morborum quaſdam ſpecies feliciter curaverit, vertente Anno eadem methodo deteriores reddat; quare idem Auctor ingenuè fatetur, ſe nunquam ſatis caviſſe, ne, qui primi ſe illius curæ commiſiſſent, vita periclitarentur, donec multiplici obſervatione, ac perſpecto morbi genio, ad veram Curationem recto pede procederet. Sic Phlebotomia, quæ aliàs in memoratis Affectibus ſalubris eſſe conſueverat, in hac Conſtitutione non inſignem operam præſtitit, quod procul dubio referendum erat, in prægreſſam antecedentis Anni Conſtitutionem frigidam, ac nimboſam, & ſubſequentem hyemem nimis horridam, ob quam adeò craſſam compagem ſanguis contraxerat, ut ſi plus æquo detraheretur ſanguis, & calor innatus labefactaretur, humores ad motum ineptiores redderentur, ac faciliùs concreſcerent. Talem autem fuiſſe ſanguinis texturam, ejuſdem ſanguinis conditio multam pultem in ſuperficie præ ſe ferentis, nec non multi Polypi in diſſectis Cadaveribus, ac denatis ex Catarrho intra cordis ſinus, & ipſa Vaſa ſanguifera reperti, ſatis demonſtrarunt.

XX. Frequens autem hiſce temporibus, in demortuis ex repentino caſu, Polyporum obſervatio, ſi non aliud, id ſaltem præſtat, quòd vera quorundam Affectuum cauſa innoteſcat, & culpa vacare credatur *Medicus*, ſi monſtret quàm mala Beſtia cubet in Præcordiis. Id præterea conſequimur, ne diverſa morborum nomina nobis imponant; Syncope enim Cardiaca, Catarrhus ſuffocativus, & Apoplexiæ ſpecies quædam non aliam perſæpè agnoſcunt cauſam, quàm polypoſas concretiones in Corde, vel in Vaſis ſanguiferis ſtabulantes. *P. Salius de Aff. Part. c.* 4. particulare caput de Syncope Cardiaca inſtituit, aitque illam fieri ex ſanguine in Venis, & Arteriis coaleſcente; ſic caſum refert Puellæ ſubita morte exſtinctæ, cujus Cadavere diſſecto, ex Arteria magna ſanguis concretus

eductus

eductus est, non aliter quàm gladius è vagina extrahi solet. Refert quoque *Riverius Cent.* 1. *Ob.* 82. Puerum 5. annos natum, ex catarrho decumbentem, postmodum lipothymia correptum subitò interiisse; aperto verò Cadavere, in sinistra Cordis auricula, materiam crassam, & compactam repertam fuisse, quæ, ut ipse ait, laridum coctum referret, cui Polypi nomen non indidit hic Auctor, cùm nondum in Microcosmico Erythræo Polypos expiscata esset Anatomicorum solertia. Nuper apud nos Vir sexagenarius præpinguis habitus, subita morte oppetiit; dissecto Cadavere ad explorandam mortis causam, ex Pericardio ferè duæ libræ concreti sanguinis extractæ sunt, ac in Trunco Arteriæ magnæ adscendentis, inventus Polypus lacertulæ longitudinem, & magnitudinem referens. Intercepto itaque, ob hujusmodi extranea Corpora, sanguinis in orbem itu, ac reditu, & mutuo inter Cor & Cerebrum interrupto commercio; non suggerente Corde sanguinem Cerebro per Arterias, pro spirituum Animalium generatione, nec Cerebro Cordi spiritus Animales ad perennandum illius motum (quando Cordi à motu nullæ sunt feriæ) necesse est, ut subitus subsequatur interitus. Casus autem hujusmodi vel à Syncope cardiaca, vel à Catarrho suffocativo, vel etiam ab Apoplexia fieri dicamus, parum refert. Binas Apoplexiæ species statuit *Heurnius Com. in* 4. *Acut. t.* 23. *& de morb. Cap. t.* 23., unam quam parvam appellat, ac ait fieri ob φλεβῶν ἀπόλειψιν, id est ob prohibitum sanguinis in Cerebrum influxum, alterum magnam, ob interceptum spirituum Animalium è Cerebro effluxum. Tres verò Apoplexiæ species ex *Hippocratis* doctrina tradit *Martianus* 2. *de Morb. Se.* 1. quas tamen in essentia convenire, & à sanguinis stasi pendere autumat, quæ quidem sanguinis statio à Polyposo crassamento induci potest, cujus generatio, ut ut non sit momentanea, accedente tamen aliqua causa, quæ sanguinem in motum rapidiorem cieat, & præexsistente prava totius massæ sanguineæ dispositione ad grumescendum, mirum non est, si sanguinis stagnationes ex improviso contingant, ac interrupto spirituum vitalium radio, qui à Corde jugiter influunt, Cerebrum, Lunare Sydus Mycrocosmi, Eclipsim patiatur. De hac Apoplexiæ specie, in qua morbi causa est extra Cerebrum, pluribus in locis agens *Divinus Præceptor*, in *libro de Morbis* hæc habet ipsa verba, quæ utpote notatu digna, & sanguinis circuitum adumbrantia, ex nativo fonte huc transferre placuit. Αἱ φλέβες ἐπεὶ ἐς ἑωυτὰς ἐρύσωσι φλέγμα, ἀνάγκη ὑπὸ ψυχρότητος τοῦ φλέγματος, τὸ αἷμα ἐςάναι μᾶλλον νῦν . . . . μὴ κινεμένε δὲ τοῦ αἵματος ἔχ οἷόντε μὴ ἔχὶ καὶ τὸ σῶμα ἀτρεμίζειν, καὶ κεκωφῶσθαι, id est; *postquam Venæ pituitam in se ipsas traxerint, necesse est præ pituitæ frigiditate sanguinem tunc magis sisti . . . . . dum autem sanguis non movetur, fieri non potest ut non etiam corpus quiescat, ac torpeat.*

XXI. In Apoplexia, ac præsertim ubi in Paralysim degenerat, sæpius observavi, modò loquelam amitti, voce superstite, modò utrumque, quod quidem observatione dignum, tum ad prognosim, tum ad curationem, non enim idem sunt destitui loquela, ac voce destitui; ἀυδὴ loquelam significat, φωνὴ vocem, quæ duo diversis organis perficiuntur, sermonis enim Lingua est dædala, vocis autem Larynx, & Trachea. Observatio Doctissimi *Willisii* est *de Anat. cer. c.* 24. ad gravis vocis efformationem, truncum asperæ arteriæ deprimi, ad vocem autem acutam efformandam, sursum attolli, quem motum alternum præstari ait à ramulo nervi recurrentis cartilagineos annulos deorsum trahente, & à nervo altero à plexu paris vagi, eosdem sursum attollente; sic exsolutis nervis ad linguam pertingentibus ἀναυδία subsequitur, ἀφωνία verò si exsolvantur qui ad Laryngem, & Tracheam dimittuntur; poterit ergo aliquis esse ἄναυδος & non ἄφωνος, ut muti, ac infantes recens nati, qui sonos edunt, licet non articulatos, non tamen è converso potest esse quis ἄφωνος, & non ἄναυδος. Quare *Hippocrates* 3. *in* 3. *Epid. Ægr.* 3. in historia *Pythionis*, qui postea die 10. mortuus est, scripsit hæc verba: *Circa vesperam omnia exacerbata sunt*, ἄναυδος, ἄφωνος. Loquela destitui malum quidem signum est, pernicioſiùs

verò etiam voce privari, idcircò *Divinus Præceptor*, ut peſſimum *Pythionis* ſtatum indicaret has binas voces appoſuit. Æquè verò tam Aphonia, quàm Anaudia fieri poſſunt, tum ob exſolutionem, tum ob convulſionem; proculdubio in *Pythione* aphonia convulſiva erat, nam die 6. dolores vehementes ipſum tenebant; in hoc itaque diſtinguuntur, quòd Aphonia quæ in tenſione conſiſtit, fatalis eſt ad crudeliſſimam mortem, quæ verò in exſolutione, moriendi ſenſum adimit, ut ait Doctiſſimus *Duretus in Præn. Coa*. Cùm itaque tam ob nervorum, & muſculorum vocalium tenſionem, quàm ob laxitatem, fieri poſſit aphonia, quotieſcumque illa appareat, diligenter advertendum, num convulſoria ſit, vel exſolutoria, ut apta remedia præſcribantur, τάσις enim, & λύσις contrarii ſunt Affectus. Sæpè autem fit, ut ſi in maligna febre aphonia ſuperveniat, ad aliquam excuſationem apud vulgus aucupandam, ſoleant nonnulli magna utique confidentia pronunciare, ægrum apoplectico inſultu correptum fuiſſe, cùm tamen aphonia illa convulſiva ſit; perraro enim in acuta febre aphonia apoplectica ſuccedit, quod tamen aliquandò obſervatum, & qualem caſum nuper habui præ manibus. Vir enim robuſti alioquin habitus poſt 12. paroxyſmum Tertianæ febris, factus eſt ἄνευδος καὶ ἄφωνος, reſoluto eodem tempore brachio, & erure dextro; ac jam vocem ex integro recuperaverat, ſed nondum perfectum ſermonem. Narrat *Foreſtus lib.* 10. *Ob.* 89. Textorem quendam ob leve vulnus in extremitate pollicis, in dextra manu, obmutuiſſe, quem veluti linguæ paralyſi affectum, à ſe curatum ait, ego autem pace hujus Celeberrimi Viri, crediderim obmuteſcentiam illam ortam fuiſſe potiùs ex convulſione linguæ, nam æger ille, & nutu, & ſcripto, ut idem Auctor refert, indicabat ſibi linguam tanquam filo conſtringi.

Hac occaſione, qua de Apoplexia & Paralyſi facta eſt mentio, inſignem caſum memorare libet, quem in hac Conſtitutione obſervavi in Nobili *Virgine Moniali* in *Monaſterio D. Mariæ Magdalenæ Matinæi*. Hæc ſacra Virgo de Nobili Familia Fontana annum agens 25. habitu non malo prædita, ſed in victu non ſatis temperata, ac præſertim in vini potu, affectione Hypochondriaca laborare cœpit, unde in omnimodam ferè à quacumque re eſculenta abſtinentiam incidit, ut ex ſolo vino victitaret. Perſæpè illam monui, ſibi ex hujuſmodi victus genere, ſuperventurum gravem affectum, cui nullum poſtea eſſet remedium, quod contigit media hyeme, dum enim ad ignem adſtaret, gravi ſyncope correpta, mox in lectum delata, ſibi reſtitui viſa eſt, cumque ad illius vires; ac ſpiritus reſtaurandos, a Monialibus porrectum fuiſſet juſculum, illud nullo modo deglutire potuit; factum experimentum de modico vino generoſo, ſed & illud, licet adeo gratum in faucibus perſtitit, nec guttulam quidem potuit demittere, ſic cùm ad unicum diem ſine febre, integris cæteris corporis partibus, ſine cibo, & potu perſtitiſſet, apparuit qualis eſſet affectio, Oeſophagi nempe paralyſis, quando fiſtuloſus muſculus dicitur Oeſophagus, ob interiorem nempè membranam, ex Antomicorum obſervatione, omni fibrarum genere inſtructam, ſeu reſolutis muſculis, qui ad motum Oeſophagi ſunt deſtinati, denegato ſpirituum animalium ad partes ipſas influxu. Ab eo ergo tempore, quo tali affectu correpta eſt, uſque ad 66. dies nihil omnino eſculenti, aut potulenti deſcendere potuit in ſtomachum hujus miſerandæ Virginis; vixit tamen per ſolum Clyſterem ex jure cum duobus vitellis ovi, ſingulo die meridianis horis inditum. Ad egerendas verò fæces, tertia, vel quarta quaque die indebatur clyſter ex jure cum uncia ſemis hieræ pro clyſteribus, quo pacto fæces ex illo victu relictæ excludebantur. Cum autem hæc Nobilis Virgo, ad diem 30. in lectulo ſemper jacens, adeò miſerabilem vitam pertæſa, proteſtata eſſet ſibi chariorem futuram mortem, quàm hujuſmodi vitam, reſpuit omnino hoc alimentum per clyſteres, nec ullis precibus adduci potuit, ut ſineret ſibi hoc pacto produci vitam, donec Deo placeret; ſed tandem circa veſperas gravi deliquio

quio correpta est, sed Moniales ad solitum clysterem nutrientem, tanquam ad verum cardiacum confugere, ex quo miraculi ad instar ægra oculos aperuit, & loqui cœpit, atque ex gravi periculo tanquam expergefacta, usum quotidianum soliti clysteris admisit usque ad 66. ut diximus diem, in quo Moniales me præsente, & monente, modico vini spiritu exhibito, deglutire cœpit, & spatio bidui, restituta animalis facultas Oesophagi læsi, ac imposterum non solùm potulenta, sed esculenta liberè cœpit assumere, sed lectulo semper affixa, ob maciem summam, ad extremum spirituum languorem, ut pulsus vix perciperetur, erat perducta; subsequutis postmodum crurum doloribus, & pedum contorsione. Casus iste admirandus hujus Nobilis Virginis, non solùm apud *Medicos*, quorum aliqui ægram hanc curiositatis ergo invisere curarunt, sed etiam per totam Civitatem satis notus fuit. Asserere itaque oportet, clysterium nutrientium usum non esse, ut quidam putant, improbandum, hocce experimento rei veritatem attestante; credere itaque necesse est, venarum lactearum ramos disperdi per intestinum rectum, & ab iis succum alibilem in summa necessitate absorberi.

XXII. Atque hi quidem vagabantur affectus ob superius memoratas causas, quibus addendum, quòd cum Anni prava Constitutione conspiraverat, rei Annonariæ penuria, quæ sola potis est crassis humoribus corpora infarcire, ob prava alimenta, ac præcipuè ob usum leguminum, quæ suapte natura ægrè coquuntur, unde Cacochymia; propterea urgente frugum inopia, cautè usurpanda magna remedia, præsertim in Popularibus, quod in Praxi diligenter observandum. Sicuti enim ex *Hippocrate* 2. *Aph.* 36. difficulter ferunt purgationes, qui pravo utuntur cibo, eò quod illorum Corpora, ut *Galenus* interpretatur, citò exsolvantur, vel ob Syncopem Stomachicam, in quam facilè incidunt Cacochymici, ubi purgantur, ut *Heurnius*, haud secus per V. S. quoque in summum discrimen abducuntur, uti frequenti observatione mihi compertum. In quibusdam Oppidis hujus Ditionis, ac præcipuè Castrovitri, & Scandiani, idem accidisse accepi, quod apud Ænum Civitatem Thraciæ ob Annonæ caritatem evenisse scripsit *Hippocrates* 3. *in* 1. *Epid.* ut multi ob usum leguminum, ac Ervi præsertim, in Crurum exsolutionem inciderint. In hujusmodi ergo Calamitatibus cautum esse oportet *Medicum*, nec adeò liberalem in profundendo humano sanguine, uti quibusdam aliis temporibus. Ad has itaque Circumstantias, & præcipuè ad Anni Constitutionem, tanquam ad Versoriam, mentis acies, potiùs convertenda, quàm ad decerpendum ex libris generales morborum Curationes, ne vetus Parœmia obtrudatur, *Nauta ex libro.*

XXIII. Quare autem Plebs Urbana, in hac Constitutione prædictis Affectibus magis obnoxia fuerit, quàm Agrestis, id forsan factum crediderim, quòd Rusticana gens vitam actuosiorem degens, sanguinem magis fluxilem haberet, ac minus aptum ad stagnationem, seu quòd in Rurali Epidemia, in altera mea Dissertatione descripta, febres diuturnæ, quæ agrestem populum exercuerunt, vicem Criseos suppleverint, sanguinis fæculentias sensim repurgando, ac ad meliorem crasim totam massam humoralem perducendo.

XXIV. Circa Æquinoctium cœpit frigus mitescere, & tam subita facta est permutatio, ab intensô frigore ad immoderatum æstum, ut ab æquinoctio usque ad Martii finem, calor non in multùm distaret ab æstivo, Sole, in occasû flammeo apparente, non secus ac Augusto mense; subsecuta quidem postmodum Aprilis mense aliqua caloris remissio, sed firma semper, & constans perstitit siccitas, sereno, ac præsudo Cœlo; cum itaque nulli prorsùs imbres per totum Aprilis mensem decidissent, non levis timor omnes corripuit de Anno parùm frugifero; non modici tamen solaminis erant Plantæ omnes fructiferæ floribus passim albescentes, quæ fructus tum præcoces, tum horreos abundè pollicebantur, uti re vera contigit, hoc An-

no, laboranti *Cereri* ſuccenturiante *Pomona*. His addebatur quòd calor non proportionatè ad Solis acceſſum augeſcens, ſiccitatem in dies auctiorem reddebat, quare toto Vernali tempore, Terra non minùs arida, ac dehiſcens viſebatur, quàm cum *findit Canis æſtifer arva*. Perſeverante pariter Majo menſe hac arida Conſtitutione, niſi identidem, ac ſporadicè modicis imbribus delapſis, magna herbarum inopia hoc Anno laboratum eſt, fabis quoque & omnibus ferè leguminibus, ob humidi deficientiam arefactis, exigua quoque ſpe ſuperſtite, quòd eandem ob cauſam triticea meſſis ad bonam frugem perduci poſſet.

XXV. In hac Vernali tempeſtate, præcipuè in prima Veris parte, iidem pectoris morbi, non adeò tamen graves, ut hyeme, perſeverarunt. Sub finem autem Veris, Tertianæ febres, tanquam ſpicilegium prægreſſæ meſſis, caput denuò extulerunt Nunquam apud nos Annus Scabioſior viſus eſt, omnibus ferè Urbanis, ac Ruricolis quoque, fœda ſcabie laborantibus, quæ neque ad iteratas purgationes, neque ad repetitas Phlebotomias, quicquam miteſcebat; Sanguis qui ſecta vena educebatur multum ſeri flavi præferebat, ac Urinæ valdè coloratæ apparebant. Haud ſecus quàm Anno elapſo, magna fuit Animalium ſtrages, ac Pecudum præcipuè, ita ut Ovillus grex totus penè deletus fuerit.

XXVI. Quoniam nullus Morbus adeò popularis eſt ac Scabies (ſitamen illam in morborum Claſſe licet reponere, quando *Hippocrates de Aff. n.* 35. ſcabiem turpitudinem potiùs, quàm morbum appellat, & *Plato in Phileb.* malum vocat mixtum ex dolore, & voluptate, ac propterea græcè dicitur πάθος γλυκύπικρος) quoniam inquam, nullus Affectus adeò familiaris eſt, & qui *Medicos* conatus magis eludat, ut hinc antiam captarit *Helmontius* vulgarem *Medicorum* praxim traducendi ſub titulo *Scabiei*, *& Ulceris Scholarum*, perfricemus paululùm, ſi licet, hoc Ulcus. Ingenuo pudore profectò fateri licet, nihil ferè laudis Medicinæ Profeſſoribus ex Scabiei curatione accedere, imò non rarò iis palmam præripi à ſuperveniente Vetula, quæ ſolo linimento interdum præſtat, quod magna remediorum ſupellectile præſtitiſſe non potuerunt, qui morbos Herculeos ſe perdomuiſſe deprædicant. Quam labem omni ſtudio, ac juxta omnes Politicæ regulas à ſe debet arcere ex *Galeni* conſilio quiſquis *Medicus*; nam Scabies, ut idem ait, cum deformes reddat quoſcumque tenet, multò magis *Medicum Clinicum* deformem, & horrendum efficit, cui hac fœditate laboranti obtrudi poſſit dictum illud Poëtæ Tragœdi quod affert *Plutarchus*, *Quo pacto ex. In. Emol. cap.*

Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων,

id eſt *Aliis medens, at ipſe ulceribus ſcatens.*

XXVII. Scabiei curationem ſolis topicis eſſe perficiendam ablegatis omnibus internis remediis, quæ Corpora incaſſum fatigant, vult *Helmontius*, obſervans enim quàm facili negotio Corpus exactè ſanum ex ſolo contactu alicujus Scabioſi infici poſſit, credidit Scabiem pendere à pravo Cutis fermento, quòd ejuſdem alimentum corrumpat, nequaquam verò ab interno Viſcerum vitio, quare ſolis topicis ſuadet abigendam, aſt hujuſmodi opus periculoſæ plenum aleæ meritò cenſetur. *Ballonii* itaque celeberrimi Practici conſilio hærere placet, qui *in l.* 1. *Ep.* cum dioriſmo procedens, explicat ex mente *Hippocratis* quando Scabies ſit morbus, & quando abſceſſus, hoc eſt rectam ſemitam indigitat, qua *Medicus* certo pede ad Scabiei curationem procedat; lubet autem hic ipſum *Hippocratis* locum afferre 2. *Prorret. n.* 49. *Impetigines, & lepræ, & vitiligines albæ quibus quidem Juvenibus horum factum eſt, aut paulatim conſpectum multo tempore augeſcit, his non putare oportet abſceſſum eſſe, eam papularum eruptionem, ſed morbum; quibus verò horum aliquid eſt factum multum, & de repente, hoc ſanè fuerit abſceſſus.* Hunc locum pariter obſervans doctiſſimus *Mercurialis in Annot. in Hipp. Cl.* 3. *Quid ſit*, ait, *abſceſſum eſſe, & non morbum, atque è converſo, non omnes intelligunt.* Scabies itaque, aliique cutanei affectus in morborum claſſe ſunt recenſendi, quando paulatim fiunt; quando verò confertim,

tim, ac præcipuè poſt gravem aliquam ægritudinem, non morbi nomine, ſed, Ἀποςάσεως inſigniri debent. Eſt ergo in Scabie, ubi liceat ſolis topicis incumbere, ait *Ballonius*, cùm nimirum Scabies eſt ſolius Cutis morbus; eſt etiam ubi neceſſe ſit, internis partibus proſpicere uſu purgantium, & alterantium, ac nefas ſit ſolis topicis ſcabiem exterminare velle, hoc eſt cum Scabies eſt alterius morbi ſoboles, ut in Cachexia.

XXVIII. Chronicorum affectuum eam eſſe naturam, ut qui *hyeme augeſcunt, æſtate deſinere ſoleant, qui verò æſtate, hyeme finire debeant*, ſcripſit *Hippocrates de Nat. hom.* Hanc autem eſſe Scabiei indolem, ut hyeme luxuriet, ac magis ſæviat, æſtate verò evaneſcat, vel ſaltem miteſcat, jam norunt omnes. Quando igitur Scabioſus aliquis curandus ſuſcipitur, liberè proteſtandum eſſet, non inſtitui curationem, niſi ut faciliùs æſtivo tempore, tam fœdus morbus exſtirpetur, atque hanc eſſe hujus peſtis naturam, apud nos ſaltem (de lepra non loquor, morbo *Ægyptiis* endemio, ut refert *P. Alpinus l. 1. de Med. Æg. c. 14.* ob aquam cœnoſam, & ſalitos piſces, quorum uſus apud illos valdè familiaris eſt) ut æſtivi caloris beneficio faciliùs, quàm cichoraceis abigatur; ſatis abundè teſtante experientia, quòd nulla prævia purgatione, vel phlebotomia, ulloque alio remedio, quotquot agreſtes per hyemem ſcabie laborarint, ſuperveniente æſtate, non ſecus ac Angues, pſoræ exuvias deponant, ac illis niteat *aſſiduo curata cuticula Sole*, ut ait *Perſ. Sat. 4.* Verùm hujuſmodi proteſtatio ad avertendam calumniam quandoque non ſatis eſt. Laborabat olim *F. Petrarcha* ſicca ſcabie, ut ipſe refert, ac poſtquam à medicamentorum diuturno uſu ſe fruſtra exhauſtum videret, *Medicos*, quibus ex ſua natura infenſus erat, objurgare cœpit, ac iis reſpondentibus, exſpectandam eſſe Æſtatem, ira percitus eoſdem dimiſit his verbis: *Ego autem neque Medicis credo, neque ab Æſtate ſpero quicquam, ſed ab illo de quo ſcriptum eſt, Æſtatem, & Ver tu plaſmaſti.* Pſoræ itaque potiſſimum remedium ab æſtivo calore pendet, qui potis eſt novam craſim, in maſſam ſanguineam invehere, ac illam particulis ſpirituoſis ſaturare, quo pacto Acidum illud luxurians, quod cutem exarabat, infringitur. Purgationes itaque, utut repetitæ, iteratæ V. S. illitiones, Balnea, & omnis medicus apparatus, perſæpè præſtare nequeunt quod ſolus Aër æſtivus. Cùm hoc Vere cuidam Docto Amico meo levem purgationem ad ſanandam Scabiem, qua vexabatur, præſcripſiſſem, nec ideò melius haberet, ac illo urgente, quid agendum ſupereſſet, per jocum remedii loco dictum illud Satyrici adduxiſſem:

Durate, atque exſpectate Cicadas;

ille ad me converſus, & Tu quoque, inquit, ad Græcas Calendas honorarium exſpecta.

XXIX. Utriuſque caſus duo habemus notatu digna exempla apud *Hippocratem 2. in 6. Epid.* quæ hic lubet afferre. *Latæ puſtulæ non valdè pruriginoſæ, quales Simon habebat hyeme, qui ubi ad ignem inungeretur, aut calida lavaretur, opem ſentiebat. Vomitus non proderat.* Manifeſtum ſpecimen hic habemus Scabiei, cum morbus eſt; nam ex facta inunctione, vel in ipſa hyeme opem ſentiebat; ſi enim Scabies illa fuiſſet abſceſſus, ac alterius morbi productum, non ſolùm ex intempeſtiva unctione, nil opis ſenſiſſet, ſed gravem noxam expertus fuiſſet. Obſervanda quoque illa verba, *Vomitus non proderat*; ſignum evidens, Corpus illud fuiſſe ſanum, ac totum vitium, in externis corporis partibus exſtitiſſe. Corpora ſana difficulter ferre purgationes, effatum eſt ejuſdem *Hippocratis 2. Aph. 27.* qui pariter, ubi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore naſcuntur, præcipit, ut dejectiones inſpiciantur, quæ ſi ſint ſimiles ſanis, ait tutum eſſe corpus alere, ſin minùs purgationem inſtituendam; fieri enim poteſt, ac ſæpenumerò contingit, ut Corpore ſano intus exiſtente, tubercula in cute progerminent.

XXX. Exemplum aliud Scabiei, prout Abſceſſus dici meretur, habetur ex eodem *Hipp. 3. Epid. n. 4. Homo quidam Athenis prurigine toto corpore vexabatur, & Cutis craſſa*

erat & velut lepra adſpectu; huic nemo opitulari potuit; tranſgreſſus ad Melum, ubi ſunt calidæ Balneæ, à pruritu quidem, & Cutis craſſitudine liberatus eſt, ſed hydropicus factus mortuus eſt. In hoc caſu certè affectio illa prurigino-ſa abſceſſus erat, ac fructus morboſæ radicis in Viſceribus implantatæ; vel immoderatè, ut putat *Valleſius* in Commento, aquis illis thermalibus uſus fuerit homo ille, ut ſuffo-cato innato calore ceſſarit illa peccantium hu-morum excretio, ad cutem ablegari ſolita, vel, ut veriſimilius interpretatur *Martianus* noſter, aquæ illæ ſulphuratæ eſſent, ac pro-pterea, ut idem ait, *denſata à balneo cute, humores pruritum excitantes ad Hepar retro-cedentes, ſcyrrhum induxerint*, ex quo fa-ctus fuerit hydropicus, ſatis ſit, quòd illi magis conſultum fuiſſet, proſpexiſſe ad id, quod latebat intus, quàm quod in cute appa-rebat.

XXXI. Ut ad rem noſtram hactenus dicta applicemus, popularis hæc Scabies in Claſſe abſceſſuum profectò erat collocanda, utpote productum præcedentis Conſtitutionis nimis pluvioſæ, nec non & pravi victus ob Anno-næ caritatem; ſic refert *Galenus de ſuc. bon. & vit. c.* 1.3. ſua ætate cum plurimas Roma-no imperio ſubditas gentes vexaret fames, ac frugibus omnibus in Urbem aſportatis, A-greſtes, quibus relicta fuerant ſolùm ὄσπρια καὶ χέδροπα, ac etiam in exigua copia, ut fruti-cum germinibus, & bulbis veſci cogerentur, omnes ſub Veris finem à variis cutaneis affe-ctibus conflictatos fuiſſe, quorum alii Eryſi-pelas referrent, alii herpetem, & alii pſo-ram, impetiginem, & lepram. In hac ita-que noſtra populari Scabie ſolis topicis fidere tutum negotium non erat; & quotquot ſive ſponte, ſive alieno conſilio Scabiem Unguen-tis antipſoricis abigere tentarunt, id ſuo pe-riculo ſunt experti. Rem oppidò notatu di-gnam hac occaſione mihi obſervare obtigit. Novi multos, qui tædio hujus fœdi morbi Unguentis Scabiem exterminare etiam in ipſo Vere tentarunt, ſed poſtmodum Scabie re-tropulſa, febre correptos Urinas nigras, & fuliginoſas illicò reddidiſſe; cum autem uſu remediorum humores ad cutem propellen-tium reproduceretur Scabies, Urinæ ſanis ſi-miles reddebantur; denuò autem retrocede-nte Scabie, vel rurſus erumpente, hæc reci-proca in Urinis apparebat mutatio; quamvis autem hujuſmodi Urinæ cum parva febre, quæ malignitatis ſpeciem aliquam præferret, me ſuſpectum non parùm haberent, ſollici-tus tamen circa Scabiei reproductionem, ſem-per bonam ſpem alui, & quotquot habui præ manibus, vidi tandem à morbo ſuperſtites. Animo autem verſans, quare ad Scabiei re-troceſſionem, Urinæ redderentur fuliginoſæ, id fieri poſſe credidi, quòd Acidum in Cute luxurians, & Pſoram efficiens, ob factas illi-tiones haud ampliùs exſpirans, à Venis reſor-ptum, & cum Alchali ſanguineo permixtum, ſerum ſanguinis atredine infuſcarit, non ſecus ac quando limpida Vitrioli ſolutione, cum infuſione Gallæ permixta, atramentum con-ficitur. Pro regeneranda verò Scabie non ſemel, nec ſine proſpero eventu uſus ſum re-medio à *Zacuto Luſitano* propoſito, & ab *Etmullero de Aër. Inſp. læſa*, commendato, jubendo, ut æger, cui retroceſſiſſet Scabies, decumberet in linteis ab aliquo Scabioſo infe-ctis. Remedia porrò quæ magis ex uſu fue-re, ſi non ad Scabiem exſtirpandam, ſaltem ad eam moderandam, ut ſuperveniente æſta-te faciliùs aboleri poſſet, fuere præſertim ea quæ ex Viperis parantur, quibus multos vidi feliciter ſanatos; ubi liceat igitur internis re-mediis uti, ad Scabiem radicitus exſtirpandam, nihil profectò conſultiùs quàm ad diaphore-tica confugere, non ſecus ac fit in lue galli-ca, ſicuti enim inter hos duos Affectus, magna eſt cognatio, ita eadem ferè methodo curan-di. Sic *Heurnius* 6. *Aph. Com.* 9. ad Pſo-ram debellandam, purgatis priùs noxiis hu-moribus, ligni indici, ac Salſæ decoctum valdè commendat; ait enim quòd hoc reme-dio, facilè exſpirat concepta in habitu Cor-poris contaminatio.

XXXII. Horrent nonnulli in Scabie, a-liiſque cutaneis affectibus, cane pejus & an-gue, Viperina remedia, veriti ne excedens caliditas & uſtionis nota Hepati, & toti maſ-

ſæ ſanguineæ imprimatur; aſt ego magis horreo nimium refrigerantium uſum, nec quemquam novi, qui exhauſtis integris Ptiſanariis, ſeu poſt diuturnam Seri, & Cichoraceorum uſum, à Scabie, utut ſicca, & arente, liber evaſerit; ſcio equidem penè aſſiduas eſſe Scabioſorum querelas, de nimio calore tum interna, tum externa perurente, at iis præbendæ non ſunt aures; graviter quoque Pueri, quibus Perniones, ob violentum frigus oborti ſunt, de nimio calore in pedibus conqueruntur, nec ſine ratione, ob ſubſequutam aliquam inflammationem, an ideò in Pernionibus applicanda refrigerantia? Cordati *Medici* ergo erit, morbi cauſam animosè aggredi, ſanguinis vitioſam craſim emendando, remediis potiſſimùm quæ illius acorem temperent, qualia ſunt ex Viperis parata, quæ Sale volatili abundant. Quidquid ſit de Viperæ temperie, de quo conſulatur *Johan. Baptiſta Spontonus* in ſua *Con-Echidnologia*, experientia ſatis planum facit, nihil eſſe ad pſoram, ac lepram quoque perdomandam, efficacius quàm Viperina medicamenta (quando tamen id agere liceat, nec ſatius ſit hunc hoſtem inquilinum alere) nec adeò nos ſollicitos eſſe debere, ne plus æquo incaleſcant Viſcera, dummodò tam fœdi morbi ſeminium penitùs reſtinguatur. At nunquam ceſſaret ſcalpendi libido, tam ferax eſt obſervationum hæc materia, niſi ad alia feſtinaret Calamus.

XXXIII. Exacto Vere Æſtas ſucceſſit adeò fervens, ut nunquam huic ſimilis viſa fuerit, idque præſertim Canicularibus diebus, quo tempore præter modum Aër excanduit caliditatis exceſſu, ſupra reliquos Annos, ut *Thermometri* loquebantur, ad multos gradus adſcendentes. In hiſce ardoribus identidem cecidere pluviæ, ſed nihilò ſecius remittebatur æſtus, qui conſtans perſtitit per totum ferè Septembris Menſem; hac Æſtate nullatenus ſpirarunt Eteſiæ, unde à continuo æſtu, nullum levamen; hanc ob cauſam multa Animalia, ac præſertim Canes, agebantur in rabiem. Nunquam aliàs cecidere crebriora fulmina, à quorum uno, ictus eſt Agricola, indumentis omnibus peruſtis, præter lora coriacea; is ad nonnullos dies attonitus jacuit, ſed poſtea ſine ullo remedio in ſe rediit, & adhuc ſuperſtes eſt: hiſce temporibus febrium Cohors, de repente incubuit, ac paſſim per vulgus graſſabatur, ut integræ familiæ eodem tempore febricitarent, denſiorque erat ægrotantium numerus, ea in parte Civitatis, ubi magis patulæ ſunt viæ, ac humiliora tecta. Quotquot milites in Arce reperti ſunt, ſimul ex febre decumbebant, ut ruſticanam militiam accerſere oportuerit, ad illius cuſtodiam. In Septo *Hebræorum*, ubi Vici anguſti, ac Ædes altiſſimæ, caligantesque feneſtræ, nulli ferè hoc tempore ægrotarunt, cùm tamen cæteris Annis primi ſint Recutiti, qui æſtivarum ægritudinum impetum ſuſtineant. Ruricolæ licet diurnis laboribus ad Solis radios ferè in ſudores ſolverentur, cum tamen ſubdio ſuis in plauſtris per noctem ſomnum captare ſoleant, immunes ut plurimùm degebant; ſola itaque Plebs Urbana, & omnes quibus, & domus, & res anguſta domi eſſet, exercebantur; ſalubris tamen erat morbus, nam febres iſtæ Tertianæ intermittentes erant, ac ut plurimùm exquiſitæ, & quæ die ſeptima, ac etiam citius, poſt unam vel alteram phlebotomiam, per ſudores judicarentur. Nullus Annus *Medicis* quæſtuoſior, & glorioſior unquam fuit, cùm ægri omnes fermè incolumes evaderent; *Medicum* faſtum tamen parumper temperavit Autumnus θανασίμος, nam protractiores erant febres, & aliquando in malignas degenerabant. Remedia cordatis *Medicis* erant Venæ ſectio, & frigidæ uſus; hæc enim utramque paginam, ut dici ſolet, implebant; qui verò parva attollentes, ut plura viderentur præſtitiſſe, vel ut Seplaſiarios benevolos haberent, Cardiacis calidioribus uſi ſunt, tanquam camino oleum addentes, ægros in extremam perniciem præcipitarunt. Limonum ſuccus, ſpiritus Vitrioli, Sulphuris, & ſimilia erant egregia Cardiaca; diverſis itaque artibus, ac diverſo telorum genere, cum hoc febrili exercitu congrediendum fuit; Anno ſuperiori hoſtis

irritan-

irritandus erat ad pugnam, hoc verò illius impetus parumper sustinendus, & acutis telis frangendus, qualia sunt Acida omnia. Sanguis qui secta Vena educebatur spumeus erat, & croceus, Urinæ similiter multa bile saturatæ. Multis ex febricitantibus papulæ apparebant in cute, ac præsertim Pueris, quales efflorescentiæ Variolarum erant veluti Prodromi. Variolæ quidem per æstatem paucos sustulerunt, ast autumno, & in prima parte hyemis, paucis pepercerunt, ac minùs iis quibus detractus fuisset sanguis. Multis Tertianæ febres in Quartanas migrabant; sicuti autem præcedenti Anno *Peruviani Corticis* usus in Quartanis, ac diuturnis febribus improsperè cessit, ita hoc Anno saluberrimus fuit, & ii qui passi sunt recidivas, febres mitiores postmodum experti sunt, ac antequam Hyems accederet, perfectè convaluerunt. Ubi primùm æstus cœpit mitescere, quod circa Æquinoctium contigit, visa est pacari febrilis tempestas, quæ sensim in summam tranquillitatem cessit, adeò ut duobus postremis decedentis Anni Mensibus in Foro *Medico*, penè continuæ essent feriæ.

XXXIV. Hujus febrilis tempestatis causam saltem occasionalem, in immodicum Aëris æstum referre placuit, qui potis fuerit Bili nimiam acrimoniam adsciscere, ut cum succo pancreatico, minùs aptè quàm par esset, ebulliret, & in massa sanguinea febrilem efferveſcentiam cieret. Neque mirum sit, quòd exiguo tempore adeò permutata fuerit sanguinis, & omnium fluidorum crasis; magna est enim vis caloris, quidquid *Helmontius* dixerit, Calorem Qualitatem *Rerollæam* appellans. Multa quæ suapte natura dulcia sunt, ad ignem amarescere, alia verò magis dulcescere quotidie observamus; sic ut ait *Gal. l. 4. de Simp. Med. fac. c. 17.* Lac, coctione eam dulcedinem acquirit, quàm Mel deperdit. Vinum quoque per totam hyemem, ac etiam Vernum tempus, nativam dulcedinem servans, ubi Æstatem senserit austerum sit, nisi in Hypogæis, & frigidioribus locis asservetur. Calor itaque ac frigus, sive sint causæ immediatæ, sive excitantes & occasionales subitas mutationes, in nostris Corporibus parere possunt, & humorum texturam, citiùs quàm quis putet, invertere. Narrationem oppidò curiosam apud *Lucianum de conscrib. Hist.* habemus de febre quadam Tragœda (sic enim illam appellare liceat) quæ *Abderitas* temporis ferè momento invasit. Egerat *Archelaus Poëta Tragicus* media Æstate, multoque æstu, apud Abderitas, *Euripidis Andromedam*, ex quo factum, ut multi ex Theatro febricitantes exierint, ac universi postmodum febre gravissima fuerint correpti, quæ die septima plurimo sudore erumpente, nec non sanguine è naribus profluente, solvebatur, superstite tamen ridicula quadam mentis perturbatione; nam ut refert Auctor, *omnes quasi ad Tragœdias agendas impellebantur, & Jambica personabant, multumque vociferabantur, maximè autem Euripidis Andromedam canticis referebant, plenaque adeo Civitas erat pallidis, ac macilentis illis Tragœdis septimanis.* Haud aliter apud nos immodicus æstus, Plebem Urbanam inter angustias suarum ædicularum conclusam, in febres agebat, adspectu quidem terribiles, nec sine mentis emotione, sed quæ postea die septima, oborto sudore post celebratam liberali manu phlebotomiam, solverentur. Hac de causa eos, qui circa Urbis pomœria lares habebant, seu ubi magis patula, & ampla sunt Viarum strata, ut in ea parte, quæ *Herculea Additio* appellatur, faciliùs febres adoriebantur; ubi verò Urbs magis conferta est, & Vici angusti, & anfractuosi, minùs à febribus populares exercebantur. Neque fortuitò Urbium Conditores, angustas, & anfractuosas vias esse voluisse censendum est, ut in iis Urbibus, quæ adhuc aliquid antiquitatis retinent, qualis est *Mutina*, ut nempè magis salubritati, quàm pulchritudini consulerent. Sic *Nero* postquam flammis *Romam* absumpsit, intentus postmodum illius reparationi, dimensis viarum ordinibus, ac latis spatiis, splendidiorem quidem Urbem, pro Imperii majestate, sed minùs salubrem reddidit, nam ut ait *Tacitus l. 15. Annal.* compertum est *veterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam angu-*

angustiæ itinerum, & altitudo tectorum non perinde Solis vapore perrumperentur. Hanc ob causam opulentiores Cives, qui in amplis Conclavibus à tecto remotioribus degebant, sicuti etiam populus Apella, vim febrilis hujus tempestatis minùs sensere. Magni profectò momenti est, ad præservationem à morbis æstivis, in amplo ac frigido Conclavi degere, ac somnum capere, ut à diurno calore attritæ vires per nocturnum somnum reparentur. *Somnum in frigore cooperto* commendat *Hippocrates 4. in 6. Epid.* quem locum in altera mea Dissertatione exposui; si ergo vel in ipsa hyeme, præstat quiescere in loco ubi sit aura frigidior, idque in gratiam respirationis, dummodò totum Corpus stragulis sit coopertum, ne à frigore carnes pungente interturbetur sopor, multò magis æstate præstabit, in frigido Conclavi somno indulgere.

XXXV. Hic autem immoderatus Aëris fervor, si febrem hanc popularem excitavit, viam quoque aperuit, ut citiùs reseratis poris, per sudorem febrilis materia evanesceret, idque beneficii sequutum, ut exterminata radicitùs Scabie, Plebs nitidior, ac vegetior apparuerit. Ac profectò gravis hæc morborum Tempestas, omninò desiisset, ni Variolæ, quò magis ambientis calor tepescebat, eò ferociùs sæviissent, cùm non solùm puellarem ætatem demeterent, sed etiam grandævos, ac præcipuè Utero gerentes, quotquot hoc morbo laborarent. De Variolarum natura, & causis, cùm tot exstent doctissimorum hominum scripta, nil addam, nisi quòd in hac Variolosa Constitutione, quæ circa Autumni finem vim suam magis exercuit, faciliùs evaserint ii, quibus nec detractus fuit sanguis, nec ullum administratum remedium, toto curationis negotio Naturæ commisso. Neque mirum quòd V. S. noxia fuerit; si enim ex *Hippocrate de Nat. hom. n.* 14. *Autumno pauciſſimus ſanguis ſit in homine*, ob prægressam Æstatem, quæ Corpora exhaurit, id certè apud nos hoc Anno locum habuit, quare Virtus jam debilis ab exhaustu, ob præcedentem æstivum fervorem, secta Vena illicò labascere videbatur, ac fieri minus apta, ut noxium humorem ad Cutim protruderet.

XXXVI. Sicuti in superioris Anni Constitutione noxius fuit *Chinæ Chinæ* usus, ut adnotatum, ita in hac ab illa toto Cœlo diversa, valde salubris compertus est; multi quidem Quartanarii hoc Autumno per Urbem vagari visebantur, sed quotquot ad hoc remedium confugere, vel integrè sunt restituti, vel si nonnulli recidivas passi sunt, paulò post convaluere; hinc practicam Cautionem, ulteriori tamen observatione confirmandam, elicio; securiorem esse *Chinæ Chinæ usum*, quando humores fræno potius egeant, quàm stimulo. Anno elapso ob frigidam & humidam Constitutionem, tota humoralis massa, utpote crassa, ac segniùs fluens stimulanda erat, ac ad motum cienda; hac Æstate verò, ad orgasmum prona, ac nesciens stare loco, erat potiùs sufflaminanda, quòd mirè præstabat *Peruvianus Cortex*, humorum impetum compescendo. Eandem ob causam aquæ usus, in altera Constitutione adeò noxius, in hac saluberrimus fuit; sicuti pariter Acida omnia, quæ celebrioribus Cardiacis palmam præripuere, ut quæ partium Alchalinarum vim frangerent; *Hermeticorum* enim effatum est, *Alchalia per Acida, & Acida per Alchalia emendari.*

Atque hæc pauca de hujus Anni Constitutione, tumultuariè fateor, ac inter armorum strepitus, visum est conscribere, hyemantibus apud nos Germanorum copiis, quæ hac Æstate in Pedemontana Regione adversus Gallos militarunt; cæterùm, urgente adhuc rei Annonariæ angustia, vereri licet, ne venturo quoque Anno, popularium morborum nova seges succrescat, quod omen despuo.

DE CONSTITUTIONIBUS

TRIUM SEQUENTIUM ANNORUM *M. DC. XCII. XCIII. & XCIV.*

In Mutinenſi Civitate, & illius Ditione.

DISSERTATIO.

I.

INtermiſſam varias quidem ob cauſas, ſed potiſſimùm ob parum proſperam Valetudinem, Operis incœpti texturam reſumens, Morbos qui hiſce tribus Annis apud Noſtrates populariter vagati ſunt, nec non rariora quædam quæ peculiari obſervatione digna credidi, compendiosè referam, haud dubia ſpe quòd apud cordatiores *Medicos* veniam ſim impetraturus, ſi minùs aptè quàm par eſt res exponatur, modò fideliter (quod in hiſtorica narratione potiſſimùm expetitur) id fiat, quod me præſtiturum ſanctè polliceor. Horum verò trium Annorum Conſtitutiones non ſejunctim, ut priores duas, exponere, ſed unico faſce ſimul complecti libuit, ne eadem chorda, cum riſu oberrans, res eaſdem repetere deberem, quando unica & eadem ferè morboſa Tragœdia totum hoc triennale ſpatium abſumpſit, nec exodium obtinuit, donec Cœli temperies in ſtatum toto Cœlo diverſum permutata, novos morbos in Scenam produxerit.

II. Ut ergo a Conſtitutione Anni 1692. exordiar, Hyems ſatis regularis fuit, ac legitima, nec quid inſolens habuit, quod noſtro huic Climati non congrueret; primò quidem *Boreales Venti* ad aliquot dies ſatis validè perflarunt, Terra nondum nivali vellere adoperta, unde metus erat ne Sata exurerentur; ſed Ventis poſtmodùm ſilentibus, ac modicis nivibus delapſis, Hyems propriam temperiem, & eas conditiones obtinuit, quas *in libro de Aere Aq. & Loc.* recenſuit *Hippocrates*, nimirum ut ſit *moderata, neque valdè clemens, neque frigiditate excedat.* Morbi itaque hyemales obſervati ſunt, ut *Tuſſes*, *Pleuritides*, *Eryſipelata*, *Apoplexiæ*, ac in iis præcipuè qui præcedenti Anno à gravi aliquo Morbo conflictati fuerant; major tamen pars eorum qui ægrorarunt evaſit, demptis paucis quibuſdam è Senioribus, & Silicernio jam proximis. Nihil itaque hyemali tempore obſervare licuit, quod τὸν ἐπιδήμιον redoleret.

III. Neque verò à ſibi debita temperie multum deſcivit *Vernale tempus*; ſatis enim moderatæ fuerunt pluviæ, ac interpolatæ, quales Agricolarum votis reſponderent, ſicuti *Æſtas* quæ ſucceſſit non admodùm fervida, ut præcedenti Anno, neque nimis ſicca exſtitit, ſed pluviis identidem labentibus, ac Eteſiis ſuo tempore flantibus, talis fuit, qualis noſtro Cœlo congrueret; quare meſſem ſi non planè frugiferam, qualem publica neceſſitas optabat, non improbandam tamen exhibuit. Haud ſecus *Autumnus* ſtadium ſuum regulariter percurrens cum prima parte hyemis non admodum rigida Annum clauſit. Sic totum Annum ſatis placidum, ac Auſtrinum, quoad primam Qualitatum temperiem, exegimus.

IV. Non ea verò moderatione ſequens Annus proceſſit, illum enim totum intemperatum, ac prorſus exlegem experti ſumus. *Hyemem* totam cum perpetua Cœli ſerenitate, & mitiſſimis frigoribus tranſegimus ſine pluviis, ac ſine nivibus, neque ſolùm in hac planitie noſtra, ubi ſedet *Mutina*, ſed neque in

in editiſſimis *Appennini* jugis, quæ alias per totam hyemem, & vernum quoque tempus albeſcunt, Mari ſupero, & infero canum verticem oſtentantes; ſic neque *Gabellus*, & *Scultenna* (inter quæ flumina Urbs hæc poſita eſt) glaciem, ut cæteris Annis, ſenſere, quod multùm contulit, ad Annonæ caritatem levandam; cum tota hyeme per hæc flumina Frumentatores è proximis regionibus commeatus ad nos abundè conveherent, ad plebem noſtram, & *Germanos Milites* alendos, qui hoc Anno quoque apud nos hybernarunt. Sic Veris ſpeciem Hyems tota Auſtrina exhibuit, cui poſtmodum Ver ſucceſſit, hyemis naturam, veluti mutatis vicibus, referens; ab Æquinoctio verno etenim uſque ferè ad Solſtitium perpetua ferè fuerunt frigora cum Ventis Aquilonaribus, ac perennes fuere pluviæ, eæque adeò ingentes, ut paſſim flumina ruptis aggeribus campos inundarint.

V. Jam nefaſtum Annum, & inſalubrem nemo non providebat, tum ob pluviarum vim magnam, quæ morborum ſunt ſeminarium, tum ob apparentia in Mororum foliis ſigna Rubiginis, quæ ſterilitatis prodroma eſt, ut Annis ſuperioribus ſumma totius *Ciſpadanæ*, & *Tranſpadanæ regionis* calamitate experti fuimus. Eodem modo ſubſequuta Æſtas uſque ad Caniculares dies Veris ſpeciem exhibuit, quo tempore ſatis curioſum fuit, apud nos ſaltem, Luſcinias audire pro Cicadis arbuſta rumpentes. Sic ventum eſt ad Æſtatem cum mitiſſima Aëris temperie, nobis tamen impropria, pluviis identidem magno impetu delabentibus; hinc ob ſolum valdè uliginoſum, & ſatis blandam caloris temperiem ad tantam altitudinem, ac denſitatem omne frugum genus excrevit, ut metus Anni parùm frugiferi ex omnium animis ferè exciderit; at improviſa *Rubigo*, cujus non obſcura indicia, ut dixi, apparuerant, ſpem omnium repente eluſit; illico enim frumenta, fabæ, & quæcumque leguminum genera ſydereo afflatu veluti percuſſa exaruere. Inopinus itaque caſus cum Agricolas, tum Urbanos quoque perculit; ſummam enim frugum penuriam non ante viſam impendere præſentiebant omnes, quando ex præcedentium Annorum ſterilitate exhauſta eſſent tum publica, tum privata horrea, nec aliunde commeatus, ut ex *Mantuano*, & *Ferrarienſi agro* poſſent ſuppetere, cum eadem Rubigalis contagio totam *Ciſpadanam*, ac *Tranſpadanam Regionem* pervaſiſſet.

VI. At non ſolùm Cereales opes abſumpſit hæc peſtis, ſed omne etiam ſubſidium, quod Pomifer Autumnus ſolet ſuggerere, eodem tempore ſuſtulit; ſolum enim acerbis adhuc fructibus paſſim reſperſum ſpectabatur, quin & Plantæ ipſæ honore frondium orbatæ media æſtate viſebantur. Uvarum quoque proventus, qui ab initio aureus ſperabatur, ob eandem cauſam non niſi parciſſimus prævidebatur. Mœrore itaque cuncta plena erant, dum Agricolæ in areis non tererent niſi leves culmos, ſtipulaſque volantes, quare ſine Cereris, & Bacchi muneribus in omnium præcordiis frigebat ſanguis. Harum calamitatum cauſa potiſſima, frigida & pluvioſa Conſtitutio paſſim culpabatur; quoties enim in hiſce Regionibus Æſtas ſicca, & fervens præceſſit, nunquam frumenti inopia laboratum eſt, ut apud nos Oraculi loco *Virgilianum* illud coli poſſit. *Magnaque cum magno veniet tritura calore.*

VII. Autumnus porrò Æſtatis vicem ſupplens ſummis fervoribus, & obſtinatiſſima ſiccitate totam humiditatem, quam Terra poſt tam ingentes pluvias ad ſatietatem hauſerat, abſumpſit; nec calor remiſit, niſi circa primam partem adventantis hyemis, quæ & ipſa leges ſuas nullatenus ſervans, verùm ſatis placida & mitis decedenti Anno Vale dixit. Sic in hujus Anni 1693. Conſtitutione nulla ex illius partibus legitimam, ac propriam temperiem ſervavit, ſed una alterius vices ſubeunte, omnes extemporaneæ fuerunt.

VIII. Sicuti autem prima pars hyemis, quæ præcedentem Annum clauſit ſatis placida, ut modò dixi, exſtitit, ita pars altera quæ Anno 1694. fores aperuit, aſperrima, ac rigidiſſima facie apparuit; per totum enim ferè Januarii menſem flarunt Boreales Venti

cum perpetua Cœli ſerenitate, ut ſqualidum, ac pulverulentum ſolum undequaque viſeretur, non ſecus ac æſtivis menſibus, quod apud nos prorſus inſolens eſt, ſic totam hyemem ſerenam ſine aquæ guttula è Cœlo decidua traduximus; appetente autem Verno Æquinoctio Cœlum Votis communibus reſpondit largis imbribus effuſis, qui uſque ad Aprilis initium perdurarunt, quibus poſtea, flante Auſtro, ingens caliditas ſucceſſit, ut die quinta Aprilis in meo *Thermometro* liquor 70. gradum pertigerit, quò interdum neque Junio menſe devenire conſuevit. Reliquum porro Veris, ac totam Æſtatem cum pertinaciſſima ſiccitate, & immoderato calore tranſegimus, Autumno quoque eundem tenorem, quod ſiccitatem ſpectat, ſervante: quare Annum ſignare licuit præ cæteris valde ſiccum, & ſqualidum, Colonis tamen non prorſus ingratum, cum frugum, & Vini proventum non improbandum ſuppeditarit.

IX. Fuſius forſan, quàm res ipſa videatur exigere, horum trium Annorum Conſtitutiones me proſecutum fuiſſe putabit aliquis, cùm in cujuſcumque Anni Conſtitutionibus ſingillatim nihil eorum, quæ ad rem medicam ſpectant, & quod meum inſtitutum eſt, attigerim, quaſi πάρεργον ἔργῳ præmiſerim; verùm id conſultò egiſſe me fateor, ſiquidem, cum ex ſuperiùs memoratis pateat quàm diſſimilis, & diſcolor fuerit harum trium Conſtitutionum facies, & alia ex parte cum eadem prorſus Epidemia per totum hoc tempus, plus minùs, graſſata fuerit, ſatis liquere poteſt quàm parùm firmo talo ſtet illorum Opinio, qui ex manifeſtis Aëris Qualitatibus, Caloris ſcilicet, Frigoris &c. putant ſatis explicari poſſe *Epidemicorum Affectuum* geneſim, ac indolem, ut etiam ex prægreſſis Conſtitutionibus prænunciari poſſint ægritudines, quæ populariter vagari debeant.

X. Egit id equidem *Divinus Præceptor*, ut ex *Sectione tertia Aphoriſmorum Aph.* 11. *& libro de Aere, Aq. & Locis* ſatis liquet, nam ex prægreſſa Hyeme ſicca, & Aquilonia, & Vere pluvioſo, & Auſtrali pronunciavit *neceſſum eſſe*, ut Æſtate *acutæ febres* fierent, *lippitudines*, & *Inteſtinorum difficultates*; ſicuti ex hyeme Auſtrali, pluvioſa, & ſerena, Vere autem ſicco, & Aquilonio, *Mulieres gravidas abortivos fœtus edituras*, cæteros verò Mortales difficultatibus Inteſtinorum, & ſiccis lippitudinibus obnoxios fore: Verùm *Galenus* 3. *de Diff. Reſp. c.* 1. licet *Hippocraticæ* doctrinæ ita addictus, ut *Hippocratis* libris etiam ſpuriis uſurum ſe ſcripſerit, aſſerere non eſt veritus in citati Aphoriſmi commento, *Hippocratem* uſum potiùs fuiſſe rationali methodo quam obſervatione, & experientia. Huic *Galeni* interpretationi nullatenus aſſentiens doctiſſimus Mercurialis ait, nil tale de Sapientiſſimo Viro, qualis fuit *Hippocrates* credendum, qui non tam audacter pronunciaſſet *neceſſum eſſe*, ut poſita tali Conſtitutione temporum tales ægritudines emergere debeant, niſi ratione, & multiplici experientia fuiſſet abundè inſtructus. Celeberrimus *Lucas Tozzius* in nuperis ſuis Commentariis in *Hippocratis Aphoriſmos* aſſerit, obſervationibus potiùs, & iteratis experimentis quàm confictis argumentis, *Hippocratem* ita pronunciaſſe, nulla ratione apparente, quæ ſuadeat iſthæc eventura; ingenuè enim fatetur Vir egregius ſibi obſervatum, quòd poſt hybernam tempeſtatem ſiccam, & Ver pluvioſum ſubſequutæ non fuerint acutæ ægritudines.

XI. Quot porrò diſceptationes inter ipſos Medicinæ Proceres pro genuina Aph. 12. 3. Sect. explicatione. *Si verò hyems Auſtrina, & pluvioſa, & ſerena fuerit &c.* (cum tot ſint interpretationes, quot Interpretes) jam ſatis conſtat: *Manardus* enim *l.* 9 *Ep.* 1. vocem illam ἔυδιος volebat expungendam, tanquam ſuppoſititiam, cum intelligi nequeat, quomodo vox illa ἔυδιος, quæ Serenitatem ex illius interpretatione ſignificat, aliis cohæreat, quæ hyemem pluvioſam, & Auſtralem repræſentant; *Leonicenus* verò in omnibus antiquis Codicibus vocem illam reperiri ait, ac pro placiditate, & clementia interpretatur. Hinc inter illos celeberrimos Viros pro ſimplici vocula talia orta ſunt diſſidia, adeò ut, referente *Braſavola* in citati Aphoriſmi commento,

mento, *Seniores illi alioqui reverendi apud multos pro re tam levi præliantes in derisum venerint, cum à rationibus, ad jurgia devenerint.*

XII. Abundet quisque in suo sensu ut lubet, & ex Anni temporum in manifestis qualitatibus exorbitantiis tanquam ex fonte, morbosas Constitutiones derivet; ego sanè ex quo ad Epidemicorum Affectuum naturam contemplandam animum adverti, his quæ tam confidenter, & magnificè proferuntur experientiam respondere non video, & quod me angit, in hac Provincia quotannis Hospitem me agnosco; licet enim videam quò passim itur, non satis tamen video, quâ sit eundum, nisi postquam à via longè aberraverim. Profectò si rem accuratius perpendamus, quilibet Annus semper Affectus aliquos secum infert, qui τὸν ἐπιδήμιον sapiunt, nec tales putantur, quia aliquando leves sunt, licet propterea epidemicam naturam non exuant; demiror autem non parum, quomodo insurgente aliqua populari tempestate *Medentum* plerique nullatenus Affectus ingenium perpendentes, nec qua methodo Natura ipsum sponte expugnet, illicò totis viribus, & vulgari methodo ob analogiam quam habeat ad congenerem morbum, ad illius oppugnationem insurgant, & remediorum multitudine indiscreta, & frequenti visitatione muneri suo satisfactum existiment. Mundus autem, qui vult decipi, intempestivam hujusmodi solicitudinem magis commendat, quàm prudentem cunctationem, magnisque muneribus, & encomiis eos cumulat, qui, ut ait Sidonius, *parùm docti, satis seduli, multos ægros officiosissimè occidunt.*

XIII. *Affectus* ergo *Epidemicus*, qui tribus hisce Annis in suis Constitutionibus inter se tam dissimilibus, cùm Urbem, tum Villas, & vicina Oppida multis funeribus infestavit, fuit *febris Purpurata, seu Petechialis*, ut appellant, quæ aliquando quidem post multam stragem editam, visa est velle receptui canere, sed postmodum auctis veluti viribus violentior irruebat, ac populariter grassabatur. Circa Æquinoctium Vernale Anni 1692. hæc Febris primò caput extulit, ac sub initium levi quadam velitatione discurrens, mox per totum Veris tempus, & partem Æstatis usque ad Canis exortum sub peticulari larva sævitiem suam exercuit. Ubi ergo Æstas incanduit, Febris hæc Purpuram deposuit, necillam resumpsit, donec calor æstivus cœperit remittere, circa nimirum Arcturi exortum, quem morem Annis quoque sequentibus ritè servavit, vestem quidem, sed mores, ac genium haudquaquam mutans; Febres enim quæ in summo æstu sine Peticulis visebantur haud secus malignæ erant indolis, quam *Vibices* post mortem apparentes satis demonstrabant.

XIV. Observatione verò dignum fuit, quod post plenilunium, ac multò magis silente Luna ferociebat hæc Febris, quæ postea ad novum ejusdem lumen mitescebat, nec mea tantùm, sed aliorum quoque Professorum constans fuit Observatio, quòd non parùm contulit ad hujus Febris Prognosim, & Curationem; num verò super Epidemicos Affectus peculiare jus aliquod habeat Lunare Sydus, ut illius mutationibus, & variis phasibus auscultent, non indignum est observatione.

XV. Admirandum certè fuit id, quod die 21. Jan. 1693. contigit; facta enim per noctem Lunari Eclipsi major pars ægrotantium obiit, ac eadem penè hora, qua nimirum Luna laborabat, quin & nonnulli repentina morte occubuere, unde per totam sequentem diem magno strepitu, ut hic vetus consuetudo obtinuit, personantibus Campanis, non levis horror omnes perculit. Tunc mecum ipse novitatem hanc perpendens, admirari cœpi, quomodo *Hippocrates* tam diligens rerum omnium, ac præsertim cœlestium Observator, qui *in libro de Aere, Aqu & Loc. num.* 30. periculosissima ambo Solstitia pronunciavit, maximè verò æstivum, sicuti & utrumque Æquinoctium, edicto veluti cavens, ne hujusmodi temporibus medicamenta exhibeamus, neque curemus, neque secemus, sicuti Astrorum ortus, & occasus, ut *Canis, Plejadum, Arcturi* observandos esse præcepit, ut ex pluribus locis illius Operum videre est, & Cometis à se observati men-

tionem facit, quem ſubſecutus eſt Terræmotus, Luminarium porrò defectus alto ſilentio tranſegerit. Quin & Practici ferè omnes, Solis vel Lunæ defectus non pluris faciunt, quàm eorundem Syderum oppoſitiones, & ordinarias coitiones. Unus, quòd ſciam, *Gulielmus Ballonius*, lib. primo ſuorum Epidemiorum, inſignem caſum refert; ait enim *Pariſiis* accidiſſe, quòd dum plures *Medici* apud illuſtrem Mulierem ægrotantem conſulturi ſimul conveniſſent, ac tunc temporis Solis defectus contigiſſet, illique ad contemplandum Solis defectum in Vaſe aqua pleno, ut ſolet fieri, ſublimiorem Ædium partem conſcendiſſent, illicò ad ægram decumbentem revocati fuerint; quæ dum Solis defectus perduravit animam agere viſa eſt, neque è gravi periculo evaſit, niſi poſtquam Sol in apertum erupit, claraque in luce refulſit.

XVI. Alterationem in Aëre oppidò inſignem in Solis defectu obſervare mihi licuit Anno 1694. die 27. Junii, ut in *Ephemeridibus meis Barometricis* eodem Anno editis annotavi; nam in ipſo Solaris Eclipſis tempore, Mercurius ad duas lineas in meo Barometro ſe extulit, hoc eſt Aër temporis ferè momento gravior eſt redditus, ac idoneus propterea ad ſubitas in Microcoſmo alterationes producendas, quare ſi ex Divini Præceptoris ſententia ad Æquinoctia, & Solſtitia advertere oportet, ne quid magnum in illis circa ægros moliamur, non incongruum quoque erit, ſi *Medentes Clinici* ad Luminarium defectus, oculos non ſolùm, ſed mentis aciem intendant. Nollem tamen quis crederet velle me quòd rerum agendarum ſcopi ex corporum Cœleſtium vario ſitu, & configuratione deſumi debeant, nam ubi morbi lævities urget, Lotium potiùs quàm Aſtra contemplari neceſſum eſt, ut ajebat *Manardus*, & opportuna remedia, vel reclamante Cœlo, ſunt adhibenda, quando *omnis dilatio eſt Animæ periculum* ut *Hipp. in Epi. ad Crat.* in morbis tamen popularibus, qui non rarò à cauſis ſuperioribus natales ſuos deducunt, & in quorum curatione non tam facilis, ac certa methodus habetur, non prorſus alienum eſt talia reſpicere, nam ubi agitur de humano corio, *Nihil temerè, nihil negligere*, ex Divini Præceptoris Oraculo.

XVII. Verùm è diverticulis in viam; Symptomata, quæ Febrem hanc malignam comitabantur, antequam Peticulæ apparerent, erant *ingens totius Dorſi laſſitudo*, *Capitis dolor*, *Aurium ſurditas*, *Faucium ardor*, *Mentis ſtupiditas*, *Præcordiorum anxietas*, *& totius corporis ſegnities*; *Dorſi* verò, *& regionis lumbaris laſſitudo* adeò certum erat Febris peticularis ſignum, ut rarò falleret: quin ſub initium hujus pravæ Conſtitutionis, antequam Febres iſtæ palam graſſarentur, Mulieres quæ ad morborum Symptomata aliquando attentiores ſunt quàm *Medentes* ipſi, ex hujuſmodi ſuorum ægrorum querela Febris naturam prænunciabant, & *Medicos* monebant, cauto opus eſſe, nec temerè celebrandam phlebotomiam; quarum dictis, ac præſagitionibus cum perſæpè *Medentes* non auſcultarent, apparentibus poſtea maculis, multa probra ab iiſdem cum Artis dedecore perferre cogebantur. Si verò faucium ardor cum genarum rubore acceſſiſſet, hoſtem detectum clamabant, nec amplius hæſitandum de febris natura, jam in faucibus prodentibus ſe Peticulis. Profectò in hac malignarum Febrium pertinaci Conſtitutione, quæ per triennium ſæviit, *Medicis* non minùs cum Mulierculis, quàm cum Febre luctandum fuit, adeò ut (quod fatèri non pudet) neceſſe fuerit, ſicuti inferiùs exponam, illarum conſiliis, & monitis morem gerere, non tam ad illarum importunitatem declinandam, quàm quòd re vera Experientiæ rerum magiſtræ eſſet obſecundandum.

XVIII. Pulſus parvi erant, & valdè compreſſi, una cum magna virium proſtratione, primis etiam diebus, quæ morbo augeſcente languidiores fiebant, adeò ut ægrotantes veluti Statuæ in Lectulis decumbentes jacerent, integro ferè carnium, & totius corporis habitu, quodque admiratione dignum fuit, quotquot hujus Febris violentiæ ſuccumbebant, pleni ac ſucculenti, veluti pingues Mortis Victimæ, Libitinariis tradebantur; fortiores.

tiores autem ac robuſtiores, cum Fœminas, tum Viros adortæ ſunt hæ Febres, non ita verò Seniores, nec eos qui vitam degebant valetudinariam. Urinæ verò vel in ipſo hujus Febris principio perturbatæ, plus minùs, apparebant, prout major, vel minor morbi eſſet ſævities, nec niſi in fine morbi in iis qui evaſere, ad naturalem ſtatum redibant.

XIX. Peticulæ verò, ut plurimùm quarta die, & ſeptima erumpebant, & ii quibus primis diebus apparuere, omnes ferè ſublati ſunt; primùm autem in *Collo*, *Dorſo*, *& Pectore* viſendas ſe præbebant, obſervatumque neminem evaſiſſe, niſi tandem ad extremos pedum ungues maculæ illæ ſe expandiſſent, in ſuperioribus partibus paulatim evaneſcendo; quibus autem Pectoris & Dorſi fines non tranſilierunt Peticulæ, mortem obtigiſſe: variæ autem, ac diverſi coloris erant, prout varii, ac diverſi erant ægrotantium habitus; aliæ erant rubræ, aliæ pallidæ, aliæ fuſci coloris, aliæ parvæ, aliæ latæ, aliæ in ſummo, aliæ in profundo, & quas nonniſi oculis tranſverſa tuentibus liceret inſpicere, quod genus Peticularum fuit valdè ominoſum.

XX. Faucium inflammationem comitem hæ Febres ut plurimùm ſibi junxere, quæ inflammatio in Morbi vigore in cruſtam albam, & ulceroſam degenerabat, quod non minus negotium *Medicis* faceſſebat, quàm Febris ipſa; cum ægri ob id omnem cum cibum, tum medicamentum averſarentur, & multi, qui cæteroquin pacata aliorum Symptomatum tempeſtate evaſuri credebantur, in ipſo veluti Portu naufragium perpeſſi fuerint. Sitis porrò in his Febribus non adeò ingens erat, ut in aliis acutis Febribus aſſolet, nec multæ querelæ exaudiebantur, ſive non ſitirent, ſive mens obſcurè ægrotaret.

XXI. Quicumque ex hac febrili incurſione Fati ope, vel *Medici* evaſere, nulli excretioni vel per ſudorem, vel per Urinam, vel alias vias, per quas Natura criſes ſuas moliri ſolet, ſalutem acceptam referre poterant, ſed ſolùm Peticularum ſuo loco, & tempore apparitioni, & earundem per totum corpus expanſioni, lentæque evaneſcentiæ, ſalutis beneficium debebant; quin iis quibus alvi fluxus ſupervenere funeſtum fuit: Alvi fluxus autem Anno præcipuè 1693. hiſce Febribus Peticularibus per Autumnum ſupervenere, quo tempore Dyſenteriæ graves *Hebræos* potiſſimùm exercuerunt; culpabantur Fructus horræi, quibus Gens Recutita nunquam ſatis impletur, ſed aliæ cauſæ altiores ſubeſſe poterant.

XXII. Satis frequens fuit in his Febribus Singultus, quamvis parvæ Febres viderentur, Symptoma quidem non minus moleſtum, quàm ferale, & funeſtum; quotquot enim in hac febre Singultuoſi comperti ſunt, omnes in Libitinæ cenſum devenere. Vix obtinui, ut Singultuoſi Cadaver diſſecaretur, ac Ventriculus nigris notis ſparſim compunctus repertus eſt. Verminatio quoque multa paſſim exſtitit, & ii quibus ab initio Vermes per Os prodiere, omnes ferè exſtincti ſunt.

XXIII. Nonnullis ſuppreſſa eſt Urina, vacua prorſus ex ſiſtente Veſica, præcipuè verò id obſervatum in iis quibus pulſus erant parvi, ac penè obliterati, ut contigit in Juvene quodam *Hebræo*, qui cum aſphyxia, ac totus gelidus vixit ad quatuor dies, nec Urinæ quicquam reddidit; antequam autem infelix iſte obiret, quamvis toto corpore perfrigefactus (nullibi Arteriis micantibus) adeò robuſtus erat, & ad motum expeditus, ut etiam ipſa die, qua è vivorum ſtatione deceſſit, è lectulo ſurrexerit, & ſuas Veſtes induerit.

XXIV. Non pauci poſt exantlatum Morbum veternoſi fiebant, ac ſtupidi, rerumque peractarum prorſus immemores, nec niſi poſt multos dies ſibi reddebantur; idem infortunium iis obtigit, qui in his Febribus gravem ſurditatem perpeſſi fuerant. Mercator quidam cum ex Peticulari Febre præter omnium opinionem convaluiſſet, ſurdus omnino ad 40. dies perſtitit, at poſtmodum paulatim ex aſſe reſtitutus eſt.

XXV. Frequentiora in Urbe quàm in proximis Agris fuere funera, ac felicius plebs

Ruralis,

Ruralis, ſine ullo ut plurimùm remedii genere vim morbi eludebat, ſive quòd in Aëre ſalubriori degerent, ſive quòd *Medicis* carerent, non ſemel idcircò mentem ſubiit *Virgilianum* illud:

O Fortunatos nimium ſua ſi bona norint Agricolas.

Ac utinam *Medentes*, cùm aliquis popularis morbus debacchatur, curioſius ſcrutarentur à ruſticana gente, quæ magis fidit *Parocho*, quàm *Medico*, quali methodo Naturam tanquam optimum Ducem ſequentes, minus à recto tramite aberrarent, ac tutiori methodo ad curandos ægros ſibi commiſſos procederent. Cùm autem in his caſibus, ſibi quiſque pro ingenii ſui modulo Regulam confingat, ſecundum quam Opus ſuum moliatur, & in communi morbo, tot ac tam diverſa remediorum genera in uſum revocentur, meritò cum Celſo, *l. 7. in Proœm.* cum quis convaluit, *dubitari poteſt ſecunda Valetudo Medicinæ, an Corporis beneficio contigerit.* Indubium tamen eſt, quòd in communi morbo, ſicuti communis eſt cauſa, ita communia, & eadem ferè deberent eſſe præſidia. Quotquot autem ex Viris Agreſtibus, quos è Peticulari Febre evaſiſſe novi, & interrogare potui, non alio modo convaluiſſe referebant, quàm macularum circa ſeptimam diem per totum corpus, & uſque ad extremos artus expanſione, & earundem lenta evaneſcentia, ſine ulla ſenſibili humorum excretione.

XXVI. Quo tempore in hac Urbe, & in tota campeſtri regione quæ circumjacet, ferociebat hæc Febris, in vicinis Collibus, ut in Saxolenſi, & Scandianenſi ditione, nulli ferè ægrotantes viſebantur, neque eò pervaſit maculoſa hæc Febris; quæ tantùm in editioribus locis, & in ipſis Appennini jugis (veluti ſaltu quodam exſiliens) vim ſuam pariter ac in noſtra planitie exercuit.

XXVII. Sanguis porrò qui ſecta Vena, vel Cucurbitulis ſcarificatis, ſive Venis ſedalibus apertis, educebatur, in univerſum ſatis laudabiles notas præferebat, quantum oculorum acie licebat aſſequi, ſatis enim floridus, ac rubicundus apparebat, multòque magis qui à Natura per narium hæmorragiam profundebatur, neque in ullo ægrotante cujuſcumque temperamenti, ſanguinem extractum videre datum eſt, qui glutinis ſpecimen aliquod præferret.

XXVIII. Profectò mihi fateri neceſſe eſt, in hac Peticularium Febrium Conſtitutione, adeò improſperè Venæ ſectionem ceſſiſſe, ut omnes ægri exhorreſcerent, quoties ſanguinis miſſio per Venæ Sectionem proponeretur, eam verò fuiſſe popularem confidentiam in uſu Cucurbitularum ſcarificatarum, ut ægros interdum decipere opportuerit, quoties urgeret neceſſitas ſanguinem ex Vaſis majoribus ob plethoricam diſpoſitionem educendi, ſinendo ut ægris Cucurbitulæ Dorſo, & Scapulis applicarentur, modicum ſanguinem extrahendo, deinde paucas poſt horas ſanguine ex Vena largiori manu educto. Ea enim hæſerat opinio, nec ſolùm apud Vulgus imperitum, ſed etiam apud *Poliatros*, quòd ubi præmiſſæ fuiſſent Cucurbitulæ ſcarificatæ, nullus amplius eſſet timor de Peticularum retroceſſione, quamvis poſtmodùm non ſemel ex Vena mitteretur ſanguis; ſic curioſum erat *Chirurgos* paſſim videre cum Sacculis Cucurbitularum plenis per Urbem curſitantes, dum inconſultis *Medicis* Plebeculæ hoc remedii genus adminiſtrarent. Suſpectam itaque, ne dicam infamem, ut Scopulos Acroceraunia, Venæ ſectionem in hiſce Febribus fuiſſe fateri lubet, ſicuti ex adverſo glorioſam Cucurbitularum tum ſcarificatarum, tum ſiccarum appoſitionem, ſive id fieret ob confirmatam in omnium animis opinionem de hujus remedii efficacia, ſive quòd revera in illo aliquid abditum eſſet, quod *Medicos* lateret.

XXIX. Reliqua porrò remedia, quibus hujus Febris oppugnatio tentabatur, eò collimabant, ut humorum motum ad Corporis ambitum promoverent, qualia ſunt quæ Sale volatili abundant; ſic nullum non ex Diaphoreticis in uſum revocatum, nihilò felicius tamen prodibant maculæ, ni forſan hoc pacto, Oleum Camino addendo, ut dici ſolet, febrilis incandeſcentia augebatur (quæ ſibi rejecta

cta humorum fugam maturaſſet) & diſtrahebatur Natura, quæ non tam properè depingebat in cute quòd intus moliebatur. Ego meherclè parùm profici obſervans per Alchalica ad Acida confugi, monente Hippocrate, *De loc. in hom. num.* 20. quòd *ſi quis non profuerit, ad contraria ſe convertat*, nec improſperum ſucceſſum, ex illorum uſu adverti, ſufflaminato aliquantiſper humorum Orgaſmo. Non auſim tamen aſſerere, vi hujus, vel illius remedii evaſiſſe, vel periiſſe quemquam, cum *Andabatarum* ritu neceſſe fuerit cum hac Febre dimicare, neque magis felices in ſuis Curationibus fuiſſe *Medicos Seniores*, & longo uſu expertos, quàm *Juniores*, ac è Scholis nuper egreſſos, cum in tenebris tam videant Cœci, quàm Oculati.

XXX. Ad ſollicitandam Peticularum eruptionem paſſim frictiones humidæ ex Unctione Aetii ex uſu erant, ſicuti & Veſicantia Brachiis, & Cruribus appoſita; ſed hæc magis *Medicorum* exiſtimationi apud Vulgus, ne quid inauſum, aut intentatum fuiſſet, conducere viſa ſunt, quàm ægrotantium ſaluti, quibus acuebatur Febris, nec propterea facilior contingebat Peticularum eruptio, niſi forſan ob id retardabantur, facta ſeroſæ materiæ per vias Urinæ profuſione. Sic in hac febrili incurſione omnibus remediis tum internis, tum externis parùm proficientibus ſatiùs erat lentè feſtinare, & humorum matureſcentiam opperiri, ſpretis querelis adſtantium qui urgebant, velis, & remis, ut dici ſolet, ingruenti tempeſtati occurrendum, & prolatando magnas corrumpi opportunitates, quibus adverſis clamoribus *Medentes* non auſi obſiſtere, intempeſtiva, & incerta remedia præſcribendo, ſibi è manibus victoriam eripi viderunt, non ſecus ac *Pompejus M.* qui cum tergiverſando hoſtem commeatuum inopia laborantem facilè vinci poſſe cognoſceret, militibus tamen, & ſociis moram increpantibus, prælium miſerabili eventu commiſit, oblitus ſolitum *ſe laudare eos Medicos, qui nihil unquam ægroti cupiditatibus quicquam indulſiſſent*, ut ſcripſit *Plut. in vita Pomp.*

XXXI. Cum primùm graſſari cœpit Peticularis hæc Febris, necdum ſuſpicio eſſet de populari Affectu (Febribus diverſæ indolis intercurrentibus) purgationes, ut hic fieri aſſolet, in morborum principio, per medicamenta Minorativa dicta inſtituebantur, ſed paulò poſt prodentibus ſe Peticulis, ſudabant *Medico* tacita præcordia culpa, ob metum ne hujuſmodi purgatio Exanthematum eruptioni impedimento foret, humoribus ad interna retractis; Peticulis tamen poſtmodum feliciter erumpentibus, & ſtadium ſuum abſolventibus, *Profeſſores* qui attentius res obſervabant, experientia edocti, à blanda purgatione non abhorrebant. Ego ſanè ubi tempeſtivè accerſitus fui, & Stomachum impuritatibus oneratum eſſe conjectavi, quamvis certus de Peticulari Febre, levem purgationem præſcripſi, neque non ſolùm ullam noxam exinde proficiſci, ſed facilius Exanthemata apparere obſervavi. Similem caſum refert *Bollonius l.* 1. *Ep.* qui ingenuè fatetur, in Febribus, quas de genere Peticularium non putarat, Medicamentum purgans, & Venæ ſectionem præſcripſiſſe, & innocuum utrumque remedium reperiſſe. Id eſt quod monebat *Divinus Præceptor l.* 1. *de Morb. n.* 1. & 2. obſervandum eſſe *quæ bona per fortuitum ſucceſſum Medici ægrotos curantes faciunt.*

XXXII. Ad oppugnandam verò tam infenſi hoſtis pervicaciam, in ſubſidium quoque accitus eſt *Peruvianus Cortex*, qui cæteris remediis ſuccenturiaret; præcipuus autem illius uſus fuit, in iis qui evaſerant ex morbo non benè, ut par fuiſſet, judicato per debitam ſuo loco, & tempore peticularum eruptionem, & evaneſcentiam; iis enim diuturnis Febribus vexatis, Febrifugum iſtud exhibebatur, cujus uſus non multùm contulit ægris, ſubinde in ſtupiditatem, & ſoporem delapſis.

XXXIII. Dyſenteriis porrò, quas Anno 1693. per Autumnum Peticulari Febri ſuperveniſſe ſuperiùs dixi, egregiè contuliſſe *Opiatorum uſum* obſervavi; nec forſan ulla eſt Affectio in quâ ſecuriùs, & liberaliori doſi exhiberi poſſit hoc remedii genus, quàm in hujuſmodi morbo, fractis licet, ac penè attritis

tritis viribus. Cuidam acerrima Dyſenteria laboranti, pluries exhibui Laudanum Opiatum ad 3. & 4. grana, ſed parvo levamine; vixerat hic ad plures dies omninò gelidus, ac ſine pulſu, vires tamen non erant adeò languidæ, ut huc, & illuc ſe jactare non poſſet; verebar ne largiori doſi exhibitum Laudanum, reliquum flammæ Vitalis quæ ſupererat, reſtingueret; Laudanum rurſus ad grana 5. exhibui, ex quo æger placidè dormivit, & excalefactus eſt, quod non tam doloris, qui Dyſenterias comitatur, ſedatione factum crediderim, quàm propter *virtutem Opii Diaphoreticam.* Cum ſatis obvium eſſet in hac Conſtitutione (ac præſertim graſſantibus Dyſenteriis, & Verminoſa Affectione) hujuſmodi in toto Corpore perfrigerationem, unà cum Pulſus abolitione, obſervare: Non ſemel ſubiit admiratio, quare in Ventriculi, & Inteſtinorum Affectibus, tam frequens ſit talis perfrigeratio; ac Pulſus obſcuratio, non ita verò in Morbis Pectoris, ut in Pleuritide, cùm tamen hæ partes, & ipſæ membranoſæ ſint, & Cordi proximiores, ni forſan id fiat, quòd numeroſior nervorum ſoboles in Inteſtinis, & Ventriculo implantetur, quàm in Pleura, & Pulmonum membrana, & ob doloris ſenſum acutiorem, tracto in conſenſum Cerebro, Spirituum Animalium ad Cor influxus intercipiatur, unde poſtea ſilente Pulſu totum Corpus perfrigeretur.

XXXIV. Talis fuit hujus Purpuratæ Febris Indoles, ac talia Symptomata, quæ multam habent convenientiam cum iis, quæ apud *Fracaſtorium de morb. Contag. l. 1. c. 6.* leguntur deſcripta, qui Auctor caput particulare inſtituens de Lenticulari Febre, quæ Anno 1528. in Italia primùm graſſata eſt, mentionem expreſſam habet de laſſitudine, & fractione, ut ipſe ait, in toto corpore, ſenſuum hebetudine, oculorum rubore, pulſu humili, Urinæ ſuppreſſione (quod peſſimum ſignum fuiſſe ait) macularum circa quartam, & ſeptimam eruptione, ſiti pauca, ac ferè nulla; hocque præcipuè annotat, Senes pauciſſimos Febre hac laboraſſe, ſed Pueros multos, ac Juvenes robuſtos. Mihi ſanè dum caput illud perlegerem, non parvæ admirationi fuit, quòd Febris Lenticularis à *Fracaſtorio* deſcriptæ, & Petechialis noſtræ (ut communi utar vocabulo) tam ſimilis fuerit facies, ac ingenium, ut hanc eſſe veluti ſobolem alterius, vel priorem illam redivivam caput extuliſſe, arbitrari quodammodò liceat. Advertens tamen Febrem illam eaſdem penè Regiones, & Populos eodem ferè victu utentes infeſtaſſe, multaque alia perpendens, quæ refert Vir ille doctiſſimus circa illius Febris cauſas, ut Padi, & Atheſis inundationes, fructus, & olera à rubigine exuſta, mirari deſii; ſi enim major diligentia in conſcribendis Morborum Annalibus à *Medicis* adhiberetur, iiſdem temporum viciſſitudinibus recurrentibus, eoſdem penè morbos recurrere, & Naturam eundem morem in illis abigendis ſervare facili negotio obſervaremus; nam ſicut in Politicis, ut ait Tacitus, *potius alii homines, quam alii mores*, ita in re medica potiùs aliud hominum, quàm aliud morborum genus.

XXXV. Sicuti autem magnæ tunc temporis fuerunt inter *Medicos* Diſceptationes circa cauſas illius Febris, & rectum curationis modum, ut penè ludibrio haberentur, veluti ipſe *Fracaſtorius* refert, cum non ſolùm circa præſidia Chirurgica, & Pharmaceutica adminiſtranda, ſed etiam circa victus regimen diſſiderent, ut apud eundem Auctorem, non ſine riſu primò, ſed poſtea non ſine commiſeratione legi poteſt, ſic pariter inter Noſtrates *Profeſſores* non minores fuerunt controverſiæ, publicis ob id diſputationibus habitis, & quod magis dolendum eſt, inter celeberrimos noſtri ævi Scriptores, magnæ ſunt diſſenſiones circa Febris Purpuratæ cauſam, & genuinum curationis modum; ex quo ſatis conſtat, quàm parùm poſt tot glorioſa Inventa à *Fracaſtorii* ævo uſque ad noſtra tempora *Ars Medica* profecerit, cum nondum quicquam certi conſtet de Malignarum cauſis, & illarum rationali curatione.

XXXVI. Verùm his omiſſis, quæ Medi-

cæ

cæ Artis infirmitatem ſatis in propatulo ponunt, experiamur num detur conjectare ſaltem, ſi non ſtatuere, quæ fuerint hujus Febris germanæ Cauſæ, & qualis eſſet in febrientium Corporibus ſanguinis, & aliorum liquidorum ſtatus, & conditio; quod ex habitis obſervationibus, & morborum eventu elici poſſe arbitror, quicquid *Poëta* dixerit, ſucceſſus improſperos iis ominando, qui ab eventu facta notanda putant. Etenim cum in re Medica à juvantibus, & nocentibus ſecuriùs quàm aliunde potiores petantur Indicationes, Eventum, & Experientiam, tanquam Optimos Duces, ſequi oportet, ſiquidem illorum veſtigiis inhærendo, tutiori, & compendioſiori via Veritatem attingimus.

Quid norunt homines, niſi quantum lumina poſſunt
Tendere? ut ait Oppian. de Piſci. l. 2.

XXXVII. Cum ergo iſthæc Maligna Febris promiſcuè cujuſcumque ſortis homines adorta fuerit, tam egenos, quàm divites, otioſos pariter, ac negotioſos, & in omnibus idem penè Drama luſerit, communem fuiſſe illius cauſam, proculdubio ſtatuendum eſt, eamque ex aliqua ex ſex rebus non naturalibus licet deducere. Alimenta quæ Terra ſuggerit, ut Cereales fruges, Olera, Plantarum fructus, Carnes Animalium (cum ex Herbis, & Terræ fructibus alantur) à rubiginoſa lue vitiari potuiſſe, & hoc pacto in maſſam ſanguineam pravos ſuccos invehere, ut exinde malignis Febribus primus fomes ſuccreverit, non prorſus à ratione alienum videtur; at cùm in Conſtitutione Anni 1690. unde labor hic meus Exordium ſumpſit, ſæviſſima *Rubigo* fruges omnes & fructus peſtifero afflatu abſumpſerit, neque per totum Annum illum, ne unam quidem malignam Febrem, ſive Peticularem, ſive ſine Peticulis, mihi ſaltem, obſervare licuerit, ſed tantùm Ruralis Epidemia Tertianarum Febrium Intermittentium per totam Eſtenſem Ditionem, & proximas Regiones oberrarit, ac talis, ut nullus ex Ruricolis penè fuerit, qui Tertianæ Febri Intermittenti non litarit: Ego non ſatis video, quomodò corrupta Alimenta à rubigali peſte pro potiſſima cauſa culpari debeant; neque pariter caritatem Annonæ, quæ ad multos Annos Regiones iſtas exercuit, incuſare licet; quamvis enim ex Hippocrate 4. *in* 2. *Epid.* in Aeno ob eſum leguminum Crura, & Genua multis vitiata fuerint, penes nos tamen tam qui pane optimo, quam qui confuſaneo veſcebantur eadem peticulari Febre cum iiſdem Symptomatibus premebantur.

XXXVIII. Multò minùs Aquas (quarum uſus tam neceſſarius eſt ad hominum Vitam ſuſtentandam) cauſari licet: quamvis enim aliquandò Aquæ corruptæ, & vitiatæ populares morbos invexerint, hoc tamen de Aquis noſtris ſuſpicari nequaquam licet: Regiones enim iſtæ Aquis ſalubribus abundant, ac præſertim Urbs iſta, quæ Divino munere non aliis dato, Fontes habet, qui puriſſimam aquam, non temporariam, ſed perennem æquo ſemper tenore profundunt, ut in Tractatu meo de admiranda Fontium Mutinenſium Scaturigine ſatis expoſui.

XXXIX. Cùm ergo inter ſex res non naturales nullam aliam communiorem cauſam reperire ſit præter Aërem, quo nihil communius, & æquè neceſſarium (cùm unum, & eundem locum incolentibus diverſa eſſe poſſint Ciborum, & potionum genera, Aër verò ejuſdem ferè ſit naturæ) ad occultam aliquam Aëris labem, & inquinamentum recurrendum eſt, quod in maſſam ſanguineam tales invexerit diſpoſitiones, ut ad excitandam hanc malignam Febrem ſatis virium habuerit. Quænam verò, & quales eſſent hujuſmodi Aëris diſpoſitiones, non adeò obvium eſt exponere; profectò in ſolas Qualitates elementares pravam illius diatheſim referre, non adeò tutum eſt, nec animus Veritatis avidus, tam facilè acquieſcit, multòque minùs cùm per totum hoc triennium, ut ſuperiùs annotavi, tam diſſimiles fuerint cujuſque Anni Conſtitutiones, ac nihilò ſecius Purpurata Febris eodem ferè tenore tyrannidem ſuam exercuerit. Pro re indubia tamen habendum, Aërem hunc quem inſpiramus, ac totam Atmoſphæram varias, ac diverſi gene-

ris particulas, tum ex superioribus, tum inferioribus Corporibus, in sinum suum suscipere, Cœlum nempe, seu Astra, ut Solem, Lunam, & reliqua Sydera, lumine suo potissimùm, quod inficiari non possumus, in Aëre profundere & ejaculari, ut ex Solarium macularum evanescentia licet conjicere, ac Globum Terraqueum eodem modo in ejusdem gremium omnigenas substantias eructare, non tam vi Solaris luminis, quod illum plus minùs modò in hac, modò in illa parte calefacit, quam vi caloris centralis, & Ignium quos ipsa Terra intra sua Viscera recondit; ex quo conjicere est (quamvis oculorum acie id percipi nequeat) nihil esse in hac rerum Universitate, quod sit magis heterogeneum, utpote particeps terrestrium impuritatum, & cœlestium effluviorum, quàm Aëreus Oceanus.

XL. Hinc ergò expiscari licet hujus nostræ Epidemiæ causam, ex Aëre nimirum ab heterogeneis, ac omnigenis particulis hinc inde, ac præcipuè ab Australi plaga susceptis vitiato; cùm hisce Annis Austrini flatus dominatum obtinuerint, silentibus ut plurimùm Borealibus Ventis, qui nubila detergunt, & Aëris impuritates eò repellunt, unde decesserant, ad Australes scilicet plagas, ex quibus omne malum ad nos profectum suspicari fas est. Quòd verò in hac *Tragœdia* præcipui Actores fuerint Australes flatus, hinc conjectare licet, quòd dum in hac Urbe, & in campestri regione grassaretur hæc Febris, Villæ, & Oppida ad Collium radices posita, satis salubriter degerent, ac veluti in portu aliorum spectarent naufragium, utpote ab *Appennini* jugis protecta, ne ab Austrinis flatibus adeò infestarentur, non ita verò loca in sublimiori parte Appennini sita, sicut & Urbs nostra cum tota planitie iisdem flatibus magis exposita.

XLI. Quàm malè autem apud nos, ac ferè ubique Auster audire soleat, nemo non novit, cum non solùm *Medici*, sed *Populares* quoque, tanquam morborum pestilentium Parentem Austrum deprædicent. Quid verò secum ad nos comportet Ventus iste, num gravis sit, ac noxius ob nimiam humiditatem, unde nomen sumpsit (Auster enim Νότος græcè dicitur) an quia *Lybiæ deserta* venenatis animalibus infecta transgrediens, ut putat *Langius l.* 1. *Ep.* 19. collectum virus ad nos deferat, non tam facilè est decernere, id certum tamen, ac ipsis sensibus obvium, nihil magis, ac temporis penè momento Aëris statum immutare posse, quàm flantem Austrum, ut Aër ex ponderoso levior reddatur, ac ob id forsan nobis infensus, & vitalibus muniis minùs idoneus, veluti sat manifestis notis testatur *Barometer*; nam, ut *in Ephemeridibus meis Barometricis hoc Anno* 1694. editis annotavi, quoties ex Australi plaga flant Venti, illicò Mercurius è sua sublimitate ad infimam usque stationem decidit, qua minor in Barometro non observatur. Cur autem Austrina Constitutio Aërem leviorem efficiat, dum cuncta tunc temporis nimia humiditate diffluunt, quæsita quidem mihi est ratio, num verò reperta fuerit, ut verum fatear, mihi hæret aqua, ut dici consuevit.

XLII. Austrinam ergo Constitutionem Aërem vitiantem, magis quàm quodcumque aliud culpare licet, ita tamen ut à causis procatarcticis hujus peticularis Febris non excludam Alimenta à *Rubigali lue* vitiata, tanquam communem causam cuicumque hominum generi, illegitimas Anni temporum vicissitudines, ac intemperantias, pluviarum multitunes, verbo, complurium causarum Syndromen, unde humoralis massa à naturali sua temperie degenerans, talem dispositionem nacta fuerit, ut hæc maligna Febris emerserit, quæ eò usque perdurarit, donec Aëre in contrarium statum migrante, Sanguis ac Spiritus crasim priori contrariam adsciverint.

XLIII. Qualis porrò grassante hac Febre fuerit Sanguinis, & aliorum liquidorum status, num ad fluorem, vel ad concretionem potiùs vergerent, mihi quidem non satis constare visum est. Revera, si tum recentiorum, tum antiquiorum *Medicorum* Oracula consulamus, tam varia, ac dissidentia inter se responsa pro statuenda genuina, ac vera

Febrium

Febrium malignarum causa referentur, ut quilibet ex librorum lectione animo potiùs distractus, quàm instructus abscedat. Hic mihi non vacat, nec multùm refert, longa nomenclatura nostri ævi Scriptores in binas Acies divisos, tanquam ex adverso dimicantes recensere, quorum alii proximam, & immediatam malignitatis causam in sanguinis promptitudine, ob Acidi præpollentiam, & Gorgonios Spiritus, ut ajunt, ad concrescendum constituunt, alii in sanguine nimis dissoluto, & ad fluorem evecto ob Sal Volatile, & Alchali acerrimum illi permixtum, adeò ut in hoc bivio, in quam partem quis se dedat, magnos habiturus sit Patronos, quibus causam suam tueatur, si non ex voto res successerit. Sic in re tanti momenti qualis est maligni morbi cognitio, tam parùm inter ipsos *Medicinæ Antesignanos* convenit, ut post tot glorioſa *Anatomica*, *& Chymica Inventa* adhuc nesciatur, quid sit sentiendum, nec quà sit eundem.

XLIV. Despicatui tamen nequaquam duxerim, notionem illam malignitatis, quam experimenta ex Medicina infusoria desumpta nobis suggerunt; siquidem acidis liquoribus in Venas Animalium vivorum injectis, & iisdem Animalibus post mortem dissectis, sanguis in Venis, & in ipso Corde concretus, & grumefactus, sat manifestè conspicitur, sicuti liquoribus lixivialibus, & Alchalicis similiter infusis sanguis sine fibris, ac totus dissolutus observatur; adeò, ut ex hujusmodi observatione, omnia Venena tam externa, quàm intus genita, ad alterutram ex his Classibus satis commodè referri possint. Debemus hoc sanè *Medicorum* nostræ ætatis solertiæ, qui hujusmodi experimentis, & sensuum ministerio, lucem aliquam mentibus nostris affundunt, quomodo scilicet, & quibus spiculis armentur in nostris corporibus humores alibiles, cum venenatam naturam acciersunt, & malignas Febres accendunt, ut potis sint, modò sanguinem coagulare, modò fundere, atque dissolvere, quod non parvi momenti est, ut in morbis malignis (acri judicio re prius pensitata) recta Curatio institui possit, nec indiscriminatim Alexipharmaca exhibeantur, Alchalicis stimulis Equum currentem interdum incitando, cum Acidorum fræno opus esset.

XLV. Quamvis autem Venenorum naturam, tum eorum quæ propinantur, seu ab Animalibus per morsum, vel alio modo inferuntur, tum illorum, quæ in Corporibus nostris progigni solent, & malignos morbos excitant, revera feliciùs explicent *recentiores Medici*, quàm priores, qui ad publicum occultarum Qualitarum Asylum provocabant, ac meliori methodo credantur curari maligni morbi quàm olim, corrigendo nimirum per Acida enormitates ab Alchali productas, & per Alchalica, quæ ab Acido ortum duxerint, id tamen *antiquiores Medicos*, non prorsus latuisse censendum est. Ab hisce duabus oppositis in sanguine dispositionibus, nimia scilicet laxitate, & adstrictione Morbos omnes deduci, opinio fuit *Asclepiadis*, ut pluribus in locis refert *Galenus* 2. *de Elem.* quod idem sensisse visus est *Vegetius in Arte Veterinaria l.* 1. *cap* 28. pro medela sanguinis nimis adstricti Venæ sectionem commendans. Extat apud *Hippocratem* 7. *Epid. num.* 33. sat insignis historia, verè memoratu digna, ex qua satis liquet, priscos illos in malignis morbis, non quæcumque Antidoti nomine insignita essent præscripsisse, ut etiamnum à nonnullis factitari video, qui, ubi constiterit Febrem esse malignantis naturæ, Cœlum Terræ miscent, nullum non Alexipharmaci genus præscribendo. Maligna Febre laboravit Nicoxenus, *lingua ardebat*, ait Hippocrates *calor forinsecus non valdè fortis*, *exsolutio Corporis vehemens*, *vox fracta*, *ut operosum esset exaudire*, *clara tamen*, *tempora collapsa*, *oculi cavi*, *pedes molles*, *ac tepidi*, *juxta splenem distensio*, *Urina clara*, *decubitus supinus*, *crura diducta*, *as disparata ob exsolutionem*, *penitus vigil.* Et quid non ut maligniſſimæ Febris Ideam quis concipiat? Superstes tamen evasit; at quonam remediorum apparatu, ac molimine Domitor ille Morborum Febrem hanc adeò mortiferam subegit? *Potus erat aqua de Farina crassa in ipsa macerata*, *sed & de pomis simulque*

mâlque mali punici ſuccus, & lentis torrefactæ, & farinæ lotura cocta. Verba ſunt *Divini Senis;* quibus autem remediis noſtra hac ætate tentaretur hujuſmodi Febris curatio, novit Deus; certè timendum eſſet, ne id contingeret quod apud *Plutarchum Quæ. Conv. l. 4. Q. 1.* reprehendebat *Eraſiſtratus*, ut ſcilicet ὁμῶ μεταλλικὰ, καὶ βοτανικὰ, καὶ θηριακὰ, καὶ τὰ ἀπὸ γῆς, καὶ θαλάττης, εἰς τὸ αὐτὸ συγκέκραντται. At quæſo *Valleſii* egregii Commentatoris expoſitionem audiamus. *Animadvertendum*, ait ille, *aliquando Febrem malignam cum Exanthematis pituitoſam, aliquando bilioſam aliquando etiam atrabilariam, & curationem ita variare, huic non tam craſſorum, quàm acrium, & tenuium humorum fuiſſe redundantiam indicavit uſtio, & pervigilium. Ob id contulerunt illæ potiones, quæ aliis fuiſſent adverſiſſimæ; fuiſſet tamen huic adverſiſſimum Theriaca uti, aut decoctis, & herbis calidis, quamvis eſſent Alexipharmacæ, ut Dictami, & Scabioſæ, & Cardui benedicti, quòd aliis talia ſolent eſſe uſui.*

XLVI. Sicuti autem in determinanda Malignarum cauſa in genere, adeò inter ſe diſſentientes ſunt *Medicinæ Proceres*, ſic multò minus in explicanda Febris Peticularis Natura, & cauſis conſentiunt; neque recentes ac noſtrorum temporum tantummodo ſunt Controverſiæ; etenim Anno 1528. graſſante per Italiam Lenticulari Febre, ut Clariſſ. *Fracaſtorius* refert *l. 2. de Contag. Morb. c. 6.* tanta fuit pro hujus Febris curatione inter *Medicos*, diſcordia, ut penè ludibrio haberentur, cum ob ignoratam Febris Cauſam, & morem, neque in victu inſtituendo, neque in ullo remediorum genere adminiſtrando convenirent, adeò ut, eodem referente, inter has Controverſias *magna Mortalium pars, & Nobilitas perierit.* Noſtra hac ætate, tanquam in binas acies oppoſitas, *Medicinæ Scriptores* diviſos obſervo, Peticularis Febris naturam, vel per ſanguinis coagulationem, vel per ejuſdem diſſolutionem exponentes. Celeberrimus *Willis*, *Simon Pauli*, *Auctores Zod. Med. Gallici*, aliique plauſibili ſanè ratiocinio putant in hujuſmodi Febre naturalem Syſtaſim Sanguinis in craſſam, ac nimis lentam ſecedere ob Acidi prædominium, adeò ut, dum Sanguis in Orbem agitur, illius particulæ fixiores à Venarum extremitatibus haud ritè abſorbeantur, & captivæ detentæ picturatam cutim efficiant. *Etmullerus*, *Sylvius*, *Menjotius*, aliique hujus Febris naturam, & Peticularum generationem à fibris Sanguinis diſſolutis, è ſua ſtatione dimotis ob Sal acre, & volatile Sanguinem ad fuſionem diſponens deducunt, quo pacto ſimiliter cruore ab arteriolarum oſculis effuſo illius partes tenuiores, tanquam transfugæ, à circulari motu exorbitant, ac ſui erroris notas in cute deſignant.

XLVII. Ne verò in recenſendis aliorum placitis ulteriùs immorer, arbitrari licet in hac Febre noſtra Peticulari, Cruoris maſſam ad fluorem potiùs, quàm ad concretionem pronam fuiſſe, cujus Aſſerti præcipuam conjecturam ſtabilire licet ſuper manifeſtas notas, quas ſanguis eductus præferebat, ſemper enim roſeus ac purpureus, nihilque glutinoſi præferens, mihi, aliiſque Profeſſoribus apparuit, tam æſtivo tempore, quàm hyemali. Cum Sanguis ergo emiſſus toto Cœlo differret ab eo qui ſolet educi in quibuſdam Morbis, ut Pleuritide, Peripneumonia, Eryſipelate, aliiſque Affectibus interdum Popularibus, in quibus ſanguis colore, & lentore vitium ſuum prodit, mihi viſum eſt, *Oculis magis quàm Opinioni credendum* ut (ipſius *Hippocratis* 1. *de Diæta n. 5.* verbis utar) & accenſionem quandam partium tenuiorum Sanguinis, & præcipuè ſeri è Vaſis diffuſionem, ex qua tot ſymptomatum enarratorum diritas ortum duceret. Talem autem maſſæ Sanguineæ adfuiſſe diſpoſitionem multa alia atteſtabantur, ut primò quidem, quòd truculenta hæc Febris Juvenes habitiores, & ſucculentos corriperet, ut ſuperiùs annotavimus, Valetudinarios verò, & Seniores præteriret, non ſecus, ac *Præterit imbelles, ira Leonis oves.* Seminium enim illud intus per inſpiratum, vel quomodocunque ab Aëre ſuſceptum, & quod multùm Alchalicæ acrimoniæ occuleret, promptiùs dy-

namim

namim ſuam exſerebat in iis, in quibus Sanguis opimus eſſet, ac particulis ſpirituoſis refertus, quàm in Valetudinariis, & Senibus, quibus Sanguis eſt effœtus, ideoque aptior ad retundenda acuta ſpicula, quibus armatum erat malignum miaſma, quæ forſan eſt ratio cur Senes *Peſtilentiam minimè ſentiant*, ut ſcripſit *Plinius l. 7. H.N. c. 50.* ſeu Peſti minus ſint obnoxii quàm Juvenes, de quo *Zarotus* in Martialem. Sicuti enim Vina generoſiora æſtivo tempore faciliùs putreſcunt, quàm dilutiora (ſaltem in hac Urbe, quæ ob aquarum ſubterranearum copiam Hypogæis caret) cùm Vina meraca, & generoſa ſub Aëre æſtuante ob copioſos ſpiritus, quibus turgent facillimè in Zymoſim corruptivam urgeantur, non ita verò Vina Oligophora, ob partes aquoſas, quibus abundè ſcatent. Talem quoque Sanguinis Diatheſim teſtabantur Virium ſubita proſtratio, Pulſus parvi, quæ duo ſatis conſtant, ac vigent in iis morbis; ut in Affectibus Pectoris, in quibus Sanguis per Venam Sectam emiſſus, manifeſtam præbet concreſcentiam. Uſus præterea Acidorum ſalubrior compertus quàm Alchalium, ſicuti, & Veſicantium applicatio minus proſpera, ut quæ Sanguini ad fluorem prono ſtimulos adjicerent idem confirmare videbantur, quibus accenſeri poterat V.S. parùm ſalutaris, à qua ægrotantes Cane pejus & Angue abhorrebant.

XLVIII. Nec mirum improſpere ceſſiſſe Venæ Sectionem perſtite hujuſmodi humorum diſpoſitione, quod ut plurimùm in Epidemicis, & Peſtilentibus Conſtitutionibus evenit, in quibus Phlebotomia non admodùm benè audit; cùm perrarò contingat, ut ejuſmodi temporibus ad fixitatem humores vergant, ni potiùs ad liquationem tendant ob aëreum Venenum ſatis tenue, partibus Sanguinis ſpirituoſioribus nimis hoſtile. Eandem ob cauſam in omnibus malignis Febribus, ſuſpenſo pede ad Venæ Sectionem procedi ſolet, ob metum, ne unà cum Sanguine collabaſcant Vires; idcircò *Celſus l. 3. c. 7.* de Febris Peſtilentis cura ajebat: *Sanguinem non facilè mittere, Alvum non facilè ducere*, ac valdè rationabiliter Doctiſſimus Vir *Jo: Baptiſta Scaramuccius Urbini Medicus Primarius* in Theorematibus ſuis Phyſico-Medicis *Theo.* 1. Sanguinis miſſionem improbat, ubi Sales lixiviales præpolleant, à quibus aliqua diſſolutio poſſit emergere.

XLIX. At cur talia è Cucurbitulis ſcarificatis vereri non licebat, inquiet aliquis, quaſi Sanguis per eas emiſſus, non ex eodem fonte prodiret, ac is qui per V. S. educitur, ni forſan floridior etiam ſit is qui per Cucurbitulas extrahitur ſectis multis arteriolis? Non ibo certè inficias, Sanguinem per Cucurbitulas eductum vividiorem eſſe, fuiſſe tamen magis proficuum Cucurbitularum uſum, quàm Phlebotomiam, non popularis confidentia, ſed Experientia, quæ ratiociniis noſtris perſæpè illudit, ſatis evicit. Neque ſuarum rationum fulcimento carebat hoc præſidii genus. In hac enim Febre, in qua humores à Natura ab intimis ad extima propellebantur, hoc pacto magis promovebatur ad Corporis ambitum illorum motus, ac variis in locis inciſa cute exſpirabat aliquantiſper occultum illud venenum, quod ad cutem protruſum inibi hærebat ab Aëre ambiente repercuſſum.

L. Huic præpoſtero, ut rebar, Cucurbitularum uſui & ipſe ſub initium hujuſce Popularis Morbi non parum obſtiti, urgebamque levandam prius per Venæ ſectionem Naturam eo quo premebatur faſce, nec intempeſtiva Cucurbitularum appoſitione ſolicitandum humorum motum, tempore præſertim ebullitionis, reclamabam Sanguinis Miſſionem nullatenus trahere à circumferentia ad centrum, imo toto eo tempore quo aperta ſit Vena, majori niſu ad eam partem quàm ad reliquas Sanguinem moveri, fidendumque potius Rationi, quàm Eventui, quem Stultorum Magiſtrum eſſe ajebat *Q. Fabius M.* apud *Livium l. 22.* At ſors melior eorum qui hoc Præſidii genere, vel in ipſo Morbi principio, utebantur, vellebat Aurem, monebatque vertendum Stylum, nec tanti faciendas eſſe rationes confictas, quanti Experientiam ipſam. Exſtant ſanè multa apud Auctores

res de Cucurbitularum usu, ac si placet etiam de abusu, ut *Hippolytus Obicius* in suo libro de multiplici in Medicina abusu *c.* 5. ac re vera omnes ferè in acutorum Morborum principio (nisi prius per V. S. plenitudini provisum fuerit) illarum usum improbant. *Fracastorius* tamen in Febre Lenticulari, quæ ipsius ætate, ut superius memoravimus, pervagata est, Venæ Sectioni parcendum volebat, ubi præsertim valdè sparsa contagio esset, & Cucurbitularum appositionem commendabat, nisi magna adesset plenitudo. Quanti porrò faceret in hac Febre Cucurbitularum usum P. Alpinus ex solo capite quod in libro de Medicina Ægyptiorum instituit, dignosci potest; disquirit enim *l.* 2. *c.* 16. *An errent Ægyptii Medici nunquam utentes Cucurbitulis pro adjuvanda Exanthematum eruptione;* ex recentioribus verò P. Borellus annotavit anno 1648. Febres malignas Epidemicas purpuratas cum magna clade grassatas fuisse, & frequentem Cucurbitularum usum valdè profuisse.

LI. Hinc mihi visum est considerandas non esse Peticulas, ut simplex Malignæ Febris signum, veluti communis fert opinio, nec à Criticarum excretionum censu excludendas, quod ex *Clar. Diemembroechii* observatione in *Bonet. Sepul. T.* 1. *l.* 4. qui Peticularum historiam egregiè absolvit, confirmari potest; refert enim hic Auctor sibi observatum in denatis ex Purpurata Febre, partes omnes internas Peticulis obsitas esse, quod tamen multò ante, si non oculorum, saltem mentis acie, pertigerant *Vallesius* in historia Simonis 2. *in* 6. *Epid. Ballonius l.* 2. in suis Epidemiis, *Fernelius* in libro de Febribus *l.* 2. *c.* 18. Mihi quidem Cadaver ullum dissecare non licuit, ut ex autopsia peticularis hujusce diffusionis per interiora Corporis certior fierem, (quando apud nos nullo pretio quisquam ex Plebecula Cadaver aliquod ex suis domesticis pro simplici inspectione permitteret) constans tamen observatio, quòd ii qui ex hac tempestate, per nullam sensibilem humorum excretionem convaluerint, ut superiùs annotavi, sed per solam Peticularum suo loco, & tempore apparitionem, ac per totum corpus expansionem, lentamque earumdem evanescentiam, ad credendum compellit, Naturam post factam primis diebus justam humorum ebullitionem, virulentum illum ichorem despumasse, ac illum primò quidem in partibus internis, mox in externis quoque deposuisse, ut hoc pacto per mille Arteriarum oscula tetro illo miasmate exantlato, tota massa sanguinea pristino suo nitori redderetur. Curiosum autem est id quod *Diemembroechius* refert sibi in Cadavere ex hac Febre exstincto observatum, nimirum maculas hasce ab ipso Periostio initium ducere, & lata basi instar Pyramidis per musculos usque ad Cutem adscendere, instar fumi Lampadis recenter exstinctæ.

LII. Non tam modicum igitur esse illud, quod in Peticulari Febre è sanguineo penu secernitur, censendum est, imo toto eo tempore, quo hujus morbi historia absolvitur, talem esse diacrisim, quæ in Criticarum censu reponi possit, quamvis non adeò sensibilis sit, ut reliquæ evacuationes criticæ, tum ob materiæ tenuitatem, quæ insensibiliter exspirat, tum quod illius pars major per interiora Corporis diffundatur, in cute Pyramidis tantum apice apparente; Sic non ineptè explicari posse crediderim, superiùs enarrata Symptomata, quæ Febrim hanc comitabantur, sicuti & modum, quo Natura harum Febrium curationem moliebatur; Dorsi enim, ac totius Corporis lassitudo qualis in Febribus, quæ κοπιώδεις dicuntur, non aliunde quàm ab ichore illo, ab Arteriarum osculis in membranas, & musculorum fibras refuso, ortum ducebat, sicuti & *Præcordiorum Anxietas*, *Faucium ardor*, *Aurium surditas*, *Mentis stupor*, ab eadem materia pendebant, ad partes transmissa, ubi functiones Animales, & Vitales exercentur. Cùm enim Natura totum Venosum genus à pravo illo miasmate expurgare vellet, non unam sibi viam eligebat, quò noxios humores eliminaret (ut aliquando per Vomitum, Alvi fluxum, Urinarias vias, cutis poros, solet efficere) sed

tot

tot sibi fores aperuit, quot sunt Arteriarum oscula, idcirco omnes ferè Corporis partes noxam sentiebant, donec rejectamentis illis discussis, priorem tonum recuperarent. Cùm hoc modo itaque in hac Febre expugnanda Natura procederet, mirum non est, si suspenso pede ad Venæ sectionem, aliaque remedia administranda procedendum erat, ne distraheretur Natura, & cur feliciùs res cesserit *Medicis* sanguinis abstemiis, quàm profusoribus; hanc ob causam *Pagani* facilius evadebant, quàm *Urbani*, qui persæpè medendo ægrescebant.

LIII. Ubi verò malignum illud Virus præpollebat, ad internecionem usque spirituum Animalium & Vitalium, cuncta in pejus citissimè ruebant, Peticulis seu vix se prodentibus, seu subitò evanescentibus, quibus præstò aderant summa virium prostratio, Asphyxiæ, totius coporis perfrigerationes, Singultus, & Ischuriæ spuriæ, quæ satis frequentes fuerunt; cessante enim Spirituum Animalium influxu, & feriante Corde à naturali motu, nullus fiebat arterioſi sanguinis ad Renes appulsus, & consequenter nulla seri secretio; qui autem ex hac Febre occumbebant, pleni, & succulenti, ut diximus, efferebantur, eò quòd non ingens esset calor, qui Febres istas comitaretur, (quam ob causam non admodum sitirent) & quia pertenue esset quod per transpiratum exhalaret. Cur verò decrescente Luna, ac eadem silente, magis sæviret hæc Febris (si in re tam abstrusa licet aliquid conjicere) id fieri potuisse crediderim, eò quòd sicuti in Macrocosmo dicitur Luna Gubernatrix tenebrarum, & mobilis undæ, cùm illi uni Æquor obtemperet, sic super Microcosmi limpham dominatum obtineat, & quemadmodum *omnia in Plenilunio Maria purgantur*, ut ait *Plinius l. 2. H. N. c. 98.* ita in hac Febre, dum Luna pleno lumine vigeret, sanguineum serum in motum cieret, unde promptiùs macularum eruptio, & totius massæ humoralis repurgatio contingeret, ejus verò lumine deficiente, ac per totum tempus illune, segniùs moverentur humores, ideòque minus apti ad exitum, & sic concluſi Febrem augerent.

LIV. Quoad reliqua Symptomata, quæ hisce Febribus in progressu superveniebant, ut *Singultus*, *Alvi fluxus*, *Verminosa soboles*, hæc non solùm morbi sævitiem prodebant, sed primam regionem crudis humoribus oneratam fuisse demonstrabant; propterea blanda purgatio, non Mochlica, in principio harum Febrium Peticularium non prorsus fuit incommoda, quamvis casu instituta, nec credita Febribus hujus prosapiæ multùm conferre, leniter enim eductâ humorum Saburrâ in stomacho contentâ, Natura exinde ad perficiendum opus suum, pro massiæ sanguineæ à pravo miasmate expurgatione per macularum diffusionem ad cutem usque faciliùs procedebat. Hoc documentum blandæ purgationis in principio vel neglectum, vel parùm salutare creditum, non levi damno ægrotantibus fuisse crediderim, præpeditis enim, ac conspurcatis primis viis, Cardiacis remediis, quibus oppugnanda erat Febris, præcludebantur fores, vel iis non licebat Cruoris sedem, & Cordis penetralia, non nisi deturpata facie subire. Hanc ob causam suspecta sunt Alexipharmaca in Malignarum principiis, nisi ab obstructionibus expeditæ sint viæ, ut apud *Galenum 5. de San. tu. cap. 6. Septalium Caut. Med. l. 5. nu. 47.* & alios videre est, quidquid in contrarium sentiat *Manelphus* in libro suo de Febribus *l. 2. c. 13.*

LV. Haud me latet, non adeò probari à multis in principio harum Febrium purgationem hanc per Medicamenta Syrmeſma dicta, *Syrmai* ut P. à *Castro* in *aureo suo Opusculo de Puncticulari Febre*, ubi in specie Electuarium Lenitivum improbat, *Antonio Ponce S. Cruce de Imped. Mag. Auxil.*, *Vallesio* in commento historiæ Simonis apud *Hippocratem*, ac inter recentiores *Etmullero de feb.* qui suspectos habet in Purpuratis Febribus Clysteres ipsos, nedum Purgantia; non desunt tamen qui levem purgationem admittant, ut *Septalius l. 5. Anim. n. 47.* qui *Galenum* ipsum testem adducit in famosa historia Simonis, *cui lata Ex-*

anthemata erant, purgationem aliquando commendantem.

LVI. Usus porrò Peruviani Corticis parum salutaris compertus est, vel quòd tunc temporis exhiberetur, cùm stimulo opus esset, non fræno, dum Remedium istud, ut diximus, præscriberetur in Febre lenta, Peticulari Febri non benè judicatæ, superstite, vel quòd tale præsidii genus Febribus hujus prosapiæ non conveniret. Variè profectò audit, ac variam experitur sortem, vel in iisdem locis, ac regionibus, famosum istud Febrifugum, ut eodem tempore laudetur ab his, culpetur ab illis, & modò probrosis, modò magnificis titulis vocetur. Medicinam dolosam *Peruvianum Corticem* vocat *Willisius* de *Feb. c. 6. Richardus* verò *Mortonus Medicus Anglus in Pyretologia.* Plantam è qua detrahitur Cortex iste, Arborem Vitæ appellat; num id contingat ob remedii inefficaciam, quòd non omnibus Febribus, nec in quolibet temperamento convenit, an ob *Medentium* incuriam, qui non ritè suo loco, & tempore illud exhibeant, meritò ambigi potest. Mehercle omne Febrium genus, tam magnas, quàm parvas, intermittentes pariter, ac continuas, gladio hoc Delphico jugulare velle summa dementia est; & funesti casus ubique memorantur, in quibus *China China* inauspicatò assumpta Ægrorantes, vel inopinatò sustulit, vel ad insanabiles Ægritudines sensim deduxit. Cautiones certè notatu dignas pro recto *Chinæ Chinæ* usu videre est apud Celeberrimum *Etmullerum* in Dissertatione de usu, & abusu Præcipitantium, ubi Spiritum Salis Armoniaci proponit ad excitandam Febrem à *China China* sopitam, quotiescumque Abdominis dolores, Artuum ostocopos, Alvi occlusio, nocturni sudores, aliaque mala supervenerint; refert enim observatum, Spiritum Salis Armoniaci, Febres ab hoc Cortice fugatas promptè revocasse. Non est hujus loci in usum, & Naturam, tam celebris Febrifugi altius inquirere, solùm hac occasione memorare libeat, annotasse me in prima mea Dissertatione de Constitutione Anni 1690. (quod ulteriori observatione confirmatum comperi) in frigidis, & humidis Constitutionibus, quæ Corpora nostra crassis humoribus infarciunt, parùm salutarem esse *Corticis Peruviani* usum, in calidis verò, & siccis Constitutionibus, in quibus humores aliquo egent sufflamine, Remedium istud egregiam operam præstitisse.

LVII. Quamvis autem in hac mea Dissertatione, præcipuam curam impenderim, ut hujus malignæ Febris, quæ tandiu pervagata est, indolem, ac genium explorarem, & exponerem, quibus præsidiis illius oppugnatio tentata fuerit, non ideò tamen inficias ibo, multas alias graves Ægritudines sporadicas eodem tempore hunc vel illum afflixisse, ac etiam sustulisse, quales sunt morbi particulares secundum varia Anni tempora, ut Æstate, Choleræ, Autumno Febres erraticæ, & Quartanæ, & eodem modo morbi Hyemales, & Vernales, sed quia in iis nil Epidemici annotare licuit, eos propterea silentio transigere volui, quando illorum Theoria, & Therapœja apud *Practicos Scriptores* satis vulgata est, nec in illorum curatione quicquam magis desideratur, quàm *Medentis* judicium, & prudentia. Quia verò in morbis vulgaribus (qui ut plurimùm satis vulgari diligentia tractari solent) memorandum illud τὸ θεῖον *Hippocratis* delitescere video, in illorum indagine potissimùm mihi desudandum fuit, nec unquam desistam, quin Professores exhorter, ut in hunc Campum pedem immittant, ubi non spicilegium, sed segetem ampliſſimam contemplationum semper invenient, quæ & ipsis decori, & ægris salutifuturæ sint.

LVIII. Ad duos fines nos militare scripsit Divinus Senex *in Epist. ad Cratevam*, *unum Hominis*, *alterum Artis*, nostra verò hac ætate nescio quo genio, *Medentum Primores* in rebus, quæ decus quidem aliquod Arti, sed nullum pænè Ægrotantibus præsidium possint inferre sunt occupatissimi; cùm enim toti sint in minimis explorandis, ac tanquam in haruspicina ad extispicia intenti, ex Viscerum fibrillis Naturæ opera, ac magisteria alioqui indeprehensibilia divinare præsumant,

ad

ad gloriam, & nominis celebritatem aucupandam solùm incumbunt, quasi eò res deducta fuerit, ut in re Medica non nisi *Prosectoribus*, exercendi ingenii, & famæ comparandæ locus relictus fuerit. Quid si *Aristophanes* hodie viveret? quibus Salibus curiosam hanc diligentiam non perfricaret? liceat referre illius Versiculos, qui in sua puritate plus habebunt leporis, & energiæ; interrogatus ergo *Socratis* Discipulus à *Therpsiade* per quamnam viam canerent Culices, num per superiora, an per inferiora.

Ἔφασκεν εἶναι τοὔντερον τῆς ἐμπίδος
στενόν, διαλέπτειν δ' ὄντος αὐτῷ τὴν πνοὴν
βίᾳ βαδίζειν εὐθὺ τοὐρροπυγίου.
ἔπειτα κοῖλον πρὸς στενῷ προσκείμενον,
τὸν πρωκτὸν ἠχεῖν ὑπὸ βίας τοῦ πνεύματος.

id est ex versione Andreæ Divi Justinopolitani.

Dixit esse Intestinum Culicis
Angustum, perparvi autem existentis ipsius
spiritum
Vi ire recta in podicem,
Postea concavum ad angustum adjacentem
Podicem sonare à vi spiritus.

LIX. Absit tamen quòd Anatomicam indaginem tanquam laborem improbum traducam, solùm dolendum videtur, quòd cum Spartam hanc satis ornatam, & excultam esse pateat, quantùm Praxis Medica exigit, omnes ferè qui ingenio magis præstant, in id usque ad temporis dispendium incumbant, cùm ad alia magis usui futura, mentem ac vires possent intendere, inter quæ non postremum sanè locum meretur Epidemicorum Affectuum Historia, qua nihil in re medica forsan magis desideratur, & minus excolitur.

DE ABUSU CHINÆ CHINÆ, DISSERTATIO EPISTOLARIS.

QUæsisti à me per literas, nec semel, Nepos carissime, quidnam ego sentiam de celebri Febrifugo Peruviano, cujus usum istic tam frequentem, tam magnum sensim factum ais, ut qui sine hoc præsidii genere ad febrem oppugnandam velit accedere, tanquam inermis accedat, ac si forte æger intereat, pro magno piaculo habeatur, remedium istud non fuisse pertentatum. Quosdam tamen adhuc esse, ut scribis, ingenuos Medicos, qui sui juris sint, & hujusce remedii usum quidem non abhorreant, sed modum adhibendum velint, ut nec tam facilè, nec in tanta copia sit exhibendum, sed potiùs hac in re rationem, & experientiam consulendam, longè tamen vincere illorum numerum, qui sibi plaudunt ex hoc solo remedio curatas febres, quas Natura si non tam citò, tutiùs tamen curasset non ita facile redituras. Quæris ulteriùs an salutare consilium esset usum Chinæ Chinæ pertentare ad solam prophylaxim, num scilicet antequam ingruat solita febrium periodicarum tempestas per æstatem, sive autumnum, bonum esset Chinam Chinam adhibere ad præcautionem, ne generetur fermentum illud, quod hujusmodi febres excitare solet. Ut honestis petitionibus tuis satisfaciam, ad primùm Quæsitum respondeo, juxta varias ætates, quas Divina Beneficentia percurrere mihi indulsit, varie ac diversimodè de Peruviano Cortice me sensisse; juvenili ætate, ac in virili etiam statu, fateor mihi in magno pretio habitam Chinam Chinam, & illa familiariter usum, non ita tamen ab illius vesano affectu me fuisse infatuatum, ut illam tanquam Pa-

naceam omnibus remediis præferrem, procedente vero ætate, experientia edoctum à priori ſententia receſſiſſe me non parùm, & non niſi cum ſumma cautione remedium hujuſmodi præſcripſiſſe. Sic frequenter evenit non ſolùm in re Medica, ſed in aliis quoque facultatibus, quod ajebat Demea ille Terentianus.

Nunquam ita quiſquam, benè ſubducta ratione ad vitam fuit.
Quin res, ætas, uſus ſemper aliquid adportet novi.
Aliquid moneat, ut illa quæ te ſcire credas neſcias.
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Abſit tamen, ut febrifugi hujus vim arcanam contemptui habeam, etenim ingenuè fateor Peruvianum Corticem unum eſſe ex iis, quæ faciliùs admirari poſſumus, quàm intelligere. Sicuti enim divinum illud Hippocratis aliquando in morbis reperitur, id eſt quiddam abditum, quod humanum captum excedat, ita etiam in aliquibus remediis obſervatur non rarò τὸ θεῖον, & potiſſimùm in Peruviano Cortice. Admirandum eſt profectò, quomodo ad exiguum pulviſculum quomodocunque exhibitum, febris periodicæ furor conquieſcat, interdum etiam exſtinguatur, quod de quocunque alio remedio pharmaceutico non tam facilè obſervatur, quod ſciam. Opium equidem, ex quo Nobile illud Nepenthes dolorum ſedativum, paucarum horarum ſpatio dynamin ſuam oſtendit, ſpiritus animales conſopiendo, ſed hujuſmodi virtus ephemera eſt, nam altera die dolor redit, aſt Chinæ Chinæ beneficium non tam paucis diebus clauditur. Cætera remedia, uti omnia emetica, cathartica, hydrotica in morbis quibuſdam promptam opem quam ſpondent, re ipſa præſtant, ſed cum ratione, dum è corpore peccantes humores eductos adſpicimus, aſt exhibito Cortice, ſive in mediocri, ſive in larga doſi, ſaltem ut plurimùm nihil ſenſibile propelli videmus; fortuitum enim eſt, ſi aliquid per vomitum rejiciatur ſive propinata *China China* contingat alvi dejectio, virtute ergo ſecreta, & adhuc incomperta Febrifugum iſtud agit id quod agit. Diu equidem, ſed fruſtrante diligentia a ſagacioribus Medicis allaboratum eſt circa hunc Corticem, ut aliquid proferrent quod animum veritatis avidum expleret, *ſed vincit adhuc natura latendi*, ut olim de Nili origine cecinit Lucanus.

Cum ergo poſt tot conatus magnorum Virorum, & facta tentamina per varia experimenta, num ſaltem pro ſolamine laborum in Vegetabilium familia in Europa aliquid analogum Peruviano Febrifugo reperiri poſſet, adhuc ignotus ſit operandi modus hujus celebris Antipyretici, aſſerere neceſſe eſt rationalem non eſſe illius uſum, ſed mere empiricum & amethodicum. Suppono, Te clariores Scriptores legiſſe, non eos ſolùm qui ex profeſſo de *China China* ſcripſere, qua de re tot in dies prodeunt novitates, ut de hoc remedio jam habeamus Pandectas, ſed etiam eos, qui data occaſione tractandi defebribus, ac illorum remediis, de hoc Peruviano Febrifugo ſana mente, ac ingenue diſquiſiverunt; facilè enim Tibi fuiſſe exiſtimo obſervare, quàm parùm conveniant, qui ex profeſſo de *China China* tractatus edidere, & illi qui data occaſione, de hoc remedio judicium ſuum tulere; priores enim (qualis mos eſt eorum, qui de aliquo novo medicamento tractatus integros edunt, in eo quòd laudandum aſſumpſere modum neſciunt, ac ut ait Juvenalis *de magnis majora loquuntur*) ſummis laudibus remedium iſtud ad Aſtra efferunt, Arborem Vitæ illud appellantes, alii vero ſuſpenſo pede de *China China* procedunt, bona & mala, quæ non rarò inferat, ingenuè exponentes, ſic laudatur ab his, culpatur ab illis, ut legentes, ac præſertim Juvenes dubios relinquant, in quam partem ſe dedere debeant. In provectiori ergo ætate experientia edoctus, & obſervatis noxis ab illa prognatis, cautiùs in illius uſu proceſſi, & mediocri ſolùm doſi præſcripſi ad drachmam unam vel duas in febribus intermittentibus, quando nimis protractæ ægros fatigarent; in hunc præcri-

præcipuum finem, ut aliquot dierum induciis impetratis, æger recrearetur, & vires resumeret, non sine spe, imò cum certitudine febrem redituram, quæ una cum natura roborata, morbi causam expelleret, sed mutata aëris temperies, quæ in morbis diuturnis magnam vim habet, febris historiam absolveret; hæc mea est methodus, qua in ætate saniori sum usus. Cæterum in quacumque febre intermittente, quacumque ætate, sexu, regione, tempore, temperamento, corporis habitu, constitutione, Chinam Chinam indiscriminatim exhibere velle, magnum abusum esse judico. Certe in Pueris, & Adolescentibus, ubi per æstatem febribus intermittentibus, quæ ut plurimum sunt tertianæ spuriæ, raro autem simplices, & exquisitæ, parum proficuum observavi Chinæ Chinæ usum; licet enim videantur aliquantum mitescere, hoc febrifugo exhibito, sæpissimè redeunt, & ad multos menses contumaciores perstant, nec nisi ad oppositas anni tropas receptui canunt. Vidi anno elapso Patavii in familia quadam, quæ multas puellas habebat, eodem tempore febribus istiusmodi laborantes, cum ferina tussi in principio accessionis, quibus cum varia remedia fuissent administrata, sed incassum, & Mater instaret, ut illis præscriberetur China China, nec Medici qui curationi aderant annuere vellent, Mater libere dixit se tale remedium, cujus vim fuerat experta, esse exhibituram, quod cùm feciset, febres semper contumaciores sunt factæ, ac per totum autumnum, ac hyemem, usque ad veris principium perdurarunt; ætas enim hujusmodi ob errata in victu, & minorem per ambitum corporis humorum dissipationem, ab hoc remedio, quod nihil è corpore educit, sed potiùs concentrat, nil opis obtinet, fortior autem ætas, qualis est Juvenum & virorum faciliùs substinet incommoda, quæ posset China China inferre. Ast hoc de muliebri sexu dici nequaquam potest, sexus enim muliebris ex suâ naturâ minùs aptus est ad beneficia reportanda ex usu Chinæ Chinæ, minùs enim operosus est hujusmodi sexus, & larium domesticorum magis amans; Monialibus præsertim intra sua Claustra concluſis, parùm salubrem esse Chinæ Chinæ usum, satis compertum habeo; perrarò etenim induci potui, ut illis Chinam Chinam exhiberem, nec nisi cum protestatione febrem redituram, & pertinacius duraturam; Medici enim non solum ab ægris, sed etiam ab aliis Monialibus interdum compelluntur præscribere ea quæ nollent remedia, quod observavi pariter in puellis, quæ apud ipsas educantur.

A Monialibus itaque antifebrile istud exoticum longe ablegare bonum judico, ab experientia sic edoctus, febres enim Sacrarum Virginum, ut ut parvæ, habent nescio quid abditum, cui malo abigendo potiùs alchalia volatilia, quàm fixa conveniunt. Ab Ædibus quoque Nobilium, aliorumque potentium Virorum, in otio urbano, seu rurestri cum victus lautitia degentium, Chinam Chinam proscribi utile judico, licet enim ubi interdum ex aliqua febre intermittente decumbant, quamvis cassiæ modico purgentur, aut vena secetur, non tam facile disponi possunt, ut satis tutò iis præscribi possit febrifugum, ut ab aliis malis postea non plectantur.

Sed quid Medico Aulico agendum, inquies, ubi aut Conjugem, aut Filium Principis, sive ipsum Regnantem Principem, febre aliqua intermittente inter æstivos ardores decumbere contingat? Num suo Principi, apud quem multoties glorioſas curationes, in hoc atque illo à se factas solo Peruviano Cortice, celebrarit, tam fidenter, tam animosè potionem hujusmodi porriget, ut illi præcordia non sudent, ob metum de aliquo improspero eventu? Hac in re si Galenum consulere velimus, optimum habebimus documentum, ille etenim, ut refert in Libro de *Præ. Ad Post.* ab Imperatore, passione quadam stomachi ab assumpto cibo laborante, per noctem accersitus, & ab ipso interrogatus, quo remedii genere hujusmodi passioni mederetur, cui Romani Medici nil opis afferre potuissent, promptè respondit se cæteris hominibus sic affectis, vinum pipere inspersum exhibere solitum, Regibus autem, non nisi *tutissima*

remedia à Medico debere præſcribi; num autem Peruvianus Cortex inter tutiſſima remedia recenſeri debeat, judicet cui Cor ſapit.

Ex nuperis Ephemeridibus hebdomadariis, pro curioſorum pabulo ad nos deferri ſolitis, accepimus in Regia Perſona pertentatum fuiſſe Corticis Peruviani uſum, ſed non multa Medicorum laude & fortuna, in caſu intermittentis febris, ut reor, cum illius non expreſſa fuerit mentio; fugata enim, ſeu ſopita febris, prohiberi non potuit, quin rediret, continuato licet ad prophylaxim Febrifugi uſu, at id forſan pro Regiæ Majeſtatis beneficio accipiendum, ut febris hiſtoriam ſuam perfecte abſolveret. Tutiorem ergo uſum habet hoc antifebrile in populari gente, quæ ex manuariis operibus vivit, quales ſunt Artifices continuis laboribus exerciti, quibus cum non vacet diu in lectulis ægrotare, ſuam ſi velint alere familiam, propinare licet potionem hanc febrifugam, etiam ab initio, paucis præmiſſis; ad conſuetos enim labores redeundo, congeſtos humores, & ſi quid noxæ Febrifugum affixerit, ſudore diſcutiunt. Hoc itidem dicendum de Mulieribus operoſis, quales ſunt quæ ſervili opere ſunt addictæ, uti lotrices, textrices, & aliæ hujuscemodi. Gravidis quoque mulieribus, ſicubi à febre tertiana ſeu quartana corripiantur, facta aliqua levi purgatione, ſcilicet etiam V. S. lubenter remedium hoc præſcribi poterit & cum beneficio, præſertim in poſtremis graviditatis Menſibus; prævalet enim metus, ne concuſſio illa, quæ in febribus periodicis, & præſertim quartanis contingit, fœtum cum Matris periculo poſſit excutere, quod ſi ex China China præjudicium aliquod ſubſequi poſſet, remedio futuram uterinam proluviem, quæ partum conſequitur.

Cum autem varia, ac diverſa ſint hominum temperamenta, & corporis habitus, varios, ac diverſos effectus operatur China China. In temperamentis melancholicis graviores noxas parere obſervavi, humor enim atrabilaris ferox eſt, nec tam facilè auſcultat remedio febrifugo, licet ab initio primarius uſus Chinæ Chinæ in febribus quartanis ſibi famam & nomen compararit, aut ſi paululum febrem infringat, non multo poſt ferocior caput exſerat. In temperamento quoque pituitoſo ſuſpectus eſt Chinæ Chinæ uſus, & quamvis paroxyſmi febriles in febribus ſpuriis poſt longum uſum Chinæ Chinæ conquieſcant, prolixior eſt reſtitutio ad priorem ſanitatis ſtatum, craſſi enim & pituitoſi humores poſt hujuſce remedii uſum fixiores fiunt, & minus difflabiles; homines corpulentos, & præpingues ſenſim cachecticos factos ex uſu hujus febrifugi, ac tandem longum poſt tempus obiiſſe obſervavi, licet aliæ culpentur cauſæ. Non paucos hic memorare poſſem Mutinæ mihi obſervatos, in quibus hanc principalem cauſam credidi, exſtinctam fuiſſe intempeſtivè febrem; verùm noxa hujus Febrifugi tantò pernicioſior eſt, quantò occultior, cùm enim ægri ab illius uſu, non autem Naturæ beneficio evaluerint, ſi poſtea poſt aliquod tempus in morbos recidant, creditur à Medicis ab aliis cauſis prognatum morbum. In temperamento bilioſo ſecurior forſan Peruviani Febrifugi uſus, bilis enim humor ſubtilis, & facilis motus, non tam arctis vinculis adſtringi ſe patitur, ut propriis viribus ſe non expediat. Tempus quoque, regiones, & annorum conſtitutiones obſervandæ; æſtivo tempore feliciùs, ſeu minori damno exhibetur hoc remedium, & ſub finem Autumni, hyemali parùm fauſto ſucceſſu; per totam enim hyemem fatigantur ægri, nec niſi ad primum veris acceſſum liberantur. Hoc idem evenit in regionibus humidis, ubi aër craſſus, & humidus, magis, quàm in ſiccis, quæ puriori aëre gaudent, quales ſunt Civitates Montibus proximæ, ſive Montanæ. Curioſum porro eſt quod in Conſtitutionibus meis Mutinenſibus annotavi, nam cum anno 1690. in auſtrina, & pluvioſa tempeſtate, à veris principio per totam æſtatem campeſtris regio infra Mutinam Padum verſus aquis exundaret, quam ob cauſam peſſum ivere fruges cujuſcumque generis, Ruſtici ferè omnes eodem tempore

pore ex tertianis febribus intermittentibus decumbebant; obſervatum eſt in illis, quibus fuit adminiſtrata China China, infeliciter ceſſiſſe illius uſum, tardiùs enim convaluere, quàm ii qui ſoli Naturæ negotio commiſſo multò citiùs ad Agrorum culturam rediere; ſequenti vero anno vagante urbana Epidemia tertianarum febrium in conſtitutione valde ſicca, & æſtate præfervida, Cortex Peruvianus in uſum adhibitus, honorem, & famam, quàm priori anno amiſerat, viſus eſt recuperaſſe. Obſervationes iſtæ quas memoravi, multorum annorum ſunt fructus, & longævitatis à Divina Beneficentia mihi conceſſæ; hæ affectum, quo à principio in Peruvianum Corticem nimis effuſe ferebar, paulatim attemperarunt, & varium, ac ſuſpenſum in hujus remedii adminiſtratione reddidere; ſummatim igitur hoc Febrifugi genus apud me tanti non eſt pro febribus intermittentibus curandis, ut Medicina æque bene hoc præſidii genere carere non poſſet, & Veterum Febrifugis, quæ ſi non tam citò, tutiùs tamen operantur, febrium cauſam extenuando, & ſenſim exantlando, non poſſet eſſe contenta; *qui veteri utuntur vino ſapientes puto*, ajebat Plautus in Caſſina. Equidem ſi damni dati, & collati beneficii à Chinæ uſu ineatur ratio, non tam facilè crediderim, ut ab æquis judicibus illa poſſit abſolvi à crimine objecto, magis damnoſam illam eſſe, quàm utilem, ſeu num libeat de Peruviano Cortice proferre, quod de Ottone ſcripſit Tacitus, *tantundem apud poſteros meruit bonæ famæ, quantùm malæ*. Poſſem funeſtos caſus referre non paucos, quos obſervavi toto eo tempore, quo Mutinæ Medicinam feci, ſed prolixior eſſem, & Epiſtolæ leges tranſgrederer, unicum tantum in Viro inſigni ſatis noto referam, dum caſus, qui in gente vulgari contingunt, ſine rumore terra obtegit. Comes Joannes Carolus Morandi placentinus, olim Sereniſſimo Principi Cæſari Eſtenſi Eques percarus, media æſtate ſimplici quartana correptus eſt, cui Medicus, magnus Peruviani Corticis Fautor, facta ut puto lævi aliqua purgatione, ſeu etiam V. S. *Chinam Chinam* ad plures dies pro more ſuo præſcripſit, aſt Eques ille contumaciori febre facta, in pejus ruere ſemper cœpit, donec appetente hyeme hydrops aſcites factus, Placentiam aſportari voluit, ut in Majorum ſepulchro tumularetur. Hujuſmodi exemplum in quartana intermittente, multaque alia poſtmodum mihi obſervata in febribus periodicis, in quibus continuatus Febrifugi uſus, obſtructiones & cachexias invexit, ut ægri cum ſanitate in gratiam nunquam redierint, ac tandem hydropici obierint, ut proſtremo contigit Domino Comiti Marſiano, alia inquam exempla cautiorem me fecere in præſcribendo hoc Febrifugo, licet febres eſſent de genere intermittentium. Indulgentior tamen fui in hujus remedii adminiſtratione, quando obſervabam ægrum ipſum inſtanter appetere tam decantatum præſidii genus, & quodammodo conqueri de mea procraſtinatione; novi enim quanti momenti ſit ægri confidentia in hiſce remediis aſſumendis, quæ ſibi profutura animo conceperint. Ne igitur tam magnam confidentiam fruſtrarer, *Chinam Chinam* in mediocri doſi, ut lædere non poſſet, & cum ſatis felici eventu exhibui, hac in re Celeberrimum Sanctorium noſtrum imitatus, qui, ut in Methodo Vitandorum errorum Libro 13. Cap. 4. ſuadet, Lapidem Bezoar, licet fictitium, aliquando exhibendum, propter nimiam ægrorum confidentiam, & ut vitentur calumniæ propter confirmatam opinionem, quod malignæ qualitati obſiſtat: Hæc nimirum opinio de Lapide Bezoar, à veneranda Antiquitate in tanta exiſtimatione habito, fuit penes hunc noſtrum Profeſſorem, ut illum præſcriberet in ſide Parentum; à qua opinione non multum abludunt noſtrorum temporum Medici peritiores, modicæ fidei circa omnia bezoartica, & alexipharmaca, de quibus Virgilianum illud dicere liceat, *poſſunt quia poſſe videntur*, quod dictum tamen Peruviano Cortici non videtur congruere, nam revera in febribus intermittentibus aliquid poteſt, quia paroxyſmos ſiſtit per aliquot dies, atque interdum etiam omnino, ut ampliùs non redeant, atque

atque id est, quod valde admiror, & in variis meis Operibus virtutem hanc arcanam commendavi, & nunquam satis admirari cessabo, sed optandum esset, ut in periti, & prudentis Medici manibus esset hoc remedium; eò enim ventum est, ut vulgaris quisque Medicus, & juvenis, qui recens ad Academia venerit, non vereatur periodica febre laboranti ægro, Febrifugum istud ad multos dies, & in liberali dosi præscribere ea securitate, qua Magistros suos operari vidit; sed hoc etiam esset tolerandum, nisi quoque Chirurgi, & Pharmacopolæ, inscio Medico hanc arrogarent auctoritatem, sibi plaudentes, quòd pauca impensa ægrum è lecto, cui diuturnæ febres affixissent, citissimè exemerint non sine prævia purgatione & venæ sectione, quæ duo magna remedia præmittenda censent, ut methodice videantur operari; quod si febris omnes illorum conatus eludat redeundo, in promptu habent ægrotantium errata in victu, & rebus non naturalibus, seu non exhibitam ad plures dies debitam *Chinæ Chinæ* quantitatem, sed ista hæc apud mulieres, & imperitam plebeculam locum habent, non apud eos qui sapiunt; febres enim intermittentes ab hoc remedio fugari videntur, ac Medicis nimis credulis facilè imponunt, non enim vere fugantur, sed potius concentrantur, & quia paroxysmi non repetunt, putant nonnulli febrem abiisse. Adverte quæso mi Nepos, ac diligenter observa, febres intermittentes post epotam *Chinam Chinam* nunquam ad veram, & perfectam apyrexiam pertingere, qualis contingit quando natura sponte per sudorem, aut alias vias accessionem discutit; nam in tertianis exquisitis in die intermissionis vera & absoluta ex pulsu observatur infebricitatio, non sic verò ubi assumpta fuerit *China China*, nam pulsus percipitur parvus, & cum aliqua frequentia, quod etiam à Doctissimo *Ettmullero* fuit annotatum; sic facilè decipiuntur Medici, qui putant febrem recessisse, quæ tacite cubat, ut ignis sub cinere doloso, sed optandum esset ut in apertam flammam erumperet, postquam æger ad aliquot dies silente febre roboris aliquantùm reportasset, nam reditus febris remedii loco esset. Novi olim Nobilem Virginem in Monasterio S. Magdalenæ Mutinæ educatam, cui duplici tertiana spuria correptæ; & ad mensem integrum decumbenti, facta aliqua purgatione aliisque solitis remediis, Peruvianum Febrifugum exhibere constitui, sed non sine alterius Medici consilio. Vocato itaque ad consultandum D. Antonio de Abbatibus, & exposita morbi historia, *Chinam Chinam* proposui, ut unicum remedium ad febris pertinaciam debellandam, seu aliquot dierum vaccationem à tam diris paroxysmis obtinendam, at ille modestè tamen ac humaniter pro more suo professus est, huic remedio se assentiti non posse, rationibus & experimentis à se habitis, ast ego tandem ab ipso obtinui, ut assensum præstaret, sed non ex animo, ut reor: propinata itaque *Chinæ Chinæ* potione ad aliquot dies, paroxysmi obliterari visi sunt, sed Nobili ægrotante pejus se habente, in summum mœrorem, & anorexiam prolapsa, quare mihi in votis erat reditus febris ad priorem statum, sic ad menses integros decumbere in lecto coacta est, ut de illius salute non parum timeretur; è Monasterio tandem educta, & apud suos liberaliori vitæ commissa, longum post tempus convaluit; Hic nimirum Medicorum est error, ut si *Chinam Chinam* in hunc solum finem præscribant, ut paucos à paroxysmis dies liberos obtineant, interdum eludantur, febre amplius non redeunte, sed tacite corpus depascente; non absimiles casus alias mihi contigere, ut me pœnituerit hoc remedio usum fuisse. Rem felicius cessisse annotavi, quibus post aliquot paroxysmos febris denuo caput erexit etiam ferocior, quàm quibus febris visa est prorsus extincta, & obliterata, seu parva subsecuta. D. Augustus Quirinus Rivinus Scriptor recens, in suo Libro Elegantissimo Medicarum Dissertationum, Typis Lipsiensibus anno 1710. edito in Dissertatione de Febribus Intermittentibus, eos sugillat, qui postquam aliquo specifico febrem propulsatam videant, ut illam amplius non esse redi-

turam

turam prædicent, ſibi plaudunt, & gaudent, ait enim *Medicos quoſdam gratulari, quando ægrotantes è Charybdi in Scillam deduxerunt, ideſt febrem feliciter profligarunt, ægro interim vel contabeſcente, vel intumeſcente ab humoribus pravis, atque hydrope*, & paulo poſt mentione facta de Veterum Febrifugis, qualia ſunt Centaurium minus, Abſinthium, Carduus Benedictus, radix Gentianæ, & alia hujuſcemodi quorum uſum commendat, hæc ſubdit verba: *Idem hoc de Cortice Peruviano Gannaperide, vel ut alias vocatur China China, cenſeo, ut pote qui præ cæteris amaris aut Febrifugis revera nihil peculiare, aut tanta laude dignum præſtet. Certe ſive genuinum, ſive adulteratum ſit, quod venditur, ab ejus uſu interdum quidem febrem aliquando delituiſſe, ſed plerumque ſubſecutam pejorem recidivam, in aliis & fruſtraneam, & nocivam exſtitiſſe.*

Utilior forſan eſſet Corticis Peruviani uſus in febribus intermittentibus malignis, ſi tales ab initio dignoſcerentur; obſervantur enim aliquando tertianæ febres vere intermittentes, ſed mali moris & pernicioſæ, de quibus *Mercatus* peculiare Caput habet, quales febres *Hippocrati* non prorſus fuerunt ignotæ, in ſeptimo enim Epidemiorum hæc habet verba: *Cholericæ affectiones magis in æſtate fiunt, & febres intermittentes, & quibus horrores accedunt, hæ quandoque malignæ fiunt.* In hujuſcemodi caſu, ſi aliqua pravitatis ſigna ſe prodant, quæ ut plurimùm obſcura ſunt, & Medicos fallunt, non alienum erit, hujus Febrifugi uſum pertentare, *periclitari enim oportet, cum morbus periculoſiſſimus eſt*, ajebat *Hippocrates*. Memini me vidiſſe *Mutinæ* variis temporibus Conſtitutiones quaſdam tertianarum febrium intermittentium, ſed malignarum, quæ tertia quaque die ſuas habebant acceſſiones cum rigore & horrore, & more ſolito per ſudorem fiebat ſolutio, ut ad perfectam apyrexiam devenirent, ſed quarta aut quinta acceſſio tanto rigore invadebat, ut ægri non ampliùs incaleſcerent, concentrato pulſu, ac toto corpore perfrigerato, nec multò poſt interierint. In tam gravi ac ſubita tempeſtate *Medici* tanquam è gravi ſomno excitati, cum antea ſuper utramque aurem, ut dici ſolet, obdormirent, nil tale exſpectantes in febribus, quæ cum frigore & rigore accederent, abſoluta infebricitatione poſtmodum ſubſequente, tumultuariè ad ſacram anchoram *Chinæ Chinæ* ad uncias in vino infuſæ confugiebant, ſed incaſſum, paucos enim evaſiſſe obſervavi. Succurrit nunc mihi funeſtus caſus *Domini Franciſci Guidonii*, qui ex hujuſmodi febre miſere oppetiit; laborabat Vir iſte Nobilis Media æſtate tertiana febre, quæ exquiſitæ ſpeciem referebat, ut altera die prorſus apyretos eſſet, & è lecto ſi vellet poſſet exſurgere, die quinta h. e. quinto circuitu acceſſit febris tanto rigore, & frigore una cum mentis ſtupore, pulſu exili ut vix perciperetur; unde *Medicus* ad viſitationem pro more accedens, ad ægri adſpectum attonitus inſtitit me non procul abitantem ſubito pro Conſultatione acciri, in qua Vir ille cæteroqui doctus ingenue confeſſus eſt, ſe deceptum à febre, quæ tertianæ exquiſitæ morem, & leges omninò ſervabat, nullo ſe prodente pravitatis ſigno. Propoſuit ille Peruvianum Febrifugum more ſuo propinandum, annui ego memor dicti illius, quod habet Celſus, *in præcipiti periculo multa recte fieri aliàs omittenda*, ſed altera die aphonus, & gelidus æger mortuus eſt. Eodem fato obiit *D. Comes Fortunatus Corteſius*, *D. Joannes Altimanus*, & complures alii eodem pene tempore, perpaucos enim ab hujuſmodi febre correptos evaſiſſe vidi. Credo equidem, quòd ſi attentiùs haſce febres, quæ æſtate potiſſimùm aliquando caput exſerunt, obſervarent *Medici*, credo inquam quòd ſigna quædam pravitatis deprehenderint; magnarum enim calamitatum parva ſolent eſſe ab initio ſigna, ut in morbis peſtilentibus evenit. *Sæpe exiguus mus augurium tibi triſte dabit*, ajebat *Doctiſſimus Fracaſtorius* de Contagione.

In Febribus porro continuis, dummodo de periodicarum proſapia ſint, ſi malignum quid portendant, jamdudum ſcio familiarem eſſe iſtic *Chinæ Chinæ* uſum, & in larga doſi,

sed multæ deceptiones hic etiam contingunt, nam febres continentes, essentiales ut vocant, interdum etiam inflammatoriæ, persæpe de natura intermittentium participare creduntur; cùm enim in febribus verè continuis observentur aliquando parvi motus, & horrores ex internis vellicationibus, quales febres intermittentium naturam sapere existimant, unde consuetum remedium præscribere non dubitant; habent enim id omnes fere morbi, ut vespertinis horis graviores sint, *Quale est ad vesperam exacerbari, ita & in omni morbo*, ajebat *Hippocrates* 4. *Epidemiorum*, omnibus pene ægrotantibus commune est, ut accedente Sole ad occasum magis molesti sint, atmosphæra etenim tunc gravior est, ac perspiratus debilior, quod in morbis melancholicis manifeste deprehenditur. Quartana febris, annotante *Fernelio* in *Libro de Abditis morborum causis*, nunquam, vel rarò antemeridianis horis, sed pomeridianis suas habet accessiones. Quòd si unum vel alterum exemplum afferatur eorum, qui in aliqua febre continua pessimis accidentibus comitata, ut pro conclamatis haberentur, *Chinæ Chinæ* potione ad uncias integras in vino infusæ pluries in die exhibita, evaserint, ut hoc solo remedio ab Orci faucibus videantur erepti, talia exempla tanti non sunt, ut animum faciant ad *Chinæ Chinæ* usum indiscriminatim, ac tam liberaliter adhibendum. Antequam *Chinæ Chinæ* nomen innotescceret, hujusmodi portenta visebantur, ut in incerto esset, num medicamentorum, an fortunæ beneficio ægri convaluissent; *quemadmodum enim*, uti ajebat Celsus, *moritur aliquis de quo Medicus securus fuit*, quod non rarò evenit, *ita aliquando quidam deserti à Medicis convalescunt*. Cùm decem abhinc annis clauso jam *Lyceo Mutinam* venissem ad otia captanda, nec satis cavere possem, quin implicarer in curandis ægris, ac fortè ex febre continua decumberet insignis *Juris Consultus*, vocatus ad consultandum cum *Medico*, qui curæ aderat, ac postmodum quoque accersito Domino *Paulo Piela* Clarissimo *Medico Bononiensi*, qui paucis ab hinc annis omnium dolore è vivis excessit, varia quidem administrata sunt remedia, sed ægro in pejus labente; unde alter *Medicus*, magnus *Chinæ Chinæ* virtutum assertor, declamare cœpit nullum aliud superesse remedium, quàm Peruvianum Corticem suo more exhibere; modestè responsum, febrem eam non esse, cui conveniret tale remedium, sed illo instante, ac domesticis omnibus nos arguentibus, quod in re desperata unicum remedium arceremus, prædictus *D. Piela*, & ego assentiri necessarium esse credidimus, ne quidquam relinqueretur inausum. Per duos vel tres dies, si benè memini, quolibet mane, & forsan etiam pluries in die propinata *Chinæ Chinæ* potio pro more, sed ægro in deteriùs ruente, & pulsu ita depresso, ut vix perciperetur, quo viso aperte protestati sumus, ab hoc Febrifugo desistendum, quo facto pulsus paulatim cœpit assurgere, ac sensibiliter percipi, torpore quo priùs æger tenebatur discusso, sic tandem post multos dies solo victu, remediis omnibus ablegatis, præter spem prioris *Medici*, qui inter mortuos illum referebat, perfecte convaluit Vir ille, dignus sane qui longum tempus viveret, sed paucos post annos communi fato cedere illi necesse fuit, num autem in postrema ægritudine solito Febrifugo potionatus fuerit, omnino mihi ignotum. Casus hic, & plures alii, quos *Mutinæ* variis temporibus, & hic quoque *Patavii*, de infausto successu hujusce remedii observavi, mihi in mentem revocant quod in *Actis publicis Lipsiensibus Anni* 1701. memini me legisse de Constitutione quadam *Uratislaviensi* Anni 1699. in qua febribus continuis populariter grassantibus, *China* universaliter exhibita causa potissima habita fuerit, quæ Annum illum nefastum plurimorum morte reddiderit, qualis historia fusius legitur in *Ephemeridibus Curiosorum Naturæ Anni* 1702. talia leguntur de *Chinæ* usu in continuis febribus. Nimius essem si referre vellem mala, quæ apud gravissimos *Scriptores* de *China China* leguntur. Videndus *Etmullerus* de Usu, & Abusu præcipitantium, ubi ait persæpe contrari acidum morbosum, quod compressum

sum ad instar spiræ contortæ, ubi vim resumat, suos nisus impetuosiores reddere, quod idem experimur in Automate ubi diu quieverit, motus enim suos ab initio velociores efficit. Legendus *Thomas Sidenham* de febre intermittente, ubi de Quartana, agens de usu Pulveris Peruviani, quem magis laudat paulatim sumptum, & pluribus vicibus, quàm in ipsa accessione, ut fieri solet; sic enim ait sensim sanguinem turgere, & officium suum absolvere, neque enim bonum putat febrilem motum illicò compescere, & sanguinis despumationem cohibere. Legi quoque meretur Observatio D. *Danielis Krugeri in Ephem. Ger. Decadis* 3. *Anno* 3. ubi de intempestivo *Chinæ Chinæ* usu varios casus refert, sed unum præcipue memoratu dignum de *Pastore* quodam, qui prius Epilepsia laborabat, singulis mensibus recurrente, sed Quartana correptus, quæ ipsi remedio erat, & ut ex *Hippocrate* à magnis morbis liberat, præterlapso dimidio anno tædii ex longa febre pertæsus, Corticis *Chinæ Chinæ* drachmam unam ad aliquot dies assumpsit, febris quidem abiit, ast Epilepsia rediit. Memoratu quoque dignum est, quod in paulo ante citata *Uratislavienſi* Constitutione legitur de duobus Clarissimis *Medicis Ricchardo Louver* celeberrimo Anatomico, qui Elegantissimum Tractatum de Corde edidit, *& Sohort*, qui in febre continua ex temulentia orta, Peruvianum Corticem sumpserunt, qui nono, vel undecimo die, aut circiter utrumque è medio sustulit. Nefas porro ducerem omittere id quod refert Doctissimus *Joannes Wilelmus Rhambergius in Ephem. Cur. Nat. Decad.* 3. *Anno IX. & X.* ubi narrat historiam cujusdam legionis pedestris, quæ prope *Manhemium* æstiva Castra posuerat, & paulo post 400. fere milites febre tertiana correpti fuere, quibus *Chirurgus* ad aliquot dies *Chinam Chinam* exhibuit, qui brevi omnes hydropici evasere cum omnimoda virium & appetitus prostratione. Febres hujus generis, quæ ubi eò pervenerint, ut ampliùs non recalescant corpora, audio istic algidas à *Practicis* appellari; sed scito illos decipi, nam febres *algidæ* alio nomine *castrenses* dictæ, à sui initio usque ad finem *algorem* habent comitem perpetuum, de quo vide *Ettmul. de Febr. Helmo. de Febr. Sylvium*, & alios. Hinc magnum documentum habere possunt *castrenses Medici*, quàm periculosum sit in febribus hujusce indolis hoc Febrifugo uti, nam in morbis hujusmodi generis (quod idem de *Epidemicis* dicendum) sanum consilium est, pravos & malignos humores ad ambitum corporis per diaphoretica sensim promovere, potiùs quàm figere, & concentrare, uti fecit *Chirurgus* ille imperitus. Vide quæso mi Nepos quomodo ex nimia facilitate præscribendi Peruvianum Febrifugum in febribus, hoc remedii genus factum fuerit adeo commune *Chirurgis*, *Pharmacopœis*, *Agyrtis*, & ipsis quoque *Fœminis*, ut non ampliùs in *Medicorum* potestate sit, illud rite administrare, & si *Medicus* rationibus velit obsistere, ægri ipsi febris obstinationem fastidientes, inscio illo Quinquinam capiant, quale vitium in hisce regionibus satis obvium & familiare est, sed magno ægrotantium damno, qui pœnas luunt, postmodum hypochondriacis affectibus, cachexiis, ac lentis febribus correpti, ut postea cogantur *Medicos* pro curatione accersere, qui multis remediis, atque febres excitando morbum vincant, & remedia quærant, ad sepultum ignem suscitandum, in quem finem laudatus *Ettmullerus* spiritum salis Armoniaci commendat, & ficus *Pharaonis*, qui tertianas febres excitare creduntur.

Novum non est ignem febrilem penes prudentes *Medicos* suum usum habere. Sic *Celsus* scripsit *licere febres parvas augere, fortasse enim curationi opportuniores fient.* Aureus exstat locus apud *Hippocratem* de febre, quæ in Apoplexia interdum accenditur, qualem locum observat *Ballonius Medicus* experientissimus, nam si Apoplexia sit sine febre, venam secandam suadet, si verò cum febre præsertim acuta, à V. S. omnino cavendum, ipsi enim Naturæ arma præripimus, quibus hostem suum potuisset confodere. Alter locus *Hippocratis* exstat in Libris Epidemiorum, *Puerperis convulsis ignem fac, ajebat ille*, hoc est

febrem magnam excitato, febris enim continua græcè pyr dicitur, parva autem pyretos. Idem præstat ignis febrilis corporibus male affectis, ac ignis agris humidioribus.

Sæpe etiam steriles incendere profuit agros, ajebat *Virgilius in Georgicis*, varias quidem rationes inibi affert *Poëta* vere physicas, sed illa potior est, eum ait

sive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor.

Non semper terreri *Medicum* decet, si videat in febribus calorem augeri, *pus* enim *fit*, ajebat laudatus *Ballonius*, hoc est humorum maturatio; merito itaque reprehendit idem *Scriptor* eos *Medicos*, qui in febribus cùm videant calorem augeri, mittunt sanguinem, quod proculdubio non facerent, si abscessum viderent in parte aliqua externa, nam potiùs maturantia, & calorem foventia, quàm V. S. & refrigerantia adhiberent, *quæ* enim *suppurantur non revertuntur*, ajebat *Hippocrates*, *ipsa enim maturatio judicatio simul & abscessus*. Haud aliter evenit in periodicis præsertim febribus, ex usu Quinquinæ intempestivo, impeditur illa humorum maturatio, quam Natura intendebat, hinc postea habitus cachectici fiunt, & dispositiones ad hydropem. Hæc olim non ignota erant *Medicis Mutinensibus* meorum temporum, uti D. *Joanni Manzino* viro sane Doctissimo, sed Chinæ Chinæ nimis infenso, D. *Joanni Baptistæ de Grandis*, D. *Scajolæ Equiti*, D. *Antonio de Abbatibus*, D. *Antonio Ferrarino*, Viro, si quis alius, omnigenæ eruditionis, Protomedico vere dignissimo, hactenus ultimo eorum, qui in *Aula Estensi* hujusmodi titulo fuerint insigniti, ast ii omnes jamdudum è vivis excessere; vivit tamen adhuc D. *Franciscus Tonanus* felicissimus *Practicus* jam senex, *Platonis* ætatem prætergressus, qui eorum quæ diximus testis esse potest, scitque ipse quàm rarò, quàm cautè à laudatis Viris præscriberetur in quibuscunque febribus *Peruvianus Cortex*, utpote quem suspectum habebant, & infidum, cùm nihil de causa morbifica viderent excerni, ac idem evenire, quod interdum in Corporibus à Cacodæmone obsessis evenit, quando ab Exorcista malignus spiritus solùm in aliqua parte figitur, sed non expellitur. Quinquinam autem facultatem figentem habere pro re certa suppono, cùm motum sanguinis, & spirituum compescat, & alvum ipsum densiorem faciat, observatur enim, iis qui ad plures dies hoc remedio usi fuerint, ventrem adstringi, ut clysteribus indigeant; vim hanc hujus Febrifugi fluida quæque in nostris Corporibus cogendi, talem esse credidit *Gedeon Harveus*, ut scripta hæc verba reliquerit: *omnem evacuationem supprimit China China per se, sed non per accidens.*

Nunc autem quando usus, *quem penes arbitrium, jus est & norma medendi*, ita *Mutinæ* obtinuit, ut tanto in honore Febrifugum istud sit, ut nullibi magis, exspectandum num ad longum tempus duratura sit illius fortuna, habent sua enim fata medicamenta, sicuti cætera omnia. *Radix Chinæ* ab *Indiis Orientalibus in Europam* devecta, olim inter Medicamenta ad morbos chronicos & contumaces propulsandos, principatum obtinuit, ac tantam affinitatem cum natura humana habere credita, ut cum cibariis ipsis locum obtineret; modò pene obsolevit illius usus, ac in officinis carioſa reperitur. Qualis sors *Quinquinam* maneat, imposterum decernet tempus.

Verùm hic mirari subit, quomodo intra *Scultennam* & *Gabellum* tam altas radices egerit *Planta* hæc *Peruviana*, non ita vero in *Solo Bononiensi* finitimo. Certe apud *Bononiensem Scholam*, quæ cæteris pro Regula Policleti esse potest, satis moderatus semper fuit, estque etiamnum, ut audio, hujus febrifugi usus. Quanta cautione *Peruvianum Corticem* præscriberet Celeberrimus *Malpighius*, satis patet ex Centuria Consiliorum hujus Auctoris, Patavii impressa, Consilio 97. in quo Vir iste Sapientissimus in Febre lenta cum tensione abdominis post usum Aperientium, Diureticorum, *Chinam Chinam* proponit ad scrupulum unum singulo mane, sive alternis diebus per quindecim dies. Itidem in Opere ejusdem posthumo, Londini impresso,

preſſo, hæc de *China China* leguntur verba: *Remedia, quæ vulgariter inventa creduntur à caſu, & fortuito, & à ſola Empirica, egent pariter, ut examinentur à ratiocinante, & reducantur ad tutam operandi naturam; Id experimur in uſu Chinæ, quæ ſine arte adhibita, non ſolum eſt cauſa recidivarum, ſed etiam fixationum, & ut plurimum cachexiæ, hinc neceſſe fuit, pro illius tuto uſu ab eadem elicere tincturas in pauca doſi, & paulatim, & aliis cautionibus, à priori erutis, eam exhibere.* Omittam referre, quæ de hujus remedii malo uſu Scripta exſtant apud *Georgium Baglivum* in *Libro de Fibra Motrice*, *Nicolaum Lemeri* in curſu Chymico, *Theophilum Bonetum* in *Medicina Septentronali*, *Mercurio Compitalitio*, & apud *Polialthem.*

Sed forte quis dicet ignotam fuiſſe novam hanc Methodum *Chinam Chinam* exhibendi in larga doſi ad uncias, & pluries in die, ac in illius uſu perſiſtere donec febris exſtincta fuerit. At iſta Methodus nova non eſt, licet pro nova venditetur, jamdiu in Germania uſui eſſe cœpit, ut videre eſt in Epiſtola reſponſiva *Roberti Bradi* ad *Thomam Sydenham*, ibi enim verba hæc ſcripta reperio. *Equidem ſcio quoſdam haud infimi ſubſellii Medicos, qui in magna quantitate, & doſi ſæpius repetita eum exhibent; alios item qui ex eodem extracta, infuſiones, & ex infuſionibus julapia, & emulſiones conficiunt, quibus modis ſe non tantum intermittentes, ſed & continuas quaſdam certo curare affirmant.* Profecto hac in re nihil inauſum, nil intentatum reliquit *Medicorum* induſtria, ut etiam excogitarit ex *Chinæ Chinæ* decocto Clyſteres Febrifugos. Jam multa habita ſunt experimenta permiſcendo *Chinam* cum variis Spiritibus, cum ſuccis corporis animalium, cum ſucco pancreatico, cum bile, cum ſanguine recenter extracto, ad obſervandum, num aliqua fiat efferveſcentia, & colorum mutatio. Hujuſmodi tentamina, quæcumque ea ſint, non improbo, ſed dico hac in re non paucas contingere hallucinationes; in Stomacho etenim ex ſucco acido, qui inibi ex naturæ lege hoſpitatur, & alchali fixo *Chinæ Chinæ* fit lucta, & exinde novum concretum quod ad alias partes demiſſum, diverſas habet vires, quod permixtum cum ſucco pancreatico, cum bile, cum ſanguine, quid operetur ſcit *Deus.* Quantum in rerum natura poſſit mixtio, ex nitri, ſulphuris, & carbonis permixtione, unde emergit pulveris pyrii tantarum virium compoſitio, jam ſatis notum. Sat celebre eſt illud *Auſonii* de Mulicbre mœcha, quæ Marito zelotypo toxicum dedit, ac poſtea ut illius vim geminaret, Argentum vivum porrexit, ſed antidotum prioris veneni exhibuit. Ex permixtione ſolutionis Vitrioli cum ſolutione *Chinæ Chinæ* obſervavi ſpeciem quandam atramenti, unde ſuborta mihi ſuſpicio idem fieri in Stomacho ex potione *Chinæ Chinæ* dum acido permiſcetur, ſicque fermenti febrilis craſim inverti, ac impotentem fieri ad novos motus febriles excitandos. Neque novum intermittentes febres æſtate pervagantes pendere à ſalſoacido fermento, licet ut plurimùm opinio ſit à luxuriante bile progigni. Æſtate acida quæque avide appetimus ac utimur, & fructus hujuſce naturæ exquirimus, unde Ventriculi acidum tunc temporis abundare non alienum eſt credere, quamvis enim in principio febrium intermittentium rejici ſoleat multa bilis, irritamentum priùs in Stomacho factum ab acido turgente, vaſa cholidoca trahere poteſt in conſenſum, veluti fit in nephritica paſſione; puto ergo *Chinam Chinam* totam vim ſuam in Ventriculo exſerere, quia video in febre intermittente, alterum paroxyſmum, qui exſpectabatur, omnino ſiſti, quod certè admirationem facit; in aliis autem locis extra Ventriculum, aut parum, aut nihil operari, ſeu quia illius virtus ſit infracta, ſeu quia contrarietatem non reperiat; nam ubi febris primo periodica poſtea continua facta fuerit, nihil admirandi obſervo, quod *Chinæ Chinæ*, licet larga doſi aſſumptæ, mereatur adſcribi, febris enim ad plures dies perſtat & paulatim ſolvitur.

Dum hæc ad Te ſcriberem, allata eſt mihi Epiſtola, quæ funeſtum caſum *Comitis Torricini*, Sereniſſimi *Ducis Guaſtallæ Miniſtri*, referebat; Vir iſte parva febre laborare cœpit,

cœpit, ut vix annotationem ſenſibilem haberet; modico Caſſiæ à *Medico* familiari purgatus eſt, ac alterantibus ad univerſalem purgationem diſponebatur. *Medicus* alter majoris auctoritatis acceſſit, qui *Chinam Chinam* propoſuit, ut ægrum ad ſolitum miniſterium, quàm primum remitteret, repoſuit alter ſibi non ſatis tutum videri impurgato Corpore hanc febrem velle abolere, ſed prævaluit conſilium, quod citam ſanationem pollicebatur. Exhibita *China China*, modò in tota ſubſtantia, modò in vino infuſa, ſed parùm fauſto ſucceſſu, augebatur enim febris in dies, facta manifeſtè continua, ſed die 20. nequitiam ſuam aperte prodidit, vocati illico è vicinis regionibus alii *Medici*, ſed Vir ille inter *Medicorum* controverſias miſere oppetiit. Caſus hujuſmodi, hic & illic identidem occurrentes, ſive ob remedii improprium uſum, ſive ob ejuſdem occultam malitiam, in cauſa ſunt, ut *Peruvianus Cortex* à Doctis Scriptoribus, veluti *Williſio*, *Etmullero*, titulis parum honorificis vocitetur.

Sed ex his, quæ hactenus de *Peruviano Cortice* diximus, nolim quis inferat, velle me ex albo Medicaminum *Chinam Chinam* expungere; abſit hoc, habeat ſuos uſus remedium iſtud, beneficium quod afferre poteſt, ab illo excipiamus, & malo, quod interdum ex illo conſequitur, bene uti diſcamus; periti *Nautæ* ventis etiam adverſis aliquando portum fortiter occupare norunt. Illius uſus ſit qualis eſt *Opii*, quod magnum eſt dolorum ſedativum; in doloribus nephriticis, colicis, podagricis, aliiſque ſimilibus ſingulare beneficium ab Opiatis habemus, non quod morbi cauſam tollant, ſed quia gravia ſymptomata compeſcant, vigilias ſcilicet contumaces, & ſpirituum diſſipationem, interim reparatis per ſomnum viribus, morbi cauſa auferenda propriis remediis. At quia ſcimus, quod ubi vis *Opii* exſpiravit, redituros priſtinos dolores, an rurſus altera die repetenda opiata ad prophylaxim? Nemo prudens *Medicus* id aget, ſed ægro petenti, & inſtanti denuo idem remedium offerri, reluctabitur, ne morbi cauſam figat, & contumaciorem reddat; Opiata enim ea cautione ſunt exhibenda, ut è ſomno excitare poſſimus, quem obdormire volumus. Mehercle ſi papaveris virtus nobis ignota eſſet, aut Plantam hujuſmodi *Europa* non aleret, ac ex *Indiis* ad nos deferretur ſuccus concretus, cujus grana tria vel quatuor paucarum hòrarum ſpatio dolores quoſcumque graviſſimos ſedarent, ut poſt aliquem ſomnum adanalgeſiam devenirent, majori certe admirationi eſſet talis planta, ex qua haberetur tantarum virium ſuccus, quàm *Cortex Chinæ Chinæ*, quæ exhibita præſentem febrem non tollit, ſed eam quæ altera die erat reditura. Sicuti ergo compoſita ex Opio à prudenti *Medico* non exhibentur in vehementia dolorum, niſi ad obtinendum aliquod intervallum pro virium reparatione, ita ut diximus, ad eundem finem obtinendum admittendus, & laudandus *Chinæ Chinæ* uſus in febribus præſertim intervallatis. Aſt quotidie, ac pluries in die larga doſi, ut iſtic fieri ſolet, in febribus, quæ maligni aliquid præferant, amaris potionibus *Chinæ Chinæ* in vino infuſæ, miſerum ægrum conficere, id eſt quod periculoſum, & omnino empiricum exiſtimo.

Hæc habe mi Nepos pro reſponſione ad primum tuum quæſitum, de quo multa alia haberem dicenda, provocante materia. Scio me hac Diſſertatione non multùm gratiæ reperturum apud eos, qui communium errorum reprehenſionem in propriam calumniam referunt, ſed neminem hic nominavi, nec veteris Comœdiæ more volui quemquam perſtringere. Mens mihi ad publicum beneficium ſolum fuit iſthæc conſcribere, non laudes quærere, eas potiſſimum, quibus uti ſolent *Scriptores* in re *Medica*, cum aliis *Scriptoribus* ampulloſis titulis laudes cumulando, quæ nec ipſis *Medicinæ Parentibus* vix convenirent, ut alias ſimiles ab iis exigant. Revera novum non eſt hoc vitium, ſed ad ſummum devenit. Suppetit mihi egregium dictum *D. Hieronymi in Epiſtola ad Celantiam*, quæ Epiſtola creditur *D. Paulini*. *Eſt ſane grande & ſubtile artificium, laudare alterum in commendationem ſui*,

ſui, & decipiendo, animum ſibi obligare decepti.

Alterum quæſitum, num ſcilicet ſalubre foret pertentare *Corticis Peruviani* uſum ad prophylaxim, paucis abſolvam. Suppono Te pro remedio prophylactico non intelligere hujus remedii uſum, profligata febre, ne ampliùs redeat, licet enim à *Medicis* in hoc ſenſu communiter accipiatur, propriùs tamen non eſt illius ſenſus; nam ut *Joannes Gorræus* in ſuis Definitionibus medicis, nomine prophylaxeos intelligendum eſt remedium illud, quod potiùs operetur, ne morbus aliquis accedat, quàm quod jam profligatus redeat, ſed hoc multo ante ſcripſerat *Galenus* in *Commento Aphoriſmi* 22. *Sectionis ſecundæ;* puto igitur ſecundum rationem licere experiri *Febrifugum Peruvianum*, ſed modica doſi ad aliquod tempus, quolibet mane, antequam febrium periodicarum, & continuarum quoque per æſtatem, & autumnum ingruat tempeſtas, nam ex Hippocrate: *Quæ facta tollunt, ante facta fieri prohibent*, quem locum primo adſpectu obſcuriorem egregie exponit *Valleſius*, purgationes, Venæ ſectiones, ſolita morborum remedia antefacta, ut primo Vere, fieri prohibent morbos æſtate & autumno. *Quibus convenit Venæ ſectio, vel purgatio, hos Vere purgare, vel Venam ſecare oportet*, ajebat *Hippocrates Aphoriſmo* 47. 6. *Sectionis*; in cujus Aphoriſmi expoſitione ajebat *Galenus*, ſe hiſce remediis multos præſervaſſe graviſſimis morbis per autumnum laborare ſolitos; hujus tamen remedii ad prophylaxim uſum, ſi quis velit experiri, exhibendum exiſtimo in iis, qui commodo fruantur ſanitatis ſtatu, nam ſi quid noxii *Chinæ* inſit, convenienti corporis exercitio facilè excutient. At forſan conſilium magis ſanum erit remedium iſtud, natura ſua doloſum omittere, nam ex *Celſi* monitu *cavendum ne in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur*. Vale.

Dabam Patavii die 20. Julii 1714.

BER-

BERNARDINI RAMAZZINI,

Professoris Primarii, &c.

DE FONTIUM MUTINENSIUM ADMIRANDA SCATURIGINE TRACTATUS PHYSICO-HYDROSTATICUS.

ACCEDIT LIBELLUS

FRANCISCI AREOSTI DE PETROLEO MONTIS ZIBINII.

Illustrissimo, ac Reverendissimo D. D. Justinopolitanæ Ecclesiæ

EPISCOPO

D. ANTONIO MARIÆ BORROMÆO, COMITI PATAVINO

JOANNES BAPTISTA CONZATTUS. Felicitatem.

Quod aliàs mihi animo fuit Illustrissime, ac Reverendissime Præsul, dum in Sacro, & Venerando Clericorum Regularium cœtu hîc in Patria, & foris præsertim magna panderes virtutum tuarum specimina, scilicet ut in obsequii argumentum, Opus aliquod laudati Auctoris Tibi nuncuparem, nunc multò libentius id faciam, quando Te Justinopolitanæ Ecclesiæ novum Episcopum Roma dimisit, & nunc Patria Tua summo cum gaudio, ac insignis Borromæa Domus Te suspicit tanta dignitate decoratum. Prodiit olim è Typis Mutinensibus liber, cui Titulus: De Fontium Mutinensium admiranda scaturigine Tractatus Physico-Hydrostaticus Bernardini Ramazzini Medicinæ Professoris; *quale opus ob rei, & materiæ dignitatem, à rerum naturalium Scrutatoribus tanta cum laude fuit exceptum, ut in Anglicum sermonem conversum fuerit cum notis Roberti S. Clair, ut ex Actis Eruditorum Lipsiæ* 1698.; *propterea cum tam citò distracta fuerint exemplaria, ut jam diu nullibi reperire sit, ac modo illud in promptu habeam ad publicam editionem, Tu unus occurristi Vir Illustrissime, ac Reverendissime, cui proprium dicarem. Id autem gratum Tibi fore credidi, quando non rarò Te audivi Auctoris hujus opera commendantem, qui & ipse nunquam satis admirari poterat omnigenam tuam Literaturam, in Jure tum Civili, tum Canonico, in Physicis, Historia Naturali, Philologica, Medica quoque, & in omni penè facultate. Non poterat ergo diutius Tua Virtus intra Claustra detineri, sed ad Pastoralem Populorum curam evehi oportebat, ubi in alto posita magis eluceſceret. Te ibi Cle-*

Clerus, & tota Civitas geſtit adſpicere in ſua affectu comitabor. Tu interim benigno, ut ſoſede. Te colere, Te venerari. Te ego quoque les vultu, quod offerre ſum auſus excipe, ac diu, profectionem modò illac adornantem toto animi & plurimùm vale.

Patavii Kalendis Novembris 1713.

PRÆFATIO.

SI rerum naturalium Scrutatoribus, quos non paucos, vel circa minima occupatos, habet, ac meritò ſuſpicit hæc ætas noſtra, ita obvium eſſet abditiores Terræ ſinus perſcrutari, quemadmodum Anatomiæ Cultoribus facilè eſt Hominis, cæterorumque Animantium Viſcera perluſtrare, non eſſet profectò, quòd illi his inviderent, ac parem forſan Geocoſmi haberemus notitiam, qualem omnium ferè Viventium ex Profectorum induſtria modò habemus. Scimus jam, immò ſatis jucundo ſpectaculo, ipſis oculis intuemur, quomodo in Orbem circumagatur ſanguis, qualis Chyli, Lymphæ, aliorumque fluidorum ſit motus, ut *jam Humanæ Naturæ Fontes, ac Flumina, quibus totum Corpus irrigatur, videantur recluſa*, ut ipſius *Hippocratis* verbis utar. Terreni verò Corporis, ex cujus penu alimenta haurimus, nil aliud, quàm externam faciem licet contemplari; quare pulchriora quæ latent prorſus ignoramus, & quod dolendum eſt, modus non ſuppetit, quo ſciri queant. Quamvis enim ad multas Orgyas Metallorum foſſores Terræ viſcera ſubierint, paulò plus tamen, quàm ſupra unius milliaris dimidium penetratum eſt, quæ maxima Fodinarum profunditas ab Agricola memoratur. Quid hoc autem ad Terræ profunditatem, cujus ſemidiameter 3600. milliaria æquare creditur? Quapropter, ſi verum fateri licet, magnum hoc Terræ Corpus *in cute ſolùm, non intus* cognoſcimus. Arbitrari tamen fas eſt, non eſſe Terram iners, & informe corpus, nec totam illius dignitatem, veluti Statuarum, in externa ſuperficie poſitam, ſed pulchriora, velut in Automate, intus recondi; immò exiſtimandum à Summo Opifice ita fabrefactam, & configuratam, ut ſpecimen quoddam Vitalis Oeconomiæ contineat, & jure non minùs certo, quàm nobis ignoto, intra illius Viſcera admirandæ functiones exerceantur, ac præſertim circularis aquarum motus. Quæ licet ad ſenſum demonſtrari nequeant, ex iis tamen quæ extrinſecus apparent, rem ita ſe habere ſatis evinci poteſt; nec deſtitit humana ſagacitas, quin omni arte, ac ſtudio Subterranearum Regionum conditionem, ac ſtatum, quantum fieri potuit, explorarit. Cùm verò nulla alia pateat via, quàm, ut per hiatus à Natura ſpontè factos, vel per Cuniculos, & Puteos, quos ad metalla eruenda, Hominum avaritia foderit, vel ipſa neceſſitas ad perſcrutandas aquarum venas excavarit, Terra ſubiri queat, & in hac Urbe frequens occurrat Puteorum ad notabilem profunditatem effoſſio (quantùm licet in loco valdè plano, & à Montibus diſſito) è quibus aquarum admiranda Scaturigo emergit; libuit propterea in hæc Naturæ ſecreta deſcendere, ac Scientiæ Naturalis Profeſſoribus, ea quæ fuerint à me obſervata, meaque ſuper hæc excogitata communicare, cùm nemo de hoc ex profeſſo ſcripſerit. Haud ſum neſcius, me apud aliquos malè feriatos homines malè auditurum, nec defuturos, qui me de temporis circa rem nullius emolumenti impendio coarguant; at id me parùm ſolicitum reddit, cùm Doctiſſimorum Virorum habeam exempla, qui toti ſunt in rebus etiam minutiſſimis. Poſſem tamen in id genus hominum *Senecæ* Quæſtiones Naturales tractantis verba regerere. *Quod inquis* (ait ille) *erit pretium Operæ? Quo nullum majus eſt. Noſſe Naturam. Neque enim quicquam habet in ſe hujus materiæ tractatio pulchrius, cùm habeat multa futura uſui, quàm quòd hominem magnificentia ſui detinet, nec mercede, ſed miraculo colitur.*

DE FONTIUM MUTINENSIUM ADMIRANDA SCATURIGINE.

CAPUT PRIMUM.

Structura, qua fieri solent hi Fontes, describitur, necnon curiosiora quæ in Puteorum fossione apparent, & dum Aqua emergit, annotantur.

MUTINAM, Urbem vetustissimam, quam olim *Tullius* splendidissimæ P. R. Coloniæ titulo insignivit, (*a*) à primis suis Conditoribus fuisse benè positam, licet profectò asserere; cum enim in magna Planitie sedeat, decem passuum millibus à Collium assurgentium radicibus distans, inter *Amnes Scultennam* & *Gabellum*, talem situm obtinet, ut cum salubri Aëris temperie, & solo Colonis haud ingrato, magnam possideat Aquæ purissimæ affluentiam, quæ neque injuria temporum desinere, neque hostili astu possit unquam vitiari, vel averti. Ingens enim Aquæ Reconditorium, seu quidquid sit tam admirandum Naturæ Opificium, sub ipsis pedibus habet hæc Civitas, ex quo inexhaustam Aquæ vim elicit, &, quod perrarum est, id levi impensa consequitur, cùm ad hunc Thesaurum eruendum (quando ex *Pindari* testimonio Aqua rerum omnium Optima censetur) non magno molimine opus sit, (*b*) ut perfodienda sint Montium Viscera, vel numerosam Operariorum familiam alere oporteat, ut alibi mos est, & qualem olim habebat *Roma* divisam, ut memorat *Frontinus*, in *Scrutatores*, *Aquileges*, *Castellarios*, *Libratores*, *Dispensatores*, (*c*) multosque alios Opifices. Ne autem legentium exspectationem diutiùs morer, pro re certissima, quam multæ Experimentorum Chiliades, jam satis confirmarunt, scire oportet, quòd *Dato quocumque situ intra hanc Urbem, ac etiam extra eandem circumquaque ad aliquod passuum millia, Fontem vivum aperire licet, qui perenniter purissimam Aquam profundat.*

Cùm autem cuilibet Civi ex hoc ingenti Penario, tantum aquæ haurire liceat ad privatos usus, quantum lubet, absque metu, ne in publicam commoditatem quidquam peccet, aut mulcta ulla plectatur; propterea ubi quis voluerit propriis in Laribus Fontem habere, Operarios quosdam accersit, & pacto pretio, quod ut plurimùm 40. Argenteorum summam non excedit, situm, qui sibi commodior visus fuerit, iisdem ostendit; illi verò, nulla alia re considerata, Puteum in designato situ effodiunt, atque ubi ad Pedum R. 63. altitudinem circiter devenerint, fundum in medio ingenti Terebra perforant, quæ ubi ad 5. ferè Pedes adacta fuerit, illicò tanto impetu Aqua erumpit, saxa, & arenam eructans, ut temporis ferè momento, totus Puteus repleatur ad summitatem usque, & Aqua exinde perpetuò defluat.

Id porrò quod in fodiendis his Puteis, majus Operariis facessit negotium, est ingens Aquarum lateralium proventus, à quibus non parùm aliquandò interturbantur, donec ad profunditatem 28. Pedum circiter pervenerint, ubi Cretæ figularis principium apparere incipit; propterea ad arcendas hujusmodi Aquas, quæ impuriores sunt, primò à Terræ Corio Puteum satis amplum effodiunt, aquas hinc inde confluentes exhauriendo, donec Stratum cretaceum pertingant; tunc enim supra illud, tanquam solidum fundamentum, murum in ambitum ex calce, & lateribus benè coctis, atque in hunc usum factis,

(*a*) Philip. 5. (*b*) Olymp. Od. 1. (*c*) De Aq. Duc. l. 2.

factis, exstruunt, ut exinde arctior Puteus evadat, ac illius externam superficiem creta figulari rectè subacta, diligenter muniunt, cretam pedibus premendo, & hujusmodi opus prosequuntur, donec Terræ planum attingant: hoc enim pacto, aquarum lateralium influxum prohibent, quo peracto, tamquam res sit in Vado, ac sine metu ne ampliùs ab aquis irruentibus infestentur, fossionem ad imum usque deducunt, adeò feliciter, ut à Cretæ apparitione, ne guttulam quidem aquæ exstillantem amplius observent; immò, quod mirum est, ne in sicco ludant operam, aqua interdum indigeant ad terram humectandam, ut facilior fossioni evadat.

Non exigui quoque incommodi Putearii, antequam ad soli Cretacei principium deveniant, aliquando est terræ mollioris, ab Aquarum lateralium impetu, in altum protrusio, quod impedimentum meherclè, non nisi improbo labore vincitur; sed tandem cùm ad Cretaceum Stratum ventum fuerit, & exinde ad summam profunditatem, nullus hæsitationi locus, quin per consuetam terebrationem, solita eruptio Aquæ obtineatur. Nullus enim memoratur casus, in quo intra Urbem *in quocunque dato situ*, vel extra eandem, ad aliquot passuum millia, facto foramine, & data porta Aquis conclusis, illæ in altum illicò non prosilierint. Tanta quippè securitate, ac fiducia in imo Puteorum Terebram Putearii defigunt, quanta quis Vinum hausturus, Dolium Vino plenum perforaret.

Sæpè interfui, dum celebraretur hæc, ut ita dicam, Phlebotomia, atque eodem ferè impetu Aquam erumpere observavi, quæ primò quidem turbida est, multoque sabulo referta, altera verò die satis perspicua appareret. Ubi verò sequuta est aquæ eruptio, ac magna celeritate eductus fuerit Terebrator, brachiis Terebræ insidens, extemplò duo, vel tres Operarii circa oram Putei, quanta possunt sollicitudine, aquam exantlant; cùm enim tunc temporis Aquæ vis multum arenæ, & glareæ sursùm propellat, hoc pacto ajunt Aquæ cursum sollicitari, ac effici, ut postmodùm hi Fontes largiùs Aquam effundant, nec materia illa in fundo subsidens, foramen possit obstruere. Referunt Putearii ipsi, Fontes quosdam de recenti fabrefactos tantum aquæ simul cum arena, & glarea interdum rejectasse, ut circumquaque fatiscente solo, & proximis Ædificiis rimas contrahentibus, necesse fuerit Puteos multa terra, ac cæmentis opplere. Glarea verò, quæ ab aquæ vi sursùm effertur, non multùm dissimilis est illi, quæ in proximis Fluminibus visitur, nec adeò minuta est, quin etiam ex iis nonnullæ uncias tres, vel quatuor pendant; quædam ex his aureis fibris distinctæ sunt, ac satis duræ, aliæ molliores, ac veluti glareæ inchoamenta.

Aliquibus in locis, ubi Civitatis situs devexior est, aqua super planum ipsum attollitur, unde facilis est ejusdem defluxus; in editioribus verò locis, paulò infra soli planum subsistit, ut ad illius fluxum necesse sit subterraneos ductus excavare, per quos aqua in publicos Canales delabitur, qui postea in unum Canalem confluunt, qui Navium patiens est, & cujus beneficio satis commoda navigatio habetur, *Venetias* usque, Canalis enim iste in *Scultennam* influit, *Scultenna* verò in *Padum*.

Hujusmodi Fontium non paucus numerus per Urbis Compita visitur, ac jam ferè unaquæque Domus, proprium habet, adeo ut multiplicato illorum numero, antiqui Fontes numeri damnum persenserint, veluti videre est in Palatio olim Clarissimæ *Familiæ Sadoletæ*, nunc verò de *Castelvitris*, ubi fistulæ quæ amplius aquam non emittunt, editiores sunt, quam illæ quæ modò aquam effundunt. Haud secus in Hortis suburbanis, ac proximis Villis passim obvii sunt hujusmodi Fontes, quorum nonnulli supra ipsum Terræ planum emergunt; quin ultimò septem passuum millibus, procul ab Urbe trans *Scultennam*, referunt Putearii pertentatum esse, num Puteum excavando, prout moris est, & ad solitam profunditatem, eò usque hujusmodi aquarum scaturigo extendatur, ad rem ex voto succedisse; facto enim per Terebram foramine,

ramine, ajunt aquam uberi satis vena erupisse, glaream, & arenam eructando; quare nondum satis bene cogniti sunt, hujus abditæ Scaturiginis limites; longiorem tamen esse illius excursionem ob Occasu Ortum versus, quàm ab Austro ad Septentrionem, arbitrari fas est, cùm in hoc tractu ultra quatuor milliaria, non exstent hujusmodi Fontes.

Quin hoc memoratu dignum observatur, quòd statim ac facta est Terebratio, ac subita aquæ eruptio, proximi Fontes ad breve aliquod spatium cessant à fluxu, quem postmodum, sed lentiori gradu resumunt. A Viro fide digno accepi, quod dum olim in Claustro Monialium *S. Francisci de Sales* Puteus perforaretur, ipse viderit in alio Puteo valdè proximo, aquam temporis momento præcipitanter deprimi, ac paulò post adscendere, donec in utroque Puteo, facto veluti æquilibrio, in eadem superficie horizontali aqua utrobique desederit. Hoc decrementum mihi non semel observatum, sed non tanta celeritate, neque ad tantam profunditatem aquam se retrahentem videre contigit, sed potiùs sensim, ac placidè paucis excitatis bullulis, illam decrescere observavi, ac mox novo Puteo oppleto, ad priorem ferè altitudinem paulatim attolli.

Cùm ab ipsis Putearijs pluries audiissem, ingentem aquæ subterlabentis sonitum in Puteorum fundo percipi, atque hunc, ubi primò exaudiri cœperit, opportunæ Terebrationis signum esse; ut id pro comperto haberem, sub initium Februarii in Puteum per funem descendi, Candelam accensam manu gestans, cùm in loco satis obscuro Puteus exstructus fuisset; ibi paululùm immoratus, manifestum murmur, ac strepitum, non qualem tamen mihi persuaseram, percepi. Exinde quanta vi potui fundum pede percussi; ast ubi mugire solum persensi, ac mihi cum Orco rationem habere viderer, illicò eos qui sursùm adstabant admonui, ut me quàm citissimè educerent; subeunte animum recordatione, alias contigisse, ut vis aquæ Terræ pondus excutiens Terebrationem ipsam prævenerit. Quamvis autem longiorem moram ibi non duxerim, cùm nihil aliud observandum occurreret, præter aquæ murmur, tantùm caloris tamen ibi sum expertus, ut totus sudore diffluerem; nec levem posteà percepi delectationem, dum me ab illo veluti *Thermometro* extraherent, cum exiguo temporis intervallo, tot mutationes caloris, & frigoris tanquam per gradus persentiscerem. Alias posteà expertus sum, qualis esset horum Puteorum in sua maxima profunditate subterranea Temperies, media hyeme *Thermometrum* dimittendo, & compertum est parum differre à calore dierum Canicularium in his nostris Regionibus. Non minus quoque intensum frigus æstivo tempore in his Puteis persentiunt Fossores; hinc hujusmodi Opificium media Æstate aggredi renuunt; si quidem præter vehemens frigus, quod illos excruciat, adeò magna respirandi difficultas eosdem angit, ut penè suffocentur, ingenti fumosa exhalatione, tunc temporis adscendente, ut & ipsa lumina exstinguat, quod hyeme neutiquam evenit, cùm satis placidè respirent, & lumen accensum immotum perstet. Non parùm etiam de graveolentia conqueruntur Fossores, quoties in calidiori tempestate Puteos effodiunt, ac præcipuè cum in Arborum truncos impingunt; ligna enim putrefacta sævam mephitim exhalant, quod hyemali tempore non experiunt, licet magnus tepor in his Puteis tunc hospitetur.

Rarò autem excavantur hi Putei, quin passim variæ Arborum Species occurrant, facilè enim dignoscuntur, quales sunt Quercus, Nuces, Ulmi, Fraxini, quarum aliæ surrectæ sunt, aliæ prostratæ jacent, nusquam tamen vestigium ullum apparet, quòd Hominum manibus excisæ fuerint, quare Sylvas inciduas, quæ Ferarum Domicilium essent, olim Regionem hanc occupasse censendum est; Ligna verò, quæ frustulatim à Fossoribus cæduntur, satis mollia sunt, ubi autem Aëri exposita fuerint, non secùs ac Corallia, duritiem adsciscunt.

Cùm medio Aprilis Mense, novum Fontem subdio fabricarentur, hujusmodi fumosæ exhalationis adscensum manifestè observavi, ut

ut fossor in fundo vix posset inspici, qui & se valdè rigere ajebat, & ægrè respirare, unà cum tussi molesta; cùm autem de repente ingens facta fuisset Aëris ad frigidum permutatio, illicò evanuit fumosa illa exhalatio, ac Fossor in fundo facilem ducebat anhelitum, & satis mitem calorem se præsentire ajebat. Qualis revera Mensibus Æstati proximioribus, sit in his Puteis subterranea Temperies exploraturus, in Puteum, quem Gemmarius quidam natione Gallus, propriis in Ædibus fodiendum curabat, sub finem mensis Maji antequam perforaretur, descendi, ac pares gradus frigoris deprehendi, quales in hisce regionibus sub initium hyemis solent observari; eo tempore quo ibi commoratus sum, adeò Thorax, & anhelitus mihi arctari cœpit, ut Cor valdè palpitaret. Non magnum in hoc Puteo, ut in cæteris, Aquarum fremitum percepi, ad pedis tamen in fundo percussum, solum ut aliàs remugiit.

Dum hæc Typis traderem, cùm fortè foderetur Puteus, è re visum est exactiùs Aëris subterranei Temperiem explorare, eodem tempore, *Thermometrum*, & *Barometrum* in Puteum ad varias altitudines dimittendo, & observando quodnam sit inter Aërem externum, & illum qui in his Puteis hospitetur, dum fodiuntur, discrimen, ac præsertim æstivis mensibus, cùm perrarò hujusmodi tempore, tale Opificium Putearii aggredi velint, ob superiùs enarrata incommoda quibus vexantur; quare sequentem Tabellam hic apposui, ut commodiùs internosci queat, qualis sit conditio, & vicissitudo Aëris subterranei ad Aërem externum, quod etiam tempore hyemali præstitisse, neque inutile, neque incuriosum fuisset; verùm nullus dubito, quin ex opposito eadem tunc temporis contingant, quod data occasione experiar.

Die 21. Junii 1691.	Die 23. Junii	Die 27. Junii	Die prima Julii
Altitudo liquoris in Thermometro extra Puteum G. 80.	Altitudo liquoris in Thermometro extra Puteum G. 77.	Altitudo liquoris in Thermometro extra Puteum G. 74.	Altitudo liquoris in Thermometro extra Puteum G. 78.
In Puteo ad profunditatem P. 15. G. 64.	In Puteo ad profunditatem P. 30. G. 51.	In Puteo ad profunditatem P. 45. G. 44.	In Putei summa profunditate G. 40.
Altitudo Mercurii in Barometro extra Puteum G. 80.	Altitudo Mercurii in Barometro extra Puteum G. 80.	Altitudo Mercurii in Barometro extra Puteum G. 78.	Altitudo Mercurii in Barometro extra Puteum G. 79.
In Puteo ad profunditatem P. 15. G. 82.	In Puteo ad profunditatem P. 30. G. 84.	In Puteo ad profunditatem P. 45. G. 85.	In summa profunditate Putei G. 86.

Scitu quoque dignum est, quòd nulla vis humana, ad exhauriendos hujusmodi Fontes sufficiat; etenim si ad multos dies indesinenter magnis Situlis aqua educatur, multùm erit, si ad sex, vel octo Pedes aqua deprimatur; quin quò plus aquæ extrahitur, vividiores fiunt hi Fontes, adeò ut si aliquando contingat, aliquem ex his segniùs fluere, ad aliquot horas quantam possunt aquam exantlant, atque hoc remedii genere (non secùs ac

ac quando in humanis corporibus, ſanguis detrahitur, ut celeriùs per ſuos ductus moveatur) detracta veluti ſarcina, gravem horum Fontium ægritudinem, qualis eſt motus ſegnities, facillimè abigunt. In eundem quoque finem Inſtrumento quodam, ex pluribus ligneis Cylindris contexto uti ſolent, quod in Puteos demittunt, ac magna Terebra in illius vertice defixa, vel novum foramen efficiunt, vel antiquum deobſtruunt.

Cæterùm nulli alii vitio obnoxii ſunt hi Fontes; eamdem enim ſemper incorruptam ſervant aquæ puritatem, ac ſicuti in humidis Conſtitutionibus nullum ſentiunt augmentum, ſic in maximis Siccitatibus (quales Annis elapſis obſervavimus, quibus tota *Ciſpadana*, & *Tranſpadana Regio* magna aquarum penuria laboravit) nullum patiuntur decrementum.. Hyeme præterea horum Fontium aquæ valdè tepent, immò ex iis fumoſum quid exhalat, Æſtate verò inſigniter frigent.

Aliquot diebus ab eruptione facta, poſtquam aqua deſedit, pro more habent Puteum marmoreo lapide obtegere, ac veluti obſignare; poſtmodùm per fictiles tubos ab eodem aquam in Vaſa marmorea, vel lapidea derivant, ex quibus poſtea, per alios ductus aqua in publicos Canales continuo curſu exoneratur

Id porrò cunctis his Fontibus commune eſt, quòd in eadem linea horizontali aquas habeant, facto ſcilicet per libellam, experimento; quamvis enim illorum nonnulli ſupra Urbis planum aſcendant, major tamen illorum pars, illud non attingit, quod non niſi ex ſitus inæqualitate contingit, quem Urbs obtinet, quæ in ea parte, quæ Auſtrum reſpicit, aliquantò elatior eſt, depreſſior autem Septentrionem verſus. Hinc fit, quòd omnium par ferè ſit bonitas, modò ab initio Putei fuerint benè conſtructi, & cretaceo munimine circumſepti. Præ cæteris, magnis laudibus celebratur Fons quidam vetuſtiſſimus, propè Ducale Palatium, quem Fontem *Abyſſus* appellant, ad quem æſtivis ardoribus Populares confluunt, ad ſitim reſtinguendam. Hujus Fontis hoc prædicatur Encomium, quòd illius aqua in Cretam uſque delata, incorrupta, ac ſincera ad nativum fontem revecta fuerit, cùm tam longam navigationem eodem tempore Aqua Nuceriana abſque putrefactione non ſuſtinuerit.

Quod verò in hoc negotio exploratu dignius exiſtimavi, fuit ut hujus magni Receptaculi altitudo, per foramen à Terebta factum pertentaretur, multa enim de illius immenſa profunditate, & aquarum ſumma rapiditate vulgus dictitat; ajunt dimiſſum olim per foramen Contum ferreum ab aquæ vi abreptum fuiſſe, ac Terebram, dum fit perforatio, Orientem verſus detorqueri; de quo ſæpiùs Terebratores interrogavi, at nihil firmi ab iiſdem reſcire potui. Pluries itaque funiculo cum plumbeo Cylindro appenſo per foramen à Terebra factum dimiſſo, hoc vadum pertentavi, ac non ſolùm ponderi dimiſſo, nullam vim inferri perſenſi, ſed manifeſtè fundum percepi, neque ullam majorem profunditatem obſervare licuit, niſi quàm Terebra feciſſet.

Quis porrò hujuſmodi Fontium primus Inventor fuerit, & quonam tempore abditum iſtud, ac tantæ amplitudinis Aquæ Receptaculum detectum fuerit, prorsùs ignoratur; abſit enim quòd quiſpiam putet, velle me hoc Naturæ Arcanum pro re nova venditare; non minùs enim forſan antiqua eſt horum Fontium origo, ac Urbs ipſa, quæ inter vetuſtiſſimas habetur. A Senioribus, & eruditis Viris ſæpiùs quæſivi, num ſaltem aliqua de hac re Majorum haberetur traditio, nec quicquam referre licuit; conjectura tamen ſatis probabili, fas eſt arbitrari, priſcis temporibus cognitam fuiſſe prodigioſam hanc Aquæ Scaturiginem, cui aliam ſimilem nullibi terrarum reperiri adhuc ſcire potui; cum Fabri Murarii, Terram fodiendo pro fundamentis Ædium, in magnos plumbeos ductus inter rudera olim dirutæ Civitatis ſepultos perſæpè impingant. Cùm olim à Puteario quodam ſatis celebri ſciſcitarer, nùm ſciret ipſe, aut ab aliis audiiſſet unquam, quis primus horum

Fon-

Fontium Auctor fuerit, ille non alium Auctorem se agnoscere respondit, quam rerum omnium Magistram Necessitatem. Cùm enim (subdidit ille) vulgarium Puteorum aquæ, & quæ ab hac profundiori Scatebra non prodeunt, vitiosæ sint, & insalubres, sola Necessitas Indigenas compulit, ut altiùs fodiendo salubriores aquas scrutarentur, & cum ad hanc profunditatem deveniissent, in qua murmurantium aquarum strepitus sensibiliter percipitur, viam hujusmodi aquis ope Terebræ aperuisse, ad quod forsan alluisse voluit, qui ad hujus Urbis Insigne binas Terebras appositi cum Epigraphe, *Avia*, *pervia*.

Haud minùs curiosa, ac scitu digna in ipsa Puteorum fossione occurrunt; primò quidem à soli superficie usque ad Pedes 14. circiter, non nisi cæmenta, & antiquæ Urbis vestigia apparent; in tali enim profunditate Viarum strata ex Siliceo lapide, Artificum Tabernæ, pavimenta Ædium, & opera tessellata passim observantur; in quo certè admirari subit, quomodò ad tantam altitudinem solum excreverit, quod profectò in id referri nequit, quòd Urbs ista pluries funditus eversa fuerit, ac postea supra proprias ruinas restaurata, editiorem situm acquisiverit; eandem enim planitiem, & æqualitatem præferunt circumstantes agri, immò urbs ipsa iisdem aliquantò depressior apparet. Post cæmenta, & rudera, Terra se prodit satis solida, & compacta, ut terram Virginem quis crederet, at non multò post nigra, & paludosa visitur, palustri arundine referta. Memini me in uno ex his Puteis ad Pedum 24. profunditatem, Culmum frumentaceum adhuc integrum observasse, ac in altero in profunditate pedum 26. inventum Coryletum cum suis nucibus adhuc incorruptis; sic alternatim ad 6. ferè pedes varia observatur soli mutatio, modò albi, modo nigri, cum variarum arborum ramis, ac foliis, quasi lamellis, ac corticibus superinductis, donec ad planum Cretaceum deveniatur, quod in profunditate pedum 28. primò conspicitur. Hoc ubi Operarii attigerint, jam securi, ut dixi, ne ampliùs ab ullo aquæ affluxu perturbentur, fossionem summa facilitate ad imum usque prosequuntur. Hujus Strati Cretacei moles 11. ferè est Pedum, ac identidem multis Cochlearum testis est refertum, illius ergo finis, est in Profunditate Pedum 39. postmodum Stratum aliud palustre duorum Pedum circiter apparet, ex Juncis, Plantarum foliis, ac ramis congestum. Ablato à Fossoribus hoc palustri Strato, Stratum aliud Cretaceum ejusdem ferè molis ac superius sese offert, cujus terminus est in profunditate Pedum 52.; quo Strato effosso, rursus Stratum aliud paludosum priori haud dissimile visitur, quo semoto, denuò aliud Stratum Cretaceum ejusdem naturæ, ac superiora, sed minoris molis, ac crassitiei, quàm reliqua duo, & susperincumbit alteri Strato palustri, quod tandem desinit in ultimum illud planum, in quo Terebra defigitur, quod planum molle est, atque arenosum; multaque glarea minuta permixtum, ac marinis quisquiliis aliquando refertum. Hujusmodi autem Stratificatio hisce intervallis tam benè distincta in omnibus Puteis, tam intra Urbis Pomœria, quàm in Suburbanis locis constanti ordine, ac lege observatur.

Cùm sæpissimè in magnos Plantarum truncos fodiendo incidant, ut non rarò mihi videre contigit, hinc est quòd interdum non exigui laboris Putearìis sit ipsa Terebratio, quotiescumque in hujusmodi Truncos Terebra impingat; argumentum evidens, solum illud aliquandò Aëri fuisse expositum; nunquam tamen Arborum truncos in Stratis Cretaceis observare contigit, sed in Palustribus tantum, vel in eo spatio, quod Urbis fundamenta, & Cretæ principium interjacet. Inventa quoque sunt in summa horum Puteorum profunditate Ossa magna, Carbones, Silices, ac Ferri frustula. Multa hic lubens omitto, quæ Vulgus dictitat de variis rebus extraneis, ab aquæ impetu regestis, eo-ipso tempore quo primùm aqua erumpit, ut foliis Quercus, Castanearum, milio, thecis fabarum, multisque aliis, ea solùm referre contentus, quorum Autoptis esse possim, aut à

Viris

Viris fide dignis acceperim. Hæc ſunt, quæ ad Fontium Mutinenſium hiſtoriam ſpectant, & quæ, prout data eſt occaſio, obſervare licuit.

CAPUT SECUNDUM.

Stagnantes non eſſe hujuſmodi Aquas, ſed mobiles; hac occaſione pauca quædam ex Hydroſtaticæ Fontibus delibantur.

QUandoquidem hujus abditæ Scaturiginis natura, & origo, non ſecus ac olim Nili, exploratione digna eſt, propterea per has Aquas ſubterraneas Ratiocinii (quando aliter non licet) Vela pandantur. Primùm quidem Statarias non eſſe hujuſmodi aquas, ac velut in Cado Reconditorio concluſas, ſed continuo, ac non lento curſu moveri, fas eſt aſſerere; id enim ejuſdem aquæ murmur, quod in Puteorum fundo ante perforationem conſtanter auditur, ſatis evincit. Nec quiſpiam opponat etiam lacuſtres aquas magnis motibus aliquando concitari, ut conſtat de *Vulſinienſium Lacu*, *Traſumeno*, *Benaco*, de quo Poëtarum Princeps,

Teque
Fluctibus, & fremitu aſſurgens Benace marino: (a)

Nam id perpetuum non eſt, immò hujuſmodi Lacus placida, ac leni malacia ut plurimùm quieſcunt; aquæ verò murmur, ante opus Terebrationis firmiſſimè auditur, quod ego quoties in hos Puteos deſcendi, ſemper, ac manifeſtè percepi, & Putearii unanimiter affirmant, qui ex aquæ fremitu foſſionis terminum auſpicantur. E ſublimi verò loco aquas iſtas ſubterraneas deſcendere, & continuò ab aliis premi, & urgeri, ſi tam ſubito impetu ad altitudinem Pedum 68. Saxa, & arenam eructando, debent emergere, certo certiùs eſt. Neque reor hanc ex tali profunditate aquæ emerſionem in Terræ pondus incumbens, referri poſſe, quod vi preſſionis aquam ſurſum propellat. Scio equidem poſſe altiùs aquam attolli, quàm ſit illius ſuperficies, ex qua derivatur; ubi nimirùm ab aliqua potentia ſuperincumbente urgeatur, quemadmodum ingeniosè contra *Cardanum* (b) demonſtrat *Scaliger*, dato exemplo Vaſis, quod tubulos utrinque habeat; nam ſi in hujuſmodi Vas pondus dimittatur Vaſi capacitati exactè conformatum, quod aquam valde premat, illa per tubulos ſupra Vaſis ſuperficiem elevabitur. At ſi ex terræ pondere extrinſecùs incumbente, ad hujuſmodi altitudinem emergerent horum Fontium aquæ, neceſſe quoque foret, hanc terræ prementis portionem à reliqua eſſe ſejunctam, quod eſt prorsùs improbabile, & cujus rei nulla apparent indicia. Inſuper quanam unquam ratione fieret, ut tanta eſſet harum aquarum bonitas, ac præſtantia, ut inter aquas ſimplices, & naturales primas mererentur, ſi immotæ, ac in tam profundo ergaſtulo veluti captivæ detinerentur, cùm neminem lateat, non minùs differre ſtagnantes aquas, ab iis quæ moventur, ac mortua Corpora à vivis differunt, quando aquas fluentes vivas appellare conſuevimus! Mobiles ergo, & fugaces ſunt hujuſmodi aquæ, neque hic conſiſtunt, ſed ulteriùs progrediuntur, ſive tandem devolvantur in Mare, ſive à Voragine aliqua abſorbeantur.

Verùm dum has aquas fluentes ſtatuo, non contemnendus Scopulus mihi obviam, ſeſe offert; etenim ſi expedito curſu aquæ iſtæ præterlabuntur, nulla lege videntur cogi poſſe, ut excavatis his Puteis, in altum debeant attolli. Non poſſe autem in tali ſuppoſitione aquam adſcendere, phyſico experimento poſſet demonſtrari. Sit enim, ut in Fig. 1, Vas AB. aqua plenum, ad cujus latus prope fundum exſtet fiſtula CD. ad angulos rectos, variis foraminibus E F C. pertuſa, & in parte inferiori rimulam habeat H I. Permiſſo itaque libero exitu aquæ, illa non ſolùm

(a) Geo. 1. a. (b) Exerc. 46.

lum per foramina non adscendet, sed neque per rimulam descendet, quin tota per os amplum fistulæ defluet, & satis jucundo spectaculo, aqua super rimulam suspensa, delabi spectabitur, nec à proprio pondere à reliqua divelli poterit ut decidat, nisi in fine, cum Vase ferè depleto, nihil aquæ per os amplum fistulæ defluet, sed tota per rimulam descendet.

Stante igitur hoc Experimento, non benè Hydrostaticæ legibus congruere videntur, suppositus harum aquarum ad ulteriora spatia progressus, ac eodem tempore manifestus per hos Puteos earundem adscensus; si enim liberè, & inoffenso pede profluunt, procul dubio in altum assurgere nequeunt; cui veritati suffragari videtur, id quod in suis (*a*) Exercitationibus refert *Doctissimus Scaliger*, qui perquirens, an sub aquis aliæ aquæ subesse possint, ait propè *Oltum Fluvium* Puteum esse in Colle celso, ac immò celeri cursu, ac magno murmure rivum fluere.

Utut hæc omnia vera sint, ac sensibus ipsis obvia, possunt tamen in casu nostro, simul consistere harum aquarum ulterior progressus, ac unà per hos puteos emersio, quod eadem figura prima demonstrari potest. Si enim ad os fistulæ D apponatur digitus, ita tamen, ut non ex toto illius orificium claudatur, statim eodem tempore aqua, & per foramina E F G in altum exsiliet, & per rimulam H descendet, ac simul per os fistulæ defluet, una Actione aliam non impediente; atque ita quò plus vel minùs Orificii fistulæ digito occupabitur, plus vel minus aqua per dicta foramina elevabitur; nunquam tamen ad eam altitudinem pertinget, ad quam elevaretur, si fistulæ orificium esset penitus obstructum. Legibus itaque *Hydrostaticæ* non repugnat, si aquæ istæ subterraneæ mobiles sint, ac ulteriùs pergant, & eodem tempore ad altitudinem Pedum 68. per hos Puteos evehantur, ea tamen lege, ut nunquam sui *Hydrophylacii* altitudinem æquare valeant, ob coarctatum scilicet in progressu spatium, per quod discurrunt, vel Emissarium è quo tandem effluunt.

Horum Phænomenûm, à nemine, quod sciam, hactenùs observatorum, par est ut aliqua reddatur ratio, quando nulla pars Philosophiæ curiosior est, & forsan minùs exculta, quàm *Hydrostatica*. Primùm ergo, quòd aqua (libero manente illius cursu, & exitu per os amplum fistulæ) per foramina ejusdem fistulæ aperta non prosiliat, mirum certè non est, immò sic fieri necesse est; aqua enim liberum habet descensum, nec in Obicem ullum impingit, ut cogatur adscendere, quemadmodum fieri solet in fistulis sursùm inflexis. Sic neque per rimulam descendet, cùm ob pressionem, & præconceptum impetum, ad instar solidi Corporis à recto itinere nequeat deflectere, non secùs ac Projecta, quæ per lineam horizontalem, saltem sensibiliter ad aliquod spatium, vigente impetu, feruntur. Cur autem fistulæ Orificio, ob digiti admotionem angustiori reddito, statim ex foraminibus, aqua in altum exsiliat, ac inferiùs per rimulam defluat, id evenire censendum est, eò quia, cùm partes inferiores aquæ premantur à superioribus (ut satis planè in Paradoxis suis Hydrostaticis demonstravit Celeberrimus *Boyle*) ac magna vi urgeantur ad effluxum, arctato exitu ob digiti ad os fistulæ appositionem, aquæ portio, cùm Obicis resistentiam superare nequeat, quæ data porta, sibi exitum quærit; ex quo fit, ut quò minùs aquæ per os fistulæ exeat, majori nisu per dicta foramina exsiliat. Remittente verò dicta pressione, Vase jam ferè depleto, nihil aquæ per os fistulæ defluit, sed reliquum quod est per rimulam, utpote per breviorem viam, lentè delabitur. Hinc admirari subit, quomodo una Actio alteri non sit impedimento, (*b*) quod idem quoque in Statica evenire observavit Ingeniosissimus *Borellus*, exemplum afferens de pluribus Libris, una ordinatè reliquam ex centro suspendente.

Hinc patet directam pressionem, æstimandam esse ex pondere aqueæ Columnæ, cujus basis sit æqualis horizontali superficiei cui incumbit, & cujus altitudo æqualis sit profun-

(*a*) Exerc. 100. (*b*) De motu An. P. p. Prop. 66.

ditati perpendiculari ipsius aquæ, ut v. g. in Vase in horizontali plano constituto, quælibet pars in fundo designabilis, pro basi est aqueæ Columnæ eandem altitudinem habentis, ac tota aqua in vase contenta. Quare in proposito Schemate aqua cùm per fistulam C D libero cursu effluit, premitur ab aquæ Columna, quæ eandem basim habet, ac orificium fistulæ Vasi infixæ, quæ aquea Columna lateraliter, & ad angulos rectos aquam propellit, ut fistulam subeat, ac exeat; vi cujus pressionis efficitur, ut per hanc imaginariam Columnam, tota aqua in Vase contenta ex suprema superficie (modò quieta sit) descendat, ac effluat.

Multa de pressione partium aquæ ad invicem penes eos, qui de *Hydrostatica* scripsere habentur, nempe quòd inferiores premantur a superioribus, quin & lateraliter se premant ad invicem, quas pressionum diversitates, multis experimentis demonstrare satagunt; re vera hanc lateralem aquæ partium pressionem ad invicem, quilibet in se ipso experiri potest, si in aqua ad collum usque demergatur; ad sensum enim totius corporis circumpressionem, & aliquam anhelitus difficultatem persentiet, quam tamen non à sola pressione laterali aquæ fieri, sed etiam ab alia causa censendum est; cùm enim ad respirationis munus, necessaria sit Thoracis expansio, hæc non tam facilè in Aqueo Elemento ac in Aëreo exercetur, ob majorem nempè aquæ crassitiem; nam sicuti Pisces majori vi motrice indigent ad natatum, quàm Aves ad volatum, ex ejusdem *Borelli* demonstratione, (a) nimirum propter corpulentiam aquæ, quam è suo loco dimoveri necesse est, & vertiginosè ad locum à Pisce derelictum revolvi, ita Homo ad collum usque in aqua demersus, majori nisu musculorum indiget, ut aquam à se removeat, pro Thoracis ampliatione, quam si in Aëre esset constitutus; hinc difficilior est in Balneo aëris Inspiratio, quàm Exspiratio.

Aquam pariter non solùm fundum, sed etiam latera Vasorum à quibus continetur premere, ac urgere fatentur omnes; at hujusmodi pressionem nonnulli magnam, alii parvi momenti esse existimant; (b) *Tho. Cornelius* talem esse arbitratur, ut pressioni perpendiculari æqualis sit; supponens enim aquam premere latera per lineas inclinatas, ex eo quòd corpus grave super planum inclinatum descendens, tantam acquirat velocitatem, quantam acquireret, si per rectam perpendicularem expositæ altitudini æqualem descenderet, putat pressionem quæ fit ad latera, parem esse illi, quæ super fundum exercetur. Altera ex parte (c) *Becherus* in *Physica sua Subterranea* ait, aquam ex sua natura fundum directè, & perpendiculariter premere, ac multò minùs juxta latera gravitare, conjectura ex hoc desumpta, quòd in *Hollandia* Terræ aggeres exigui, ipsius Oceani pressionem sustinere valeant, ne campos subjectos inundet; qui mechanico experimento demonstrare nititur, aquam non premere, nisi supra, vel infra tangat corpus. Ego quidem sicuti neque tam levem esse lateralem pressionem, ita neque talem, ut perpendicularem æquare possit, crediderim; nam minorem esse perpendiculari, ex hac sola animadversione ostendi potest, quòd major sit aquæ conatus ad descendendum per lineam perpendicularem, quàm per inclinatam; ac dato etiam, quòd aliquæ partes in Vasorum lateribus premerentur, pressione æquali perpendiculari pressioni, uti essent eæ, quæ fundo annecterentur, & in quas desinerent hujusmodi plana inclinata, quæ parem haberent altitudinem, ac tota aqua, in reliquis tamen partibus laterum, pressio talis energiæ nequit admitti. Non adeò tamen tam parvi pendenda lateralis pressio, ut vult *Becherus*; etenim, cùm non exiguum impedimentum fluido, ne descendat, sint latera Vasorum, non exiguus quoque erit conatus, quem fluidum contra hujusmodi impedimentum exercebit. Quamvis autem lateralis pressionis mensura peti soleat ab aquæ profunditate, in casu tamen à *Bechero* allato, nonnisi ab altitudine aggerum desumenda est, qui Mare arcent,

(a) De Motu An. Par. Pro. 215. (b) Prog. Phys. de Circum. pul. Plat. (c) 1. p. Se. 2. cap. 2.

arcent, ac vetant, ne ſubjectæ regiones aquis obruantur.

Quando igitur, ut ſuperiùs dictum, partes fluidi contrario niſu ſe premunt ad invicem, ita ut tanquam prelo omnes ſint preſſæ, non immeritò ex hoc fundamento, recentiores ſolutionem petunt antiqui illius, æquè ac ardui Problematis, quod adhuc ſubtiliora ingenia fatigat, cur ſcilicet Urinator in fundo Maris, à pondere aquæ ſuperincumbentis non opprimatur. Communiter id ajunt fieri, quia Urinator ab aqua ſuccumbente attollatur, & lateraliter partes corporis æquis viribus ab aqua premantur, nec ad intra poſſint propelli, cùm omnia ſint plena, adeò ut nullus ſit metus luxationis alicujus membri, vel dolorificæ compreſſionis. Non tamen plenè difficultati ſatisfactum putat Ingenioſiſſimus *Boyle:* (*a*) nam licèt ob æqualem fluidi ambientis circumpreſſionem, nulla ſequatur luxatio, non apparet tamen ratio, quare ſaltem aliquis doloris ſenſus non debeat percipi, ex partium adverſus ſe invicem compreſſione; quapropter ad fortem Animalium texturam, quæ preſſioni à fluido factæ poſſit reſiſtere, recurrit idem *Auctor*.

Ni temerarium foret putare, rationibus tot Clariſſimorum Virorum poſſe quidquam adjici, auderem dicere, quòd cùm Hominis viventis corpus ſit in ſpecie minùs grave, quàm aqua, pauco licèt diſcrimine, ideòque ab aqua collaterali magis preſſa, ex vi principii (*b*) *Archimedis* debeat in altum attolli Sipho alter minùs preſſus, in quo Urinator ſit conſtitutus, propterea nullum debere percipi preſſionis ſenſum. Quia verò Urinator ſub aqua diverſimodè conſiderari poteſt, vel ut per lineam perpendicularem deſcendit, & per eandem adſcendit, vel per lineas inclinatas movetur, vel fundo affixus, & hærens ſcopulo immotus manet; in ullo ex his modis dolorificæ preſſioni non debet eſſe obnoxius. A perito Natatore didici, quòd cùm Natator vult perpendiculariter, & erectus in aquam demergi, ac fundum petere, manibus tanquam remigiis alternatim aquam ſurſum propellit, ſicuti quando ad ſummitatem vult emergere, ordine inverſo manibus alternatim aquam verſus fundum compellendo, per eandem viam remeat, ex quo fit ut natandi imperiti, dum ordine retrogrado aquam verberant, ſuffocationem ſibi accelerent. Horum effectuum rationem, cùm apud neminem expreſſàm viderim, liceat hic paululùm diſquirere, quamvis re vera Delio Natatore, ut dici ſolet, hic opus eſſet.

Puto ergo, quòd cùm Natator vola manus ſurſum impellit aquam ſuperincumbentem, ideò deſcendat, quia talis Sipho ita percuſſus reddatur minùs preſſus, ac minùs gravis quàm collateralis, ac ideò attollatur, altero depreſſiori facto, in quo eſt Natator, non ſecus ac in Libra ſuſpenſa, & in æquilibrio poſita, ſi una ex Lancibus in parte convexa percutiatur, illa certè in altum elevabitur, ac altera ex adverſo deſcendet; Corpus itaque Natantis in Siphone, ſeu Columna aquea magis preſſa poſitus, neceſſariò debet deſcendere, ſimul altera manu idem præſtans, deſcenſum ſibi faciliorem reddit. Cum autem perpendiculariter, & erectus ab imo ad ſummum vult emergere, palma manus aquam verſus fundum percutiendo, illum Siphonem vi percuſſionis magis preſſum efficit, unde Natator in altero conſtitutus, neceſſariò in altum protruditur, eo ferè modo, quo ſi Libra in ſuo æquilibrio poſita, Lancem in parte cava validè percutiam, illa profectò deprimetur, ac altera attolletur. Eadem prorſus eſt ratio, cùm per lineas ad Horizontem clinatas deſcendit, vel aſcendit. Sive igitur adſcendat, ſive deſcendat, vel quocunque alio modo moveatur Urinator, nulli preſſioni debet eſſe obnoxius, quæ dolorem pariat, ut ut magna ſit aquæ altitudo; etenim cùm ex ingenioſiſſimo *Borello*, corpora non gravitent, niſi cùm quieſcunt, ut patet in exemplo ab eodem allato, de duobus lanæ involucris, quorum unum alteri ſuperimpoſitum gravitatem non exercet, nec comprimit, niſi cùm quieſcit, non autem cùm deſcendit; idcircò Natator perpendiculariter

(*a*) In Appen. 2. ad Parad. Hydroſ. (*b*) De iis, quæ veh. in aq.

per aquam descendens, non debet ab aqua pari velocitate descendente ullam pati pressionem. Quando verò per eandem viam sursum evehitur, cùm proprio corpore sursum trudat aquam superincumbentem, idque efficiat non vi propria, sed virtute Siphonis collateralis, ideòque nullo indigeat musculorum nisu, ut aquæ superincumbentis renixum superet, neque pariter dolorificæ pressionis sensum debet percipere, non parum tamen ad id conferente, superius descripta fluidi ambientis circumpulsione, quæ non sinit, ut ulla pars corporis è sua sede possit dimoveri. Eadem ob causas, dolorificum non debet pati, si per lineas inclinatas adscendat, vel descendat, vel in fundo scopulo affixus immotus perstet, nam Sipho alter collateralis magis pressius, suum conatum semper exercet, & aqua succumbens Urinatorem in specie minùs gravem, quàm aqua sursum attollit.

At mihi, dum blandienti auræ nimis obsequor, aurem vellit, & admonet *Sulmonensis Poëta*, (a) quòd

Non ideò debet pelago se credere, si qua
Audet in exiguo ludere Cymba lacu.

Quare ne in *Hydrostaticæ* Mare magnum, & naufragiis frequens, ulteriùs provehar, litus repeto, ac in puteis meis me recondo.

(a) 2. Trist.

CAPUT TERTIUM.

Non posse horum Fontium orginem à Flumine subterraneo deduci.

CUm itaque ex superiùs dictis jam satis constet, posse una consistere harum aquarum ulteriorem progressum, ac simul hic loci, & in quocumque dato situ illarum adscensum, consectarium videretur asserere, magnum Flumen subterraneum hàc præterlabi, ex quo Fontes isti scaturiant; ac revera hæc communis est quæ inter nôs vagatur opinio, cui tamen, ut assensum largiar, adhuc adduci non potui. Haud equidem sum nescius, Flumina quædam reperiri, quæ post longum cursum caput recondant, & aliquo spatio emenso illud exserant, alia quæ satis probabili conjectura, continuò per operta labantur, nunquam adspectabilia, non secus ac in Viventium Corporibus inter Vasa sanguifera, alia in propatulo sunt, alia in profundo posita, & omninò inconspicua, nisi penetralibus reseratis. Hinc egregiè *Seneca*. (a) *Placet Naturæ regi Terram, & quidem ad nostrorum Corporum exemplar, in quibus sunt Venæ, & Arteriæ, adeòque illam ad similitudinem humanorum Corporum Natura formavit, ut Majores quoque nostri appellaverint Venas.* Nilum à Terra pluries obsorberi, ac longo post intervallo revomi scripsit *Plinius*; (b) hoc idem quoque de *Nigro Æthiopiæ fluvio* referunt, qui ex eodem lacu, quo *Nilus*, profluens Occasum versus, ubi in Montium catenas impingit, vias occultas sibi reperit, & ex altera Montium parte emergens, in *Oceanum Atlanticum* procurrit. Haud secus *Tigris* in *Mesopotamia Caucasi* repagula eludens oculis se subtrahit, & in Antrum amplissimum demergitur, postmodùm verò erumpens juxta *Babylonem Euphrati* commiscetur. Omitto quod de *Alphæo Achajæ fluvio* Poëtæ referunt, quem ajunt longo itinere, non solùm sub terra cursum agere, sed Mare ipsum subterlabi, ac prope *Syracusas* in Fontem, qui *Arethusa* dicitur, ore diverso renasci, indicio sumpto à Victimarum rejectamentis, quæ secundo flumini tradita quinta quaque Æstate, dum *Olympia* celebrarentur per ipsum Fontem reddebantur. Quin & Maria ipsa per occultos ductus, mutua exercere commercia creduntur, ut *Mediterraneum* cum *Mari rubro*, & *Caspium* cum *Euxino*, (c) veluti non levibus conjecturis ostendit Scientissimus *Kircher*, qui ulteriùs ad statuendam in Geocosmo Aquarum de Polo in Polum circulationem, Voraginem Suppolarem in Boreali plaga.

(a) l. 3. Quæ. Nat. c. 15. (b) H. N. l. 5. c. 9. (c) T. p. Mundi Subt. lib. 2 c. 13. & T. p. l. 3. c. 2.

ga deſcribit, de qua pariter *Olaus Magnus* & *Helmontius* ſcripſere, per quam immenſa aquarum moles abſorbeatur, quæ in inferiora Terræ præcipitata è Polo Auſtrali reſiliat.

Vera ſint hæc omnia, ac detur, quòd intra hujus terreni Corporis penetralia, vitalis Oeconomiæ ſpecimem quoddam exerceatur, & varios Aquarum curſus, & recurſus, non ſine ratione excogitare quis poſſit, cùm revera, ut ait *Seneca*, (a) *non tota ſolida contextu ſit Terra, ſed multis partibus cava*, in hanc tamen opinionem ire nequeo, qua certò creditur, ingentem Fluvium liberæ laxitatis eſſe hunc, è quo in hac regione hujuſmodi Fontes erumpant. Hæc opinio de magno hoc Flumine, omnium animos adeò firmiter occupavit, ut ſi contingat levis aliqua Terræ concuſſio, Populares magno terrore perculſi, timeant ne Urbs iſta, quæ à Terræmotibus aliàs graviter concuſſa eſt, temporis momento abſorbeatur, quandoquidem illam ſupra magni Fluminis fornicem, poſitam imaginantur.

Non leves quidem, fateor, neque parvi momenti ſunt conjecturæ, quibus quis innixus arbitrari queat Flumen ſubterraneum eſſe illud, quod his Fontibus aquam ſuggerat, præſertim aquarum ſtrepitus in Puteorum fundo ante perforationem, ac ſecuritas, quòd in quocumque dato ſitu, excavato Puteo, Fons ſit erupturus cum glareæ & arenæ ejuſdem naturæ eructatione, multaque alia, quæ ingentis Fluvii, ſeu ſaltem alicujus immenſi Receptaculi præſentiam, videntur atteſtari. Verùm unica ratio, ſuperexcedens ſcilicet hujus imaginarii Fluminis amplitudo, quæ neceſſariò foret admittenda, tanti eſt apud me ponderis, ut quaſcumque conjecturas obruat, quibus tantum Flumen hàc ſublabi quis ſibi perſuadeat. Nullum enim Flumen tam vaſtum haberet Europa, quale eſſet hoc noſtrum ſubterraneum, cui nec *Padus*, nec *Rhenus*, nec *Danubius* poſſent conferri. Ex ſuperiùs memoratis jam ſatis conſtat, ac norunt omnes Incolæ, non ſolùm intra Urbis ambitum, cujus diameter eſt mille Paſſuum circiter, in quocumque dato ſitu, fieri poſſe Fontem, qui perenniter aquam effundat, ſed etiam extra Urbem circumquaque ad aliquot milliaria, nullo habito ſitus delectu, ſimiles Fontes perſæpè conſtrui, ac præcipuè ſecus *viam Æmiliam*, ut etiam ultra *Scultennam Flumen*, uberes aquarum ſcaturigines, & hujuſmodi Fontes obſerventur. Quapropter hujus ſubterranei Fluminis amplitudo (niſi forſan hic eſſet illius curſus) ad ſex, vel ſeptem milliaria extenderetur.

Quis autem unquam perſuaderi poterit, ſubtus hanc Planitiem, in qua poſita eſt hæc Civitas, Fluvium tantæ magnitudinis continuò fluere, cum tanto pondere ſuperincumbente! Non ibo quidem inficias, ab Auſtro Septentrionem verſus hujuſmodi Scaturiginem non tam latè protendi, cùm non ſupra quatuor milliaria hujuſmodi Fontes obſerventur; quod num propter experientiæ defectum contingat, an re vera hic ſit limes, ac terminus, non auſim aſſerere. Si tamen adhuc Flumen ſubterraneum, quod alveum quatuor milliariorum habeat, ſupponere velimus, quilibet, reor, ſuſpenſo judicio hærebit, nec tam facilè huic opinioni fidem ſuam largietur; cum præſertim fornix, qui tantum pondus ad Pedes 68. ſuſtinere debeat, non ſit ſiliceus, vel tophaceus, ſed totus ex terra paulatim aggeſta compactus. Equidem ſi hoc Naturæ prodigium in montana regione eſſet poſitum, non admodum reluctarer, ut quamcumque ſubterraneam laxitatem admitterem. Etenim ſi ad Antra, & cavernoſos receſſus, qui in Geocoſmo penes Scriptores celebriores ſunt, animum advertamus, inter Saxoſa, & prærupta Montium Viſcera à Natura fuiſſe fabrefactos obſervabimus, cum Saxa, & lapides ſolidamenta ſint, ac veluti Oſſa terreni corporis, unde *Ovidius*. (b)

Magna Parens Terra eſt, lapideſque in Corpore Terræ Oſſa reor dici.

Famoſum Antrum illud *Coryceum* in *Cilicia*, (c) de quo *Plinius*, *Solinus*, & alii, quod in

(a) l. 4. Quæ. Nat. c. 14. (b) Metam. l. 1. (c) l. 5 H. N. c. 27. c. 40.

Mare prominens ampliſſimo hiatu patulum, ac introrſus nemoroſum, per duo millia, & quingenta paſſuum non ſine largo die deſcenſum admittebat, ut ſimul *& Specus*, *& Portus* eſſet, in *Monte Coryco* poſitum fuiſſe legimus. *Tigris fluvius*, de quo ſuperiùs habita mentio, ſæpiùs caput occulit, ac illud exſerit, ſed ſolummodò, ubi Montium catenis obſtringi ſe videt; indignatus enim ſuæ velocitatis, cui nomen debet, quamcumque remoram, per laxos Montium ventres, viam ſibi reperit, & in operto decurrit, donec aquarum acceſſu tumidior factus, in apertam planitiem erumpat. *Timavus Amnis* apud antiquos Poëtas ſat clarus (de cujus genuino ſitu, an apud *Patavium*, an *Tergeſte in Hiſtria* eſſet, tot fuere inter elapſi Seculi Literatos Viros contentiones, (*a*) uti penes *Leandrum Albertum*, *Bernardinum Scardeonium*, *Joannem Candidum* videre eſt) licet è novem Fontibus, tamquam mammis in *Timavo Monte* protuberantibus, totum id quod habet aquæ videantur haurire, aliunde tamen è Flumine ſcilicet Subterraneo, per cavernoſos Montium anfractus in Mare ipſum ſe exonerante, aquas omnes mutuatur, quibus tantùm ſuperbit, ut *Pater*, *& Fons Maris* vocitetur.

Quoniam de *Timavo* facta eſt mentio, ac mira narrantur à Scriptoribus, illum nempe ad Maris fluxum creſcere, & decreſcere, tantumque eſſe illius incrementum, ut proximas regiones inundet, cæterùm in Maris refluxu, ſatis placidè fluere, atque unà aquarum dulcedinem uſque ad Oſtia ſartam tectam ſervare, ut

Doris amara ſuam non intermiſceat undam, (*b*)

veluti olim de *Alphæo* cecinit Poëtarum Princeps; propterea in rerum tam curioſarum comtemplatione, mihi liceat paululum immorari.

Hujus prodigioſi incrementi cauſam, & quomodo dulces aquas à ſalſedine immunes, ad oſtium uſque tueatur, explicat egregiè Doctiſſimus *Kircher*; (*c*) ait enim è novem Fontibus *Timavi fluminis* ad 14 milliariorum diſtantiam, è Montis cujuſdam Viſceribus propè Vicum, quem *S. Cantiani* appellant, ingentem aquæ copiam in ſubjectam Vallem rejici, ibique à manifeſta voragine abſorberi, neque ampliùs apparere; putat igitur aquam illam abſorptam, per occultos Canales in mare devolvi, ac propterea in Maris fluxu, Aqua ſalſa per eoſdem Canales, aliam dulcem ſibi occurrentem, & minoris reſiſtentiæ magna vi propellente, Fluminis illius ſubterranei aquas reverberatas retrò agi, & cùm ſpatium non habeant, in quod refundantur, per memoratos illos Fontes in *Timavo Monte* cum eodem ſubterraneo Flumine communicantes violenter propulſas erumpere.

Unde per ora novem magno cum murmure Montis (*d*)
It Mare præruptum, & pelago premit arva ſonanti.

cecinit idem *Poëta*. Hoc pacto non admodum captu arduum eſt, quomodo ad maritimum fluxum, ac refluxum appareat in *Timavo* hæc incrementi, & decrementi tam proportionata reciprocatio, ſuperſtite aquarum dulcedine. Mare etenim in ſui ſuperficie *Timavi* aquam non repercutit, neque illius curſum remoratur, ſed ſubtus per occultas vias flumini ſubterraneo, in dicta Valle abſorpti occurrens, cogit illud retrò fluere; & aquas per novem illa Oſtia evomere, unde portentoſum oritur *Timavi* incrementum. Mari verò recedente, ſpatiumque ad fluendum illi Flumini ſubterraneo concedente, *Timavus* quoque eodem tempore, ceſſante illa ingenti aquarum regurgitatione, ſatis placidè, & cum tota ſua dulcedine in *Adriaticum* devolvitur.

Hujuſmodi Naturæ luſus, haud abſimilem ætiologiam tradit *Fallopius* noſter (*e*) cujus verba hic libuit apponere. *Cæterùm debetis notare, quòd licet fluvius tunc abundet aqua, tamen aqua illa eſt dulcis, ſicut & illa eſt quam in ſe continet, quando decreſcit, ſemper*

(*a*) In deſ. Itâliæ. De Antiq. Urb. Patavii l. 1. de factis Aquilejæ. l. 2. (*b*) Egloc. 20. (*c*) T. p. Mun. Sub. l. 5. c. 4. (*d*) Æn. (*e*) de Aq. Ther. c. 3.

semper enim dulcis est, sed unde hoc provenit? Debetis scire quòd in Carnorum regione, est Castellum Sancti Cantiani nomine vocatum, ex quo aquarum abundantia maxima oritur, & statim cum aqua illa apparuit, absorbetur à terra, & nullibi ampliùs apparet; distat autem Cantiani Vicus à Timavo fluvio 14 milliaria.

Credo igitur quòd aqua illa è Monte scatens copiosa sit in causa incrementi Timavi; arbitror enim aquam illam copiosè fluere per subterraneos Canales illos & occurrere cæcis aliis Canalibus, per quos Maris aqua fertur, ac ducitur ad Montem fluvio adhærentem, & ita fieri congressum, atque illisionem Maris, & alterius quæ ex longinquo Monte nascitur, ac defluit, & cum fluxus aquæ Maris sit magis impetuosus, quàm fluviatilis (salsa etenim est magis corpulenta, quàm dulcis) fit ut aqua illa dulcis ex illo alto Monte defluens cedat in congressu alteri, unde aqua in Canali conclusa cum non possit retrocedere ad Mare, resilit usque ad Montis cacumen, & hinc est quòd Mons ille totus scatet aqua, & Timavus crescit, & decrescit.

Talia ludentis Naturæ spectacula, faciliùs in Montanis regionibus, quàm alibi observari solent, cùm Montes, ob solidam quam habent compagem, cava spatia, & magnos Lebetes contineant, non tantùm pro *Hydrophylaciis*, verùm etiam pro *Pyrophylaciis*, ut in *Sicilia*, quam ideò subantrosam appellavit *Aristoteles* (a) Sic *Mantuanus Vates*, *Aristæum* discribens intima Penei subeuntem, qui fluvius in *Thessalia* inter *Olympum*, & *Ossam* decurrit, hæc scripsit carmina.

Jamque domum mirans Genitricis, & humida regna,
Speluncisque lacus clausos, lucosque sonantes
Ibat, & ingenti motu stupefactus aquarum
Omnia sub magna labentia flumina terra
Spectabat diversa locis.

Audiamus quoque *Senecam* ad rem nostram ita loquentem. (b) *Sunt & sub Terra minùs nota jura Naturæ, sed non minùs certa; crede infrà quidquid vides supra; sunt & illic specus vasti, sunt ingentes recessus, & spatia suspensis hinc inde montibus laxa.*

Licet igitur fateri oporteat, quibusdam in locis Amnes vastæ magnitudinis subterfluere, non ideò tamen tam facile credendum, in hac magna *Planitie nostra Cispadana*, tam ingentem subterraneam cavitatem latitare, & pensiles campos tantæ amplitudinis, ad tam longum tempus sineruina potuisse consistere. Ad hæc insuper addendum, quòd hujus crediti Fluminis profunditas, habita ratione ad ejus latitudinem, deberet esse non mediocris, si tamen pars superior tam magni aquæductus, sit ad instar fornicis constructa; nec magnam rimam fingere velimus, quod Naturæ non congruit, quæ pro more habet Antra, & subterraneos hiatus in modum arcuati Operis effingere. Atqui hujus cavitatis nulla ferè est profunditas, ac nonnisi paucorum pedum, quantùm scilicet Terebra perforarit; dimisso enim per foramen ferreo Conto, è vestigio sensibiliter fundum persentitur, ut sæpiùs cum iis, qui mecum aderant, sum expertus.

Prætereà cum Putearii in ipso Terebrationis opere, persæpè in Arborum truncos incidant, ut ipse non semel observavi, ideòque fateri oporteat, Arbores illas aliquando subdiales fuisse, & cùm in Puteorum fundo reperta fuerint Ossa, Carbones, ferri frustula, ac propterea cogamur credere, solum illud Viventium olim sedem fuisse; vel censendum magnum hoc Flumen tunc temporis terreum operculum sex vel octo pedum tantummodò habuisse, vel postmodum casu enatum, postquam ex diuturno aquarum ab *Appennino* descensu, & soli abrasione elatior facta fuisset hæc nostra Planities; at semper obviam sunt superiùs recensitæ difficultates.

Verùm demus etiam magnum hoc Flumen hàc subterfluere, neque *adhuc tantum Pontem indignatum*, unde quæsò tam copiosus aquarum proventus, ad implendam tam magnam cavitatem (quam semper plenam supponere necesse est, si in altum aqua resilire debeat) cum ad *Padi* regiam dignitatem sustentandam,

(a) 2. Meteo. c. 2. Geo. 4. (b) l. 3. Qu. N. c. 10.

dam, vix ſufficiant tot Flumina ex *Apennino*, & *Alpibus* ac alia ex parte in illum confluentia, aſſerere oporteat, *Padum* hoc ſuppoſito Flumine ſubterraneo eſſe longè inferiorem. Poſtremò ſi magni Fluminis latitudo quatuor ſaltem milliariorum neceſſariò ſtatuenda eſt, ego certè non video, quare poſtea in tota hujus Scaturiginis extenſione, æqualis ferè ſemper Puteorum profunditas deprehendatur; Putei enim qui excavarentur propè latera, cui tantus fornix inniteretur, longè profundiores eſſe deberent, at Puteorum nullum ferè in profunditate diſcrimen obſervatur. Populari igitur opinioni, de ſubterraneo hoc Flumine, nullatenus videtur aſſentiendum, non obſtantibus ſuperiùs memoratis conjecturis, quibus alibi ſatisfiet; multòque minus credendum, plura eſſe Subterranea Fluenta ex eodem Penario manantia, & ſuis intervallis diſtincta, quæ hiſce Fontibus aquam perenniter ſuppeditent; etenim multiplices Canales hydragogos, omnia hæc præſtare poſſe, vero ſimile. nequaquam videtur. Qui enim fieri poſſit, ut dum Fontium Chiliades jam exſtant, & perſæpè tum in Urbe, tum in Suburbiis hujuſmodi Fontes exſtruantur, nunquam Putearii terebrando in talia interſtitia inciderint? Ut ſæpiùs memoravi, & quod nunquam ſatis admirari licet, nulla hic opus eſt cautione, nulla diligentia pro ſitus delectu, ſiquidem quicumque deſignatus ſitus, tum in Utbe, tum extra, ad multa paſſuum millia, opportunus eſt ad horum Fontium conſtructionem, ac tota difficultas in fodiendis his Puteis ſita eſt, in arcendis Aquis lateralibus, quæ interdum in ingenti copia confluunt, ut cretaceo munimine opus ſit; quapropter ubi ad illud ultimum fundum Operarii devenere, tunc veluti voti compotes, perforationem inſtituunt, abſoluta certitudine, quòd per Terebram, non ſecus ac per *Moſaicam virgam*, uberem aquæ Scaturiginem ſint impetraturi.

Neque pariter quorundam opinio eſt acceptanda, qui putant totum illud ſpatium ſubterraneum, è quo hujuſmodi aquæ ſcatent, fuiſſe antiquitus *Scultennæ*, & *Gabelli* alveos, inter quæ Flumina poſita eſt *Mutina*, qui Amnes poſtquam ex *Appennino* deſcendiſſent, ſociales aquas in hac Planitie jungerent, ideòque diuturno ſeculorum curſu, Jugis decreſcentibus, & in ſublime campis aſſurgentibus, excavatis his Puteis, & facto foramine in arena aqua imbuta, quæ ab iiſdem Fluminibus in editiori loco per cœcos ductus, & arenam ipſam ſuppeditaretur, ad hanc altitudinem Aquam emergere. Huic non illaudabili excogitato, ut fidem adſtruant, exemplum addunt; ajunt enim propè Fluentum aliquod, facto foramine in arena, quamvis exteriùs ſicca, aquam illicò in conſpectum venire. Quod pariter fieri in Maris littore ex *Plinii Junioris* obſervatione conſtat. Poſtquam enim hic *Auctor in Epiſtola ad Pli. Gallum*, ſtyli qua ſolebat elegantia, *Laurentini* Villæ ſuæ, prope Maris littus poſitæ, amœnitatem deſcripſiſſet, tanquam de re memoratu digna, in fine Epiſtolæ hæc habet verba. *Puteos, ac potiùs Fontes habet; ſunt enim in ſummo, & omninò littoris illius mira natura, quocumque loco moveris humum, obvius & paratus humor occurrit, iſque ſincerus, ac ne leviter quidem in tanta maris vicinitate corruptus.* His verbis Vir Doctiſſimus noſtrorum Fontium ſpecimen aliquod videtur exhibere, cùm & ibi, quocumque loco foderetur humus, præſto eſſet humor; nullum tamen fluxum habuiſſe hujuſmodi Puteorum aquam, ex ejuſdem *Plinii* verbis colligitur, (a) cùm ait, *amœnitatem illam deficere aqua ſalienti.*

Hoc idem quoque in quacumque alia littorali ora eventurum crediderim, niſi Stratum aliquod argilloſum interjectum ſit, ſequaces enim undæ, ſabuli ductum comitantur, quare nil mirum, quòd in quocumque loco *Plinianæ Villæ* effoſſa ſcrobe, appareret humor, iſque ſincerus, utpote qui à proximo Mari per arenam percolatus, & ſalſedine exutus communicaretur.

Rem tamen in hoc ſolo noſtro, ita ſe habere

(a) l. 2.

bere, nequaquam verisimile est; quamvis enim non eam inficias, quin ista Flumina antiquitùs per alveos profundiores decurrerent, attamen quod credam, huic Scaturigini aquam suggerere, persuaderi nequeo. Etenim Fontes isti perennes sunt, nec *ullum incrementum*, aut *decrementum* adhuc norunt, cùm tamen hi Amnes tota æstate non solùm, verùm etiam aliquando media hyeme, sitientes arenas præferant, ut Annis elapsis vidimus, ob nimis squalidas constitutiones, cùm Putei omnes (his demptis) quamvis in altum acti, nihil aquæ in proximis regionibus, cum magno hominum, & animalium damno, suppeditarent. Tam autem constans, & uniformis est ex his Fontibus purissimæ lymphæ emanatio, ut illam ex inconstanti, & inæquali horum fluminum statu, & cursu pendere, sit prorsus improbabile; decrescente enim aqua in profundioribus Venis, necessariò quoque pressio decresceret, & consequenter hi Fontes damnum aliquod persentirent. Præterea cùm *Regiensis ager*, *Parmensis*, & tota *Cispadana regio* in eadem ferè Planitie sit posita, ac multa Flumina ex *Appennino* descendentia, in iis locis præterlabantur, non video, cur hujusmodi regiones, actis in eandem profunditatem Puteis, eadem prærogativa gaudere non debeant. Nullibi tamen, quòd sciam, præterquam in hoc solo, similes Fontes observantur tam perennes, ac nulli alterationi obnoxii. Penarium ergo perpetuum, & indeficiens, non temporarium, fas est putare esse illud, quod huic Scaturigini humorem æquo tenore dispensat.

CAPUT QUARTUM.

De Statu antiquo, ac forma Cispadanæ, & Transpadanæ Regionis.

ABlegatis itaque, opinionibus, quæ inter Nostrates acceptiores sunt; de hujus abditæ Scaturiginis natura, æquum videretur, ut propriam modò proferrem; id autem priusquam exsequar, opetæ pretium duxi disquirere, & quantùm licet conjecturis assequi, qualis priscis temporibus hujus Regionis, quam nos incolimus, esset externa facies ac status; quando ex horum Puteorum fossione in *Mutinensi Agro*, satis constat, hujus Planitiei, quæ *Gallia Cispadana*, & *Transpadana* dicitur, situm valdè humilem, ac depressum antiquitùs fuisse, si cum eo, quem nunc obtinet, conferatur. Duo esse, quæ in Geocosmo, magnas ac subitas mutationes efficiant, & antiquissimarum regionum monumenta, prorsus aboleant, Aquæ scilicet inundationem, & *Ignis* conflagrationem (*a*) scripsit *Plato* Critiam loquentem inducens. Priorem calamitatem in Diluvio universali expertus est mundus, altera *die Judicii reservata*, (*b*) & *in perditione hominum impiorum*, ut ait *Apostolorum Princeps*, *cum Cœlum novum*, & *Terra nova apparebunt*. Insigniter permutatam universæ Terræ faciem, in illa generali rerum omnium submersione, & eversione, vero verius est; quin talem mutationem sequutam opinantur quidam, ut status Mundi antediluvianus, ab eo qui postliminò apparuit, toto Cœlo differret, cui tamen opinioni hærere non placet. Prodiit nuper ex *Anglia* liber, cui titulus, *Telluris Theoria Sacra*, *Auctore Thoma Burnettio*; Hic Auctor, Vir sanè doctus, & summæ Eruditionis, demonstrare satagit, Terram in primæva sui origine, ac ante Diluvium, aliam habuisse formam, ac de præsenti præfert, adeò ut nec Maria, nec Insulæ, nec Montes nec Flumina ullibi essent, sed universa aquarum moles in Terræ Visceribus hospitaretur. Talem autem affinxit Terræ faciem, eò quia sine nova aquarum creatione percipi nequeat, ex quonam Promptuario tantum aquæ hauriri possit, quæ satis esset ad universam Terram operiendam, si Montes habuisset, quos editissimos, præ iis, qui nunc exstant, concipere

(*a*) In Timæo. (*b*) Ep. 2.

oporteret, ita ut ex illius ratiocinio, neque pluviæ, utut magnæ, neque *Theom Rhaóah Moſaicum*, Aquarum ſcilicet *Abyſſus* in Terræ conceptaculis recondita, ad illud univerſale Diluvium potuiſſent ſufficere. Montes autem, Valles, Maria, Inſulas, & Scopulos in magna illa totius Terreni Corporis diſciſſione, putat emerſiſſe, quatenus portionibus Terræ hinc inde abſciſſis, ac in immenſam aquarum voraginem abſorptis, illæ quæ in priori ſtatu ſteterint, Montium, Inſularum, & Scopulorum ſpecimen præ ſe tulerint, quæ verò ab aquis prorſus opertæ fuerint, Maris nomen, & Lacuum obtinuerint; & ſic Terram poſt Diluvium apparuiſſe totam confractam, laceram, atque alio vultu renatam.

Hujuſmodi excogitatum, utut pro novo accipiatur, non noſtrorum, ſed antiquiorum temporum conſtat eſſe figmentum; *Franciſus Patritius*, Vir Eruditione ſat clarus, in quodam libello ſuo de antiquorum *Rhetorica*, Italico Idiomate conſcripto, ac *Venetiis* impreſſo per *Franciſcum Senenſem* Anno 1562. Dialogo primo, ſatis lepidam narrationem habet, quam refert *Julium Strozzam* à *Comite Balthaſſare Caſtilioneo* audiviſſe, illum verò à *Philoſopho* quodam *Abyſſino* in *Hiſpania* accepiſſe. Narrabat ergo Sapiens ille Abyſſinus, in antiquiſſimis *Æthiopiæ* Annalibus, deſcriptam eſſe hiſtoriam perditionis humani generis, & diſruptionis totius Terræ; In Mundi ſcilicet primordiis fuiſſe Terram multò ampliorem quàm nunc eſt, ac Cœlo proximiorem, perfectè rotundam, ſine Montibus, ac Vallibus, totam tamen intus cavernoſam ad inſtar ſpongiæ, homineſque in illa habitantes, ac æthere puriſſimo gaudentes, jucundum ævum duxiſſe, Terra inarata optimas fruges, & fructus ferente. Cùm autem poſt diuturnum Seculorum fluxum, homines ſuperbia elati, à priſca illa bonitate deſciviſſent, *Deos* iratos Terram adeò validè concuſſiſſe, ut major illius pars, intra proprias cavernas deſederit; hoc pacto Aquam, in latebroſis receſſibus ante concluſam, expreſſam violenter fuiſſe, atque ita Fontes, Flumina, Lacus, & Mare ipſum ortum duxiſſe; eam verò Terræ portionem, quæ intra has cavernas non decidiſſet, ſed reliqua elatior ſtetiſſet, Montium formam exhibuiſſe; Inſulas porrò, & Scopulos in medio Mari nil aliud eſſe, niſi ſegmenta Terræ cavernoſæ ab illo totius terrenæ molis præcipiti caſu ſuperſtitis. Lubet autem, ad legentium curioſitatem, ipſius Auctoris verba ad rem noſtram magis ſpectantia hic apponere.

Ne' primi ſecoli, diceva il venerando vecchio, dopo l'ultima rinovation del Mondo, queſta terra, che noi habbitiamo non fù di queſta forma, ne ni di si picciola grandezza, ch'ella è al preſente, ma di gran lunga maggiore, e di perfetta rotondità. Percioche ella tenia allora tanto luogo, quanto ella hora tiene con tutta l'acqua, e con l'aria inſieme. Si che tra il Cielo, e lei non vi era trapoſto altro, che il puriſſimo fuoco, il quale Ethere ſi chiama, e di calor ſoaviſſimo, e vitale. Era dunque la terre di cotanta ampiezza, e ſi vicina al Cielo. E per entro à ſe, e nel pian di ſopra ella era cavernoſa di larghiſſime caverne, per entro alle quali erano ſparſi gli elementi dell'aria, e dell' acqua, e verſo il centro vi era diſperſo il fuoco per illuminare, e riſcaldare quelle parti lontaniſſime dal Cielo, e perciò oſcure, e fredde. Percioche l'altre caverne più verſo il piano della terra erano dal lume del Cielo illuminate per l'aperture di ſopra, e col ſuo caldo di vita empiute; & erano le caverne tutte da gli huomini habitate, e da gli altri animali; per gli cui uſi erano l'acque, e l'aria ſparſe per le ſpelonche. Era dunque la terra in guiſa d'una Spugna, e gli Vomini vi habitavano per entro; ma era la lor vita felice molto, e ſenza malo alcuno; concioſiacoſa, che non vi foſſe trà gli huomini, ne guerra, ne ſeditione. Ne vivevano gl' huomini racchiuſi nelle Città, come fanno ora per la paura delle fiere, e de gli altri huomini. Ma paſceano ſparſi quà, e là, e la terra producea loro frutti quanto era il biſogno, e ſenza lor fatica. Et era tanto la temperatura dell'ethere, e dell'aere, che le ſtagioni non lo variavano alla maniera d'oggi. E conoſcendo eſſi in quel tempo tutte le verità, e tutte le virtù di tutte le coſe,

ſa-

ſapeano ch'erano tutte buone; onde ſcorgeano tutte le virtù di tutte le Stelle, & erano i lor ſenſi nutriti nel puriſſimo ethere puriſſimi. Laonde eſſi haveano ſcienza di tutte le coſe celeſti, & elementali. Egli è ben venuto à noſtra notitia notata ne' vecchiſſimi Annali d'Ethiopia, che tra le regioni ch'erano nel piano della terra vicine al Cielo, vi ſi trovarono trà l'altre molte, l'Ethiopia, l'Egitto, Perſia, Aſſiria, e Tracia. Ora aſcolta, ò Conte, diſſe l'Ethiope, intentamente da qual cagione venne la caduta della terra, e la rovina del lignaggio umano. Gli huomini d'Aſſiria ſappendo tutte le coſe, e per mezzo della ſapienza oprando meraviglie ſi campiacquero di ciò; da queſto piacimento nacque in loro un fiero amore di ſe ſteſſi. Dalla cui paſſione adombrato à poco à poco il fiore della Sapienza inſuperbirono, e cominciarono tra loro à crederſi d'eſſere Dei, e quindi à pareggiarſi con Saturno, il quale allora haveva il reggimento di tutto il Mondo. Il quale ſi come è tardo all'ira, e maturo di conſiglio, de principio non ſi commoſſe niente. Ma andando inanzi la lor ſuperbia, adiratoſi egli fieramente privogli de gli influſſi della ſua mente. Da queſta privatione crebbe in loro l'ignoranza, e da lei l'orgoglio, e l'inſolenza. E cominciarono à cercar modo di ſalir' in Cielo, e levarnelo di governo. Il che veggendo Saturno, e per la troppa ſapienza ſua non ſi volendo bruttar le mane di ſangue umano, da ſe ſteſſo rinunciò il governo, e dielo in mano à Giove ſuo figliuolo; il quale preſe il freno del Mondo, e nato all'attione, fatto lega con Plutone ſuo fratello il quale regeva le radici del Mondo verſo il centro, cominciò l'uno di ſotto à ſcuotere, e à crollare orribilmente le radici, e l'altro à fulminar di ſopra, col quale orrendo crollamento, e fulminamento aprendo in molti luoghi la terra, e rompendola, ella cadde tutta nelle proprie caverne di ſotto, e ſe medeſima aſſorſe, e riempì. Da che avvenne, ch'ella, e minor divenne, e s'allontanò per infinito ſpatio dal Cielo, e ſepelì ſe in ſe ſteſſa, e tutte le coſe ch'erano dentro lei. E gli Elementi che più ſi trovarono alti furono dal peſo di lei, e dal riſtringimento delle parti ſpremute fuora, e ſecondo che più ciaſcuno era leggiero, e puro volò più in alto, e più al Cielo s'avvicinò. Ma quelle parti di loro alle quali fu chiuſa l'uſcita dalle ruine, che occuparono le caverne, ſi rimaſero ſotto, tale nelle medeſime caverne prima, e tale mutò luogo. Et è avvennuto, che dove maggior mole di terreno caddè, e non poteo dalle caverne eſſere inghiottito, rimaſe eminente, e poi calcato dal ſuo peſo, e dal freddo per la lontananza dal Cielo condenſato, e Monte, e Saſſo è divenuto. E dove nel cadere avvallorono le gran moli della ſpezzata terra, rimaſero da lei ſcorperte l'acque, onde ſono i mari, i laghi, i fumi, e i fonti, e le grandi, e le picole Iſole, e gli Scoli ſparſi per l'ampio mare. E i metalli, l'oro, e l'argento, e gl'altri ch'erano nel primo tempo alberi belliſſimi, e pretioſiſſimi rimaſero dalla ruina ricoperti. Mà da ſemi allora decuſſi ſono rimaſti queſti che con tant' opera ſi caveno, ne così puri, ne di tanta virtù. Et i diamanti, i carbonchi, i rubini, gli ſmeraldi, i criſoliti, i zaffiri, i topazi, & altre gioje, che horſi trovano, ſono ſpezzature delle pietre del primo Secolo. E ſono elle per la memoria di quella prima età oggidì havute in tanto pregio, e come antichiſſime coſe ammirate, e riverite. I porfidi, gli Alabaſtri, le Serpertine, e gl'altri bei Marmi di vaghi colori diſtinti, non ſono altro che più particelle del primo vergine terreno, che fù più vicino al Cielo, e nella caduta venute à caſo inſieme, e dal peſo, ò proprio, ò d'altra mole, ò dal freddo fatte denſe, & unite. Quindi è che da gl'inveſtigatori de' metalli, e de marmi, ſi ſono trovate di molte coſe, della prima vita fatte pietra, & animali marini, e terreſtri, e volatili, & anco humani, che tutto dì ſi cavano, e molte volte della prima forma chiuſi in ſodiſſime pietre non haventi apritura alcuna. E quindi è che ſi veggono molte miglia frà terra, e ſotto, Peſci, & Oſtrache, e Nichi congelati, e figure d'animali diverſi, ch'altri per l'ignoranza delle paſſate coſe tanto ammira. Queſte coſe adunque così orribili avvenero à quei tempi nelle parti della terra, ma gli animali, e gl'huomini, che ſi trovarono habitatori delle ſpelonche, tutti rimaſero dalla terra in ſe cadente ricoperti, e morti. E di quelli, che habitarano nelle parti di fuori per l'orrendo ſcotimento di ſotto, e

pel terribile fragor di ſopra, infinite migliaja ne morirono di ſpavento; E frà gli altri tutti gli Aſſirii. Per gl'altri paeſi radiſſimi reſtarono in vita, e queſti ſteſſi rimaſero, e per la caduta, e per lo ſpavento per molti giorni tramortiti, e ſenza polſi. Ma poi che rinvenuti furono, eſſi rimaſero per ſempre ſtorditi, e pieni d'orrendo timore, il quale à loro accortò la vita di lunghiſſima ch'eſſi la vivevano prima, & à figliuoli, che di loro ſi generarono. Paſsò anco ne gli huomini un ſtordimento, che gli arrecò l'ignoranza di tutte le coſe preſa dall' intronamento della caduta de primi loro padri. E ſe pure par loro di vedere alcuna coſa, la vegono eſſi per oltre à un denſo velo, e ſe pure alcuno ve n'hà dopo la caduta havuto, il quale à caſo alcuna vera n'habbia conoſciuto, il timore gliela hà fatto tacere; eſſendo che in tutti è reſtata una memoria, la cognition del vero eſſere ſtata cagione dell'orgoglio d'padri, e queſto della ruina. E ſe pure alcuno hà havuto ardimento di paleſarlo per non eſſere da gli altri ſgridato, ò acerbamente punito, l'hà con mille modi ricoperto. E quindi ſono le ſcienze inſegnate in enimmi, in favole, in figure, in numeri, in Sacrarii, e in mille altri naſcoſti modi. E quindi è parimente, che i Principi, e gli altri ch' hanno voluto poter molto al Mondo, hanno voluto ſeguire le credenze de gli huomini volgari, e hanno perſeguitato con ogni maniera d'afflittione coloro ch'hanno voluto dir vero. Eſſendo adunque rimaſo in tutti gli huomini lo ſpavento, e da queſto diſparſi, che erano rimaſi dalla caduta, cominciatiſi à porre inſieme, e à generar figliuoli per proprio ajuto, per difeſa propria, e de loro ajuti nati, ſi circondarono di ſiepi, e di fratte, nel qual tempo riverirono, e preſtarono obedienza al più vecchio. Crebbe poi il numero de' figliuoli, de nipoti, e diſcendenti, e s' allontanarono tra loro i ſangui, e ſi diviſero le robbe che communi erano ſtate, e ſi partì l' amore. Quindi ſi miſero tutte le coſe in confuſo, occupando ciaſcuno l'altrui rubbando, ingannando, uccidendo, e inventando nuove machinationi per opprimere il compagno, E da queſto creſcendo ſempre più l' audacia in quegli che più arditi, e più ingegnoſi à danni altrui erano, e ne i meno creſcendo la pavura e aguzzando loro l'ingegno la temenza, conſigliatiſi inſieme, inventarono il nome della pace, e della giuſtitia. Teſſerono appreſſo molte, e lunghe catene di parole, con le quali legando la giuſtitia, e la pace per gli piedi, per le braccia, e pel traverſo, e per lo collo in mille guiſe annodandole andarono, accioche dalle loro Città non dipartiſſero, raccomandando i capi delle catene, che eſſi addimandarono leggi, in mano ad huomini del loro animo, e pauroſi, i quali nominarono giudici, e magiſtrati. Con queſti artifici adunque providero i pauroſi alla vita, e beni loro, contro l'ingiurie de più potenti, fino à tanto che trovatoſi uno di queſti audaciſſimo, e accompagnatoſi co' pauroſi, e debili, ſtabili ſe per padrone de gli altri. Queſti fù anche ſpinto di luogo. E così andarono ſino à quei tempi le compagnie de gli huomini, e vanno di preſente, e anderanno per l'avvenire. E allora che i pauroſi ſi riſtrinſero inſieme nacque il favellatore di conſiglio; e quando gli chiamarono in giudicio, nacque il favellator di giudicio. Queſta sì è adunque, ò Patritio pien di ſtupore, la grande hiſtoria, che al Conte mio raccontò il Savio Abiſſino, degna d'altiſſimo ſtupore, d'ogni alta mente.

Haud abſimilem opinionem de Terræ facie ante Diluvium, ac illius ſciſſura in ipſo Diluvii tempore, viſus eſt foviſſe *Helmontius*, (a) cujus hæc ipſa ſunt verba. *Unde concipio Terram initio fuiſſe continuam, & indiviſam, quippe quæ unico Fonte irrigari debebat; denique nec Inſulas habuiſſe, ſed globum totum, una parte Mare, altera Terram oſtendiſſe. Hæc nempe erat facies Mundi ante Diluvium, ſub quo deinceps Terra in varias ſectiones hiſcebat & ex rimarum abyſſo affatim erupere undæ.* At miſſam faciamus hujuſmodi opinionem Sacrarum litterarum germanæ interpretationi non minùs incongruam, quàm ipſius naturæ neceſſitati impropriam, de cujus opinionis Aſſertoribus ſcripſit *Scaliger* (b) loquens de generatione Montium, quòd *delirent, qui ex diluvio raptam, ſubductamque terram prodiderunt;* certum tamen eſt, Terram in illa univerſali

(a) De Ele. Aq. (b) Exc. 43.

versali illuvione, non vulgarem metamorphosim passam fuisse, ut mutata locorum fortuna, sedem ad invicem sibi cesserint *Thetis*, ac *Vesta*, unde *Ovidius*. (a)

Quodque fuit campus Vallem decursus aquarum
Fecit, & eluvie Mons est deductus in æquor,
E' que paludosa siccis humus aret arenis.

Haud secus huic nostræ Regioni accidisse arbitror; mente siquidem concipio in ipsis Mundi primordiis, totam hanc magnam Planitiem, qua majorem *Italia* non habet, & quam nunc in *Galliam Cispadanam*, & *Transpadanam* dirimit *Padus*, Mare olim fuisse, & *Adriatici sinus* continuationem; sic in illa universali inundatione, abrasis, ac denudatis Montibus, ut quasi *extenuata per morbum corpora* viderentur, quemadmodum de *Insula Atlantica* scripsit *Plato*, (b) hunc maris sinum arena oppletum fuisse, & Vallis specimen præ se tulisse credendum est, ac postmodum diuturno seculorum cursu, ex continuo aquarum ab *Appennino*, & *Alpibus* descensu, aliisque particularibus eluvionibus (qualis fuit, quæ Anno 590. in *Gallia Cisalpina* visa est, & qua major à *Noe* temporibus fuisse non creditur, ut refert *Panvinius* Antiquitatum Veronensium libro 5.) solum hoc paulatim, ac per multiplicia strata, ad hanc altitudinem, quæ nunc visitur, excrevisse. Hoc idem de magnis Planitiebus, quæ in Geocosmo celebriores sunt, sentiunt tum antiqui, tum novi Scriptores, ut de *Ægypto*, quam pelagi partem olim fuisse scribit *Aristoteles*, (c) & *Herodotus* Nili Donum appellat (d) quando Nili etymon à limo deductum est) quod pariter testatur de regionibus circa *Ilium*, *Teutrhaniam*, & *Ephesum*, quòd nempe olim pars Maris fuerint; quin idem *Herodotus* scriptum reliquit, quòd si *Nilus* in *Arabicum sinum* cursum verteret, fore ut illum tandem oblimaret. *Mæotidem paludem*, & *Pontum* continuò impleri ex arenæ copia, quam in ipsum magna flumina convehunt, tradit *Polybius*, (e) aitque venturum aliquando tempus, quo continenti æquetur, argumento ab aquæ sapore deducto, quod scilicet, sicuti *Mæotis Pontico Mari* dulcior est, ita *Pontus Euxino* minus salsus apparet. Haud secus de amplis, ac planis regionibus sentiunt recentiores, inter quos Doctissimus *Kircher*, (f) qui in Mundo suo Subterraneo, ex Antiquitatum Arabicarum lectione, aliisque observationibus infert, magnam Planitiem, quæ *sinum Persicum Erythræum* interjacet, ante communem Cataclysmum Marinis aquis opertam fuisse, sicuti & *Sabulosa Tartariæ Deserta*, olim aquarum sedem, & *Caspio Mari* continuata fuisse existimat, ac postmodum longo annorum fluxu, ob arenam à magnis fluminibus invectam, in majorem sublimitatem exaltata fuisse, & in ampliſſimos campos migrasse. Nec adeo longè pro hac veritate stabilienda petenda essent exempla. *Ravennam*, non secus ac nostris temporibus *Venetiæ*, in Mari positam, ac intùs navigatam ex historia habemus. At cùm aliquot millia passuum nunc à Mari sit dissita, quantùm Agri, ob Maris recessum, illi accesserit, nemo non novit; admirando sanè prodigio, ut ubi olim natabat Pinus, nunc ampla Pineta solum obumbrent. Haud dissimili sorte *Ferrariensem agrum* Eridani donum nuncupare licet, ob limosam nempe materiam, quam Regium hoc Flumen multiplicibus ostiis in *Adriaticum sinum* ad multa secula regessit; quo factum, ut Piscium Colonia in Hominum Domicilium metamorphosi non fabulosa migrarit, unde *Ovidius*:

vidi factas ex æquore terras,
Et procul à pelago conchæ jacuere marinæ.

Quamvis autem absolutè asserere non ausim, totam hanc regionem, quæ inter *Appennini* & *Alpes* posita est, Mare olim exstitisse, usque ad Collium radices, ex iis tamen quæ in horum Puteorum fossione observantur, repertis in illorum summa profunditate Ostrearum testis, aliisque marinis quisquiliis, haud temere videtur posse conjici, *Mare Adriaticum* saltem huc usque pertigisse, vel Æstuaria cum Mari communicantia, hic loci post Diluvium stagnasse.

(a) Met. 15. (b) in Critia. (c) Mete. 1. (d) in Euterpe. (e) l. 9. (f) To. c. 2.

Haud indubium tamen eſt ex antiquorum ſcriptis, inter *Viam Æmiliam* (in cujus medio ſita eſt *Mutina*) & *Padum*, olim paludem quandam fuiſſe à Mari *Placentiam* uſque exporectam, quam paludem à *Padi* vicinia *Paduſam* vocitabant, in quam multa flumina ab *Appennino* deſcendentia, magnam vim aquarum deponebant. Paludis hujus meminit *Mantuanus Vates* his carminibus, (*a*)

piſcoſove Amne Paduſæ
Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia Cycni.

Nullum autem flumen à *Placentina Urbe* uſque ad oram *Adriatici ſinus Padi* alveum ſubiiſſe, ſed cuncta in *Vallem* hanc *Paduſam* aquas exoneraſſe, firmiſſimis rationibus, atque auctoritatibus oſtendit *Jo: Baptiſta Aleottus de Argenta* in libro ſuo eruditiſſimo adverſus *Cæſarem Mengolum Ravennatem*, ubi *Strabonis* auctoritatem affert, qui ſcripſit Paludem hanc *Hannibali* (*b*) magno impedimento fuiſſe, dum exercitum ſuum in *Hetruriam* trajiceret; quæ palus, non longo poſt tempore, M. *Scauri Ædilis* operâ, exſiccata, in campos uberrimos ceſſit, coactis multis fluminibus intra ſuos aggeres *Padum* ingredi, ut *Taro*, *Parma*, *Entia*, *Gabello*, *Scultenna*, *Rheno*, aliiſque non parvi nominis fluminibus. Hac de cauſa *Padum* olim non tam celebrem fuiſſe, nec *Regio* titulo inſignitum licet arbitrari, donec tot fluminum acceſſione ditionem ſuam ampliaſſet; ideòque *Herodotum* Scriptorem antiquiſſimum negaſſe, (*c*) Fluvium quendam, reperiri, *Eridanum* dictum, quod non exiguæ admirationi *Plinio* fuit, quòd cùm *Herodotus* (*d*) hiſtoriam ſuam Thuris in *Italia* ſcripſiſſet, nullum flumen *Eridani* nomine cognoviſſet. Cùm autem, eodem *Plinio* teſte, *Herodotus* hiſtoriam condiderit Anno 310. ab Urbe condita, forſan licet conjicere, tunc temporis *Padum* intra arctiorem alveum minori gloria fluxiſſe, vel Hiſtoricum de alio flumine loquutum.

Hujus Paludis ſatis diſtincta mentio habetur, penes citatum *Joannem de Argenta*, ac præcipuè penes *Leandrum Albertum* in *Italiæ* deſcriptione, qui Auctor Paludis hujus longitudinem à *Lamone* apud *Ravennam* ad *Scultennam* uſque metitur, ac refert omnia flumina, quæ intra hoc ſpatium olim à Montibus deſcenderent, in hanc Paludem, veluti ſuum Receptaculum, curſum abſolviſſe, *Herculemque primum Eſtenſem Ferrariæ Ducem Bononienſibus* permiſiſſe, ut *Rhenus* intra aggeres deductus *Padum* ingrederetur, quo factum, ut multæ Valles, tum *Bononienſis*, tum *Ferrarienſis ditionis*, in feraciſſimos agros migrarint: Sed cùm poſtmodum *Hercule II.* regnante, *Rhenus* aggeres diſrupiſſet, campos rurſus in Valles aquis opertas converſos, multiſque idcircò inter *Bononienſes*, & *Ferrarienſes* exortis contentionibus, tandem prædictum Principem conceſſiſſe, ut *Rheno* in *Padum* redderetur ingreſſus.

Valde humilem igitur ſitum hunc, in quo nunc poſita eſt *Mutina*, olim fuiſſe credendum eſt, cùm hæc noſtra *Regio Paduſæ*, in quam tot flumina confluebant, contermina crederetur; cujus humilitatis certiſſima ſigna ſunt Junci paluſtres, Carbones, Oſſa Animalium, Arborum trunci in profunditate Pedum 63. reperti, quæ omnia palam faciunt, ſolum illud aliquando ſub dio fuiſſe, neque aliam habuiſſe faciem, niſi quam nunc præferunt *Valles Comaclenſes*.

Hinc in Italiæ antiquæ deſcriptione *Cluverius* (*e*) non abs re quemdam *Plinii* locum emendatione dignum credidit; *Plinius* enim cum Inſulas quaſdam (*f*) *Cycladarum* ad inſtar variis in locis natantes deſcripſiſſet, ut in agro *Cæcubo*, *Reatino*, *Vadimonis lacu*, id quoque in *Mutienſi agro* obſervari ſcripſit; *Cluverius* autem pro *Mutienſi* repoſuit *Mutinenſi*; ſiquidem hujuſmodi natantes Sylvas ex limo, & arundinibus compactas, etiam nunc in *Vallibus Comaclenſibus* licet intueri. Indubium tamen eſt, octodecim ſaltem ſeculorum ſpatio, hujus Urbis ſitum, una cum circumſtantibus agris, ad Pedes 14. excreviſſe, in tali enim profunditate Viarum ſtrata ex Silice, & Artificum Officinæ fodiendo reperiuntur;

(*a*) Æn. l. 11. c. 95. (*b*) l. 5. Georg. (*c*) in Thalia. (*d*) l. 12. c. 4. (*e*) l. p. c. 8. (*f*) l. 2. H. N.

riuntur; quod Urbis planum tunc profectò erat, cum *Romanorum Colonia* est deducta; (*a*) quin, dum hæc scriberem, ac Puteus pro novi Fontis constructione foderetur, repertum est Numisma *Adriani Imperatoris* Æris Corinthii in profunditate Pedum 18.

Mutinam autem tunc temporis non longè à paludibus positam fuisse historiæ testantur, (*b*) *Appiano Alexandrino* referente, *M. Antonium*, & *Pansam* in Mutinensi obsidione inter paludes, & arundineta invicem dimicasse; ac postmodum prope *Mutinam* in parvula quadam Insula Labinii fluminis (cùm tunc temporis eò usque *Mutinensis ager* protenderetur) convenisse Triumviros, ac horrendam illam Civium Romanorum proscriptionem firmasse, cùm tamen hac nostra ætate nulla, nec paludum, nec Insularum appareant vestigia, sed solùm cultissima rura spectentur.

Tantùm ævi longinqua valet mutare vetustas, exclamare libet cum *Poëtarum Principe*.

Hanc tamen soli excrescentiam, & aggestionem, quæ à maxima horum Puteorum profunditate ad summum usque observatur (de partibus profundioribus, & humanæ industriæ imperviis non loquor,) non nisi paulatim factam, ac aflulatim, diuturni temporis progressu, satis palam faciunt varia Terræ strata, quæ in omnibus Puteis, dum fodiuntur, æquali ordine, ac distantia constanter observantur; adeò ut hæc soli accretio, tam benè distincta, & in cunctorum Puteorum fossione observabilis, multorum seculorum potiùs productum, quàm communis Cataclysmi tumultuarium, ac turbulentum opus censeri debeat.

Hæc erat itaque procul dubio antiquitùs facies *Cispadanæ*, & *Transpadanæ regionis*, quæ olim aquis operta, & inhabitabilis, nunc amplitudine, & ubertate camporum spectabilis, multa habet Oppida, & Civitates; si enim priscos Scriptores evolvamus, infra *Brixillum*, & *Cremonam*, secus *Padum*, ad oram usque *Adriatici sinus*, nulla intercurret mentio Oppidorum, vel Civitatum; quin quotquot exstitere, & adhuc exstant in *Cispadana regione*, vel prope radices *Appennini*, sive proxima distantia fuerant constructæ, ut *Bononia*, *Mutina*, *Regium*, *Parma* &c. Mare autem in Mundi primordiis, nostram hanc Regionem occupasse, tum ex superiùs dictis, licet inferre, tum ex proximitate, quam ad Maris æquilibrium habet fabulosum Stratum illud, per quod aquæ istæ subterraneæ discurrunt. Etenim si ex superiùs citatis *Aleotti de Argenta*, diligentissimi Hydrographi, observatione, *Rhenus* è Collium radicibus prope *Bononiam*, usque ad *Padum*, in quem nunc non ampliùs influit, declivitatem habet Pedum 123. unc. 7. *Padus* autem ex illo termino, usque ad mare descensum habet Pedum 15. unc. 7. ac propterea tota *Rheni* declivitas, & perpendicularis altitudo ad maris littus, erit Pedum 139. minutiis omissis, Planum istud è quo Fontes isti scaturiunt, & cui *Mutina* superincumbit (quæ ad decem millia passuum à Collium radicibus recedit) non plus forsan quàm ad 30. vel 40. Pedes à Maris æquilibrio distabit, prout crassa Minerva licet colligere, quando hujusmodi negotium exactè disquirere non vacat, nec magni refert. Verùm, si fodiendo ulteriùs progredi liceret, alia Strata procul dubio apparerent, donec illud planum obviam fieret, quod olim Maris sedes fuisset. At satius est alia pervestigare, ac ex profundis illis Adytis prodire, *si non datur ultra*.

CA-

(*a*) Liv. l. 39. (*b*) l. 3. & 4. de Bel. Civ. R.

CAPUT QUINTUM.

Qualis sit hujus abditæ Scaturiginis natura, & conditio.

QUemadmodum in Artis operibus ab effectuum qui sub adspectum cadunt, parilitate non adeò tutum est, nec sine erroris metu, licet inferre, par esse semper internarum partium mechanicum artificium, ut ex duorum Automatum exemplo patere potest, quæ licet eamdem formam externam præferant, & Synchronicè easdem operationes edant, diversam tamen intùs possunt habere structuram; ita multò minùs tutum est, de Polydædalæ Naturæ operibus judicium ferre, ac decernere, quibus illa utatur instrumentis, & qualis sit operandi modus: quare multum est, si ut ait *Aristoteles*, (a) *res obscuræ, & sensibus immanifestæ, ad possibile redigi possint.* Cùm itaque eò devenerim, ut tandem proferre debeam, quid de hujus admirandæ Scaturiginis natura sentiam, boni Conjectoris muneri feciſſe satis mihi persuaserim, si Vadum hoc pertentando, pro certis probabilia, Naturæ legibus congruentia proferre possim.

Conjectare itaque licet, Mare olim in hac nostra Regione cum *Appennino*, cui in primæva Mundi origine proximius erat, occulta habuisse, & adhuc habere commercia, ac per plura subterranea intervenia, in illius Visceribus varia fundasse aquarum Reconditoria, ut unum ex iis credi possit esse illud, è quo Fontes isti ortum ducant, & aquam per totum hoc descriptum arenosum spatium, in quo talis Scaturigo se prodit, expandi; laxatis verò repagulis, ac reseratis Ostiis, non secus ac in aquæ ductibus evenit, in altum resilire. Hoc autem meum Excogitatum, sicuti Naturæ non repugnat, ita eos declinat scopulos, quos vitare nequit præconcepta opinio, de immenso illo spatio, per quod subterraneum Flumen præterlabatur.

Posse autem per arenosum stratum vim magnam aquarum ad longum etiam iter occultè defluere, neque rationi, neque experientiæ refragatur; quando ea est arenæ proprietas, ut aquam facilè absorbeat, & bibulæ epitheto maximè gaudeat. *Nilum* fluviorum maximum, arenis receptum, cursum in operto agere, scripsere *Plinius*, (b) & *Solinus*, quamvis nostris temporibus de hoc non satis constet. Testatur quoque *Seneca*, (c) Flumina quædem palàm in aliquem specum decidere, alia paulatim consumi, & intercidere. In *Vestphalia* prope pagum *Altembechen* refert Doctissimus *Kircher*, (d) planitiem quamdam sabulosam reperiri, in qua bis qualibet die magno impetu aqua erumpat, ut totam regionem illam inundet, & paulò post ab arena resorpta oculis se subducat, sicca remanente sabulosa superficie. *Guadiana* flumen in *Hispania*, ut referunt, qui re ipsa illud observarunt, ubi in planitiem quandam devenit, sensim, ac sine strepitu à Terra absorbetur, certissimo sanè argumento, Flumen illud non in Voraginem aliquam ruere, sed per arenosa strata defluere. Haud secus ergo crediderim, ex occulto aliquo *Penu Hydrophylactico* in proximorum Montium radicibus posito, & cum Mari communicante, aquam per latebrosos recessus descendere, donec in profundam hanc sabulosam planitiem multa glarea intermixtam diffundatur; ut necesse non sit spatium aliquod immensæ amplitudinis, ac profunditatis mente concipere, per quod aquæ istæ subterraneæ continuò discurrant, sed sufficiant exigua spatia interspersa, ob arenæ & glareæ mixturam. Hujusmodi Puteorum specimen quoddam in *Sacris Codicibus* habemus, (e) ubi traditur *Isaac* fodisse *Puteum in Gerara*, & reperisse aquam vivam; verùm orta contentione inter Pastores Indigenas, & servos *Isaac*, alium fodisse Puteum,

(a) p. Met. c. 4. (b) l. 5. Hist Nat. c. 9. c. 35. (c) l. 3. Q. Nat. c. 28. (d) T. p. Mund. Subt. l. 5. c. 4. (e) Gen. c. 25.

Puteum, qui *Latitudo* dictus est, cujus nominis dignitas nostris his Puteis re vera magis congruit.

Sabulum terram originalem, & sedem aquarum vocat *Helmontius* (a) reliquam verò Terram originalis Terræ fructum appellat, nec citra rationem, Sabulum Elementum virgineum dicit, cùm præ cæteris corporibus difficilis sit Sabuli in aquam reductio. Hoc virgineum Sabulum statuit idem Auctor, ultimum fodiendi terminum, ultra quem progredi velle irritus labor sit, ob continuum nempe arenæ, & aquæ confluxum; quin à Terræ cortice ad centrum usque Sabulum hoc extendi arbitratur, & in illo vim aquarum immensam hospitari, adeò ut millecuplo major sit aquæ moles, quæ in ipso asservatur, quàm quæ in toto Oceano continetur. Huic invisibili Oceano, ex ejusdem mente, ortum debent cuncta Maria, Flumina, & Fontes etiam in summis Montibus, ut sequaces aquæ vitale illud Sabulum ubique comitentur. Haud aliter sensisse visus est *Telesius*, qui Maris fundum, illius interioris Oceani Fontem dixit, quæ opinio *Platonicæ doctrinæ* de Barathro cohæret, è cujus sinu aquæ omnes exeant, & in idem recidant.

Quidquid sit de veritate hujus invisibilis Oceani in Sabulo hospitantis, quem ingeniosè, & satis probabilibus conjecturis concepit *Helmontius*, nemo tamen, reor, ibit inficias, quin per arenosa strata longo itinere possit aqua defluere, ac ubi hiatus aliquis pateat, in altum attolli nec debeat, si potissimùm ab alia ex editiori loco descendente urgeatur. Rem autem in his nostris Fontibus, ita se habere posse, probabiliter existimo, fluere nempe ex *Hydrophylacio* aliquo in vicinis Montibus posito, aquam per subterraneos ductus, donec terra solidam habeat compagem; ubi verò in hanc planitiem devenerit, per Sabulosam aream latè exspatiari, ac in itinere, per Terebram exitu patefacto, ad eam altitudinem attolli, quam exigant *leges Hydraulicæ*.

Hæc autem facilior, & expeditior via mihi visa est, ad explicandam hujus nunquam satis admirandæ Scaturiginis naturam, potiùs quàm ingentem illam concamerationem, cujus nulla apparent vestigia, seu Urbem pensilem cum integra Regione imaginari.

Ut autem specimen aliquod exhibeam, quomodo in hac Hypothesi fieri possit hujusmodi aquarum emanatio, ac in altum emersio; sit, ut in Fig. 2. in proximi Appennini Visceribus *Hydrophylacium* A B aquam è Mari deducens, & ab eodem *Hydrophylacio* per subterraneos canales feratur aqua, & expandatur per hanc profundam, & Sabulosam planitiem A B C multa glarea permixtam, qua Sabulosa planitie in arctiorem situm redacta, cogatur aqua per spatium magis angustum, quàm fuit illius origo, defluere, & suum cursum prosequi, donec in Mare, vel profundam aliquam Voraginem devolvatur. Puteis ergo E. F. G. H. absque ullo delectu, atque animadversione, in toto hoc tractu, huic Scaturigini superincumbente, excavatis, & facto per Terebram foramine, necessariò debet aqua in altum elevari, utpote pressa ab alia, quæ ex alto descendens, antecedentem urget, & illam in sublime propellit. Hoc pacto hi Putei uberem aquarum alimoniam è *Patre Appennino* suscipiunt, non secus ac ille Puteus Aquarum viventium, quæ fluunt ex *Libano*, (b) de quo in *Sacris Codicibus* fit mentio.

Ex Mari autem aquam in talem Craterem refundi, potiùs quàm ex imbribus, aut liquatis nivibus, longè probabilius videtur, quando aquæ ex pluviis, & solutis nivibus collectæ, majori ex parte per fluvios superterraneos descendunt, nec tam altè solum penetrare possunt, testante quoque *Seneca*, (c) nullam pluviam esse tam magnam, quæ terram ultra decem pedes madefaciat, nam ut idem ait, *Terra ubi satiata est, si quid supra desiderium cecidit, excludit*. Ac profecto qui fieri potuisset, ut tam in humidis, quàm siccis Constitutionibus, eodem semper tenore fluxissent, ac fluerent hi Fontes, si illuc usque pluviales aquæ pertingerent, nec potiùs è

Vid. Vall. dell' dalle pag

(a) De El. Terræ. (b) Cant. 4. (c) l. 3. Qu. Nal. c. 7.

conſtanti, ac indeficiente Promptuario, è Mari nempe, aquas mutuarentur, quas poſtmodùm arena percolatas, & omni ſalſedine exutas, eidem grato fœnore rependerent? Mihi equidem non obtingit ſatis percipere, quomodo occultum illud Caſtellum, è quo Fontibus iſtis aquæ diſpenſantur, ſi à pluviis & nivibus temporarium humorem ſuſcipiat, ſtatum inconſtantem non habeat, & modò non augeſcat, modò non decreſcat, ac propterea ob preſſionis augmentum, ac decrementum, aliqua in his Fontibus alteratio apparere, non debeat.

Ne verò his Aquis ſubterraneis pluviales aquæ permiſceri queant, maximè obſtant ſtrata Cretacea, quæ aquas impuras à lymphis illis puriſſimis tanquam ſepta firmiſſima dirimunt. Solum autem cretaceum cenſebat *Plato* (*a*) eſſe ultimum fodiendi terminum, ad perſcrutandas puteales aquas, cogendo quemque ad cretam uſque terram fodere, quòd ſi nihil aquæ in illa profunditate fuiſſet repertum, à vicinis tantùm aquari poſſe permittebat, quantùm poſtularet neceſſitas, cui opinioni ſubſcripſit *Plinius*, (*b*) qui figulari creta apparente, ſpem adimi reperiendæ aquæ tradidit, neque ampliùs fodiendum puteum, quæ tamen opinio his, quæ hic loci obſervantur, nequaquam congruit.

Quemadmodum autem horum Fontium geneſim, è Mari deducere libuit, ita quoque non negarim plures alios Fontes pluviis, & ſolutis nivibus ortum ſolummodò debere, hoc tamen diſcrimine, quòd Fontes qui aquam è Mari per occultos ductus hauriunt, perennitatem ſervent, eos verò qui ab imbribus, & temporariis ſcatebris oriantur, quibuſdam anni temporibus, vel non parùm imminuantur, vel omninò ſiccеſcant, ut in magnis ſiccitatibus evenit, (*c*) qualem refert *Baccius* fuiſſe Anno 1566. in qua non ſolùm Fontes omnes, ſed etiam magna Flumina defeciſſe narrat. Haud abſimilem Conſtitutionem duobus ferè Annis integris, Anno ſcilicet 1687. & 88. experta eſt *Ciſpadana*, & *Tranſpadana Regio*, quo tempore, cùm agri propter aquarum defectum ſqualerent, ac aliis in locis identidem Putei profundiùs excavarentur, ſed fruſtrante diligentia, nec levem tamen in his noſtris Fontibus alterationem obſervare licuit; ſicuti neque in Conſtitutione omnium humidiſſima, quæ Annum 1690. ob caritatem Annonæ, & populares morbos nefaſtum reddidit, adeò ut noſtri hi Fontes, ejuſdem ſint indolis, ac Fons ille apud *Tyanum Jovi Sacer*, de quo *Philoſtratus*, (*d*) qui nec incrementum, nec decrementum norat, ac propterea ab Indigenis *Inexſtinguibilis* vocabatur, ſeu Puteus *Æſculapii*, ut refert *Ælius Ariſtides*, (*e*) Orator Clariſſimus, qui Puteus *Pergami* erat, *Civitatis Aſiæ*, ac talis naturæ, ut ſemper ad labrum uſque plenus eſſet, & quantacumque aqua fuiſſet exhauſta, nunquam decreſceret.

Neque ſolùm complures Fontes ex Mari ortum ducere, fas eſt arbitrari, verùm etiam multos Lacus cum eodem communicare; *Vulſinienſium Lacus*, cujus profunditas adhuc indeprehenſa eſt, ad quam explorandam non ſemel vidi inter *Inſulas*, *Marthanam*, & *Biſentinam* dimiſſos funes ad centenas orgyas cum magnis ponderibus, ſed inani diligentia, hic Lacus, inquam tam æſtate, quàm hyeme, per flumen, *Martham* dictum, perenni curſu aquas in *Mare Thyrrhenum* exportat, nec propterea ullos fluvios recipit, nec Montes quibus coronatur, nivibus unquam albeſcunt. Quin in eodem Lacu, dum placidus Ventis flaret Aër, & ſumma aquæ ſuperficies plana eſſet, non ſemel obſervavi, inteſtinos motus ad inſtar Aquarum currentium in Oceano, id teſtantibus Piſcatorum retibus, quæ infra aquam demerſæ, ab illorum manibus violenter abripiebantur, argumentum evidens alicujus occulti cum Mari commercii. *Albanum Lacum*, *L. Valerio Potito*, & *M. Valerio Conſulibus* de repente magno tumore elatum fuiſſe, cùm nullæ pluviæ è Cœlo cecidiſſent, neque ulla cauſa tam ſubitæ intumeſcentiæ internoſci poſſet, refert *Jul. Obſequens* (*f*) in ſuo libro de Prodigiis.

Haud

(*a*) De leg Dial 8. (*b*) H. N. l. 31. c. 3. (*c*) de The. l. 1. c. 24. (*d*) I p. c. 4. (*e*) To. p. Orat. 28. in Put. Æſc. (*f*) c. 2.

Haud me latet Fontium, & Fluminum originem è Mari deductam à Doctissimis Viris in dubium revocari; nuper *Gaspar Bartholinus Thomæ filius*, qui Majorum suorum gloriosa terit vestigia Dissertationem edidit *Haffniæ* impressam, ubi absurditatis evincere contendit opinionem eam, quæ Fontium, & Fluminum originem è Mari deducit, ita ut Fontes omnes tam perennes, quam temporarii, ex illius sententia, pluviis ortum debeant. Sit quidem, ut ille ingeniosè probare nititur, quòd ad Fontium perennitatem in sicca, & squalida Constitutione servandam, sufficiat aquæ collectio, in aliquo Receptaculo, intra Montium cavitatem, ex præcedentibus pluviis; quomodo autem in quibusdam Fontibus regularitas, & eadem semper fluxus æqualitas, ad longum tempus queat persistere, qualis in his nostris Fontibus ad tot secula observatur, cùm in quacumque Constitutione quantumvis sicca, vel humida, nullum appareat incrementi, vel decrementi signum, ego certè non video.

Cæterùm, iis quæ opinioni de Fontium, ac fluminum origine ex Mari opponi solent, respondet *Scaliger*, (*a*) qui ad *Cardanum* conversus dicentem, nullam esse rationem, quare Maris aqua, antequam ad Montes perveniat, ubique non erumpat, hæc habet verba: *At, ô Cardane, ille quem in 2. de Gen. Divinus Vir ait, omnia compleviſſe, tam bonus fuit Architectus, tam prudens Caſtellarius, ut Julius Frontinus nihil ad eum; Suorum igitur aquæductuum tubos tam doctè, cautèque coaptavit oneri ferendo, atque ſervando, ut hoc te metu liberet.* Non sum nescius, esse qui circa horum Fontium à marinis aquis originem, à me dissentiant, cùm velint Fontes omnes à pluviis, & solutis nivibus ortum ducere, sed illorum rationes tantarum virium esse non video, ut ab opinione mea ne hilum quidem me dimoveant; quare, sicuti non multùm gauderem si mecum sentirent, ita molestè non feram, si à me dissentiant.

Quomodo autem è Mari Fontibus suggeratur humor, qui suapte natura gravis in ipsum Mare, è quo effluxit, facto veluti circulo, debeat refluere, neque inter eos convenit, qui Fontium originem è Mari admittunt, ut apud *Gasparum Schottum* videre est, qui varias, tum antiquorum, tum recentiorum opiniones recenset, ac examini subjicit; adeò verum est illud *Aristotelis*, (*b*) antiquam esse dubitationem, quare tanta multitudine aquarum ad Mare confluente, nihilo Mare fiat amplius. Nonnulli marinam aquam supra propriam originem adscendere vi terræ tractoria existimant, alii succussatione, & marino æstu, alii vi spiritus inclusi, qui usque ad celsissima juga aquas propellat, alii in pressionem Aëris referunt, qui perpetuo accubitu, aquas per cœcos ductus in altum attollat, sunt qui ad *Divinam Providentiam* recurrant; sunt etiam qui naturali motu fluere marinam aquam, sive è fundo Maris, sive è lateribus ad Fontium Scaturigines, licet in Montibus editissimis positas, eò quia Mare sit altius Terra, ut putat idem *P. Schottus*. *Carteſii* autem opinioni, quæ fuit quoque *Falloppii* nostri, hærere placet; qui aquæ marinæ adscensum, sub vaporis forma, ob inclusum calorem subterraneum, usque ad celsissima juga elevari arbitratur, & exinde ob frigus ambientium Saxorum in humorem concrescere, non secus ac fit in Chymicorum Destillationibus; adeo ut Montes sint ad instar Capitum Alembici, quibus vapores exaltati sufflaniinentur, qui postea, priori forma relicta, in Fontium Scaturigines erumpant.

Refert *P. Iulius Cæsar Recupitus* in Vesuviani incendii historia, *Vesuvium* Montem eodem tempore, geminos Torrentes peperisse, unum ignis, versus littoralem oram, alterum aquæ, ex alio latere, quà *Nolæ* campos respicit, flamma non solùm lymphis servante fidem, sed etiam iisdem obstetricante; existimandum enim vi liquantis caloris, per Montis interiora diffusi, ex Lebete aliquo è Mari, aquam excipiente, tantam halituum copiam elevatam fuisse, ut ad Torrentem procreandum sufficeret.

(*a*) Exc. 46. (*b*) Meteo. c. 2.

Nec obstant strata lapidea, & cretacea, quæ huic opinioni citatus *Bartholinus* obtrudit, & quæ impedimento esse possint, ne Vapores sursum efferantur; nam supposito, quòd Montes, ut omnes fatentur, intus cavernosi sint, hujusmodi strata hunc usum præstare possunt, ut Vapores, vi caloris sursum elatos sistant, & per varias rimas, tamquam Venas, quibus eadem Strata, præsertim scrupea, & lapidosa pervia sunt, iisdem exitum, sub forma liquoris permittant, unde Fontes oriantur, qui dicuntur Ora Venarum. Originem itaque Fontium, ac præcipue eorum, qui perennes sunt, nullique alterationi obnoxii, è Mari per continuum Vaporum adscensum, in magnis Naturæ Receptaculis deducere, expeditior est via, & Naturæ legibus magis conveniens; idque fieri in casu nostro fas est credere, tum ex superiùs descripto *Cispadanæ Regionis* veteri statu, tum ex perpetuis ignibus, quos intùs alunt proximi Montes; qui identidem multùm flammæ, per amplos hiatus cum cinere, & lapidibus eructant, tanto strepitu, ac fragore, ut hinc ad 12. millia passuum, quandoque exaudiantur; quod quidem novum non est, cum hujusce rei meminerit *Plinius*, (a) qui scripsit *in Mutinensi agro statis Vulcano diebus, ignem exire solitum*, & pro portento refert, duos Montes inter se concurrisse *fumo, & flamma exeunte, interdiu spectante magna Equitum Romanorum, & Viatorum multitudine*. Id autem præcipuè visitur in *Monte Gibbio*, ubi varii Fontes exstant, è quibus Oleum de Saxo, ut vocant Indigenæ, seu *Petroleum* emanat.

Dum horum Fontium Petrolei exactiorem historiam, quàm quæ apud Scriptores habetur, meditarer, per literas à Celeberrimo Viro *D. Malliabechio* (ad quem tanquam Literatorum Principem quidquid novi in Literaria Republica contigerit illicò defertur) accepi, Doctissimum Virum *D. Oligerum Jacobæum* Professorem Regium Hafniæ Libellum à se repertum, inter membranas M. S. nuper edidisse, sub nomini *Francisci Areosti de Oleo Montis Zibinii, seu Petroleo Agri Mutinensis*, quem Libellum Vir ille Clarissimus eidem *D. Malliabechio* dicavit, cum Præfatione ad Lectorem adjecta, magna profectò Socordiæ nostræ exprobratione, qui exspectamus, ut è remotissimis regionibus exsurgant, qui res nostras, nostrorum scriptis illustrent.

Quamvis ergo Fontium nostrorum originem è Mari primò, deindè ex *Hydrophylacio* aliquo in Montibus nostris posito derivare lubeat, in quod Vapores ob incluſum calórem elevati ex materia è Mari jugiter subministrata, sub liquoris forma redundantur, non ideò tamen inferre velim, *Hydrophylacium* illud in summis *Appennini* jugis positum esse, illud enim potiùs in imis radicibus, quàm in illius verticibus situm esse crediderim; licèt enim, ut superiùs demonstratum, non semper necesse sit, ut aquæ licet intra tubos concluſæ sui *Hydrophylacii* altitudinem pertingant, quod evenit quotiescumque arctato emissario liberum non habent effluxum, ut in Fig. 1. attamen si in *Appennini* summitatibus hoc receptaculum statuere velimus, probabiliter aquæ in his Puteis altiùs deberent assurgere, cùm tamen infra Soli corticem, ut plurimùm subsistant. In quanam verò parte, num prope Collium radices, an in partibus interioribus, admirandum hoc aquæ Penarium à *Divino Architecto* fuerit constructum, mihi certè divinare non licet. Ego mecherclè nulli labori, nec impensæ peperci, ut hujus Scaturiginis caput, & originem scrutarer; idcirco non solùm totam hanc Planitiem versus Colles, sed Montes ipsos perlustravi, at nulla potui vestigia deprehendere; exiguos quidem Lacus, sed temporarios observavi, qui per æstatem arescunt, & in Boum pascua transeunt; qualis est Lacus prope Pagum quemdam Pavulum dictum 25. hinc passuum millibus distantem. Libuit itaque harum aquarum subterfluentium originem ex altiori Fonte petere, scilicet ex occulto aliquo *Hydrophylacio* in partibus *Appennini* interioribus posito. Certum est autem Montium penetralia cavernosa esse, & varia-

(a) L. II. H. N. c. 110.

varia in illorum Viſceribus eſſe aquarum Reconditoria, unde Fontium, & Fluminum eſt origo. Intra *Appennini* profundiores receſſus, ingens *Hydrophylacium* ſibi finxit *Lucanus*, è quo cuncta *Italiæ* Flumina prodirent, quæ in Mare ſuperum, & inferum decurrunt; illius elegantiſſima carmina hic lubet referre, quando in rebus tam abſtruſis ratiocinari cum *Philoſophis*, vel cum *Poëtis* vaticinari idem prorſus eſt.

Fontibus hic vaſtis immenſos concipit amnes,
Fluminaque in gemini ſpargit divortia Ponti;
In lævum cecidere latus, veloxque Metaurus,
Cruſtumiumque rapax, & junctus Sapis Iſauro,
Quoque magis nullum tellus ſe ſolvit in amnem
Eridanus fractas deducit in æquora Sylvas.
Dexteriora petens Montis declivia Tybrim
Unda facit.

Cùm verò ex iis, quæ ſuperiùs in horum Fontium hiſtoria recenſuimus, ſatis conſtet, hanc Scaturiginem non fuiſſe mundo coævam, ſiquidem, cùm ultimum illud planum, in quo Terrebra defigitur, aliquando Aëri externo fuerit expoſitum, ut Arbores inibi exſiſtentes abundè teſtantur, ſi in ipſis Mundi primordiis aquæ iſtæ fluxiſſent, ut modò fluunt, facili negotio aquæ vis pondus illud excuſſiſſet, veluti interdum evenit, cùm diſfertur perforatio; quando igitur, inquiet aliquis, & quomodo ortum habuit hæc admirabilis Scaturigo? Huic reſpondere liceat, nulla hujus exſtare monumenta, nec ſciri abſolute poſſe, quando primùm fluere cœperint hujuſmodi aquæ; pro re certa tamen habendum, non niſi poſt magnas illuviones, & poſtquam hic loci facta non fuerit magna ſoli aggeſtio, cœpiſſe illarum fluxum, alioquin, ut modò ajebam, aquæ vis iners pondus excuſſiſſet. In ſublime igitur elata hac noſtra Planitie, facilè crediderim, ex ingenti aliquo Terræ motu novas vias apertas fuiſſe, ut ex *Hydrophylacio* in proximis Montibus poſito, & ex Mari per continuam evaporationem aquas ſuſcipiente, illæ per Sabuloſam Aream ſuperiùs deſcriptam, poſſent fluere, & ita ſuum curſum per multa ſecula ſervaſſe, antequam humana ſagacitas, eò pertingeret, ac Terebra, velut Phlebotomo, Terræ Venas pertunderet. Ex Terræ autem validis concuſſionibus, antiquos Fontes emori, alios verò exoriri, multis obſervationibus, ſatis conſtat; ſic *Ovidius*: (a)

Hic Fontes Natura novos emiſit, & illic
Clauſit, & antiquis tam multa tremoribus Orbis.
Flumina proſiliunt, aut excæcata reſidunt.

(a) l. 15. Metam.

CAPUT SEXTUM.

Progreſſus, ac finis harum aquarum diſquiritur, nec non eorum, quæ in Puteorum foſſione fuerunt obſervata, ratio redditur.

HUjuſmodi autem ſubterfluentium aquarum, quis ſit progreſſus, quorſum tendant, & quemnam in locum deſinant, diſquiſitione dignum videtur. At hic quoque, ut dici ſolet, *mihi hæret aqua*, & nonniſi conjecturis locus. Sæpius itaque à Putearíis ipſis ſciſcitatus ſum, num Terebram ſentiant ab aquæ impetu in partem aliquam abripi, at nihil firmi ab iiſdem reſcire potui. Cùm autem multò major ſit longitudo tractus, per quem hæc Scaturigo extenditur, quàm ejuſdem latitudo, propiùs vero crediderim, fluere has aquas ſubterraneas ab Occidente ad Orientem ſecus *Viam Æmiliam*, qui terræ tractus ad ſex milliaria extenditur, cùm latitudo quatuor paſſuum millia non excedat, quantùm hactenus obſervare licuit; hoc autem itinere emenſo, licet opinari, vel in interiora Terræ demergi, vel per cœcas ambages, in Mare devolvi, juxta leges hydrauli-

cæ in terreno corpore pericycloſis, quam non ſolùm ab *Eccleſiaſte* deſcriptam legimus, iis verbis. (*a*) *Omnia flumina intrant in Mare, & Mare non redundat: ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant*; & ab *Ethnicis Poëtis*, ut à *Lucretio* his carminibus: (*b*)

Debet ut in Mare de terris venit humor aquai,
In terras itidem manare ex æquore ſalſo.

ſed etiam à graviſſimis noſtrorum temporum Scriptoribus, multis rationibus comprobatam, ut *Aria Montano*, *Varenio*, *Voſſio*, *Bechero*, aliiſque quos in ſuis Animadverſionibus rerum varietate refertis, (*c*) citat Clariſſ. *Lanzonus Medicus Ferrarienſis*.

Haud immeritò hic ambigi poſſet, num horum Fontium in poſterum perpetuus eſſe debeat fluxus; ac profectò cum à *Romanæ Reipublicæ* temporibus, uſque ad hanc noſtram ætatem, tanta ſoli accretio facta fuerit, tum in Urbe, tum in agris circumſtantibus, ac fluviorum alveis, poſtquam tantumdem temporis effluxerit, nullus ſupereſt hæſitandi locus, quin tandem horum Fontium deſiturus omninò ſit curſus, iiſdem manentibus cauſis, proximis nempe Fluminibus Montium ſpolia abripientibus, & ſubjectos campos operientibus. Quapropter ſicut antiquitùs hi Fontes præſtantiori uſu ad multos pedes ſupra Terræ ſuperficiem aſſurgebant, nunc autem illius planum vix attingunt, ita cenſendum eſt, venturum aliquando tempus, in quo aquæ iſtæ in ſuis Puteis ſtagnare debeant, quando ſcilicet deerit declivitas in quam decidant; Atque hæ quidem permutationes, quæ occulto ævo, & ſine teſte ſuccedunt, ſi præſentem rerum faciem ſpectemus, vix fidem merentur, vere tamen, & ſequutas fuiſſe, & in poſterum ſequuturas, res ipſa loquitur; at quia (ut ipſius *Ariſtotelis* verbis utar) (*d*) *hæc in temporibus longiſſimis ad vitam noſtram fiunt, latent hæc facta, & prius omnium gentium interitus contingunt, & corruptiones, quàm memoretur horum permutatio à principio ad finem.*

Hoc autem Civitatum quæ in plano ſunt poſitæ, commune eſt fatum, ut multis labentibus ſeculis jaceant ſemiſepultæ, ſeu (ut ajebat *Sacerdos ille Ægyptius* apud *Platonem* (*e*) loquens de *Græciæ Civitatibus*) fluminum impetu ad Mare rapiantur; quamvis alia ex parte Urbes, quæ in Montium jugis ſitæ ſunt denudatis fundamentis, temporis injurias deprædicent, certiſſimo argumento, nihil eſſe in hoc Mundo conſtans, ac firmum, ſed alterius Civitatis altius poſitæ, & in æternum duraturæ, optandum eſſe Domicilium.

Quare autem hi Fontes, cùm è Mari ortum deducere ſupponantur, fluxum, ac refluxum neſciant, ſicuti Fontes quidam, quorum apud Scriptores, fit mentio, velut ille quem memorat *Plinius Junior* in agro *Comenſi*, (*f*) ter in die ſtatis auctibus creſcere, ac decreſcere; id fieri poſſe exiſtimarim, quòd his Fontibus è Mari ſuppeditetur humor, per vaporum adſcenſum; quæ evaporatio quamvis non ſemper uniformis ſupponi debeat, ob ignes ſubterraneos modò debiliores, modò fortiores, attamen ſatis eſt ſi talis ſit, ut ſufficiat ad ſuppoſitum Craterem eodem modo ſemper plenum ſervandum, ex quo pendet in noſtris his Fontibus ad tot ſecula fluxus æqualitas, quidquid ſit poſtea de aqua, quæ interdum ſuperfluat, & aliò diſpergatur. Cur autem Fontes quidam ſtatis temporibus modò fluant, modò quieſcant à fluxu, variæ ſolent afferri cauſæ, quarum præcipua eſt (ſi tamen ſint ex iis, qui è Mari aquam hauriant) cauſa, inquam, eſt Maris æſtus, vi cujus per continuatos ductus, aqua uſque ad ora Fontium propellatur; ex quo fit, ut accedente, & recedente Mari, Hujuſmodi Fontes modò pleni, modò ſicci obſervantur.

Hyemali tempore magnum calorem in his Puteis, ſicuti æſtivo, inſigne frigus perſentiri diximus, uti etiam ex *Thermometro* ad varias altitudines dimiſſo ſatis patet, ac ſuperiùs appoſita Tabella oſtendit: quæ quidem obſervationes Antiperiſtaſis Aſſertoribus, favere non parùm videntur, eòque magis, quòd hujuſmodi obſervationes, non in montana, ſed

(*a*) Cap. 1. (*b*) l. 1. (*c*) Anim. 86. (*d*) 1. Meteor. c. ult. (*e*) in Timæo. (*f*) l. 4. ad Licinium.

sed campestri regione factæ fuerint. Non enim tutum reor id in Fodinis, & Montium cavernis pertentare, ob metallicas exhalationes, & varia Salium, & marchasitarum genera, quarum prægnans est illorum uterus; dum enim hujusmodi substantiæ aquis perfunduntur, ad instar calcis incalescunt, & varias excitant exhalationes, quod quædam aquæ minerales testantur, quæ actu calidæ erumpunt, quibus addendum, quòd in Montium visceribus, varia sunt Ignis Reconditoria, quæ subterraneam temperiem non parùm immutare possunt, quod in magnis planitiebus non evenit, qualis est *Cispadana*, & *Transpadana* regio.

Multa quidem de subterranea temperie collegit Doctissimus *Boyle*, ex variis Relationibus, (*a*) quas omnes tamen accepisse ait ab iis, qui varias Fodinas perlustrarunt: quare, & ispe ultrò fatetur, iisdem in locis, & iisdem Anni temporibus longè diversam esse Aëris subterraneam temperiem, ob diversam Salium naturam, refertque è quibusdam fodinis calida effluvia æstivo tempore persentiri; non solùm autem è Montium cavernis, calidos halitus æstivo tempore exspirare, sed etiam frigidissimam auram, sæpissimè observatur; in *Hetruria*, prope *Lacum Vulsinienſium*, ad *Martham Oppidum*, exiguum Antrum ad montis altissimi radicem extat, quod Antrum non ultra sex, vel octo pedes profundum est, attamen in latere Speluncæ, per exiguam rimam ventus adeò frigidus exspirat, ut Boreæ algori conferri possit; PP. *Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula*, qui prope hunc Montem Templum unà cum Monasterio habent, hoc Antro pro Vini Reconditorio utuntur, ac æstivo tempore Vinum hauriunt adeò frigidum, ac si nivatum esset, quin si per solam horam fructus horarios ibi detineant, illos extrahunt gelido rore conspersos, ut sæpiùs mihi cum iisdem PP. Canicularibus diebus commoranti observare licuit.

In magnis autem Planitiebus, ubi tota contextu Terra solida est, neque tot Salium genera, aut concluſos ignes servat, si altius fodiendo liceret descendere, exactior certè posset haberi subterraneæ temperiei certitudo; in his tamen nostris Puteis reciprocationem hanc caloris, & frigoris, è diametro oppositam Aëri externo, non solùm ad sensum tactus persensi, quoties in hos Puteos diversis temporibus descendi, sed ne ulla deceptio in sensu à calore vel frigore præoccupato contingeret, per *Thermometrum* sigillatum manifestè deprehendi. Quæcumque autem sit caloris, & frigoris natura, ac indoles (non enim hujus loci est disquirere, utrum sint nudæ Qualitates, vel Corpuscula talem sensationem in nobis efficientia) Antiperistasis non videtur è Scholis ableganda, utroque enim modo sat rectè explicari potest. Ut ut ergo secundum Climatum, & Regionum diversitatem varia, ac diversa sit subterranea temperies; constat tamen, & *Thermometrum* dimissum apertis notis loquitur, fieri saltem in prima Terræ regione, (quidquid sit, de profundioribus, ac Centralibus) hanc caloris & frigoris reciprocationem, juxta varias Anni Conversiones, ac semper in qualitate opposita ad eam, quam habeat Aër externus in quo degimus; ut hic quoque usurpari possit illud *Divini Hippocratis*. (*b*)

Lux Orco tenebræ Jovi; Lux Jovi tenebræ Orco.

Verùm antequam ex his Puteis emergam, æquum est, ut Phænomenûm quorumdam, quæ in illorum fossione observantur, aliqua reddatur ratio. Superiùs est dictum, summam in his Puteis tempore hyemali esse aëris quietem, ut lumina accensa perstent, nullam fumosam exhalationem excitari, facilem duci anhelitum; vere autem, crassam nebulam elevari, lumina exstingui, ac fossores pene suffocari; ac unde hoc, cum potius hyeme, ob calorem ibi tunc temporis magis intensum, ac æstivo parem, ratio videatur exposcere, ut promptiùs in loco humenti excitanda esset fuliginosa exhalatio, quæ aërem turbare, ac lumina exstinguere deberet, æstate autem ob frigus, quod in his Puteis hospitatur, brumali rigori haud dissimi-

(*a*) De Subt. Temp. cap. 6. (*b*) de Diæta, n. 5.

dissimile, æquum foret, ut aër purior esset, nec crassis vaporibus adeò impeditus, ut respirationi inidoneus esset? An quia calor in his Puteis hyemali tempore, ob antiperistasim auctior, vim habeat vapores qui suscitantur dissipandi, ac resolvendi, æstate verò ob intensum frigus nequeant dissolvi? An potiùs, quòd hyeme halitus, qui à calore in his Puteis elevantur, aëre externo, utpote frigido, ac densiori, leviores sint, adeòque facilius adscendant, æstate graviores sint, nec tam facilè aërem externum subire possint, ideòque ibi stabulantes, difficultatem anhelitus inferant, & accensa lumina exstinguant.

Mirari autem hic subit, quare in metallicis fodinis, magnæ licet profunditatis, quales sunt *Hungaricæ*, ad longum tempus commorentur Fossores quocumque tempore accensis luminibus, nec tam grave incommodum in respirationis negotio persentiant, in his verò Puteis sub dio positis, & cum aëre externo, non per anfractus, sed directè communicantibus, Operarii æstate ferè suffocentur, exstinctis unà luminibus; ita ut canicularibus diebus conductitia non sit illorum opera, ni fortè id contingat, quòd Fodinæ in Montanis regionibus, & aridis locis excavatæ aërem habeant non ita densum, sed talem qui respirationi sufficiat; hi verò Putei in campestri regione, & uliginoso solo effossi, copiosiora effluvia suppeditent, ut aër illis oppletus, ad respirationis usum omninò ineptus sit. Non negarim tamen in fodinis quoque metallorum, fossores difficili anhelitu vexari, tum ob proprios halitus, tum propter metallicas exhalationes, immò interdum necari; adeò ut ad avertendum suffocationis periculum, Machinis spiritalibus utantur, ad aërem absorbendum, & novum immittendum, quas Machinas apud (a) *Agricolam* descriptas videre est; ac ulteriùs foveam quamdam à fodina distantem, excavare soleant deorsum tendentem, è qua Cuniculus protendatur ad locum usque, in quo fossores exercentur; qui Cuniculus est ad instar Ventiductus, qui novum aërem invehendo, & veterem ad Os fodinæ propellendo, Operarios valdè recreat, & à suffocationis periculo eximit, at id in profundioribus fodinis tantummodò fieri solere tradunt *Agricola*, & *Boyle*. Exstinguuntur ergo æstate in his Puteis lumina, & gravissima respirandi difficultate premuntur Putearii, eò quia aër inibi exsistens, totus crassis vaporibus ad saturitatem est refertus; qui vapores densi, ac ponderosi supra aërem calidiorem, ac leviorem assurgere nequeunt, quin ibi ex suæ gravitatis natura coguntur hospitari; Lampas autem Vitalis in sanguine exardescens, raritatem, & inania spatia in aëre necessariò exigit, ut in illo suliginosa effluvia deponat, ac pariter recenti aëre pro sui pabulo indiget, secus citò emoritur.

Annotatum est superiùs in recensendis rebus curiosioribus, quæ in horum Puteorum fossione occurrunt, tria esse Strata Cretacea, duo Pedum 11. alterum inferius minoris crassitudinis, cum suis Stratis Palustribus duorum Pedum interjectis. Sæpius circa horum Stratorum generationem, mentem exercui, mecum perpendens, quomodo tali ordine in toto hoc tractu inter se distinguantur. Scio D. *Iacobum de Grandis* Venetiis olim Medicum satis celebrem in Libro quem edidit de Veritate Diluvii universalis, mentionem fecisse de hisce fontibus, ut ab istis puteis veritatem cataclysmi exquireret, sed à verò longè aberravit Vir ille, licet enim in his Regionibus ortum duxerit, cùm tamen alibi degerit, præsens certè nunquam horum Puteorum fossionem vidit, sed totum id quod de his Puteis tetigit, ab aliis accepit; si enim semel horum Fontium structuram vidisset, nunquam scripsisset molem cretaceam in his Puteis altitudinis Pedum 24. reperiri, & Stratum palustre ejusdem molis; tria enim strata cretacea, duo quidem Pedum 11. & alterum minoris molis cum suis stratis palustribus interpositis duorum Pedum passim observantur; nullius itaque ponderis est illius conjectura pro Veritate

(a) l. 7. de re metal.

ritate Diluvii Universalis ex mole Cretæ desumpta.

Persuasum itaque habeo, post Universale Diluvium, cujus vestigia forsan profundiora sunt, à tribus particularibus illuvionibus, magnis tamen, ac antiquissimis, producta fuisse prædicta Strata Cretacea, ita ut ab una illuvione ad alteram, multum temporis effluxerit, & hoc pacto aquis restagnantibus, & putrescente solo, ortum habuerint Strata illa palustria intermedia, ex Plantarum foliis, & radicibus congesta. Hanc autem cretaceam molem, ex terrra è Montibus, ob præcipitem aquarum descensum in has Valles deducta, compactam fuisse facilè crediderim, si quidem ad cretam coacervandam pro figlinis operibus, mos est nostris quoque temporibus ex *Scultenna*, & *Gabello*, in *Carpensi agro* præsertim, aquam per Inciles in foveas quasdam arte factas derivare, qua ratione æstivis ardoribus aqua absumpta, multùm argillæ in iisdem subsidet, qua postea Figuli utuntur ad Vasa sua plasmanda. Plasticem autem in hac Urbe antiquitùs excelluisse, ob argillæ præstantiam, ac facilem ductilitatem testatur *Plinius* (*a*) referens *Mutinam* in Italia opere figlino valdè nobilitatam, cùm tunc temporis, ut idem ait, eò deveniisset luxuria, ut pluris constarent fictilia quàm murrhina.

Atque hæc quidem Stratorum diversitas, quæ in magnis Planitiebus visitur, ex interpolatis inundationibus, & soli aggestione fieri censendum est; at unde sit Stratotum diversitas, quæ in Montibus quoque deprehenditur, non tam facile est decernere. (*b*) In *Meliboci Montis* fodinis refert *Agricola* sexdecim Strata observari diversi coloris, ac diversæ altitudinis, quòd si ulteriùs suffodere liceret, (*c*) innumera alia Strata diversi generis procul dubio apparerent. Si opinioni *Falloppii* nostri hærere placeat, non arduum erit horum Stratorum in Montibus generationem, ac diversitatem intelligere; putat enim Montes constructos esse, ab exhalatione sicca ob calorem in Terræ visceribus concluſum, quod ab illorum figura pyramidali colligit, immò ab hujusmodi exhalatione nutriri, & sensim crescere existimat; quo pacto sicuti in Antimonii sublimatione flores diversi coloris pro Ollarum diversitate colliguntur, ita prorsus in Montium cavernis, idem fieri censet, pro varia metallorum, & fossilium generatione. At cùm in ipsa Creatione à *Summo Opifice* Montes fuerint fabrefacti, congruum est fateri, in tota sua perfectione (non secus ac *Protoplastus*) & cum tot Stratis ad varios usus ab eodem fuisse constructos.

Egregium usum quem præstant hæc strata, præsertim argillacea, pro fontium generatione, sive ex pluviis fiant, ut temporarii, sive ex Maris aqua, ut perennes, & regulares, ingeniosè quidem in superiùs citata Dissertatione ostendit *Bartholinus*; hujusmodi enim strata ad aquarum collectionem in unum Receptaculum præcipuam operam conferunt, ac similiter ad illarum per longum iter effluxum, alioquin dispergerentur, nec ulla esset ratio, quare potiùs in uno loco, quam in alio Fontes erumperent; quem usum procul dubio in hisce quoque Fontibus præstant strata hæc argillosa; his enim aquis subterraneis, per Sabulosam planitiem discurrentibus, æquum est putare substratum esse aliud planum cretaceum, ita ut superius, & inferius concluſæ, cursum suum veluti per aquæductum, teneantur prosequi, nisi quandò per hos Puteos, data porta, superas ad auras emergant.

Posita ergo abdita ista harum aquarum per sabulosam, & glareosam planitiem expansione, mirum non est, si murmur in Puteorum fundo percipiatur, aqua per glaream discurrente (quam glaream inibi ex Sabulo compingi, potiùs quam è Montibus decidere, probabilius est, quando non exigua illius copia adeò mollis est, ut solo digitorum attritu dissolvatur) si in omnibus Puteis ad eamdem altitudinem aqua evehatur, cùm eadem sit causa, quæ illam in altum propellat, pressio scilicet ab aqua ex alto, & ex eodem Receptaculo descendente; si æquè sinceræ, ac salubres sint lymphæ istæ, cum ejusdem sint indolis.

(*a*) l. 25. H. N. c. 12. (*b*) l. 5. de Meta. (*c*) De Met. & Foss. 7.

dolis. Eandem ob causam vividiores fiunt hi Fontes, quò plus aquæ exhauritur, ac illorum segnities, quando contingat, emendatur; siquidem ex arena regesta, & in imo subsidente, foramen à Terebra factum aliquando obstruitur, certo indicio, fluere has aquas per sabulosam Aream, neutiquam verò per immensam, & liberam laxitatem, quod pariter ex depressione, & soli fatiscentia, interdum observata, dignosci potest, cùm scilicet nimium aquæ, & arenæ effluxerit.

CAPUT SEPTIMUM.

Quæritur proportio, quam habeat æquæ elevatio in fistula erecta alteri fistulæ Horizontali inserta, ad sui Hydrophylacii altitudinem.

COrporum fluidorum tam abstrusa, ac involuta est natura, ut à solidioribus Ingeniis nunquam satis potuerit explicari. Pauca nobis, at magni momenti, ex antiquioribus reliquit *Archimedes* in libello, quem de iis quæ insident in aquis inscripsit, qui liber, ut ipsius (*a*) *Tullii* verbis utar de *Crantoris* libro, est *non magnus, verùm aureolus.* Hanc Philosophiæ partem subtilissimam excoluerunt inter recentiores, potissimùm *Galilæus*, *Stevinus*, *Boyle*, *Borellus*, ac postremò Vir Clariss. D. *Gulielminus* insignis Mathematicus Bononiensis; qui omnes licet fluidorum miras proprietates multis observationibus, ac experimentis Hydrostaticis satis profundè quidem fuerint expiscati, locum tamen ulteriori pervestigationi reliquere; nam si in ulla re locum habent illa (*b*) *Senecæ* verba, habent in hac præcipuè omnium maxima, atque involutissima, in qua *etiam, quando multum actum fuerit, omnis Ætas quod agat inveniet.*

Cùm itaque ex nostra Hypothesi hujus abditæ Scaturiginis, aquæ mobiles sint, & fugaces, ac simul in altum adscendant, eò quòd, ut superiùs dictum, illarum exitus, ac præcipitatio in Voraginem aliquam coarctetur; & cùm hujusmodi adscensus in his Puteis constans sit, ac perpetuus, nec sine proportione aliqua ad sui *Hydrophylacii* altitudinem fieri queat, quod *Hydrophylacium* in proximi *Appennini* radicibus suppoſuimus, & multò altiùs quàm sit harum aquarum, ab imo Puteorum ad summum usque elevatio, propterea non inutile, nec injucundum fore duxi, si hujusmodi proportionem saltem adumbrare, si non exactè exponere contenderem. Quando itaque ex superiùs demonstratis in Fig. 1. constat, quòd si nihil sit, quod aquam per fistulam fluentem remoretur, constat inquam, quòd nil aquæ per foramina parva in fistula adscendet; at si Obex aliquis ad Orificium fistulæ apponatur, ita tamen, ut non ex toto occludat, & obstruat Orificium, tunc per foramina, vel per fistulam perpendiculariter erectam, adscendet quidem aqua, sed altitudinem aquæ in Vase contentæ nunquam attinget; quæramus ergo ad datam restrictionem Orificii alicujus fistulæ per quam aqua defluat, ad quamnam altitudinem debeat aqua elevari in alia fistula perpendiculariter erecta, & eidem infixa, ut in figura tertia, & quænam sit proportio inter dictam altitudinem, & eam quam habet *Hydrophylacium*, quod aquam suggerit, & quod semper plenum supponitur, cùm id à nemine, quod sciam, hactenus fuerit observatum. Sit ergo Vas A B C D aqua plenum, cui ad latus fistula D F in situ Horizontali sit infixa, & cujus Orificium sit ex medietate clausum, ita ut non pleno fluento aqua exeat; sit pariter in medio fistulæ D F alia fistula vitrea H I inserta, & ad perpendiculum erecta: libero itaque exitu aquæ permisso, dico quòd in fistula intermedia H I ad talem altitudinem aqua elevabitur, quòd si aquæ in Vase contentæ altitudo sit v. g. partium octo, elevatio aquæ in fistula erecta H I erit partium sex, atque ejusmodi proportio cuicumque divisioni amplitu-

(*a*) in Lucul. (*b*) l. 6. Quæ. Nat. c.

Fig. 2. Pag. 170.



Fig. 1.



Fig. 3.





plitudinis Orificii fistulæ D F semper respondebit.

Etenim si fistulæ D F Orificium sit ex toto, ac penitùs clausum, ut nihil aquæ defluat, nemo non novit, quòd aqua in fistula H I ex sui natura in eadem linea Horizontali, in qua est aqua in Vase contenta, debet se constituere; ad quem effectum duo procul dubio æquis viribus concurrunt, scilicet aquæ pressio in Vase contentæ, & resistentia Obicis, qui fistulæ foamen prorsus obstruit, qui Obex æquivalet potentiæ ex adverso prementi, nisi contrario pressioni aquæ in Vase stagnantis; si ergo aquæ elevatio in tali casu est productum, quod à duabus causis æqualiter operantibus, nempe ex aquæ pressione, & Obicis resistentia emergit, pariter quando ejusdem fistulæ D F Orificium erit aliqua ex parte restrictum, aquæ adscensus in fistula intermedia H I, qualiscunque sit, erit productum ex eadem pressione, ut in primo casu, & Obicis virtuali pressione, sed inæqualiter operantibus; hinc fit quòd cùm pressio aquæ superincumbentis in Vase, & urgentis ad effluxum sit in eodem gradu, & energia ut priùs, & altera ex parte diminuta sit Obicis Virtus, non possit aqua in fistula perpendiculariter erecta, ita elevari, ut aquæ altitudinem in Vase contentæ pertingat, sed necessario debeat infra illam subsistere, adeò ut si altitudo aquæ in Vase sit ex suppositione pedum octo, & operetur tali pressione, quæ hujusmodi altitudini congruat, Obex verò non agat nisi pro medietate, ideſt ut quatuor, his duobus simul operantibus, & aquæ adscensum efficientibus, non poterit prodire nisi effectus, qui inter hac duo Agentia se habeat ut numerus 6. inter numeros 8. & 4. ideſt cum media proportione Arithmetica; quare in supposito casu aqua in fistula erecta H I ad partes sex tantummodò elevabitur, quæ elevatio est dimidium aggregati ex altitudine aquæ Vase contentæ, & Obicis potentia.

Hujusmodi primò fuit meum ratiocinium, antequam experirer, num illi res ipsa congrueret; id autem pertentavi, tubum ligneum, & quadrilaterum, ob commodiorem Orificii divisionem in Vasis latus inferendo, ut in Fig. 3. ac fistulam vitream in partes octo divisam, & perpendiculariter erectam eidem tubo coaptando; postmodum foramini Obicem apponens, qui solùm illius medietatem obstrueret, permisso aquæ exitu, observavi aquam in vitrea fistula in dicta proportione, scilicet usque ad partes sex attolli; fateri tamen licet, non tam exactè respondisse aquæ adscensum ad majora, vel minora obstacula lumini fistulæ apposita, ob difficultatem forsan adaptandi varia Ostiola Orificio, & ob undulationem aquæ in vitrea fistula ex impetu concepto, ubi exitus illi permittitur. Communicatis itaque his meis observationibus Clarissimo Viro D. *Boccabadato* Sereniſſimi Ducis nostri Mathematico, & mihi ab ineunte ætate conjunctissimo (plenum autem ingenui pudoris semper credidi, ut Plinianis verbis utar, fateri per quem profecerim) suppeditavit ille modum, quo faciliùs voti compos fieri possem. Cùm itaque Obicum diversitatem suppleri posse ille existimaret, si lumini fistulæ, unde aqua debet egredi, alia fistula ejusdem magnitudinis sursum erecta apponeretur, sed cum proportione ad altitudinem *Hydrophylacii*, periculum feci, & res ex voto succeſſit.

Sic in Fig 4. suppositа altitudine aquæ in Vase A B C D partium octo, fistula vero M N solùm partium 4. quo pacto æquivalet Obstaculo medietatem luminis occupanti, permisso aquæ exitu, & pleno semper manente Vase, aqua in fistula Vitrea H G apparuit suspensa in E, nimirùm in altitudine part. 6. quæ est dimidium summæ ex 8. & 4. altitudinis Aquæ in Vase contentæ, & resistentiæ Obicis. Pariter in Fig. 5. cum fistula M O sit altitudinis partium 6. aqua in Vitrea fistula E F usque ad S visa est emergere, scilicet ad part. 7. Idem quoque observatum est (ut in Fig. 6.) si Fistula E H aquam fundens altitudinis partium 2. exsistat, ideſt cum æquivalentia partem Obstaculo quartam Orificii obstruenti; nam in Vitrea fistula stetit aqua in T ideſt in part. 5. idque satis exactè, quantùm physica experimenta permittunt,

ut facili negotio quilibet experiri poteſt. Nullus dubito, quin idem prorſus in quocumque alio caſu eventurum ſit; ratio itaque, & experientia ſatis evincunt, ad datam reſtrictionem Orificii alicujus fiſtulæ, aquam in alia fiſtula intermedia, eidem inſerta, in media proportione Arithmetica elevari.

Dum hac occaſione circa varia experimenta hydroſtatica, dierum Canicularium ſuccisivis horis volupe mihi eſſet exerceri, obſervatione oppidò curioſa obtigit obſervare, quòd licet ſit eadem aquæ in Vaſe altitudo, ac eadem fiſtula horizontalis eidem inſerta, attamen in fiſtulis erectis, ad ſitus mutationem diverſa ſit, ac notabiliter, in iiſdem aquæ altitudo, ut in Fig. 7. in qua ſit.

Vas ABCD aqua plenum, Fiſtula DH eidem inſerta, & in ſui extremitate clauſa, FGHI fiſtulæ vitreæ ad perpendiculum erectæ, Fiſtula vero M aquam fundens. In fiſtula ergo FG ex ſuperius dictis aqua accedet ad O, ideſt ad par 5. nam fiſtulæ M. aquam fundentis altitudo ſupponitur ut 2, altitudo verò aquæ in Vaſe contentæ ut 8. Si verò fiſtula FG transferatur ad HI (orificio ubi infixa erat occluſo) aqua altius elevabitur, ideſt, in N, ſcilicet ad gradus fere 7. quod idem quoque eveniet ſi eodem tempore duæ fiſtulæ vitreæ FGHI ſtent erectæ, & fiſtula M aquam effundat, pleno ſemper exiſtente Vaſe, nam hæc diverſitas altitudinum aquæ in quocumque caſu ſat manifeſtè perſpicitur. Id ipſum quoque licebit experiri, non ſolùm cum longior, vel brevior eſt fiſtula aquam profundens, ſed cum plures fiſtulæ diverſæ longitudinis, & cum proportione ad altitudinem aquæ in Vaſe contentæ, aquam eodem tempore emittant, & plures fiſtulæ vitreæ interjectæ ſint, cum multi caſus pro cujuſque lubitu fingi poſſint. Cum autem non levis undatio fiat in vitreis fiſtulis, eò quòd aqua effluens è fiſtula M in ſe recidat, aliqua ex parte vitabitur hoc incommodum, ſi parumper inflectatur fiſtula FH, ut hoc pacto tum fiſtulæ Vitreæ, tum fiſtula aquam fundens ſint ad alterutrum laterum inclinatæ; in tali enim ſitu minor continget undatio, & diverſitas altitudinum aquæ commodius ſpectabitur.

Novam hanc, ut reor obſervationem eidem D. *Boccabadato* communicavi, qui ſicuti rei novitatem non parùm eſt admiratus, ita prout ingenioſiſſimus eſt, & accerrimus rerum naturalium Scrutator, non deſtitit hujuſce rei cauſam diſquirere, immò ipſam Demonſtrationem ſe jam tenere paulò poſt mihi aſſeruit, quam Operi ſuo, quod de Conatu Mechanico propediem editurus eſt dixit velle ſe adjicere. Libuit autem hujuſmodi Phænomenon Hydroſtaticæ Cultoribus proponere, dignum exiſtimans, ut circa illud nobiliora exerceantur ingenia, ac innoteſcat, unde ortum habeat hæc in eodem fluido preſſionum diverſitas.

Huic Capiti, in quo proportionem quæſivi, quam habeat aquæ elevatio in fiſtula erecta alteri fiſtulæ horizontali inſerta ad ſui hydrophylacii altitudinem, Epiſtolam hanc, quam miſit ad me Vir Clariſſimus Dominus Dominicus de Conradis, Concivis meus, mihique conjunctiſſimus, rei tormentariæ in Mutinenſi ditione Commiſſarius generalis, in qua demonſtrare ſatagit in hoc Problemate aliam eſſe proportionem, quàm quæ à me ſupponitur, huic inquam Capiti Epiſtolam hanc adjiciendam curavi; ut Mundus judicet num Vir iſte in rebus ſuis diligentiſſimus obſervator, rem, ut dici ſolet, acu tetigerit.

ILLU-

Pag. 172

Fig. 4.



Fig. 5.



Fig. 6.



Fig. 7.




C
D
E
F
G
A
B

ILLUSTRISSIMO VIRO

BERNARDINO RAMAZZINO,

Dominicus de CONRADIS Auſtria

S. P. D.

QUum doctiſſimum *de Fontium Mutinenſium admiranda ſcaturigine tractatum*, quem Clariſſime Vir jamdudum, amœnitate quâ ſoles, & ingenii acie, conſcripſiſti, diſcendi gratia perlegerem, problema hydroſtaticum notavi, in quo tu primus Vir ſolertiſſime animadvertiſti aquam fluentem per tubum cum vaſe communicantem, ſi tubi orificium ex parte obſtruatur, ita ut non pleno fluento exeat, adſcenſuram eſſe per fiſtulam tubo verticaliter infixam, & cum eo communicantem ad altitudinem quandam, ea vero minorem, quam obtinet aqua in Vaſe.

Hujus verò altitudinis, proportionem inveſtigare agreſſus es capite ſeptimo, altitudines aquæ in fiſtula fore determinans medias arithmeticè proportionales inter numeros exprimentes altitudines aquæ in Vaſe, & partem obſtructi orificii, poſito quod tota orificii amplitudo, & altitudo aquæ in Vaſe eodem numero dividantur.

Verùm hæc diligenter perpendenti mihi, multum à veritate abeſſe viſa ſunt. Quare cum te certiorem feciſſem, ſimulque in ſpem qua invenire me poſſe confidebam aliud certum, & huic rei demonſtrandæ accommodatum problema induxiſſem, tu mihi auctor fuiſti vir humaniſſime, ut veritatem indagarem, tibique poſtea communicarem. Cùm itaque committenda ſint prælo præclariſſima opera tua jam quarta vice, nec tamen poſtrema, jam ad te mittenda cenſui, quæ te ſuadente quæſivi, ut inter ſcripta tua præclariſſima locum aliquem nanciſcantur.

Sed antequam in medium proferam problema meum, pauca de tuo dicenda ſunt. Sentio ergo hac tua poſita theoria fieri non poſſe, quin vel ad dimidium præciſe, vel ſemper ultra dimidium altitudinis quam habet in vaſe aqua aſſurgat in fiſtula. Media enim arithmetice proportionalis inter altitudinem totius aquæ, & alium quemcumque numerum, ſi is ſit infinite parvus, nempe Zero, erit ipſa medietas totius altitudinis, ſi verò numerus non ſit infinite parvus, erit ſemper ipſa medietate altitudinis major, ut ex proportione arithmetica conſtat.

Cum verò in caſu, in quo tota orificii amplitudo eſt reſerata, nullam eſſe in fiſtula aquæ altitudinem fatearis, & mihi experientia conſtet intra medietatem aſſurgere etiam, quando ex tertia parte obſtructum eſt orificium, quod expoſitæ theoricæ repugnat, clarum eſt proportionis lege ab ea quam tu compoſuiſti diverſa naturam uti in hoc hydroſtatico conflictu.

Exponam ergo ea quæ de hoc argumento excogitavi. Stet ad latus vaſis A B tubus horizontaliter poſitus C c cum Vaſe A B communicans, cæterum undique clauſus. In latere ſuperiore tubi in G ſit foramen cujuſcumque amplitudinis, cui inoſculetur fiſtula G g ob commoditatem vitrea, cujuſcumque figuræ, & indefinitæ altitudinis. Stet in Vaſe A B fluidum quodcumque, uti & in fiſtu- G g aliud fluidum vel ejuſdem ſpecificæ gravitatis, vel non, cum eo quod ſtat in Vaſe. Ducatur quodcumque planum horizontale H h faciens in Vaſe A B ſectionem quamcumque, quam dicam M, uti quamcumque in fiſtula G g, quam m nominabo. Conſtat ex hydroſtaticis, ſi eodem tempore per duas ſectiones M m æqualis fluidi moles movenda ſit, id fieri velocitatibus, quæ ſint ſectionibus in ratione reciproca, nempe dicta O velocitate, qua movebitur moles quæcumque, per M, o vero qua move-

movebitur æqualis moles cujuſcumque fluidi per m, erit M ad m, uti o ad O. Conſtat pariter ſi fluidi quæcumque moles moveatur deorſum in expoſito vaſe A B totam ſectionem M. replens eodem etiam tempore æqualem fluidi molem movendam eſſe ſurſum per ſectionem m in fiſtula G g, cum vas A B ponatur communicare cum fiſtula G g.

Hinc eſt quod motui qui à gravitate abſoluta cujuſcumque molis fluidi per ſectionem M oriri poterit deorſum, contranititur gravitas abſoluta æqualis molis fluidi per ſectionem m, quæ moles movenda eſt ſurſum, cumque hi motus velocitatibus neceſſariis à ſectionibus ortum ducentibus modificentur, hinc eſt quantitatem motus oriundi à conflicta harum virium æſtimandam eſſe, comparatione facta gravitatum abſolutarum utriuſque molis fluidi inter ſe æqualis, & velocitatum neceſſariarum, quas hæ moles ab amplitudine ſectionum ſortiuntur.

Cum ergo gravitas abſoluta molis unius fluidi ad gravitatem abſolutam molis cujuſcumque alterius fluidi ſit in ratione compoſita gravitatum ſpecificarum aſſumptorum fluidorum, & molis ſub qua continentur. Si ponamus moles habere altitudines ſupra ſuas baſes ſimiliter poſitas (id quod in caſu qui nunc examinatur faciendum eſt, motus enim fit per eandem præciſe directionem, ad contrarias tamen partes), dictis P gravitate ſpecifica fluidi in M. p verò alia fluidi in m M. baſe fluidi in M, altitudine Q, m vero baſe fluidi in m, altitudine q, exponemus gravitatem abſolutam fluidi in M per M P Q, fluidi vero in m per m p q; Unde vires movendarum molium per M P Q O, & m p q o exponentur.

Aliquid attamen reſtat examinandum ulterius. Poteſt dari caſus (id exponetur inferius) in quo tota vis abſoluta, ex. gr. M P Q minime agat contra vim abſolutam m p q; In ſolidis utique per ſinum complementi anguli directionis virium, poſito ſinu toto integrâ vi exponeremus. In fluidis verò, ne longe nimis abeamus, per notas tantum arbitrarias indicabimus. Aſſumamus ergo vim M P Q contra vim m p q operari in ratione X ad x. Fiunt ergo hoc ulterius ex capite vires relativæ expoſitarum fluidi molium, quas nunc exquirimus, in conflictu earundem in ratione M P Q O X ad m p q o x: Quia verò in præſenti caſu eſt O ad o uti m ad M, facta ſubſtitutione, & expulſis æqualibus, erunt tandem prædictæ vires in ratione P Q X ad p q x.

Ex hac ergo univerſaliſſima, ac breviſſima formula totam de libratis liquoribus theoriam exhaurire facillimum erit. Stabit pro ſpecimine emodatio inventi à te Vir ſolertiſſime problematis, ad quam nunc gradum facio.

Quis jam non videt, ſi aperiatur tubi exterius orificium, aquam in vaſe contentam vim ſuam, quæ tota priùs ob id, quod nullus illi patebat exitus alterius aquæ vi in fiſtula contentæ opponebatur, nunc ex parte amittere ad expellendam aquam in tubo ſtantem, ut ab orificio c difluat. Ut ergo legem calculi phænomeni à te propoſiti Vir clariſſime conſtruamus, exquirendum reſtat quantum vis aquæ in vaſe ſtantis data amplitudine orificii decedat ab ea, quæ prius contra vim aquæ in fiſtula contentæ operabatur.

Ut verò hoc firmius, & ut mihi ſuaſor ſum clarius exponatur, nonnulla de motu tonico heic ſtrictè dicam. Si duæ vires M m. per contrarias directiones agant ſupra quodcumque corpus motum illi impreſſuras certum eſt. Pro determinanda vera quantitate motus corpori ideo imprimendi, diſtinguendus eſt motus abſolutus à motu tonico, vel conatu ad motum. Pro motu abſoluto notum eſt intelligi motum, quem corpus efficit dum recedit ab uno puncto mundani ſpatii, uti immoto concepto ſeſe conferens ad aliud ſimile punctum. Pro motu verò tonico intelligi preſſuram, ut ita dicam, quam patitur, dum à duabus viribus contra ſe agentibus urgetur, qua vere preſſura afficitur, ita ut ſi una ex prementibus viribus tolleretur, vel ſi illi daretur locus, unde per aliam directionem exſilire poſſet (quod in fluidis facillime datur) motu abſoluto illico moveretur. Conſtat ergo ex

Me-

Mechanicis, quantitatem motus absoluti esse differentiam inter vires contrariis directionibus corpus urgentes, nempe in nostro casu quantitatem motus absoluti, qua corpus moveretur à viribus M. m, esse differentiam inter M & m; motus vero tonici quantitatem æquari minori vi, qua urgetur corpus: Ita ut posita m minore altera M, quantitas motus tonici corporis sit m, seu æquari differentiæ inter vim majorem, & motum absolutum, unde datur locus ex datis viribus M. m. eliciendi, & motum absolutum, & motum tonicum, uti ex data una vi, & motu vel tonico, vel absoluto aliam vim, & motum vel absolutum, vel tonicum inveniendi.

His ergo animadversis considerem us massam aqueam in Vase, tubo, & fistula, actam à duabus viribus contra se agentibus, à gravitatibus nempe absolutis ex altitudinibus, quas obtinet aqua in fistula, & in vase; quæ vires cum præcise contra se agant (ob id enim quod aqua in vase movenda sit deorsum aqua quæ moveri poterit ea erit quæ in fistula, quæque ob positam adaptationem solum movebitur sursum) hinc est quod utraque tota contra aliam agat, & tunc solus motus tonicus elicitur: Cùm enim hæ vires ponantur æquales, ideo nullus erit motus absolutus, cujus pariter motus tonici quantitas æqualis uni ex viribus M vel m.

Aperiatur nunc ex parte orificium c, ita tamen ut lumen quod inde nascitur figuram rectangulam servet invariatamque altitudinem obtineat, stetque inter easdem horizontales intra quas stat lumen interius c. Cum inde effluat aquæ portio, utique tunc elicitur motus absolutus, cujus quantitas est, ut per se patet, massa aquæ, quæ effluit in suam ducta velocitate m. Hanc ergo effluentem massam inveſtigabimus, ut inde subducta hac quantitate à quantitate vis majoris, motus tonici quantitas innotescat.

Ad id ergo assequendum sequens exponam theorema. Si Vasis A B, uti jam supra præparati, orificium exterius c varie aperiatur ut fiant lumina rectangula, tunc d nunc e, eandem quam prius, & similiter positam, altitudinem habentia, dico quantitates aquarum fluentium è luminibus d e omni temporis momento esse in ratione arearum expositorum luminum.

Imaginemur tubum C c per longum plano verticali uni laterum parallelo, & per extremum reserati orificii nunc d, nunc e transeunte secari, patet aquam quæ in parte tubi cujus orificium nunc d. nunc e apertum est utique effluxuram fore, & ut ab hydrostaticis demonstratur quantitates inde effluentes fore in ratione luminum d ad e Aquam vero, quæ in parte tubi ab obstructa orificii portione & à plano concluſi stat, minime effluxuram; unde tubi partem hanc cum aquea columna quæ supra illius orificium interius stat in vase A B haberi posse pro uno vase, cujus orificium sit omnimodo obstructum. Ponamus nunc planum: certum est aquam in hoc imaginario vase contentam cum ex aperto lumine altera tubi parte correspondenti, saltem ex parte fluere possit, nunc pro vase lumine aperto donato considerari posse, ideoque aquarum portiones, quæ saltem ex parte fluere possunt ab hoc imaginario vase, iterum erunt in ratione amplitudinum luminum, nempe in ratione d ad e. Cum ergo totæ aquæ portiones, quæ è vase A B fluere possunt, sint, quæ per utramque tubi portionem descriptam, C c effluunt, hæ erunt in ratione d + d ad e + e; Sed est d + d ad e + e uti d ad e, ergo portiones aquarum fluentium e vase, ut exposuimus constructo, erunt in ratione luminum Q. P. B.

Massæ ergo aqueæ quas quærebamus sunt in ratione amplitudinum orificii, cumque eadem semper velocitate effluant, (ab eadem enim altitudine ponamus in præsenti casu semper decidere), motus absoluti quantitates, quæ ab aqua in vase contenta emanant, erunt pariter in ratione portionum aperti orificii.

Cum ergo si totum aperiatur orificium tota tunc effluat aqua, unde tunc solus fiat motus absolutus, ponamus equidem motum absolutum ex aperto toto lumine resultantem exponi per M vi nempe integra ab altitudine fluidi in vase, & dicta à quacumque amplitudine

dine orificii ex parte obſtructi, exponemus motum abſolutum, qui fit per talem orificii portionem per Ma: c, qua ſubducta ab M, motus tonicus ab orificio a ortus, erit Mc-Ma: c; Cum vero per quantitatem motus tonici ſolum agat vis M contra aquam in fiſtula, ponereturque primo agere per totam M, poſita Mc-Ma: c loco X, M verò loco x in generali formula ſuperius expoſita, habebimus rejectis P. p., ob homogeneitatem aquæ æqualibus, rationem actionis virium, aquæ in vaſe ad actionem aquæ in fiſtula per QMc-QMa: c ad Mq, nempe per Qc-Qa ad qc. Quia vero elevatio aquæ in fiſtula eſt actio à vi urgentis aquæ in vaſe, hinc erit Qc-Qa æqualis qc, unde habebimus c ad c-a uti Q ad q. Cum verò per Q notetur altitudo aquæ in vaſe, per q, vero altitudo in fiſtula, per C lumen tubi Cc nullatenus obſtructum, & per c-a lumen ex parte obſtructum, patet fore altitudinem aquæ in vaſe ad altitudinem aquæ in fiſtula ut lumen nullatenus obſtructum ad lumen ex parte obſtructum Q.S.P.

En ergo Clariſſime Vir determinatio altitudinum ad quas adſcendere deberet aqua in fiſtula Gg. Fateri tamen oportet poſſe ab hac lege exorbitare, & quidem enormiter, cujus rei nunc facilè cauſam aperiam. Theorema ſuperius expoſitum, in quo demonſtravi quantitates aquarum è deſcripto vaſe tubo inſtructo fluxuras, fore in ratione luminum, theoreticè quidem verum eſt, phyſicè verò minimè. Cùm enim laterum tubi aſperitates inevitabiles, & adaptatio diverſa obicum, ſemper tamen egreſſui aquæ præjudicalis, aquæ curſum perturbent, fit ne aquæ ea copia effluat, quæ à lumine theoreticè aſſumpto effluxura foret. Hinc eſt ad effectum inde obtinendum impedimenta orificii ſemper majora æſtimanda eſſe quam pro menſura amplitudinum, per quas nos illa metimur.

Theoriæ ergo jam traditæ experimenta tentaturus, ut prævisa impedimenta pro viribus eluderem, accepto vaſe ex ſubtiliſſima lamella ferrea conſtructo altitudinem pollicum ſeptem habente, diametrum verò quatuor pollicum cum dimidio (cylindricum utique erat) in ejus latere prope fundum lumen parallelogrammum aperiendum curavi, inde ligneum parari parallelepipedum juſſi exactiſſimum, cujus una facies ſeptem lineas, altera ſex obtinebat. Latitudini prædicti parallelepipedi aptandas inde curavi duas lamellas exactè explanatas, eandemque cum parallelepipedo latitudinem præciſe habentes, inde ad earum margines duas ſimiles lamellas ſtanno adferruminavi, ita ut vacuitatem exacte parallelepipedam nanciſcerer. Lamellæ ſpondas efficientes longitudinem tantum habebant pollicum quatuor, ita ut ex una parte minime longitudinem cæterarum duarum exæquarent, ſed uno deficerent pollice. Hanc ergo portionem, antequam ligneum modulum extraherem, duodus cingulis ex ſimili lamella, altero in extremo lamellarum, altero intermedio inter hoc, & brevium ſpondarum extremitates firmavi adferruminando. Duas tunc alias lamellas comparavi longitudinis linearum tredecim; talis verò latitudinis, ut ad altitudinem interioris tubi congruerent, & poſſent ideo pro libitu cera firmari, ita ut extremitatibus ſpondarum ſemper congruentes poſſent ex altera parte, vel elongari, vel approximari, unde lumen ad quamcumque amplitudinem data amplitudine tubi minorem ſemper parallelogrammum, & inter invariatas horizontales efformaretur.

In ſuperiore tubi lamella prius varia orificia perforata fuerant, quæ cera obturavi uno excepto, cui fiſtulam vitream diametrum duarum linearum habentem cera pariter inſerui. Altitudinem totius vaſis uſque ad inferius tubi planum dimenſus ſum filo ferreo nota illud obſignando, filum inde in fiſtulam immiſi, ita ut ad fundum inferius & tunc pertingeret, obſignavique in fiſtula altitudinem notæ, qua vaſis altitudo demonſtrabatur. Hanc altitudinem, dempta altitudine tubi, in octo ſecui partes, quas in fiſtula adnotavi, eam filo in unaquaque diviſione cingendo. Orificium pariter tubi in octo æquas partes diligentiſſime diviſi, quibus præparatis ſiphonibus

bus recurvis aquam in vas ad immutatam altitudinem ; nempe ut semper è labro diffluere, servavi, & aqua ad altitudines in sequenti tabella descriptas notatis amplitudinibus orificii correspondentes in fistula, reiteratis experimentis, constanter se contulit, nempe

Num. orificii amplitudo erat.		Altitudo aquæ in fistula fuit.	Altitudines ad quas juxta Theoriam adscendere debuerat auctæ constanti altitudine ex impedimentis orta.
	8		1. $\frac{1}{3}$
	7		2.0
	6		2. $\frac{3}{4}$
	5		4.0
	4		5. $\frac{1}{3}$
	3		6. $\frac{1}{4}$
	2		7. $\frac{1}{3}$
	1		8.0
	0		8. $\frac{1}{3}$

	1. $\frac{1}{3}$
	2. $\frac{1}{3}$
	3. $\frac{1}{3}$
	4. $\frac{1}{3}$
	5. $\frac{1}{3}$
	6. $\frac{1}{3}$
	7. $\frac{1}{3}$
	8. $\frac{1}{3}$
	8. $\frac{1}{3}$

Vides ergo Vir doctissime adscensum aquæ in fistula ex capite adscensus, qui in omnibus fistulis non enormiter amplis fit, fuisse in hoc experimento unius tertiæ partis octantis totius altitudinis vasis à suprema tubi interioris superficie dimensæ: dum enim totum firmabatur orificium, aqua supra libellam adscendebat ad supra dictam altitudinem; Altitudinem verò ex retardatione fluxus aquæ per tubum, esse integrum altitudinis octantem, dum enim aqua pleno fluento exibat, nihilominus per fistulam ad altitudinem unius octantis tertia sui parte aucti assurgebat. Hanc ergo constantem altitudinem vir doctissime semper adde altitudinibus ex proposita theoria inveniendis, & te judice dic, num satis exactè experientia habuerit pro voto succesum; tenui enim differentia, ut ex collatione altitudinum theoreticarum, quas subsequenter apposui, expertæ altitudines discrepant, quod utique, si non ex impossibilitate, certe ex defectu diligentiæ in constructendis theoreticè luminum amplitudinibus ortum duxit.

Restat nunc ut quid pro diversa obicum adaptatione eventurum sit exponam. Orificium tubi ad integram amplitudinem reduxi, positaque lamella lateribus tubi rectà, quæ medietatem orificii obstrueret, contra quam ideo aquæ fluentum rectà impingebat, aqua in fistula ad sextum octantem tertia insuper sui parte auctum adscendit, quæ quidem altitudo minime discrepat ab ea, quam tu in tuis experimentis Clarissime Vir dimensus es. Obstructo inde amplius Orificio, ut solùm ejus quarta pars reseraretur, à tota altitudine defecit sexta octantis parte, quæ iterum altitudo cum altitudine jam à te observata concordat, unde te simili obicum adaptatione usum fuisse facilè mihi foret divinari, etiam si id tu non exposuisses; subrogatio enim fistulæ partialis altitudinis pro partiali obice, descriptam obicum adaptationem includit, & hinc est exorbitantia adscensus reperti in fistula ab adscensu ex theoria deducendo.

Eadem etiam de causa evenit, ut si intra fistulam Gg, & vas AB lumen in tubo aperiatur, vel fistula brevior apponatur, aqua pellatur in fistulam intermediam ad altitudinem ea majorem, quam obtineret si secus fieret adaptatio. Porro clarum est, si duo stent æqualia lumina, quorum unum aquæ fluento inclinetur, alterum illi stet rectum, ab illo minorem aquæ copiam effluxuram esse, vel si duo pariter lumina æqualia in eodem stent latere, & similiter inclinata, parcius effluxuram aquam ab eo quod magis distat ab obice quo tubi exterius orificium c occluditur; cum igitur hæc omnia in præsenti casu locum habeant, unde parcius aquæ per tubi orificium effluunt, altitudines aquæ è contrario in fistula oportet augeri. In constructione ergo tubi jam superius descripta, unum latus construi curaveram taliter, ut lumen simile, & æquale orificio c aperiri in eo pro libitu posset. Firmato g. o orificio c, apertoque ex toto laterali lumine, ultra quod stabat erecta fistula, per hanc surrexit aqua ad quintum

octantem duabus tertiis auctum, & aqua quæ è lumine hoc effluebat, ex eo quod jam per conceptam directionem excurreret, pleno lumine minime exibat, sed tantum ea pars quæ superata circiter medietate luminis, per quandam expansionem confinia tubi præteribat, quæque à labro luminis ab ea quæ in tubi parte includebatur, secernebatur.

Hæc sunt Vir Clarissime quæ in hoc argumento observavi, & tibi mittenda censui. Reliquum nunc est, ut pro tua humanitate, hæc, qualiacumque sint, hilari vultu excipias, eaque patrocinaris, sicut te facturum confido, meque in eorum numero, qui te non solùm cordatissime diligunt, sed & impensè colunt, & observant, adscriptum semper habeas. Vale.

Dabam Mutinæ Kal. Sept. 1714.



CAPUT ULTIMUM.

De Fontium Mutinensium bonitate, ac præstantia.

PErerratis itaque pro animi viribus his aquis subterraneis, quantum per cœcam navigationem licuit, quam nec Astra, nec Versoria regerent, reliquum est, ut

Vela traham, & terris festinem advertere proram. (a)

Verùm ne horum Fontium naturam, quoad humanos usus attinet, sicco pede transigam, & ne sitientium more, quod ajunt, tacitè bibam, in hac quoque parte, quamvis id extra meum propositum videatur, nonnulla perstringam. Vetus contentio est, quænam in classe aquarum simplicium, pro communi hominum potu salubriores sint, cùm alii pluviales præferant, alii fontanas, quibusdam in locis fluviales magis commendentur, in aliis puteales (b) *Hippocrates* pluviales cæteris visus est prætulisse, illas *enim dulcissimas, tenuissimas, & splendidissimas* appellavit, cùm id quod tenuissimum, ac leviſſimum est in aqua exalte-

(a) Geo. 4. (b) de aë. aq. & lo. n. 27.

exaltetur, ac ſurſum rapiatur à Sole; de pluvialibus tamen æſtivis, quas horæas dicunt, (a) *Hippocratem* locutum eſſe conſtat; ſiquidem aquarum arte carentium illas commendat, quæ æſtate ab æthere *Jove* tonante, excernuntur, procelloſas verò malas eſſe pronunciavit. *Hippocratem* ſequuti *Celſus*, *Galenus*, *Avicenna*, *Paulus*, & alii idem prorſus ſentiunt.

Plinius (b) alia ex parte pluviales aquas maximè improbat, quin adeò incandeſcit, ut opinionem quæ illas commendat, refellere *intereſſe vitæ* ſcripſerit; neque levitatis argumentum eſſe putat, quòd *Cœlum ſubierint*, cùm etiam lapides, inquit ille, Cœlum ſubire appareat, ac ulteriùs aquæ, dum è nubibus decidunt, à terræ halitibus infici poſſint, ut propterea pluvialibus fontanæ, ubi illarum ſit copia, videantur præferendæ.

Verùm ſi res benè penſitetur, vix locum diſputationi eſſe conſtabit. Etenim cùm non omnes pluviales aquæ, veluti neque fontanæ omnes, ejuſdem ubique ſint naturæ, cùm non omnis regio eandem habeat atmoſphæram, nec idem ſolum per quod aqua percoletur (quando ex (c) *Theophraſto* qualis terra, talis aqua) perſæpè contingit, uti *Coſtæus* advertit, ut quibuſdam in locis ob ætheris puritatem potiores ſint pluviales aquæ, quàm fontanæ, aliis in locis laudabiliores ſint puteales, vel fluviales, ut aqua *Nili* fluminis, ad cujus votivam inundationem, quotannis tota *Ægyptus* hæret ſuſpenſa. Aquam verò *Niloticam*, præ aquis aliorum fluminum bonitate præſtare mirum non eſt, cùm longo itinere plagam à Solis calore exuſtam percurrens, percoquatur, & in præcipiti ex altiſſimis Montibus deſcenſu agitetur, ac attenuetur; hinc teſtatur *Athenæus*, *Philadelphum Ægypti Regem*, (d) cum *Berenicem* filiam *Antiocho* Aſſyriæ Regi deſpondiſſet, voluiſſe ut aquam *Nili* fluminis ſecum deferret.

Cæteris tamen notis conſentientibus, Fontium aquas, pluvialibus, ac reliquis præferendas eſſe, rationi conſonum videtur: pluviales etenim ex omnigenis terræ ſordibus, ex ſimo, & ipſis cadaveribus educuntur, ac licet *Hippocrates* eas optimas *ſecundum rationem* ſcripſerit, ſubdidit tamen opus habere, ut decoquantur, ac percolentur; quare non immeritò Syrupi de Papavere præparationem, qui cum aqua pluviali parari ſolet, nonnulli improbant, ac putant, *Hippocratem ſecundum rationem* loquutum eſſe, non ſecundum experientiam. Sic inter recentiores experientiſſimus (e) *Ettmullerus* aquam pluvialem ſemper terreſtre aliquid relinquere, etiamſi centies deſtilletur, teſtatum reliquit. Puteales autem cum motu careant, niſi extrinſecùs verberatæ dum hauriuntur, ac in fundo multùm limi habeant, (f) fluviales verò cum ex nive, ac imbribus collectæ ſint, & diverſa terrarum genera percurrant, ideòque ab *Hippocrate diſſidentes* dicantur, eam puritatem, ac ſimplicitatem habere nequeunt, quam poſſident fontanæ, quæ à calore in terræ viſceribus coacto hyemali tempore percoquuntur, & per eandem terram percolantur.

In claſſe igitur aquarum ſimplicium non medicatarum, primas obtinent noſtrorum Fontium puriſſimi latices, ita ut nulli ex celebrioribus noſtrorum temporum Fontibus, quicquam concedant, notæ ſiquidem quibus aquæ ſinceriſſimæ ac laudatiſſimæ pro quotidiano hominum potu commendantur, in his eminent. Dos potiſſima quæ in aqua expetitur, & quæ cæteras eminenter continet, eſt ut de aëris natura maximè participet; ſic *Plinius* ſcripſit ſalubrem (g) *aquam aëri quàm ſimillimam eſſe oportere*, quo nomine *Caſſiodorus* Aquam Virginem, (h) *Romæ* olim tam celebrem, commendabat, quòd *aërem ſerenum puriſſimè labens mentiretur*. Ex hoc enim, quòd aërea ſit, & levis erit, & perſpicua, odoris & ſaporis expers, tenuis, & prona ad calorem & frigus facilè ſuſcipiendum. Tales autem ſunt horum Fontium aquæ; aëream enim perſpicuitatem præferunt, odoris ac ſaporis expertes ſunt, quamcumque alienam qualitatem citiſſimè excipiunt,

(a) 4. in 6. Epid. (b) l. 31. H. N. c. 3. (c) De Cau. Plant. l. 6. c. 3. de Potu in mor. l. 1. (d) l. 2. c. 2. (e) In Diſſer. de abſtruſo. (f) De Aë. Aq. & lo. 21. (g) l. 31. H. N. c. 3. (h) l. 7. Var. 6.

cipiunt, & ad lancis examen quacumque alia leviores ſunt.

Quamvis autem bonitatis argumentum ex levitate deſumptum, non magni facere videantur *Medici*, ac *Divinus Præceptor*, leves dicat eas quæ *citò calent*, *ac citò refrigerantur*, (*a*) & *Plinius* ſcripſerit, aquarum ſalubritatem ad ſtateram *fruſtrante diligentia perquiri*, *quando perrarum eſt*, ait ille, ut *levior ſit aliqua*, quod idem ſe expertum fuiſſe in diverſis aquarum generibus coram *Hercule II. Ferrariæ Duce* narrat *Braſavolus*; (*b*) attamen cùm non deſint ſubtiliores modi aquarum levitatem, vel minimam, dignoſcendi, ex corporum in aqua immerſione, juxta *Archimedis* doctrinam, levitas aquæ etiam ad pondus non erit prorsùs negligenda; levitas enim partium terreſtrium carentiam ſemper ſignificat, & majoris ſimplicitatis certum eſt argumentum. Indubium profectò eſt, quòd ſi duo Vaſa ejuſdem capacitatis, & eadem aqua plena habeantûr, ac in uno ex his varia ſalium genera, certa quadam quantitate diſſolvantur, licet aqua in mole non creſcat, majoris tamen præ alia erit ponderis, ac peregrinis qualitatibus ſaturabitur; quare gravitas, ac levitas non ſunt parvi pendendæ. Non negarim equidem, quaſdam aquas ex ſua natura leves, aliis gravioribus deteriores eſſe, ob pravas qualitates ſoli, per quod tranſierint; *Amphiarai*, & *Eretriæ* aquas inter ſe collatas pondere non differre tradit *Athenæus*, verùm hanc ſalubrem, (*c*) illam vitioſam eſſe ait. Sic *Titareſius* Theſſaliæ fluvius, de quo *Homerus*, in *Peneum* influens illi non admiſcetur, ſed in modum Olei ſupernatat; (*d*) attamen lethales eſſe illius aquas tradit *Plinius*, aitque *Peneum* renuere, pœnales aquas, diriſque genitas, argenteis ſuis miſceri. Si vitrum Antimonii integrum in aqua præ cæteris alioquin levi infundamus, nihil certè ponderis ſaltem ad ſenſum illi accedet; at quas turbas in corpore hujuſmodi aqua motura ſit, neminem latet.

Atque hæc ſanè de ſimplici aquæ levitate, vera eſſe fateri neceſſe eſt, ſi tamen cum cæteris probitatis notis adſit quoque in pondere levitas, non exigua laudis, ac bonitatis erit acceſſio; Fontem in *Æthiopia* deſcribit *Herodotus*, (*e*) cujus Fontis aquam huiuſmodi levitatis fuiſſe ait, ut in ea nihil innatare poſſet, ne lignum quidem, nec ea quæ leviora eſſent ligno, & qui hujuſmodi aqua uterentur *Macrobios*, ideſt longævos exſtitiſſe. Ipſe quoque *Galenus* aquæ levitatem, pro laudabili probitatis conjectura accipit; (*f*) *ſin vero per ſe ſolùm ſit levitas*, ut idem ait, *non erit ſufficiens aquarum bonarum argumentum*; quod idem de quocumque alio ſigno pronunciare licet, cum nullum per ſe, ac ſejunctim ſufficiat, ad aquæ bonitatem atteſtandam:

Certius tamen levitatis aquæ judicium, & veluti amuſſis, eſt, ſi nullum gravitatis ſenſum in Hypochondriis pariat: hæc enim verè leviſſima appellanda eſt, & hæc levitatis ſpecies, multò pluris æſtimanda, quàm ea quæ ad lancis examen dignoſcitur. Non enim ex eò quod Ἄποιος ſit, omni ſcilicet nudata qualitate, ita ut ſincera, ac limpida ſit, odoris & ſaporis expers, illicò ſententia ferenda, & tanquam innocens pronuncianda; quin ad aliud judicium provocare liceat, ſcilicet ad Hypochondriorum ſenſum: fieri enim poteſt, ut quoad ſenſus externos omnes bonitatis notas præferat, occultiorem tamen noxam recondat, quæ non niſi ab interno ſenſu deprehendi queat. Hæc itaque fida, ac tutior erit aquarum cenſura, quæ ab ipſa experientia petitur, ac profectò levis ab affectu aqua illa judicanda eſt, quæ facile permeando, nullum gravitatis ſenſum in Viſceribus efficiat, in quo genere levitatis, valde commendabiles ſunt *Fontium Mutinenſium* aquæ, ut quæ largo potu hauſtæ, aqualiculum minimè gravent, ſed totum corpus facilè pervadant, ac per ſudorem, & Urinas reddantur.

Præ cæteris Fontibus eos præcipuè laudat *Hippocrates*, (*g*) quorum aquæ è profundis Terræ ſcatebris prodeant, quæ æſtate frigidæ

(*a*) 5. Aph. 26. l. 31. H. N. c. 3. (*b*) in Com. Aph. 26. 5. Se. (*c*) lib. 1. Dipno. c. 2. (*d*) l. 4. H. N. c. 8. (*e*) In Thal. (*f*) De Bonit. Aq. c. 1. (*g*) De Aër. Aq. & lo. 14.

dæ ſint, hyeme calidæ: at hæc omnia in his Fontibus obſervantur, cum ex profunditate 68 pedum in altum ſe provehant; æſtate ſimiliter valdè frigent, hyeme verò calent, immò tenue quid exhalant. Neque calorem qui in his aquis hyeme perſentitur, in metallicas exhalationes, aut ſalium cum acido minerali permixtionem licet referre; quando is tantummodò hyemali tempore percipitur, ſed in ſolam antiperiſtaſim.

Tot eſſe aquarum differentias quot locorum norunt omnes; aquæ enim fontanæ, ac puteales, ſoli per quod diſcurrunt varias qualitates, quæ innumeræ ſunt, facilè combibunt. Salubriores tamen cenſentur aquæ per ſabulum craſſum, & glaream fluentes, eò quod nihil è tali materia ſecum abripiant, quòd de aquis per cœnum, ac mollem arenam diſcurrentibus affirmari nequit. Aſt horum Fontium aquæ per Sabulum, quod maſculum appellant, longo procul itinere, multoque curſu exercitæ diffluunt, ut palam facit ſabuli craſſi, & glareæ ingens copia, quam hi Fontes, cùm primò erumpunt, ſolent rejicere.

Incorruptæ præterea ad longum tempus, mea aliorumque obſervatione perſtant hujuſmodi aquæ in Vaſis repoſitæ; facto enim experimento in maritimis navigationibus, compertum eſt, aquam *Nucerianam* putruiſſe, noſtras autem incorruptas perſtitiſſe. Haud ſum neſcius, quæſtione non minùs curioſa, quam ſcitu digna, quæri inter *Medicos*, num aquæ cita corruptio bonitati, an vitio vertenda ſit; dubitandi anſam forſan præbuit ipſemet (*a*) *Hippocrates*, qui poſtquam imbrium aquas laudaſſet, eaſdem citiſſime putreſcere ſubdidit, ni coquantur, & percolentur. *Galenus Paulus*, *Avicenna*, aliique ex antiquioribus, ac inter recentiores *Joubertus*, *Salius*, *Augenius*, *Bruvierinus*, & complures alii, aquæ promptitudinem ad putreſcendum pro bonitatis ſigno accipiunt, modò aliæ notæ conſentiant. Dos enim aquæ præcipua, ajunt illi, eſt ut à quacumque cauſa externa facilè alteretur, & hinc facilem oriri putrefcentiam exiſtimant; eas verò quæ diu à corruptione immunes perſtant, aluminoſæ qualitatis participes eſſe ajunt; quales ſunt *Aquæ Tiberinæ*, quæ in Vaſis fictilibus repoſitæ, ad menſes, & annos in Hypogæis ſine corruptione aſſervantur. Altera ex parte non deſunt, qui facilem putreſcentiam inter aquæ vitia recenſeant, inter quos *Coſtæus*, qui ait de optimæ aquæ natura eſſe, *ut minus facilè corrumpatur*, ac non immeritò *Avicennæ* opponitur, (*b*) qui pluviales aquas citò corrumpi putabat, *quia tenuiores eſſent*; nam potiùs ex partium tenuitate licet arguere, ſubſtantias putrefactioni eſſe minùs obnoxias, ut conſtat de aquis deſtillatis ac de Vini ſpiritu, qui Vino meherclè tenuior eſt, ac non ſolùm non putret, ſed reliqua corpora ſarta tecta a putredine tuetur.

Cùm itaque experientia ipſa palam faciat, ea quæ ſimpliciora ſunt, minùs putreſcere, ea verò quæ majorem habeant heterogeneitatem, ob partium internum diſſidium, & continuam fermentationem facilius corrumpi, propterea facilem corruptionem aquæ, pravitati potiùs, quàm bonitati vertendam crediderim. Imbrium autem aquas, citiùs putrefieri cenſendum eſt, eò quia dum à Solis calore humor è terra ſurſum elevatur, una cum ipſo omnigenæ ſordes adſcendant, (*c*) & ingens ſalium volatilium copia illi remiſceatur; qua de cauſa ſcripſit *Becherus*, pluviales aquas putrefactas, ac deſtillatas ſpiritum ardentem ſuggerere,

Secus ſi aquæ promptitudo ad putreſcendum, bonitatis argumentum eſſet, cur non idem quoque de iis eduliis liceret proferre, quæ ex ſua natura facile putrent, uti ſunt Carnes, piſces, fructus horarii, olera, & ſimilia, quòd ſcilicet talia alimenta, iis quæ non tam facilè putrent potiora ſint, cum faciliùs à vi coctrice alterentur? *Debiliores cibos brevem vitam habere*, ſcripſit *Hippocrates*, nimirùm ut *Valeſius* (*d*) interpretatur, brevem vitam hominibus præſtare, & qui talibus cibis veſcantur, infirmos eſſe, & debiles, nec poſſe diu vivere. Sic Panis ex

(*a*) De Aq. & lo. n. 18. (*b*) de potu in morb. l. p. c. 44. & c. 27. (*c*) in Supplem. Phyſ. Subt. c. 5. (*d*) 5. in 6. Epid.

triticò fermentatus ac benè coctus, ſanis corporibus optimum eſt alimentum, & vitam longævam præſtat; panis autem præ cæteris alimentis minùs putreſcit, quo nomine illum commendat *Levinus Lemnius*. *Panis enim*, ait ille (*a*) *diutius aſſervatus muceſcit quidem*, *areſcitque*, *verùm non putret*. Quòd itaque noſtrorum Fontium latices, corruptionem ferè neſciant, pro non vulgari illorum præconio habendum crediderim, ita ut accedentibus aliis probitatis notis, in aquarum optimarum cenſu ſint referendi.

Vetus aquæ commendatio eſt, ſi in illa celeriter coquantur legumina, teſte *Plinio*, *Athenæo*, *Vitruvio*, *Galeno*, *Paulo*, ac inter *recentiores Medicos*, *Langio*, *Coſtæo*, *Bruvierino*, & aliis, verùm id etiam aquis inſalubribus commune eſſe conſtat, difficultas enim coctionis in quibuſdam leguminibus, ut piſis, fabis, ciceribus, non ſemper aquarum eſt vitium, ſed perſæpè ipſorum leguminum, prout in hoc vel illo ſolo nata fuerint, atteſtante id *Theophraſto*, (*b*) qui tradidit *permulta eſſe loca*, *quæ legumina ſemper coctibilia ferant*, (*c*) *alia quæ incoctibilia*; quin ait Plutarchus *ſulcorum duorum conjunctorum alterum rigidam meſſem fundere*, *alterum minimè*. Id ſatis norunt ipſæ mulierculæ, quæ ſi habeant legumina coctu difficilia, pro more habent illa per noctem in aqua cum ſacculo cinere pleno macerare, quo pacto ex vi ſalium in cinere latentium denſa leguminum compages reſeratur. Aquam verò hoc modo lixivialem redditam nemo, reor, pro ſimplici, & quotidiano potu in corporibus ſanis commendabit. Diffiteri tamen non licet, quòd aquæ ſalſæ, & crudæ, ac ab optimis recedentes, quibuſdam morboſis naturis, vel in ſtatu neutro conſtitutis, eſſe non poſſint pro remedii materia, quòd expreſſè docuit *Hippocrates* his verbis. (*d*) *Quæcumque verò ſalſæ*, *& crudæ ſunt*, *ad hoc quidem ut eas omnes bibant non bonæ ſunt*; *ſunt tamen aliquæ naturæ*, *quibus tales aquæ in potu commodæ ſunt*.

Quæcumque dura eſſent, & incoctilia *Græci* vocabant *Ateramnia*, eandem quoque vocem ad animum refractarium, & inflexibilem transferendo; ſic legumina coctu difficilia ἀτέραμνα Οστρια dicebantur, qualia ſunt, quæ, ut ait (*e*) *Theophraſtus*, in terra craſſa, lenta, & quaſi figulari naſcuntur, veluti apud *Philippos*, cum ea legumina quæ fert *Ægyptus*, tum ſoli nitroſi, tum caloris ratione coctibilia ſint. Aqua pariter, in qua ægrè coquerentur legumina ἀτέραμνον Τδωρ appellatur, qua voce ad ſignificandam aquæ cruditatem pluribus in locis uſus eſt *Hippocrates*, quæ in ſuo Onomaſtico collegit *Erotianus*. Sicut ergo leguminum, & Olerum incoctibilitas, non ſemper aquarum culpa eſt, ita neque facilis eorumdem coctibilitas, illarum bonitati vertenda eſt, quæ coctilitas interdum ſeminum eſt propria, interdum aquæ communis, immò efficacior in quibuſdam aquis ab optimis recedentibus, cùm in aqua nitroſa, & lixiviali legumina, radices, & Olera promptiùs coquantur; hac de cauſa in aqua pluviali, ut pote ſalinis particulis referta, citiùs coquitur omne leguminum genus, quàm in fontana, quæ ſincerior eſt, ac magis defæcata. Hinc (*f*) *Horatius Augenius* imbrium aquam, pro paranda ptiſana cæteris præferens, cùm advertiſſet citiùs in hujuſmodi aqua coqui hordeum, quàm in fontana, ultrò fatetur pluviales aquas, non eſſe adeò ſinceras; quare in eam abiit ſententiam, veluti paradoxam, quòd *aqua quò fuerit ſincerior*, *& minùs permixta*, *eò deterior ſit*, *& humanæ vitæ uſibus minùs commoda*. Cæterùm in aquis noſtrorum Fontium ſatis commodam coctionem admittunt legumina, & quæcumque alia alimentorum genera, quod ſicuti improbare non auſim, ita pro optimæ aquæ indicio accipiendum nequaquam putarim.

Majus certe criterium pro dijudicanda ſimplicium aquarum probitate, illud eſt, quod, ut (*g*) *Vitruvius*, ex hominum circa tales aquas habitantium membratura deducitur; ſi nempe *ſint corporibus*, *valentibus*, *nitidis* corpori-

(*a*) de occul. nat. mir. l. 2. c. 21. (*b*) l. 8. de his Plant. c. 9. (*c*) l. 7. Quæ. Conv. Qu. 2. (*d*) de Aër. Aq. & lo. n. 14. (*e*) de cau. Plant. c. 13. (*f*) l. p. Ep. p. (*g*) l. 8. c. 5.

poribus, carnibus non vitiatis, non lippis oculis; bono autem habitu præditos esse, ac nulli ex his vitiis obnoxios tam Cives, quàm Suburbanos nostros, jam satis constat; ac bona valetudo, qua præ cæteris Urbibus in *Regione Cispadana* fruitur *Mutina*, non tam aëris salubritati, quàm aquarum bonitati accepta referri debet, non secus ac in *Ægypto*, ubi vitæ longævitas aquæ Niliacæ adscribitur, teste *Alpino*. (*a*) Cùm igitur ad quamcumque censuram istorum Fontium aquæ innoxiæ non solùm, sed salubres deprehendantur, non habet in hoc meherclè, quod cuiquam alii hæc Urbs invideat; immò cùm ad proxima loca per æstatem hujusmodi aquæ deferantur, ex his regionibus *aqua Nuceriana* jam ferè proscripta est, non sine magno ægrotantium beneficio, ac emolumento. Sic æstivo tempore in quocumque febrium genere ad hos Fontes (quando aquæ usus, ni dicam abusus, nostro hoc ævo ita invaluit, ut unicum Antipyreticum videatur) ac præcipuè ad Fontem, qui *Fons Abyssus* dicitur, tanquam ad *Æsculapii Puteum*, de quo superiùs habita mentio concurritur; quare de his Fontibus, id quod *de Apono Claudianus* cecinit proferre non verear, quòd nempe sint, saltem apud Nostrates,

commune Medentum
Auxilium, præsens Numen, inempta salus.

Atque hæc de Fontium Mutinensium indole, ac proprietatibus, quòd si verisimilia dixisse, mihi obtigerit, benè res habet, sin minùs tunc ob dignitatem materiæ, tum ob difficultatem (*b*) *Voluptatum est Dolium in Cranio.*

(*a*) de Med. Æg. l. 1. c. 12. (*b*) Luc. de conse. hist.

FRAN-

FRANCISCI ARIOSTI
DE
OLEO MONTIS ZIBINII,
SEU
PETROLEO AGRI MUTINENSIS
LIBELLUS,
AB OLIGERO JACOBÆO,
Manuſcriptus in Bibliotheca Regia Haffnienſi repertus,
Ac Celeberrimo Domino
ANTONIO MAGLIABECHIO
DICATUS.

VIRO INCLYTO
ANTONIO MAGLIABECHIO,
Magni Etruriæ Ducis Bibliothecario.

DUm Heſperiam tuam, & decora ejus, ac ornamenta, olim à me luſtrata, cogitatione tacita revolvo, pendeo animi, quid in feliciſſima illa terra, & matre elegantiarum primum, quid ſecundum, quid poſtremum mirari debeam. Hic conquiſitiſſima Antiquitatum rudera Templorum laquearia, Circi, & Amphitheatra, illic ſplendida periſtylia luxurioſi Xyſti, collucentes periſtromatis belluatis parietes, & ex marmore Thuſco aſarota ſtupentem tenent. Quæ quidem omnia, licet eximia planè ſint, & curioſorum oculos fatigent, minora putanda ſunt innata genti Italæ humanitate, & ſapientiæ ac literarum ſtudiis, quæ Alpes inter & Appenninos paſſim efflorescunt. Cum inter alios verò, quos juncta eruditioni humanitas commendat, Tu caput extollas, & velut inter ignes minores luna, longè latèque eruditionis radios diffundas, Te unum inſtar omnium, fretus humanitate ſolita compello, ſœtumque hunc Arioſti, poſt tenebras diuturnas luci expoſitum, oculis doctiſſimis ſubjiciendum exiſtimo. Non me latet, Vir celeberrime, ſatis Tibi librorum eſſe, ſatis eruditæ ſupellectilis, ut pagellis noſtris haud quaquam indigeas, diffuſo illo membranarum, ac voluminum ſatellitio ſtipatus; aſpernari enim facilè quis poſſet oblatam micam, cui plena cupediis promptuaria, plenæ ſcitamentis & bellariis menſæ. Tuus autem in literatos omnes favor, Tuus in me, licet immerentem affectus, Tua Orbi univerſo perſpecta humanitas parit inſtituto noſtro audaciam, & velut purpuræ illuſtriori laciniam pretioſis Bibliothecæ tuæ voluminibus, leve hoc annectit Opuſculum. Gaudet non immeritò tenellus hic Arioſti fœtus illis ſociari Bibliothecæ Tuæ codicibus, quos ætas, raritas, Scriptorum in-

induſtria nobilitat, illis jungi Sapientibus qui neceſſitate contubernii adſtricti pernoctant tecum, & muti rerum Magiſtri appellantur. Quanto enim ſapientiæ theſauro, quot voluminum pretioſorum ſarcinis, & gratis animi oblectamentis Tui redundent plutei, norunt qui Te norunt. Adeò ut eadem Tibi, quæ Tullio olim mens videatur, qui præ copia librorum, ut de ſeipſo refert, omnes Craſſi divitias contempſit, eadem quæ Alphonſo Regi, qui pretioſarum rerum omnium potiùs quàm librorum facere jacturam maluit. Nec ſufficit Tibi ſola Auctorum nomina, ſolos voluminum titulos dignoſcere, chartarum munditiem, compactionis tenacitatem, membranarum vetuſtatem, & quos vel bullatos ære vel raſos pumice codices antiquitas oſtendit, in medium proferre, ſed cerebro Tuo inſculpta ſingula mentiſque benè inſtitutæ & exercitatæ Tabulas ubique circumfers. Quantam, quæſo, ex fontibus iſtis eloquentiam, & ſermonis defæcati puritatem indies depromis? quàm adſperſam, & diſtinctam multarum rerum jucunda varietate? quantam in differendo promptitudinem? qua oſtendis luculenter quid voce, quid lingua, quid ſpiritu efficere poſſis. Adeò ut mirari amplius jam deſinat Orbis, tot indies in ſermone Tuo eruditos, tanquam in opportuno aliquo diverſorio, requieſcere, tot ad Te exteros è nido patrio properare, tanta quotidie januam, & veſtibulum Tuum frequentia ſapientum, & ſummorum hominum ſplendore celebrari. Quemadmodum enim, qui in taberna unguentaria diutiùs commorantur, ob exhalantes aromatum rerumque ſuaveolentium particulas, loci odorem ſecum aſportant, inter tuos ſæpius verſati pluteos, Tua uſi familiaritate, aliquam ſibi virtutis auram protinus afflari deprehendunt, & ſemper à Te doctiores redire. Verè quippe cum Tullio judicant, nil tam jucundum cognitu atque auditu quàm ſapientibus verbis ſententiis ornatam orationem, & perpolitam. Audet ergo hic libellus Tuum ſibi nomen inſcribere, Tuiin primis favoris, Tuæ humanitatis, non ſui, non Auctoris, non argumenti fiducia. Excipe, Vir magne, ſerena fronte Opuſculum, & porrige huic fœtui aſylum, ac in gremio Tuo, velut Muſas alias quæ animam Tibi debent, repoſitum defende. Vive diù, Deo, Patriæ Tuæ, Urbi Florentinæ, Orbi literatorum. Vive, & ut ſolus, ama.

Haffniæ die 28. Septemb. Anno 1690.

Tuum ad cineres

OLIGERUM JACOBÆUM.

FRANCISCUS ARIOSTUS

DE OLEORUM PRINCIPIS OLEI MONZIBINII ORTU, & VIRTUTE.

Ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Principem

D. BORSIUM,

Ducem Regii, & Mutinæ, Marchionem Eſtenſem, &c.

Dominum ſuum ſingularem, & Benefactorem Præcipuum.

ETſi ſciam, ILLUSTRISSIME PRINCEPS, rem extra ordinem me aggreſſurum, qui ab ingenuarum naturalium artium omnium fomitis, & Reginæ Philoſophiæ diſciplinis, Medicæque artis, humani generis fidiſſimæ cuſtodis, inſtitutis hactenus fuerim alienus, non tuæ tamen humanæ majori manſuetudini, neque iis qui unà tecum, quæ ſcripſero ex urbanitate lecturi ſunt, quicquam abſurdum videri debet, quod non de vulgari, & communi, ſed ut paulò poſt intelliges, de præſtanti, & eximia, è me licet non Phyſico, neque aſſueto naturæ ſpeculatore, aut probato venatore, quovis rudi, & inexperto dicendi more, ac non niſi conſultò hoc loco repoſitum fuerit. Cùm potiſſimum DEO fidamus, qui fari neſcientium ora quandoque benigniter aperuit, id *tuæ Excellentiæ* non ſolùm non niſi jucundum videri poſſe, ſed cæteris ad vehementem admirationem, & non levem utilitatem ceſſurum, qui tanti propoſiti noſtri vim, virtutemque ad commune mortalium commodum deprompti, contemplabuntur. Qua in re quidem non mediocri mihi illud ſolatio fuit, quod omnia priùs auſpicatus irrefragabilibus rationibus, ac comite experientia, rerum teſte fideliſſima, ad graviſſimos ſimplicium inveſtigatores, probatoſve, & locupletes Auctores retulerim. Et id profectò dignè non ſecus à me factum fuiſſe intelliges, ac ſi *Monzibinium Oleum* hoc, de quo agitur, ex iis, & eorum omnium meritò Princeps eſſet, de quibus pleriſque in locis, tam magnificè ſenſiſſe viſi ſunt. Quamobrem non vereor, quin hæc rudimenta qui perlegent, vel eò prolixiori duci poſſint oblectatione, quòd ea in re me uti peregrinum hominem, probata tamen omnia diſſerentem, accipient. Atque ideò non diffidimus affore, qui de incuria, neque abs re, me redarguiſſent, ſi naturale hoc, & præſtantiſſimum *Oleum* non voluntario judicio, neque opinionis errore, ad commune bonum, ut variis corporis paſſionibus peculiariſſimè conferens, pro virili mea non extuliſſem. Quæ ſanè res etſi ad *Phyſicam*, *Medicamque* pertineat, ſi tamen explicata pro humilitate mea fuerit, non video, quin aliud conſequi debeam quàm advenæ, qui magnificas ingrediuntur Urbes, ut novas quaſpiam inducant Mechanicas, aut inventis etiam quicquam aliud præclarum adjiciant. Nam primùm quidem ii, ab omnibus læta viſuntur fronte, amicèque excipiuntur. Tandem autem foventur, juvantur, & cari habentur. Sic itaque demum ſi ſimplicium omnium laborantibus corporibus ſuccurrentium ſingulare hoc, & juvantiſſimum *Oleum*, humi adhuc jacens, pro virium exſilitate, jure in omnium ora poſuero, ac cæteris diverſis morbis conferentibus adjecero, vel facilè, & non ſine cauſa antepoſuero, non erit quin

mea

mea quidem ſententia legi inprimis libenter, blandeque excipi, ac paſſim fieri omnibus acceptiſſimus debeam: Cùm noſtra maximè cum mercenariis illis minimè conferenda ſint. Nam cùm illæ ad fabricanda quædam uſu brevi terenda, & parvo duratura tempore inſtruantur, hæc à nobis ad opitulandum, & ad præſervandum humanum hoc corpus, quandoque in *Divini Numinis* Templum à *Summo rerum Opifice* inſtitutum, & ad ipſius ideæ, ipſius inquam, incomprehenſibilis imaginis ſimilitudinem fabricatum, & animi omnium ad humanam cognitionem ſpectantium capax effectum, ante univerſorum, potiſſimùm vero ante *Celeberrimæ Tuæ Excellentiæ* oculos proponuntur. Cui ipſe quidem inſcribere inſtitui, cum per omnem *Italiæ* oram, te nihil elegantius, nihil humanius inveniri poſſit, ac ſi pulcherrimum foret, de re tam eximia, apud eum qui præſtantiſſimæ ſit naturæ, bonitateque, beneficentia mirificè ſplendeat, verba facere. Proinde cui, proh *Deum* immortalem opuſculum noſtrum gratius quàm Tibi *Principum Sapientiſſimo* eſſe debet? Præſertim cùm illa ſub florentiſſimi & jucundiſſimi *Oppidi Saxolii* ſpecioſiſſima ditione felix noſter fons *Oleum* manet, quam de omni ampliſſimo, & pacifico imperio tuo maturè ſelegiſti, ubi maxima anni parte regni curas, ſollicita diſpenſatione pertractes, quandoque eas aucupiis, venationibus, ſive apricationibus intermittas, quod benigno ſub ſidere, & ſub ea cœli parte ſita ſit, quæ rerum omnium copiam ad humanum uſum optimarum perpetuo anni tempore procreat: ibique meritò excelſam arcem Saxolianam, ceu Capitolium alterum longè opulentius, longè magnificentius, quàm antea iſta in regione conſuetum eſſet, inſtruxeris; unde ipſe vitream, & limpidiſſimam Situlam fluvium defluentem, uti regiam piſcinam, deſpicias, unde per ipſius labra canoros avium concentus, & dulcem, ac ſuavem undique ſpirantem auram excipias, tot arbuſta humilium ferarum latibula diſcernas, tot ſubflorentium pratorum tractus, tot pinguia ſoli jugera, tot patentium camporum æquora irriguis defoſſionibus, & arborum ordinibus, ſerpentibus vitibus coronatis, diſtincta, per quæ magnanimos alites tuos, mira divini ingenii tui arte manſuefactos, præpeti penna, unco roſtro, & tenacibus unguibus armatos, ad ſidera ſcandere, ibique ſupra caput iſtud tuum ſapientiſſimum ad prædam accinctos adſtare, & ea viſa purum aëra findere, eamque ungue, uti fulmine, ferire, ac ſe ingenti vi, & animo potiri, moxque tuo jucundiſſimo conſpectui dono dare, non mediocri admiratione concernas. Tot fertiles colles, pomariis, ficulneis, olivetis, vinetis veſtitos, ac adeò formoſam viridariorum faciem, Elyſium propè proſpectum, incredibili delectatione admireris, & unde ſacri *Monzibinii* collis iſtius humeros, qui ſalutari hoc *Oleo* in magno nomine, & gloria eſt, (à ſolio enim iſto tuo Saxoliano, & ſplendidiſſima Ducali Aula ad ſecundum tantum diſtat lapidem) ad meridiem contempleris. Ex qua quidem re facilè fieri poſſe conſidero, ut nimirum id gratius *Tuæ Excellentiæ*, cariuſque eſſe debeat, quod de tam excellenti ſimplici merito memoriæ proditum eſt, & quod tam dignam opinionem tuam magnificare & illuſtrare uſpiam poſſit. Quale hoc idem eſt de cujus ſitu, vi, virtuteque, ut paulò poſt accipies, ſeriò tractare incipiemus.

Oleorum Principis Olei Monzibinii ſitus, ortus, vis, virtuſque.

INter Montana oppida, quæ *Mutinenſi in agro* ſita ſunt, *Monzibius* eſt. Idque non quidem vulgare; nam felici admodum inſidet promontorio, tum cœli benignitate, tum fœcunditate glebæ, tum autem vini præſtantia, ficuſque, atque oleo. Quarum rerum copia utique in immenſum claret. *Montemzibibum* priſcos ob uvæ elegantiam quondam vocitaſſe ferunt: Inde vero ſyncopari concinnius viſum eſſe. Ad ejus radices quidam decurrit rivus, qui ex ingenti olim ruina, ruinarum ſibi epitheton comparavit. Ac in Niraneum, Floraneumque derivans agros, pronus Curlianam in foſſam dilabitur, per

quam quidem verſo curſu *Seclam* in flumen ad ſeptentrionem tandem ſe condit. Veruntamen nullum ſibi rivus originem agnoſcit, niſi quam ex occidentis ſolis plaga ingruentes pluviæ, raræque, & deliquatæ nives de circumſedentibus collibus ſeſe evolventes, ad quorum defluit pedes, faciunt: Quo fit, ut incolis dubium relinquatur, torrentemne an autem rivum appellari ſatius ſit. Quippe qui ut è tam felicis Oppidi conſpectu *Monzibinia* interſecans paſcua, ad orientem, lapſum continuat, mirificam *Olei fodinam* adeſſe ob ejus vehementis ſpiritus, & odorificentiſſimi emiſſionem, conſpicari cogit, eamque ad lævam *Montemzibinium* adſpicientem oſtendit. Nam prærupta ſibi rupes, detonſaque imminet, & juxta rivi alveum ultra, citraque atram præ ſe fert ad ſex ulnas oleaſtris terræ faciem. Hic ſcrobs eſt, ſive fons rectius, ad pedem altus, cujus diameter non cis duas ſe extendit ulnas. In eum igitur aqua oriens per ſubterraneas venulas ſcatet, quæ ſero lacteo viſu ſimillima. Eam quoque viciſſim fluitantes ſeſe oculi oſtendunt, qui miræ ſunt, & inæſtimabilis penè vis oleum. Quis id facilè crediderit? aquæ, & oleo eandem vim fragrantiæ eſſe. Ex atra quoque illa oleaſtri terra glebas effodiunt, in fruſtulave ſenſim findunt, eaque æreo tepefaciunt aheno, & loculo obſerant lâneo, ac prælis idem ex iis exprimunt oleum. Illud autem non te lateat, *Sapientiſſime Princeps*, quò ad umbilicum rimata omnia eſſe intelligas, quæ ad rem attinent, rupem hanc, de qua fons hic ſacer oleum manat, neque herbam, neque arbuſtum, neque arborem ullam, ad ſagittæ jactum ſupra circaque ſe emittere, ſed ibi tum demum rarasadmodum juniperos, raras myricas, vepreſque raros, & perraras ſeſe efferre ulmos; veruntamen herba quædam, cujus generis nunquam me alias vidiſſe memini de ingenio ad declive rupis initium ſuboleſcit, quam etiam incolæ *Fumanam* vocant; hæc hortulano tithymallo ferè ſimilis eſt, ni quod illud ſimplici, hæc autem ramoſo ſubruffoque ſeſe erigit fuſte, florem pariens chamomillæ flori parùm diſſimilem, ni quòd illud intumeſcens, quale in chamomillæ flore albis foliolis, uti corolla pulcherrimè cingitur, hic detumet, & ad folliculi ſimilitudinem defoſſum eſt, quaſi in eo, ſeu ſiliqua recluſum ſemen foveatur. Ac veluti nullum odorem ſpirat, ita, & vanum, & inſipidum ſaporem deguſtantibus præbet, ac ſi fatua eſſet materia, quæ in tam ſterili loco, & in ſubpallido rupis vertice, unde ingens ad fontem præcipitium derivatur, naturali neſcio quo fato, oboriatur. Cùm ergò ipſius olei adhuc incogniti ollula, Martio menſe proximo ad me eſſet delata, ac ejus odoris ſuavitatem intentionemque vehementer admirarer, protinus ſanè obſtupui, conſiderans tantùm gratiarum non fortuitò quidem conferri, quantum hoc loco nobis terræ fœtu profundebatur, ſed cœlitùs miſericorditer depromptum, & incredibilem rem quodammodo credibilem feci. Nam ex *Caſtellariano Strozza* præclariſſimo Oppido, ibi enim cùm ſim Prætor deſignatus, facilè eò me contuli, quo ea in re naturæ vim virtutemque contemplans, quicquid humano uſui neceſſarium, ac memoria dignum adinvenirem, pro ingenioli qualitate præſentibus, & poſteris palam facerem, quo tamen facto de vaſtæ, & inherboſæ rupis calce, ut paulò ante eum in rivum, & de ipſius terræ viſceribus tam pretioſus, tamve ſalubris, cœlorum indulgentia, ſubargenteus nobis diſtillaretur liquor. Et quemadmodum varii, diverſique de eo ſentiant, qui naturalium vias indagare innixi ſunt, pleraque ſubjiciens juvamenta, quorum majorem vidimus partem, nonnullave ab iis, qui partem experimentati ſunt, partem autem ab iis, qui in aliis videre, fideliter accepimus. Sunt ergo qui ferunt *oleum noſtrum* de *Aſphalti* illius clariſque genere eſſe, quod apud *Babylonas* emanat, quemadmodum ſubtiliſſimo illi ſimplicium inveſtigatori *Serapioni*, & antiquiſſimo illi, ac non mediocri Phyſico *Dioſcoridi*, qui eſſe optimum ex *Aſphalti* ſpeciebus affirmat. Quidem acutiſſimo ingenio adſpiciunt, & eſſe *Petrolei* illius albi, & Diaphani ſpeciem, igneam habentem virtutem, non ambigunt, quam concreari, tunc maximè ſulphureis in locis, cum

cum terrea aque aque pinguedo igneas in partes, caloris actione, immittitur, eleganter deſcribunt. Complures *Meſuæ* ſcripta de *Petrolei ſubaldi* qualitate ſubtiliter & argute diſſerentis conſiderant: Olei tamen proprii ſimilem eſſentiam eſſe, quòd à tàm claro *Philoſopho*, & graviſſimo *Medico*, Philoſophorum oleum non indignè appellatur, & in quo priſcos concordaſſe, Secretorumque ſecretiſſimum eſſe confirmat, & juvamentorum pleniſſimum prædicat, plurimos *ſapientiæ oleum*, nonullos *benedictum*, quàm multos *ſanctum*, alios *perfectum*, & maximum vocitaſſe, decantans, quod calefactivam, reſolutivam, penetrativam, ſuperfluitatum conſumptivam virtutem habeat. Plerique vero *candidi aſphalti* illius genus eſſe non diſſentiunt, quem ſibi cum ſulphure proximam naturam fore Naturali in hiſtoria *Plinius* ille diſertiſſimè laudat. Quidem autem ad perſpicaciſſimi *Galeni* de *ſubalbo aſphalto*, diaphano, & liquenti, magnificè dicta non ab re advertunt, noſtrumque oleum aut idem, aut nuſquam omnino diſſimile perhibent. Quidam tandem, neque injuria quidem, aliter ſpeculati ſunt, & *veri ſulphuris mineralis ſpiritus* partem aëream eſſe oleum noſtrum affirmant. Sive quod magis de aëre, quàm de igne teneat, etſi igneam non omninò naturam amittat, ſed eam quaſi radicale ſibi quoddam privilegium obſervet, quia ſolarium radiorum vi quantam ex Meridionalis plagæ adſpectu, ut paulò ante diſſeruimus, concipit, ex ipſo elicitur ſulphure, ſtillaturque, ac ſi de penitiſſimo rupis ventre ſulphuris mater minera ſuboriretur. Cauſam addunt, quod in mineralibus corporibus mirificè intendat, agatve, ſive ab aliis duritiem auferat, ſive aliis adjiciat, aut alia edulcet, alia dealbet, ab aliis ſtridorem depellat, ab aliis nidorem detergat, ſive univerſas tum demum ſcorias purget, neſcii ſimus. Cæterùm quoque aërem, in eo dominari, & ratione & ipſo docemur experimento. Quemadmodum enim Sol de terra vapores attrahit, iique paulatim adſcendentes aërem diſturbant, & condenſant, donec frigidam regionem, propter ſolarium radiorum reflexum attigerint, ibique inter agentia illa extrema vagantes, in aquam reſolvuntur, eaque in terram decidit, ita pariter fieri de hoc excellentiſſimo *Oleo* diceres. Si enim Olei hujus quantulum in pateram infuderis, ſpirituſve proprii flatum pluries inſufflaveris, ignea Olei guttula flatum, vel vaporem alliciet, ſpirituſve ipſe Oleum ceu aërem manifeſtè turbabit, & condenſabit. Quod ſi mox ad balneum impoſueris, ſpiritus ille, tanquam vapor aſſumptus, ad recipientis vaſculi frigiditatem in aquam concidet, Oleumque in propria, & priſtina claritate imminutum, & limpidum, ut aër poſt infuſos imbres, remanebit. Ideòque ne minimam quidem Olei partem reſolutum illud penſaveris, quoniam balneum *Oleum noſtrum* ad adſcenſum nuſquam propellit; ſed qualecumque fuerit hoc Oleum, illud non ignoramus, *Pientiſſime Princeps*, eſſe Chriſti JESU, & Domini noſtri gratia Oleum humanis corporibus ſaluberrimum, quod ipſi ex quotidianis, & manifeſtis experimentis, in quibus humano generi mirificè ſuccurritur, haud dubiè concernimus. Cùm maximè neminem eo adhuc uſum intelligamus, qui Domini noſtri clementia, ſalutem non ſit conſecutus, aut ſingulare ſibi non ſenſerit juvamentum. Nam ejus caliditas, & ſiccitas, cùm circa tertium ſint gradum, facilè æſtimamus ſe poſſe omnes cutis exituras, quæ propter corruptos in corpore humores, ad pororum orificia multiformiter pullulant, exſiccare, & curare, poſtquam tamen eos Purgantia patienti ſerio ante data ſint antidota, & omnia alia facilè afferre juvamenta non dubitamus, quæ à tot claris Auctoribus ſubalbum aſphaltum diaphanumve, & liquidum, ac clarum *petroleum*, liquenſve, & ſubalbidum pro eorum ſibi innata natura operari poſſe, poſteris ſub eorum canonibus digeſtiſſimè traditum eſt. Quorum tenorem, quando ſine difficultate copia paſſim haberi poteſt, hoc opuſculo non inſeruimus ſimul, ne legentibus dignè ipſi longiores in ſcribendo videamur. Cùm iis maximè ſatis ſuperque, negotii à nobis additum fuerit, qui elucubratiunculas noſtras tam incultè repoſitas te-

cum, *Dignissime Princeps*, ex charitate legere dignabuntur. Cæterùm autem, ne ipsi à nobismet ipsis longè fieri videamur, ad *Oleum nostrum*, ut ad peculiare quoddam institutum redeamus, de quo quidem primùm rudes hi homines, periculum dedere, etsi antea doctos minimè consuluerint, qui sese secundum salutiferæ Medicæ artis canones præparassent. Nihilominus interpellares, scabiem, prurigines, impetigines, pustulas, tuberem, denique tineam juvare visi sunt, radicitùs autem nec ne expulerint, obreino, vitatem adhuc ignotum est, cutem attamen, omni labe sordeque, & squalore post infocantem pruriginem exterminata, penitus absterssam, videris. Qua in re parùm mihi feciſſe videor, ni quorundam subjecero exempla, qui laudatissimi Olei hujus experimento usi sunt, quando in iis, in quibus magis sibi conferre videbatur, sibi pro arbitrio eligere licuerit.

Robinum catulum sicca, & septimestri Scabie liberatum.

LIbet *Robinum*, jucundissimum catulum nostrum, in medium afferre, qui sine lege etiam, ut innumeri penè mortales, gravi morbo curatus est. Operæ pretium enim erat cernere, quantam in vesaniam, ob siccam, & olentem scabiem, ac septimestrem, deveniſſet; ut præ inurente ardore, non saltem sibi densissimos unguibus divelleret villos, sed & ipsas putres admodum mordicùs infrendens dilaniaret carnes. Cujus incredibili, & jugi labore, & anxietate, puellari more permota *Sigismondia* filiola tertiò *Robinum* eo Oleo alternis perunxit diebus, & mira prorsum res evenit, ut *Robinum* infra sex eos dies in hora, in momenta, juvari, curari, liberari viderimus.

Ingentem lumbricorum aciem, quæ Princivallem Arioſtum, charissimum Puellum, ad mortem invaserat, ab Oleo nostro salubri fusam fugatamque.

PRincivallem dulcissimum puellum nostrum, nonne paulò minùs, ob lumbricos, nuper amisimus? Quæ sane res me adhuc in tantùm movet, ut vix illud tam egregiæ indolis discrimen sine humentibus oculis describere patiar. Emittenti namque spiritum haud dissimilem superioribus diebus puellum attoniti vidimus, quod eum sese torquentem, & tenere locum nescientem, & nares scalpentem, & fari impotem, ingens lumbricorum acies invasisset, ac dolore, febre, siti, & anxietate effœtum corpusculum jam universum occupasset, illinc cor pars adoriebatur, inde autem pars puellum strangulans guttur tenebat. Ibi *Paula* mater prope ut amens, in tam impio facto consternata, quid ampliùs adderet ad adhibita, & præstita Antidota non habebat, quando maximè Theriaca, & Mithridatio pharmaco peruncTos pulsus, orave narium, & stomachi nil juvare, aquam farina illitam, & insumptam nil conferre, temporibus additum saphirum nihil præstare, nil quoque regiam illam ex olivo, aloëque in dissecto volemo ad prunas ebullitis unctionem prodesse conspicati sumus. Non juxta aderat temporum nostrorum singulare illud *Hieronymi Castelli* ingenium, amorque ille in nos perspectissimus. Non nostri illi, & clarissimi Philosophi, & gravissimi Medici *Socinus Bentius* Senensis & *Horatius Girondus* conterraneus noster. Quorum trium ars, visque Medica, me & domum universam de orci pene faucibus centies revocavit. Ipse ergo qui per mille anfractus exagitatam mentem deducere didici, quid facerem? vitæ meæ dimidium, & ingravescentis ætatis solatium, ac delicias meas, filiolum exanimem, & propè pereuntem sine ulla spe liberationis ante oculos adspiciens? Quid plura? Dum enim non sine inæstimabili amaritudine, & anguſtia, de his cogitari cœptum esset, quibus funera curari consueverunt, vix illud de ingentissimo laborantis puelli suspirio accepimus, *Patris mei Oleo me inungite.* Meminerat enim, propriæ non immemor salutis, quod paulò ante pernicioſa quadam dexteri cubiti debilitate, post Pillulas ex Coloquintide pulpa, succique rosarum electuario, laudanove insumptas, unica ex eo inunctione

conva-

convaluiſſem. Cùm mihi, neſcio quo facto, tanta excreviſſet, ut harenarum horologium, quod libraria in cella ad ſingulas horas vertere ſoleo, vix ſuſtinuiſſem. Hic igitur ampulla ex eo Oleo, quam in pretio habeo, adhibita Oleoque tepefacto quonam pacto lumbricos fugantes, Oleo noſtro utantur, in miſericordis Domini JESU nomine deficientis admodum puelli pulſus omnes, temporaque, & narium orificia inungunt. Demum autem ſtomachi os, & ventrem obliniunt, ad quem etiam anteaquam deventum eſſet, en puellus noſter, *Zucharus noſter*, ſtratulo jacens jam Domini gratia reſpirat, ſpontèque ſua ſeſe erigens jam conſidet, & fari audet palam fulos, fugatoſve ſuæ ſalutis hoſtes eſſe. Nam Olei fragrantia accepta, ut tubæ clangore viſum eſſe, vel ventitaſſe exercitum, qui opem ſibi, auxiliumque ferret, & hoſtium eſſet obſidionem debellaturus. Ideòque incuſſo hoſtibus terrore ſeſe extemplo in fugam verſos, & qua data latrinaria ſella irruiſſe, eaque ſeſe præcipites dediſſe.

Lupam, quæ jam ſemeſum crus vorabat, Olei noſtri infuſione exterminatam.

ERat in Caſtellariano Strozza Peregrinus Pajola duo de triginta natus annos, & octogenarii, ac decrepiti Patris Barnabæ unicus filius. Huic ergo ſecundum dexterum crus qua toroſius eſt à genu ad pedis articulos, puſtulæ aquoſæ innumeræ penè ad juglandis quantitatem ſubortæ ſunt, quæ ſanè hominem in tantùm inurebant, & cruciabant, ut nullus ſibi quieti daretur locus. Hic vietus ſenex de unici prognati, ac propediem hæredis futuri morbo convalente anxius, nil addere prætermiſit, quod conferendum eſſe conſuleretur. Confractæ tandem puſtulæ, ardentem ſaniem ex uniuſcujuſque foro emittebant, ut alia aliam alteraret, & penitùs roderet. Hinc undique tumebant ulceris tanti labia, ut tumidum, immenſumve crus, ocrea, non autem crus, mirantibus cunctis videretur. Quonam pacto huic tanto ſuccurretur morbo? quum ejus adhuc ignoratum ſit per rudes nomen. Nam Lupam quidam, quidam Anthracem, Bubonem alii nominavere. Sed vetulo tandem uſquequaque quæritanti ſibi opem ferri, hinc conſultum eſt, iret, & ſub tepenti Oleo noſtro crus univerſum gallinacea ſuaviter inungeret penna. Quod ubi veſperi, *Domini clementia*, feciſſet, manè detumefactum crus, & prorſus abſterſum vidimus; ac eo ſic in vices progrediente quarto poſt die, Peregrinum liberatum conſpeximus. Quæ profectò res, & populo admirationem, victo parenti ſolatium, Domino autem noſtro JESU laudem, gloriamque peperit, ſine cujus nutu, ne foliorum quidem minimum ad terram cadit.

Trina cum Oleo noſtro inunctione venuſtam Mulierem ſeptenni humeri ſiniſtri dolore abſolutam.

PAulam chariſſimam Conjugem ſiniſtro in humero ingentem dolorem ſeptem annos geſſiſſe palam eſt. Eum etenim in Principalis Arioſti chariſſimi filioli noſtri tunc lactentis, puerperio incautè excepit. Nam uti frequenter ſolet evenire, quod lactantes ipſo in ſopore deſudant, & ad vagitus reſipiſcunt, protinuſve exſiliunt, ſenſimque refrigeſcunt, & pori horrore concluduntur, ſicque meatus ſuos recluſus rigor ignorat, & conſidens, ubi magis aguntur per juncturas membra, ad motum dolorem excitat. Humani enim corporis compagines ullis accidentibus ſociari non patiuntur. Sic quoque venuſtæ Uxori obveniſſe non dubitamus, quando maximè puelli curam anxiam perdius pariter, & pernox ipſam, & nimio propè pietatis ardore ſuccenſam ſuſcepiſſe frequenter admirabamur. Pro cujus quidem ſalute quis ambigat artheticum omne, & Phyſicum, & Medicum nos, & quæritaſſe, & inquiſiviſſe juvamentum? ubi multa ſanè lenire potuere, eradicare verò dolorem minimè. Cum autem de Olei noſtri vi, virtuteque fama crebreſceret, eo quoque in tanto, & ut deſperato caſu uti poſſe viſum eſt. Ac poſt quam

Arthe-

Artheticos purgantia ſeriò iterum ante data ſunt, ſubtepenti Oleo noſtro locum tribus, & alternis diebus inungens, ejus clementia, qui in ſe ſperantes non derelinquit, ſalutem conſecuta eſt.

Lumen oculi ſiniſtri, quod ſuborta perla Puellæ occuparat, aqua Olei lotione Puellæ reſtitutum.

SChianchæ puellæ Saxolianæ, cum oculi ſiniſtri oborta perla lumen penitus occupaſſet, ac plura collyria parentes incaſſum adhibuiſſent, ad benedictum liquorem noſtrum, ceu quodammodò ad cœleſtem manum tandem condeſcendere; & Olei noſtri aqua tantùm, ſeri lactei ſimillima, ſingulis diebus, ad dies decem, puellæ oculum lavare, lotioni tantum infuiſſe virium conſtat, ut divino quaſi miniſterio medium perlæ diſcinderetur, lumenve, quod antea omninò contexerat, oſtenderet, ac puellarem viſum nuſquam amplius offenderet.

Ictu ſecuris abſciſſum pedem, & quatuor menſes incuratum, Olei noſtri cura junctum, ſolidatumve.

QUid de *Paulo*, cui cognomentum eſt *Marcheſio Montizibinio*, dixero? Qui cum annoſam quandam quercum, pro tigno, ſecuri dolaret, ac nodus ob inſolitam duritiem ſecurim non exciperet, in dextri dolantis Marcheſii pedem, ſecuris ictum nodus rejecit, ut ex valenti ictus intentione calceum pariter, & pedem ab articulo ad talum uſque diſcinderet. Qui caſus quemadmodum ſpaſmaticus eſſet, ita & hominis ſaluti non leve diſcrimen imminere cogebat. Quid? menſes quatuor à diverſis diverſa pertentans ad ſalutem medicamenta, bipartitum pedem, putremqne admodum, & incuratum adhuc geſtabat. Ubi autem ad oleaſtrum undique concurri fontem agnovit, nonnulloſve curari, Oleo noſtro lavare pedem univerſum ad ſeptem didicit dies, infra quos largiente Domino, abſterſus, junctus, conſolidatuſque pes eſt.

Trigenaria crurum ulcera, putridaque, & olentia curata.

NOnne *Petrum Vitriolanum* cerdonem florentis oppidi Floriani incolam ambo crura antiquiſſimis ulceribus, & trigenariis, ni fallor, ambeſa, putridave, & vittis obvoluta ceu geminos infantis iſtius obligatos, & ad nutantia genua penſiles deferentem, paucorum dierum nova ſancti Olei hujus actione, Domino indulgente, infaſciatum, & liberis cruribus euntem nuper conſpeximus?

Brachiorum debilitatem mirificè convaluiſſe.

AN fortè quis ignorat *Caſariam* Monzibiniam utramque manum, brachiave & utraſque ulnas adeò debilitatas diu tuliſſe, ut ne quidem tactus ſenſum iis amplius dignoſceret, perpetua Olei tanti lotione priſtinæ valetudini, nutu divino, proximis diebus reſtitutam fuiſſe?

Duos & Decem annos luce oculorum privum Olei noſtri frequenti immiſſione luci reſtitutum.

QUid de Folianenſi cæco ſexagenario, cui nomen eſt Millano, dixero? Non ne hominem duos, & decem annos cæcum omninò, & continua in amaritudine vitam agentem, diuturnæ admodum nimis, orbæque ſenectæ ac miſerrimæ tædebat? ni frequenti Olei noſtri in oculos immiſſione, & ejus, qui a nativitate luto cæcum illuminavit, venia, priſtino viſui reſtitutus fuiſſet.

Colicam paſſionem per hujus Olei unctionem, deglutitionem, & ſummiſſionem manifeſtè ſublatam.

SI levia etiam recenſere liceat: Quidam præclaræ indolis Adoleſcens Religioſus, & Colica paſſione acriter tortus, umbilico prius,

prius, ac umbilici circumstantiis Oleo nostro perunctis, quantulumque ejus etiam deglutiens, tantidemve etiam in enemate summittens, eam *Domino juvante* actualiter resolvit, manifestèque à se abdicavit.

Non sui compotem ulnam peccantis humoris causa, crebra miri Olei lotione sui compotem.

Antonium Solvianum Monbaranzonensem ferunt totum lustrum, & amplius sinistrum brachium pellibus obligatum, & collo appensum tulisse, quod ejus ob peccantem humorem compos fuisse tantum temporis nusquam potuisset, miroque liquore nostro lavare brachium assueviſſe, donec secum brevi à Domino misericorditer actum, ob omnimodam liberationem, cognoverit.

Ulceris ex carbunculo lacunam ad fistulam tendentem jugi Olei adspersione viva carne sensim repletam.

Andreæ Cretifodinari Castellarianei dexteræ coxæ torum magna vi, & ingentibus jactis fundamentis carbunculus occuparat. Cùmque hominem stratulo jacentem, & febribus obsitum cum incredibili languore diu tenuisset, mortificari tandem libuit, crepuitve, id fætentis saniei emittens, cujus nedum coxam, sed ne quidem universum ventrem capacem existimassent, cùmque primum, ac secundum mensem, ac tertium, ad consolidandum incassum trivissent, ulceriſque profunditas ad penetrandam coxam, & ad fistulam magis intenderet, ideòque de liberatione desperatum esset, ad fidi & rerum experti adhortationem, salutifero Oleo, tanti ulceris lacunam adspergere cœpit, paulòque post abstersum, mundificatum, convinctumque tam attox ulcus cœlorum vi, & indulgentia, conspeximus

Cancrum genitale membrum lambentem, Oleo nostro, Rhabarbaro, & Olibano eradicatum.

Etsi positis nobis in corporeo hoc tabernaculo dignum aliquid pati sit, attamen, ubi mala quædam, vel etiam quantula ægritudo irruat, ut aniles, effæminatæ animulæ prorsus consternamur. Neque, ut gaudium nostrum plenum sit in cœlis, illa æquanimiter, ut decet, ferendo petimus, sed ut degeneres animi de terrena requie cogitamus. Ut nuper vir quidam egregius, cujus dum perpetuus cancer tres ferè annos genitalem sensim lamberet partem, neque incurabilem cum morbum ulli hominum ante hac patefeciſſet, quin sibi tantùm ipsi tanti discriminis conscius frequenter, ceu mihi uti fideli, & unicè se amanti, attestatus est, ad Dominum humi stratus defleret, rebusve suis admodum fessis finem clementer imponeret toto pectore pacem petens ferventer oraret, visum sibi per somnium quemquam videre visus est, qui sese ad arefacti Reubarbari & Olibani pulverem, Oleo hoc tam celebri conficiendum superque ponendum obnixè adhortaretur. Qua re quidem pensata, & cum insigni collata Medico, tentandum id fore penitus est persuasus. Quod cùm aliquandiu continuasset, non ad humanæ suæ fragilitatis imbecillitatem, sed ad viscera misericordiæ suæ Dominum respexisse, deque inflicto sibi dolore, & angustia, & jugi pœna sese clementer liberasse, fideliter conspicatus est.

Orbum etiam senem visu, tanti Olei actione, visu donatum.

Nicolaum Genadum sexagenarium, & Monzibinium iis placet adjicere, qui cùm septem annos lumine utroque orbus fuisset, nam panniculi quidam cataractei tres proprios oculorum humores, & tunicas illas septem proprias in tantùm velabant, quòd omni luce privus, tanto tempore non nisi scipioni innixus, aut duce puello movere gradum ausus esset, accitis liberis oravit ex Oleo precioso Kibium afferrent, & lavari persuasus, primò sane in congressu adeò succensus est, ut præ dolore, nimiove ardore, manifestam in phrenesim incidisse hominem putassent. Mirifice enim agebat, & naturæ superflua eò

concurſa exſiccare intendebat, ut faciem ab humana deformem penitus arbitrarere. Nam excoriatam frontem, expilata ſupercilia, evulſas palpebras, intumentes oculos, nareſque, & ad labia uſque omnia uti decocta ferventi aqua cerneres. Homo autem, ceu cacodæmone ductus, præ nimia, & incompatibili anxietate hinc, & inde, huc, atque illuc impellebatur, mane verò pacata omnia cerneres, & ut indies ad lotionem decreſcebat dolor, ita &, Domini gratia, adeò ceſſabat aduſtio, ut proficiendo ante quintum, & decimum diem deſiderato viſui reſtitutus fuerit.

In elephantiam tendentem Puellum, perpetua Olei lotione curatum.

PRæconi Caſtellariano unicus eſt infans, cujus collum, & faciem, & caput tuberis colluvies quædam in tantum obtexerat, ſic tantum admodum temporis eum tenebat, ut in Elephantiam incidiſſe infantem nonnulli, neque ab re putaſſent. Quæ profectò res parentibus ad moleſtiam, & ad dolorem non vulgarem accedebat: Sed neſcio quo fato de mirifici Olei noſtri quotidianis percunctans pater experimentis, infantis partes quæ ſe deformabant inungere elegerit, ac alternatis vicibus ad dies duodecim perſeverans, ejus collum, caputve, & faciem abſterſit, mundificavitque, ut non putes his in locis turpitudinis quicquam unquam fuiſſe, ut ne quidem cicatricem Divina benignitate oſtenderes.

Saniem emittentem Matricem ulceratam per noſtri Olei ſummiſſionem ad priſtinam redactam valetudinem.

SAuciatam, & propè marceſcentem ſumma cum ægritudine, ac ſub ſilentio, clariſſima, & venuſtiſſima mulier matricem deferebat. Neque tamen extra muliebrem ſexum, & probatas obſtetrices, & fidas quidem, ob honeſtatem, ulcus tantum progredi paſſa eſt. Ea etſi virum unanimem, & non quidem vulgarem haberet, quicum diu & in amore, & ſingulari fide jugata permanſiſſet, tantæ & ornatiſſimæ, & adhuc ad procreandum idoneæ mulieris compaſſione permota annoſa, & amantiſſima obſtetrix quædam, eam adhortata eſt, ut poſtquam de tot manifeſtis periculis, de tam ſalubri Oleo datis, neminem adhuc pœnituiſſe conſtat, vellet quoque ejus miniſterio propriæ ſaluti conſulere, ventri etiam ad concipiendum aptiſſimo ſuccurrere, quotidianò, & perpetuo labori ſuo opem ferre, conjugem ſolari, & liberorum item jucunditate gaudere, conſiderareque nullam aliam ob rem jam jam conjugio ſeſe junctam: iret, ac Duce Domino JESU ſuaderet ſibi omnia ad hominum beneficium, & eorum ſalutem ab omnipotentia ſua tradita, ſe ad reparandum juventutis ſuæ lapſum adjutrice, & obſtetrice uteretur, paratam ſe omnia pertentare, omnia ſubire, modò prompto, conſtanti, fortique animo foret. His ſuccenſam eam ajunt, & vetulæ amantiſſimis acquieviſſe conſiliis; quantulumque inæſtimabilis Olei ſibi per fiſtulam ſubmiſiſſe, & primùm quidem tantidem ſeſe vivæ flammæ, etſi minimum duraturæ, hauſiſſe credidiſſe. Inde verò ardoris puſillum perſenſiſſe, ac ſuccedente diurna immiſſione, nedum ne læſionis paululùm ſibi intuliſſe, ſed & lene, & ſalubre juvamentum recepiſſe, & ante vigeſimum diem, Domini miſeratione, ſalutem ſe recuperatam priſtinam aſſeruiſſe, ac paulò poſt utero concepiſſe.

Dentium dolore, & eorum concuſſione excellentis Olei hujus juvamento Benjamin levatum.

BEnjamin Hebræum Genuenſem, cum nuper Seclam flumen glacie concretum eques pertranſiret, Equum, quod calcibus gelu rupiſſet, territum ferunt, ob idque geminos erectum in pedes deturbatum Benjamin ſubſtraviſſe, & rapidis caput undis merſiſſe, ereptumque tandem vix incolumem ripam conſcendiſſe. Moxque perhibent de dentibus omnibus, quod & incredibiliter eos dolebat, & quod nutantes ſinguli quatiebantur,

tur, ac ſi omnes eodem amiſſurus eſſet die, amariſſimè conqueſtum. Quod cùm ad vicinum hoſpitem ingemeret, & puello ſimilis collacrymaret, Montanusquidam, terreum vaſculum noſtro Oleo plenum in montana ex inſperato deferebat, cujus fragantia quidem oppidò perculſus Benjamin, quidnam id eſſet tanti ſpiritus percunctabatur; quo accepto ab his qui circa ſe erant, & poſtquam vagari paſſim de ipſo tam celebrem famam intellexit, pro vitreo ſcypho noſtratem argenteum dedit, multiſque ſuadentibus hoſpitibus cum eo dentes ablueret; annuit ſanè, & eadem die, inſtantique nocte id pluries faciens, ſiſtere ſeſe dentes, & dolore ſe levari ſenſit, ut mane penitus ipſis firmatis, & ſine ullo doloris veſtigio, Genuam verſus obequitaverit.

Veſicam ab excoriatione celebri hoc Oleo curatam.

ILlud quoque non prætereundum cenſeo, tanquam vitæ mortalium uſui accommodatiſſimum, & veriſſimum futurum exemplar, quando in privato omnem medicamentorum vim, & utilitatem tam eleganter dignum hoc Oleum exſuperavit. Erat vir ſanè peregregius, & his in oris caſu peregrinus, ac multos annos veſicæ excoriatione affectus; & licet diutiùs tam atrox ulcus ſuſtinuiſſet, quoniam tamen ab incentivis, & nocumentum afferentibus pro prudentia abſtinuerit, & juvantibus uſus fuerit, viſum eſt ſtetiſſe, & ultra minus progreſſum. Non erat propterea, quin plerumque toties ardentem flammam emitteret, quotiens natura per meatus ſolitos, urinam provocaret. Intelligens autem quàm pluribus communibus accidentibus, & variis morbis, Olei noſtri præſtantiſſimum miniſterium occurriſſe, ipſo etiam ac tutum uti inſtituit, & ſuperpoſitis conſultò fomentationibus, ac mollificationibus iis in locis, nec non leviter evacuantibus inſumptis, ſalutiferi Olei hujus ſtillam per auream ſyringam in membrum ſuaviter infudit; quæ profectò licet tres horas illos meatus ſupra humanam æſtimationem inuſſiſſet, tantundem poſtea lenitatis attulit, ac in horas magis aduſtionem deficere, & priſtinam afferre valetudinem vir ille conſpexit. Ubi ſanè ob tanti facti magnificentiam attonitum penè hominem vidi, & quod de inevitabili, perpetua afflictione, ſummi, optimi, & maximi Domini noſtri benignitate, ad ſalutem redierit.

Nodoſa chiragra Durachienſem liberatum.

DEmetrium Presbyterum Durachienſem nodoſa chiragra importunè fatigabat, & utramque manum in tantum tenebat, ut præ humoris peccantis ingruente colluvie, articulorum nodi incredibiliter intumuiſſent, & proprium uniuſcujuſque officium amiſiſſe viderentur. Contracti etenim, & adunci, quaſi ad prædam accincti, hominem angebant, cruciabantque, & ſæpenumerò intendente dolore, quales audiri apud manes referunt, emittere homines vocem, & inhumanum ſonantem non ſine moleſtia ſentiebamus. Hinc cùm adhiberi ſibi quandoque ea, & non ſine difficultate paſſus eſſet, quæ ad propinquorum preces pigmentariis, auricularis, & mulierculis pleriſque collibuiſſent, ac minimum, aut parum ſe profeciſſe animadverteret, ſalubri Oleo noſtro tandem uti à chariſſimis parentibus perſuaſus conſtituit, & eo calefacto penna ſe inungi ſuſtinuit, qui ne quidem ſe quemvis adſpicientem paulò ante vix ferre potuiſſet. Quod ſæpius reiterans ad dies perpaucos, Domini benignitate, convaluit.

Epilepſia laborantem Tragurienſem, ſola Olei inſumptione curatum.

VEnerat ad ſalutiferum montem curationis gratia *Nicolaus* Tragurienſis, qui quaſi perenni inteſtinorum dolore, & extorſione tenebatur, etſi quo nomine paſſio illa vocaretur ſive Colica, an autem aliter ignoraſſet; quandoque autem in tantum alterabatur, ut epileptico diſſimilem nequaquam dijudicaſſes, quod oculorum everſio, deſpu-

mantia labia prognoſticabant. Tum vero maximè, quod eam præſentiens, ſi forte ad ignem ſtetiſſet, igni ceu ſingulari, & tutiſſimo profugio ſe ultrò credere non dubitaſſet. Hic quod nobili genere eſſet, moribus conjectari licuit, quibus extra omnem barbarum ritum utebatur. Incognitum tamen huc adventaſſe ferunt. Complures quæritaſſe thermas aſſerebat, & ſe nuſquam unquam profeciſſe, ideòque curioſiſſime hoc loco inquiſiviſſe, quonam pacto his uterentur, Oleumne in grande infunderent vas, & humana balnearentur corpora, an autem inungerentur, an verò per diætas, ut alibi fieri ſolitum eſt, ad ſatietatem inſumerent. Cùmque laborantia tantùm membra perungi, neque aliàs adbibi Oleum, aut ex eo lavare quenquam ſuetum fuiſſe intelligeret, quoniam intrinſecùs diſtorquebatur, ſi quotam adhiberet, ratus ipſe factu præſtantius fore, ad undecim ſcyphos noſtrates ſaluberrimi Olei quantitatem inſumpſit, licet & ii qui aderant diſſuaderent, ac neminem ante hac tanto ſe diſcrimini ſuppoſuiſſe atteſtarentur. Nicolaus tamen ſalutis ſtimulis concitatus, & priſtinæ valetudinis deſiderio ſuccenſus amplius etiam abſumere præſto erat. Sed vexari ſe admodum acriter ſentiens, & propè ſe tantæ molis Olei actione exinaniri cognoſcens, duobus præſtantibus viris, qui pro more fonti cuſtodiæ cauſa præerant, eos ſublacrymans adſpiciens, loculum aureis, & argenteis numis refertum cum argenteo loro, cui numularius loculus erat affixus, tradidit, orans ſeſe commendatum haberent, & morituro ſibi funebre obſequium pro dignitate inſtruerent, ac æris partem erogarent, quoniam ſi, Domini gratia, victurus eſſet, quandoque poſſet hominibus declarare ingrato ſeſe nunquam ſubveniſſe, ſe ipſum totum in præſentia eorum manibus quàm fideliter commendare. Moxque factum eſt, ut quoniam rupi hæſitans ſtaret, & codicillis quicquam adhuc addere geſtiens, pronus ad adſtantium eorum pedes languenſque deficeret, & exanimo ſimillimus fieret. Hic eorum alter, ut fugi homines erant, ſolo protinus conſidens genu ſuum moribundi Nicolæ capiti ſuppoſuit. Hic ubi ad confricationem fomentationeſque venire cœptum eſt, en ſudoris profluvium ingens, uti ſe citiſſimè reſoluturum hominem adorſum eſt, & quantum à nemine ante hac defluxiſſe potuiſſe putent, prorſuſque valido oppreſſus ſingultu, in faciem ex inſperato ceſſit, ibique ſingultum in æſtimabilem vomitum, & totum hominem vehementer concutientem commutans, ceu animam eſſet emiſſurus, villoſum, & obnigrum vermem, ad annularis digiti magnitudinem, inſolentiſſimè nauſeans, eructavit, ac totius corporis diremptis compagibus, incredibilem ob laborem laſſus, mirificèque deſudans, & ſemivivus remanſit. Qui aderant, non equidem ſatis rei novitate duci in admirationem poterant, vermeque in lapidem colliſo, eum ſaxo contudere, cujus facti crepidinem, ac ſi tormento ignis additus fuiſſet, rivum omnem repleſſe affirmant. Cùmque poſt circiter horas duas Nicolaum aliquantiſper reſpiraſſe cernerent, eum anxium, & anhelantem erexere, ad manuſve vicinam in villam deduxere. Ubi recepto cibo, potuque, refectus eſt, ac Domino Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno ſalutem, & honorem, & gratias dixit, quod omni morbo eſſet ejus miſeratione liberatus. Diætam cum eis egit, demumque abſcedens aurum obtulit, & ex urbanitate recuſantibus, ſingulis tamen aureum noſtratem in dulce amoris pignus, ſignumque reliquit.

Stetiſſe intra fomitem Oleum donec Scortum ſuperventum eliminatum eſt.

MInus fortaſſe planum videbitur eſſe quod narro, quod tamen explicare intelligo, quamvis incredibile dumtaxat iis viſum fuerit, quibus ob cordis duritiem viam veritatis adhuc obſcuram eſſe, divina providentia datum eſt. Proſtituendi ſeſe, ut eſt avariſſimum, & turpiſſimum genus Meretricium ad oleaſtrum ſalutiferum fontem, occaſionem ſibi nactum eſt Scortum elegans quoddam, ratumque, cum cò pro variis diverſis morbis

morbis curandis concurri cœptum sit, facilè pellicere hospites, & solùm solo in hospitiolo cum peregrinis comessitans, ligurienſve, invictos etiam quodammodò lacessere advenas posset. Quæ profectò facultas, neque animo par videri potuit, quod natura pronum mortalium genus ad libidinem sit, attamen qui nostrorum diligentissimus Scrutator est cordium labefactari nullo scelere patitur, quod tam uberi gratia ad communem omnium utilitatem, & ejus perennem gloriam impartitus est. Itaque postquam ausum est tam sacrum intrare limen, eos omnes duos dies, quibus locum impudenter incoluit, etsi plurimos blandiendo tentasset, velut enim essent horrendum patraturi facinus, nullis adulationibus, nulla ejus forma, & nulla comitate ad fornicandum pellecti sunt. At ut agnoscerent ingratum fore Domino pernicioſum illud animal, tanti loci incolam fore, mira dicam, sed veritate quidem constantia, ne vix minimam benedicti liquoris stillam è fomite scatere Dominum permisisse, quandiu ibidem venenosus Serpens ille moram traxerit: Quod Monzibinii divina inspiratione advertentes è loco, & eorum finibus tam conficientem pestem protinus arcuerunt: quo adhuc abscedente resolvi fomes hic sacer in tantum cœpit, ut Cœlorum clementia conspicarentur sibi resarciri, quod duos amiserant dies.

Ne stillam quidem etiam Olei emissam, quoad tres adfuere Fonti, qui secum lusuri, talos supponere falsos conjurant.

QUis tam agrestis, tamque feri animi esse poterit, ut ambigat eum, qui Virginem parere faceret, non etiam integram diætam in propriæ Mineræ fomite stetisse saluber hoc Oleum jussisse? quod omnipotentiæ suæ justitiæ displicuit tres nepharios juvenes tanti loci contaminandi causa adversus advenas super chartularum, & talorum ludo conjurasse, hucque perrexisse: quo datis intra se signis, tum verò falsorum talorum suppositione omnes circumvenirent, quos ad ludum allicere uspiam possent: Nonne summo rerum patri, & domino curæ id fuisse considerandum est? Pergat ergo insanum vulgus, & insurgere desinat, discatque nostro tempore miracula non ampliùs desiderare, quorum copia ad superbientia pectora humiliandum, ad duros animos conterendum, & ad ferrea corda molliendum, stultis & tardis corde ad credendum populis etiam non instantibus, non petentibus: oculis nostris in dies, in horas, in momenta, incomprehensibilia Domini nostri benignitate subjiciuntur.

Epilogus de vi Olei, & Virtute.

INnumerabilia itaque, & fructuosissima juvamenta nobis ex hoc tam salubri fonte, Illustrissime Princeps, & ad infirma corpora succurrenda, & ad mentem benè instituendam, afferri, nemo eat inficias. Quæ sanè si digestè magis per singula peregrinans velim iis adjicere, quæ sicco hoc nostro, & horrido dicendi modo paulò ante connumeravimus, tot profectò, tantaque esse discerneres, quod nedum Excellentiæ Tuæ, sed & ferè universo Orbi, neque abs re, dixerim, stuporem adderent. Nec mirum id quidem cuiquam esse videatur. Nam cum supremum omnium Oleorum liquor hinc inde manans, & sublime juvamentorum omnium columen igneam quasi proprio quæsitam jure, ut supra ostendimus, naturam non deserat, non enim longè admotum ignem concipit, & ingenti deflagrat ardore, an fortè in tot, & tam diversis experimentis sentire verebimur? Quin attrahat, dissolvat, mundificet, desiccet, consumat; Epilepticos, Artheticos, Podagricos, Chiragricos, Paralyticos, Asthmaticos, curet; Iliarum, Colicum, Genuum, Matricis, Renum, Dorsi, Vesicæ, ac Dentium dolorem levet; Stranguriam, Dysuriam, Excoriationem, Vertiginem, oblivionem, antiquam etiam tussim, ac Stomachi frigiditatem, & Matricis præfocationem suffumigio sufferat, Ulceribus antiquis conferat, Recentia vero exsiccet, & cum suo sanguine conglutinet; interpellares, Scabiem, Pruriginem, Impetiginem, Pustu-

las, Tuberem, Tineam ſummoveat, Sciaticam eradicet; Venenatos morſus moderetur, odoratus ſimpliciter catharrum arceat, reſolvat, omnem ventoſitatem relaxet, lumbricos, & vermiculos, undecunque humanum diſtorqueant corpus, exterminet, & qui ab extra oberrent, fuget. Si tamen fræ-natum, & omninò cum cæteris ſingulas eas paſſiones juvantibus, & curantibus moderatum, penſata laborantium complexione, ante purgatis corporibus, adhibitum fuerit. Quando maximè ſimplex eas inter nos operationes mirum in modum ſalutem afferentes oſtendat; quas nec quidem alias naturalis ſimplicis ullius virtute exhiberi poſſe crederemus, niſi vim Numinis in eo cœlitus, & miraculosè demiſſam, ut in probatica Piſcina, illa conſpicaremur.

Latuit hactenus, *Illuſtriſſime Princeps*, occultum, & circumſidentium populorum citate circumfuſum. Neque tamen ullius ingenii acies tanta fuit, quæ Oleorum omnium quaſi quintæ hujus Eſſentiæ, incorruptibilis penè naturæ vim, virtutemque penetrare potuerit. Neque ipſi noſtrates *Medici*, ut pace eorum dixerim, quorum ea intererat noſſe, aperuerunt. Cùm ergo ipſe cum *Cicerone* ſentirem eſſe animorum, ingeniorumque naturale quoddam pabulum conſiderationem, contemplationemque Naturæ, ad maximæ hujus, & occultiſſimæ rei indagationem, non levi cum labore ſimul, oblectatione, me contuli. Et quoniam hac in parte rectè me ſenſiſſe animadverti, amœniſſima completus eſt animus voluptate, præclaréque ut ille dicit, mecum actum eſſe putavi, quod in re tam excellenti, veriſſimum quod fuerit, non ſine ingenti ſtudio, ac jucunditate invenerim. Nec putet quiſquam ſubvenire me erroribus uſquam intendere. Cùm nec quæſtus, neque oſtentationis cauſa, hic philoſophemur, ceu ſophiſtæ conſueverunt, ſed veritatis zelo ſuccenſi, qua innixum humanum genus per opportunitatem optionem ſibi ad ſalutem nanciſcatur. Quod ſibi quidem factu facillimum fuerit, cùm nil approbare nos non cognitum intellexerint. Injecturos tamen pleroſque aculeos tortuosè illo ſuo diſputandi genere non ambigimus, quo tres quinque, & album Corvum, ac nigrum Cygnum, ſæpius argumentari conati ſunt. Ubi velim eos non prætereat ita caviſſe nos pro veris falſa tanquam turpiſſimum probare, uti pulcherrimum, & jucundiſſimum, vera videri, quæ dicimus, exiſtimaſſe. Benè vale Dive Clemens Noſter.

Ex Caſtellariano Strozza nonis Decemb. 1460.

Etſi ſcribens multos mihi ſumpſerim judices: quoniam tamen, ceu paulo ante, veritatem profiteor, eorum quæ ſcripſerim, ad generoſi animi partes me conferam, præſtat enim opiniones vulgi nihil facere.

FRANCISCUS ARIOSTUS PEREGRINUS

Illuſtriſſimo, ac Excellentiſſimo Principi, & Domino

D. BORSIO DUCI, &c.

Sal. pl. dicit.

SE prima io non hò poſta in luce queſta humile Operetta, elucubrata nel tempo ch' io fui in Caſtelloariano Strozza Pretore, & prima non la hò adviata al ſuo magno, & deſtinato ſegno, gli reſpetti ſono ſtati honeſti, & acceptabili, perche hò voluto conſultare più, e più eruditiſſimi Filoſofi, e Medici, ſi à loro judicio Io habbia enucleato la vera, e ſincera eſſenza, forza, e virtù di tanto, e così celebre liquore, quanto io ſento eſſere queſto laudatiſſimo Olio

Mon-

Monzibinio, e cognosciuto per loro benignità grandemente confirmare, e laudare, quanto io hò explicato, & per loro rescripti, quali per humiltà non adjungo à la operetta: come consta maximè al nostro magno Philosopho, e Medico, e summo Oratore, Hieronymo Castello, floridissimo ornamento di questa splendidissima Aula ducale. Ecco la mando in dono, e dedicata al jocondissimo nome de la Excellentia Vostra, supplicandola accepti gratiosamente, come suole quello gli è porto da li fidelissimi suoi, e carissimi servi; E se bene egli è dono minore de li perpetui meriti ricevo da tanta gratia, egli è però tanto quanto più per hora puote l'humile mia sorte, forze, & tenue insegno, per magnificare, & accrescere il celebratissimo nome Borsiano, e quello delectare per le efficacissime proprietà sue, per la novità de li stupendi, & maravigliosi effecti uditi, & in gran parte veduti ivi extesi: monstrando come per lo fausto, fortunato, e felice tempo del suo regere si sia scoperta così peculiare, & salutifera vena oleastre, e più fecunda, e memorabile de quella diurna trans Tiberina de Octaviano, e nella più fertile, più formosa, più jocunda, & à la Excellentia V. dignamente più grata, & accepta regione de l'universo suo e florentissimo Dominio. Benè vale Dive Clemens noster.

Ex Monticulo idid. Decembris. 1462.

RESPONSIO
BORSIUS DUX, &c.

Dilectissime noster. *Le vostre littere habbiamo lecte cum dolcezza, e piacere assai, perche le sono elegante, & ornatissime. El libretto autem ci havete maudato cum epse è acceptissimo, sì per la materia, sì perche è tutto gentile, e limato, e terso, e digno d'ogni Principe. Così vi comendiamo del studio, e lucubratione gli havete posto. E anche vi havemo gratia del presente tutto nobile, e polito. Vale.*

Ferrariæ 29. Decembris 1463. à Nat.

Claro Juris Consulto Dn. FRANCISCO ARIOSTO
Potestati Monticuli, dilectissimo nostro.

TRIBRACHI MUTIN.

Ad facundum, & eximium Juris-Consultum

D. FRANCISCUM ARIOSTUM.

QUàm Monzibini vis est miranda liquoris
Tam laus ingenii clara Arioste tui.

Utque per ora Virum quod tu meditaris ab ortu,
Solis ad Occasum nobile curret opus.

Sic tua non ullis facundia decidet annis,
Non ut ab humano, sed Jovis ore data.

Te nihil ergo velim tetricas horrere Sorores,
Majus ab exsequiis quod tibi nomen erit.

FR. HIERONYMUS BENDEDEUS

Amantissimo, ac semper Observando Dom.

FRANCISCO ARIOSTO PEREGR.

Sal. pl. dicit.

ACcepi ampullam illius tui divini Olei, quam nudius tertius ad me dedisti, imprimisve magnopere sum admiratus, & coloris pulchritudinem, & mirificam ejus odoris suavitatem: quibus medius fidius rebus animus mirificè commotus, & incitatus est; ut in eo quoque non minus virtutis inesse crederem. Verùm, & experiendi propediem major facultas dabitur: & intelligendi Te non frustra in eo laudando, & tantùm ingenii, & otii posuisse: Si hæc copiosiùs, quàm id quod spero, & vehementer opto fuero assecutus. Libellos tuos quos rogasti ut corrigerem, si quid in iis Libroriorum, vel incuria, vel inscitia corruptum, vitiatumque esset, pro mediocritate ingenii ad te emendatos remitto. Tu si quid in iis præterea vitii, vel erroris compereris, aut ignorationi nostræ, quod nonnulla nobis non satis nota sint, aut certè celeritati veniam dabis. Nobis profectò id studii fuit: si minus ad unguem, ut ita dicam, tamen emendatiores ad te redirent. Vale, suavissime mihi, & semper observande pr.: meque ut facis ama.

Ludovicus Carrus Domino Francisco Ariosto

S. pl. dicit.

VErbis meis non possem explicare, quanta voluptate legerim ornatissimum libellum tuum, in quo & sumus admirati Olei illius divini, animique tui ingenii excellentiam singularem; sed quid ego te tua ne tibi nunc prædicem, aut extollam, qui sim talis, ut à me tu nullam omninò laudationem exspectares; studium tamen tuum in illo Oleo celebrando, ac Divi Borsii nomine illustrando, diligentiam magnopere probamus, & gratias ingentes agimus, quoniam nobis potissimùm istum laborem non mediocri utilitati fore confidimus, libellum ipsum nunc tibi remitto, meque totum tibi trado. Vale

viij. Kal. Augusti.

J. E S U S.

Barnabas Percivallus Racanethensis Francisco Ariosto Juris-Consulto

S. P. D.

NEscio quid de te potius in scribendo admirer, Vir insignis, an gravitatem cum ornatu, an pressitudinem cum elegantia: quantum & ingenio, & doctrina valeas optime id declarat, quem ad te remitto libellus iste tuus de Oleo Monzibinio: Tu situm Monzibii montis legentibus ante oculos ponere videris: Tu vim Olei, atque virtutem ita acutè indagare visus es, & variis exemplis, atque experimentis cum omni ornatu, atque elegantia approbare: ut te verum acutissimum physicum, nec non, & historicum appellare liceat: Quare quàm dulci, & mellistuo, ac gravissimo tuo dicendi charactere me pluribus diebus maximè delectaveris, & tam pretiosi, ac saluberrimi Liquoris Monzibinii Olei naturam, virtutemque me ignorare nolueris: quas possum tibi ago gratias. Bene vale, & me ut ames oro.

Ferrariæ pridie Id. Decembris. 1467.

Illu-

ILLUSTRISSIMO, AC CELEBERRIMO VIRO

D. ABBATI

FELICI VIALI

In Patavina Universitate Botanices Professori.

CUm primùm opera ac singulari munere Illustrissimi, ac Famigeratissimi Viri D. *Malliabechii* (ad cujus Musæum veluti Emporium confluunt pretiosiores Literatorum merces) ad me delatum esset Opusculum *Francisci Ariosti* de *Petroleo Mutinensis* agri, CCXXXV. ab hinc annis conscriptum, ac nuper à Clarissimo Viro D. *Oligero Jacobæo Regio* in Dania Professore Typis Haffnienſibus traditum, non potui, fateor, Vir Doctissime, quin nostratium Socordiæ succenserem, dum è tam dissitis regionibus Clariss. Professores insurgere viderem, qui res nostras illustrarent, & Orbi literato communicarent. Puduit quoque non parum quòd Jurisconsultus harum Scaturiginum historiam primus conscripserit, & admirandas hujus liquoris virtutes literis tradiderit, dum illorum temporum *Artis Medicæ Professor* aliquis provinciam hanc susciperе debuisset, *Franciscus* enim *Ariostus* se tunc temporis Monticuli Prætorem fuisse refert, quod Oppidum Regiensis Ditionis est. Ubi tamen totum librum perlegi, hisce nostris *Petrolei Fontibus* admodum gratulatus sum, quòd tam dignum Præconem nacti fuerint, qualis est *Franciscus Ariostus;* perelegans enim est libellus, ac tali stylo conscriptus, qualis horum Fontium dignitatem, ac præstantiam decebat. Ipsi quoque *Ariosto* mihi gratulandum fuit, quòd tam celebrem Patronum sortitus fuerit, qui illius alioquin perituras chartas scombris erepserit; nisi enim hujus Regii in Dania Professoris diligentia, ac amor in literas Opusculi istius pene sepulti misertus fuisset, *Francisci Ariosti* nomen nox alta pressisset, cùm tamen inter literatos viros meritò recenseri debeat. Mecum itaque animo versans, an publicæ utilitati quicquam profuturus essem, si libellum hunc typographis nostris recudendum traderem, ac tam egregium Scriptorem, sed ignotum, Patriæ, suisque Provincialibus rederem, dubius hærebam an id gratum futurum esset huic Seculo ad res novas solùm intento, & in Animali Regno abditiora quæque minutatim perscrutanda occupatissimo, donec tandem duo occurrere, quæ hæsitantiam meam sustulere; unum quidem tuus hortatus exstitit, Vir Doctissime, qui non solùm præsens, cum Anno elapso *Mutinæ* ad aliquot dies moram traheres (quo tempore suavissima, & eruditissima tua consuetudine perfrui mihi non sine magno fœnore datum est) sed etiam absens per literas stimulos addidisti, ut quando duo, vel tria tantùm hujus Opusculi Exemplaria, è Dania in Italiam delata fuerint, illud in commune bonum recudendum curarem, ac eidem Observationes meas de harum Scaturiginum præsenti statu attexerem; alterum verò quod me ad Mutinensem Opusculi Editionem impulit, fuit ejusdem Opusculi Exemplar M. S. in Estensi Bibliotheca repertum (quod eruditissimi *P. Bachini* Bibliothecarii operæ, ac bonitati debeo) multaque alia egregia ejusdem Auctoris Opuscula M. S hac occasione inventa, ut Dialogus de Divina Providentia, Sermo de Purificatione B. Virginis, Epistola ad Sixtum IV. Pontificem de rebus summo in Pontificatu suo agendis. Injurius itaque hujus egregii Scriptoris nomini, ac potissimùm *Ludovico Ariosto*, cujus divina Poësi summè delectatus sum, mihi visus fuissem, nisi *Francisci Ariosti* multifariam doctrinam, eruditionem, & magnam apud Literatos illorum temporum existimationem, hisce Re-

gionibus, ubi olim vixit, ac enituit cognitam redderem.

Noſtrum igitur Exemplar M. S. cum Opuſculo Haffniæ impreſſo cœpi conferre, ac nonnulla in noſtro inventa ſunt, quæ in altero nullo pacto leguntur; ſunt autem binæ Obſervationes in fine Opuſculi, quæ pietatem redolent, in quibus bonus ille Vir refert ob præſentiam Scorti, & aliquot Luſorum, hos Fontes ab Olei emanatione ſtetiſſe; in fine pariter Epilogi exſtant ejuſdem Auctoris proteſtatio, adverſus obtrectatores, Epigramma Civis Mutinenſis ad Auctorem, ac tandem in fine Opuſculi tres Epiſtolæ eruditorum Hominum illorum temporum ad Auctorem in Operis commendationem. Hæc omnia igitur editioni noſtræ placuit adjicere, ut Scriptoris tum pietas, tum exiſtimatio penes Eruditos illius ævi magis innoteſcat. Non exiguam quoque operam contulit hoc M. S. Exemplar ad multa emendanda, quæ in Haffnienſi editione obſcuritatem aliquam parere, & Lectorem remorari poterant.

Ad inviſendas igitur haſce Scaturigines, quæ ad 12. millia paſſuum *Appenninum* verſus *Mutina* diſtant, me contuli, mecum *Arioſti* libellum geſtans, quo cùm deveniſſem ſolitarium loci genium ſuſpiciens (cui mehercle Numen aliquod inquilinum veterum cæca ſuperſtitio affinxiſſet) cuncta perluſtrare cœpi, & cum iis conferre, quæ tot annis antea in Opuſculo leguntur deſcripta. Profectò loci facies non multùm ab ea diſcrepat, quam *Arioſtus* eleganter delineavit, nam ad dexteram *Montis Gibii* planitiem verſus (qui Mons omnes ſupereminet, ac in ſummitate Oppidum oſtentat ejuſdem nominis) duo alii Montes exſtant prælti, nec multum inter ſe diſſiti, quos inter anguſtus clivus in imo viſitur, per quem rivus decurrit ab Indigenis dictus *la Schianca*, quod nomen ſubticuit *Arioſtus*, ſolùm innuens fluentum illud ex ingenti ruina hujuſmodi nomen ſibi comparaſſe, quod à verbi noſtrati ſignificatione non multùm abludit, cum vox talis *Divulſionem* ſignificet; ſic Montis dorſum, per quod ad Rivum deſcenſus eſt, adhuc nuncupatur *la Ruvina*; veriſimile eſt autem ex præcipiti ruina in hiſce noſtris Montibus, qui toti ſubantroſi ſunt, factam fuiſſe aliquandò anguſtam hanc Vallem, & veluti Rimam, cùm prius forſan unus & idem Mons eſſent. Sæpè verò contingit, ut in hac Montana Regione, quæ Planitiem noſtram reſpicit, ac variis in locis ignem efflat, Terra ſubſidat magno cum ſtrepitu, qualem calamitatem prægreſſa hyeme experta ſunt, varia Oppida, ac Villæ, ut Colonis aliò migrandum fuerit.

Vallis hæc igitur, quæ Montes hos interjacet, ea parte qua Orientem reſpicit Rupem habet præruptam, ac adſpectu horridam, qualem Auctor Opuſculi deſcripſit; Rupes hæc ad ſatis longum ſpatium leni curvatura meridiem reſpiciens exporrigitur, totoque à vertice ad imum uſque ubi decurrit Rivus albeſcit; æquis verò intervallis ità diſtincta eſt, ut ab aratro ſulcata videatur; quod autem mirum eſt, in tam longo tractu, ac in tanta altitudine ne herbulam quidem, vel fruticetum aliquod reperire eſt, tam inops ac ſquallens in cute facies eſt loci, qui intra tantum recondit theſaurum, more ſcilicet fodinarum, quæ quò metallorum ditiores ſunt, exteriùs ſquallidiores apparent. Altera pars tamen Montis oppoſita, per quam in Rivum eſt deſcenſus, non inamœna eſt; nam culturæ patiens eſt, & Arboribus conſita, ſatiſque frugifera, binas propterea haſce loci facies, non niſi cum quadam horroris & jucunditatis mixtura iutueri licet.

In imo Vallis itaque, ac ſecus Rivum è Rupis ventre Petrolei Scaturigines erumpunt, quæ modò numero tres obſervantur, non admodum inter ſe diſſitæ; unius tantùm meminit Auctor Opuſculi, ac eam putare licet, quæ medium locum, & ſublimiorem ſitum obtinet, cùm ab Indigenis Fons vetus, & Originarius appelletur, ex quo uberior Olei proventus obtinetur, quàm ex reliquis ad latera poſitis. Oleoſam hanc Scaturiginem, cum primùm innotuit, adſpectui obviam fuiſſe arbitrari licet, poſtmodùm verò ab Incolis ad uberiorem Olei copiam impetrandam,

dam, excavatum fuiſſe ſubterraneum ductum, qualis nunc viſitur; per ſcalam enim in Saxo inſculptam ad gradus 24. ſatis commodus ad parvam Scrobem eſt deſcenſus, cujus profunditas duarum ulnarum eſt circiter, aquam candicantem continens, in qua Petroleum innatat. In Scalæ fornice, qui totus ſcrupeus, ac parvis variis generis lapidibus coagmentatus eſt, penes Scrobem rima viſitur unius palmi latitudine, longitudine verò unius ulnæ, ex qua Rima, quæ in Rupis adytu tortuoſo lapſu ſe recondit, aqua ſenſim defluit, unà cum innatante Olei vectura. Cùm loci obſcuritas curioſitati meæ non parùm officeret, mihi volupe fuiſſet lucerna accenſa cuncta exactiùs perluſtrare, ſed periculoſæ plenum opus aleæ rem hujuſmodi eſſe Fontium cuſtodes monuere, cum Petroleum Naphtæ ad inſtar è longinquo, æſtate præſertim, ad flammam tranſiliat, ac temporis momento, experientia teſte, locum ſubterraneum totum incendio opplere poſſit, cum extrema adſtantium pernicie.

Petroleum porrò, quod Fons hic vetus ſuppeditat ruffi coloris eſt, quod verò ab altero ad lævam poſito educitur aliquantum nigricat, Balneum nigrum propterea appellatur. Odorem autem adeò gravem exhalant hæ Petrolei Scaptenſulæ, ut in illis diutius immoranti graves capitis dolores ſuboriantur; hinc per æſtaten ob partium volatilium promptam diffuſionem, Petrolei collectio Operarios non parum infeſtat, quòd hyeme non ſic evenit, quin procul ab ipſis Fontibus ad integrum ferè ſtadium Petrolei odor tam manifeſtè percipitur, ut pro Ductore eſſe poſſit ad locum unde emanat. Mirari autem non ſemel ſubiit quomodo, cùm Petroleum ex partibus ita volatilibus conſtet, illius odor penè ineluibilis ſit, ut quotieſcunque aliquid illo ſemel imbutum fuerit odorem tamdiu ſervet, quam ob cauſam apud Noſtrates, quotieſcumque à *Medicis* pro remedio Petroleum præſcribatur ad ſolum nomen horreſcant ægri, ac præſertim mulieres, quæ ſolùm perfundi vellent.

Ambroſiæ ſuccis, & odoriferis Panacæis.

Bis in hebdomada ii quibus negotium hoc demandatum eſt, Oleum colligunt; modus autem hic eſt: Situlam ligneam in aquam dimittunt, ac parumper inclinant, in quam manuali herbarum faſciculo, Scoparum ad inſtar, Petroleum innatans cum aqua ſenſim deducunt, aquam exinde, foramine in fundo Situlæ aperto, à Petroleo facili negotio ſecernunt. Ex Fonte originario Petrolei ſex libras, plus minus, ut ajunt, qualibet vice educunt, quod bis in hebdomada exſequi ſolent; reliqui Fontes pauperiores ſunt, imò alter ex his, utpote effœtus, oſtio aperto jacet, cuique expoſitus.

Tempus equidem, quo Fontes iſti Mundo innoteſcere cœperunt, ex ipſo *Arioſto* habemus, qui ſcripſit id contigiſſe Anno 1464. menſe Martio, at quomodo, & quinam caſus illos prodiderit omninò ſubticuit; notionem ergo aliquam hujus rei exoptans ab Indigenis ſciſcitatus ſum, num quid hac de re ſcirent, ac ab iis accepi ſibi ab Avis (ſeu verum, ſeu fabuloſum ſit) traditum, Subulcum Scropham macie confectam, & valdè Scabioſam à grege abegiſſe, ne reliquos Sues inficeret, ac in Vallem illam ubi ſunt Petrolei Fontes propuliſſe, quæ poſt aliquod tempus domum, & haram regreſſa eſt pinguis, & ſatis nitida, cum non exigua Porculatoris admiratione; verùm cum rurſus Scropha hæc in eandem ſcabiem recidiſſet rurſus a Subulco in eundem locum propulſa eſt, quò cùm deveniſſet Scrobem quandam aqua plenam celeri paſſu petiit, in qua cœpit ſe volutare, ibique ad aliquod tempus relicta à Scabie denuò convaluit.

Is eſt igitur Fontium Petrolei Montis Zibii præſens ſtatus; ſicuti verò tota Vallis, quæ Montes hoſce interjacet, glebæque ipſæ hujus Unguinis odore perfuſæ ſunt, cum ex illis per diſtillationem aliquam liquoris portionem elici experientia demonſtrarit, ſic Incolæ lucri appetentes ſæpius proximis in locis Rupem perfodiendo novas Scatebras ſcrutati ſunt, ſed hactenus operam perdiderunt, nihilque Olei reperere.

Huc uſque, Vir Doctiſſime, *Hiſtorici* par-

tes egimus, modò *Philoſophicam* & *Medicam* perſonam induamus. Quamvis generationis modum, ſeu Chymicum proceſſum, quo polydædala Natura Magiſterium iſtud conficiat, exponere velle, divinare potiùs ſit, quàm ſolidis rationibus certi aliquid ſtatuere; veriſimiliter tamen conjectare licet, totum id vi ignium ſubterraneorum perfici, qui in Rupis ventre tanquam in Furno Chymico bituminoſam materiam, qua ſolum iſtud luxuriat, fundant, & colliquent, quæ poſtmodum unà cum aqua ſub Olei forma per rimam in deſcriptam Scrobem, veluti in Recipiens, defluat. *Tractus* autem iſte *Mutinenſis agri*, ubi in Colles aſſurgit, bituminoſa, ac ſulphurea materia ad ſaturitatem refertus eſt; varios ignes præterea intus alit, flammaſque, & ſaxa ingenti fragore quandoque eructat, præcipuè in loco dicto *la Salſa*, qui locus à Petrolei Fontibus Montis Zibii ad quingentos paſsûs circiter diſtat.

Satis autem curioſa eſt hujus Vulcanii Spiramenti Obſervatio, quare non abs re fuerit, circa illius contemplationem paululùm immorari: in ſummitate Collis parva planities ſedet, in cujus medio hiatus viſitur Crateris forma, cujus diameter tres Ulnas circiter non excedit, unde materia quædam bituminoſa continuò ſurſum protruditur, ac ad modum pultis ebullit: interdum verò, impendentibus præcipue magnis temporum mutationibus, ex illo hiatu ingentes flammæ erumpunt, unà cum ſaxorum, & cretaceæ materiæ projectione, tanto quidem fragore, ut in ipſa Civitate interdum, noctu præſertim, ſtrepitus non ſecus ac Æneorum tormentorum exaudiri ſoleat: A Senioribus loci accepi, Collem illum ex hujuſmodi materiæ, & ſaxorum rejectione notabiliter in altum excreviſſe, & ſubjectam Vallem ferè complanaſſe; hujuſmodi occaſione mentem ſubiit illud *Fallopii* noſtri, qui in libro de Metallis, & Foſſilibus cap. 7. tradidit, Montes conſtructos fuiſſe ex Saxis in ipſo Mundi exordio, Saxa verò è ſicca exhalatione generari, hancque ob cauſam Montes creſcere, ſeu ſaltem reparari; nam alioquin, ait ille, *Montes non eſſent perpetui, cum ſemper & à Sole, & ab aqua aliquid ipſorum abradatur.* Collis iſte ſquallens eſt, ac lapidibus varii generis totus refertus, paucas propterea plantas nutrit, ut qui illis fidem ſervare neſciat. Mihi quidem hujuſmodi conflagrationem videre non obtigit, rem tamen viſu horrendam eſſe ajunt, ut Incolæ, ac Viatores procul effugiant, ne à flammarum, & ſaxorum crepitante grandine obruantur.

Rem ſatis curioſam memorant, Jumenta ipſa vicina Salſæ Incendia præſentire ad aliquot dies, ut paſcua proxima averſentur, quod facilè crediderim, cum Animalia in terram prona, & pabulum continuò quæritantia, terræ halitus acutius percipiant, quàm homines ſurrecti, & ad altiora intenti, hoc præcipuè in loco, ubi ante eruptionem viſcera Montis exæſtuant mugitibus, ac bombis præcedentibus. Locus propterea deſertus eſt, utpote ſtatio malè fida Agricolis, ac Paſtoribus. Materia porrò, quæ ex illo hiatu erumpit, cinerei coloris eſt, ſulphureum, ac bituminoſum odorem redolens, molliſque eſt, ut pedem intra craterem immittere periculoſum ſit. Hunc locum forſan illum ipſum eſſe, quem notat *Plinius* l. 2. Hiſt. Nat. cap. 103. arbitrari licet, ubi tradit *in Mutinenſi agro ſtatis Vulcano diebus ignem exire ſolitum*; quia verò Ethnicis ſuperſtitio familiaris fuit, propterea creditum ignem hunc ſolitum erumpere ſacris *Vulcano* diebus, cùm revera nullus ordo in ejuſmodi conflagratione obſervetur.

Quin apud eundem *Plinium* locus alter notatu dignus exſtat, ut qui Montium iſtorum olim factam diſruptionem innuat, unde forſan Montis convexitas, quæ Rupi eſt oppoſita, & per quam in Vallem ad Petrolei Fontes deſcenſus eſt, *Ruinæ* nomen, quod adhuc retinet, forſan deſumpſit; hæc autem ſunt *Plinii* verba lib. 2. c. 83. *Factum eſt*, inquit, *ingens portentum Lucio Martio, ac Sexto Julio Coſſ. in agro Mutinenſi: namque Montes duo inter ſe concurrerunt crepitu maximo adſultantes, recedenteſque, inter eos flamma, fumoque in Cœlum exeunte, interdiu ſpectante è Via Æ-*

milia

milia magna Equitum Romanorum familiarumque, & Victorum multitudine. Eo concursu Villæ omnes elisæ, Animaliaque permulta quæ inter ipsos fuerant exanimata sunt.

Exstant præterea aliis in locis similia Spiramenta, quæ noctu, & interdiu, flammarum globos cum strepitu eructant, ut in loco quodam dicto, *Barigatio*; quare totus hic tractus *Mutinensis & Regiensis agri*, qui ad *Appennini* radices jacet, bituminosæ, ac sulphureæ materiæ valdè ferax est, nuperque in *Scandianensi ditione* nova Sulphuris Fodina reperta est, quæ Sulphuris purissimi copiam elargitur. Copiosum igitur pabulum habent ignes isti subterranei, ut per tot secula potuerint exardescere; quare cum bituminosa materia in horum Montium visceribus ubertim suppetat, Ignem hunc subterraneum non procul ab his Fontibus stabulantem, hujus admirandi liquoris verum Artificem esse, censendum est; licet enim Ignis apud Chymicos, ut penes *Helmontium*, magnus Analysta, rerumque Mors, ac Destructor audiat, multorum tamen mixtorum Auctor, ac Parens à Cl. *Boylæo* in Chymista Sceptico meritò appellatur, allato exemplo de Vitro, quod Ignis donum est.

Nequaquam autem crediderim Petroleum nostrum novum fuisse Naturæ productum, sed antiquissimum ejusdem Naturæ Magisterium, nostris tamen temporibus à Divinæ beneficentiæ munere reservatum; quod licet Ars Chymica adhuc æmulari nescierit, non ideò tamen putare licet natalem suum cuiquam debere, quàm bituminosæ, & sulphureæ pinguedini, ab ipso Mundi ortu hisce Montibus inditæ, sed cum tali partium mineralium imperceptibili mixtura, ut tale concretum emergat, eo modo quo ex sulphureis, & omnigenis è terra exhalationibus à Solis calore in altum evectis scimus generari in aëre *nimbos*, *& non imitabile fulmen*; quamvis modum ignoremus, quo in aëris Officina paretur fulmen, cujus tam admirandæ sunt proprietates, ut Philosophorum ingenia non minus exercuerint, quàm eluserint.

Porrò quod egregias dotes spectat, quibus Parens Natura Petroleum nostrum insignivit, non est quòd in hoc multùm immorer, cùm de ipso multi Auctores scripserint, ac ejusdem usus apud exteros forsan frequentior sit, quam apud nostrates. *Fernelius* 7. Meth. ait esse *summè calidum*, *attenuans*, *penetrans*, *siccans*, *ac digerens materiam omnem frigidam*, *Epilepsiam*, *Paralysim*, *Spasmum*, *ac Uteri frigidiores affectus solvere*. *Fallopius noster* in lib. de Ulceribus cap. 11. ad corrigendam frigidam Ulcerum intemperiem, Oleum Montis Zibii valdè commendat; in eodem libro cap. de ambustis miram Petrolei efficaciam se expertum esse ait, in combustis partibus, traditque *se vidisse Rusticos Mutinensis agri cum exuruntur infundere partem exustam in illo Oleo, & observasse successum præstantissimum*. *Baccius* lib. 5. de Thermis multa refert, quæ sibi ait à *Mutinensi Medico* communicata de nostro Petroleo, & ignibus subterraneis Montis Gibii, & liquorem hunc celebrat *ad inveteratas junctarum durities emolliendas*. Petrolei nostri meminere *Matthiolus* lib. p. in Dioscor. c. 82. *Cæsalpinus* de Metallicis lib. p. cap. 31. *Brasavolus* in Examine terrarum, *Cardanus* de subtilitate lib. 5. è recentioribus *Schroderus* lib. 3. c. 32. ubi Petroleum Mutinense *Axungiam Macrocosmi* appellat, ac cerebro, & nervoso generi conferre scribit. *Sylvius Deleboe* lib. p. c. 14, ubi Emplastro suo carminativo Oleum terræ admiscet. *Etmullerus* in Commento Ludovic. Tit 19. Petroleum nobile penetrantivum, & resolvens vocat, Oleoque Succini consimile facit; è nostratibus verò *Bernardus Cæsius* è Soc. Jesu lib. 3. cap. 7. & 11. suæ Mineralogiæ, ac postremò *Antonius Fraffomus* in suo libello de Thermis M. Gibii.

Usus hujus liquoris, qui nobis abundè suppetit, ac non magno constat, apud nostrates, ut superiùs dixi, ob graveolentiam non adeo frequens est, quare non levis admiratio me cœpit, quomodo ab *Ariosto*, & iis qui ad ipsum literas scripserunt, in hoc liquore commendetur odoris suavitas. Mentem subit

recordatio, Vir Clariſſ. quòd cum *Mutinæ* eſſes, & in Pharmacopolio lagenam Petrolei odorareris, teque magna voluptate perfuſum diceres, ac ego admirarer, ortam inter nos Quæſtionem de odorum, & odoratus natura, factamque mentionem de Galbano, quod ſacri Thymiamatis compoſitionem ingreditur ut ex cap. 30. *Exodi*, cùm tamen Galbanum malè oleat, & ad fugandos Serpentes commendetur, ut ex 3. Georg.

Galbaneoque agitare graves nidore Chelydros.

Nolo hic de Naſorum guſtibus diſputemus; Nobis profectò odor Petrolei, quod *Fallopius* Stercus Diaboli appellavit, in cenſu ſuavium odorum, reponendus nequaquam videtur, ut ut *Arioſtus* illius fragrantiam non ſemel deprædicet. Suſpicari propterea licet hoſce Petrolei Fontes, à primæva ſui bonitate aliquantum degeneraſſe, ac idem fatum ſubiiſſe, quale identidem cæteris Aquis Thermalibus apud *Baccium* lib. p. c. 24. ubi agit de Naphta, obtigiſſe legimus. Cauſæ autem hujuſmodi mutationum magnæ aquarum eluviones, terræ motus, Venti ſubterranei, conflagrationes eſſe conſueverunt, quæ in terræ viſceribus priorem œconomiam perturbant non ſecus ac in humanis corporibus, ob varias ægritudines contingit, perturbato, aut intercepto liquidorum curſu, id eleganter carminibus expreſſit *Ovid.* in 15. Metam.

Nam ſive eſt Animal Tellus, & vivit habetque
Spiramenta locis flammam exhalantia multis.
Spirandi mutare vias, quotieſque movetur.
Has finire poteſt, illas aperire cavernas.

Cùm autem montana hæc Regio magnis concuſſionibus, ob frequentia ex *Salſæ* hiatu flammarum, & ſaxorum eructamenta obnoxia ſit, mirum non eſſet, ſi Petroleum noſtrum duorum ſeculorum ſpatio ſuos manes paſſum fuiſſet, ac illi aliquid ex odoris, aliarumque dotium præſtantia deceſſiſſet, nec non, ſi ex illius uſu morborum, alioqui inſanabilium, tam prodigioſæ curationes, quales *Arioſtus* deprædicat, noſtra hac ætate non obſerventur. Haud ſum neſcius, cùm quid novi in rerum natura emergit, ad rei novitatem magnum fieri hominum, confluxum, ac non multò poſt id quod ſummæ fuerat admirationi deſpicatui eſſe; magno tamen honore, & exiſtimatione ad longum tempus fluxiſſe hos Fontes, ex ſuperiùs memoratis Scriptoribus ſatis perfectum eſt. Profectò cùm primùm hi Fontes Mundo innotuere, undequaque tanquam ad rem Sacram tum ſanos, tum ægros magna frequentia confluxiſſe, cenſendum eſt; cùm eo loci, & Scorta, & Aleatores, & *Ambubaiarum collegia* concederent, ad lucra captanda, ut ex poſtremis *Arioſti* obſervationibus habetur, inibi quoque hoſpitium aliquod fuiſſe idem Auctor refert, cum noſtro hoc ævo locus prorſus inhoſpitus ſit, imò ipſa ſolitudinis ſedes.

Demus itaque Oleoſum hunc laticem à priſca ſui bonitate paululùm deſciviſſe, non ideò tamen deſpectui eſſe debet, neque à foro Medico ablegandus: ego quidem in nervorum diſtentionibus, in Arthriticis doloribus citra inflammationem illius vim delenificam expertus ſum: in Hyſtericis affectibus, non ſolùm illinitione adhibitus, ſed per os quoque ad guttas aliquot, ut Oleum Succini, in aqua appropriata exhibitus, mirificè confert, ſic in Puerorum lumbricis, in Ulceribus inveteratis, egregiam operam præſtitiſſe non ſemel obſervavi; in affectibus porrò cutaneis, & ſicca ſcabie maximè conferre, imò divinum prope remedium eſſe, non ſolùm Petroleum, ſed Scrobis Aquam, ac cœnum ipſum, pro comperto habeo. Tribus abhinc annis Vir nobilis in hac Civitate fœda Scabie ad longum tempus laborabat, quæ tam altas radices egerat, ut generoſiora remedia eluderet, Patiente ad cachexiam ſenſim delabente. Suaſor fui, ut pro Balneo aqua illa uteretur parvi Fluenti quod Petrolei Fontes lambit, & hoc ſolo remedio aliquoties repetito, fœdam hanc peſtem eliminavit. Hoc exemplo monſtrante viam multos Scabioſos, & Elephanticos ad Fluentum illud, velut ad noſtrum Jordanem ablegavi, nec ſine fauſto eventu. Multa alia quoque beneficia præſtiturum, tum Oleum, tum aquam, in qua innatat, ac eam quæ Fontes delibat

dum

dum prætergreditur, putarem, si attentiori studio *Medentes* ad frequentiora experimenta captanda animum adverterent: At nisi ad Pharmacopolia Medicæ formulæ ex mille adversis rebus concinnatæ, excogitata compositione luxuriæ, ut de Theriaca scripsit *Plinius*, præscribantur, nihil actum videtur, quasi in Pyxidibus illis hospitetur Sanitas, de quibus priscum illud verè dici possit. *Aliud in pyxide, aliud in titulo.* Æterna equidem laude dignos *Professores Patavinos* semper prædicabo, ut qui *Balneorum Aponitanorum* antiquam dignitatem sartam tectam servarint, qualem habebant priscis temporibus, ut etiamnum velut de iis *Claudianus* cecinit, dici possit.

commune medentum
Auxilium, præsens Numen, inempta salus.

Dum varios Scriptores hac de re evolverem, ac fortè occurreret *Iacobi Bontii* Opus de Hist. Nat. & Medicina Indiæ Orientalis, multò magis incuriæ nostræ irasci mihi necessum fuit. Describit hic Auctor l. 2. cap. p. Oleum quoddam, quod nomine *Olei Petræ* ab Indigenis appellari ait, nostro valde consimile, ut quod è rupibus emanet, & in subjecta flumina præceps cadat: hæc autem sunt illius verba. *Hoc Oleum*, ait ille *à Barbaris in tanto pretio habetur, ut Rex Achinensis, qui potentissimus est hujus insulæ Tyrannus, sub capitali pœna istud evehi inde prohibeat, ita ut incolæ nocte intempesta, si quæ nostra, aut Anglorum navis eorum littoribus appellat, ad nos istud furtim deferant. Hoc Oleum partibus affectis illitum miraculi instar ægros consolatur. Odore porrò est gravi, non tamen fastidioso.* En quomodo Oleum illud nostro affine est tum substantia, tum virtutibus, tum natali ipso; non tanti tamen apud nos Petroleum nostrum est, adeò nobis sordent munera, quæ tam liberali manu Parens Natura dispensarat; ac forsan ob talem contemtum non tam uberem Olei copiam profundunt amplius hi Fontes, ut olim, centum ab hinc annis, cùm *Baccius* lib. 5. de Thermis refert, Scaturigines istas, aliàs feraces fuisse 40. librarum singulis diebus, suo verò tempore ad summum non excedere octo libras, nostrâ verò ætate sex libræ. bis in hebdomada vix impetrentur; quare unà cum *Job.* c. 29. tempus illud memorare libeat. *Quando Petra fundebat nobis rivos Olei.*

Herbam quandam ab Incolis *Fumanam* dictam sub ipsum Opusculi initium describit *Ariostus*, cujus generis talem se nusquam vidisse ait, eamque ad ripæ declivis initium subcrescere, hortulano tithymallo similem; tota qua potui diligentia Plantam hanc perquisivi, ac nescius an Planta hæc inter Vernales, an Æstivas, vel Autumnales recensenda esset; hoc ipso Anno pluries M. Gibbium adivi, & rupem totam perveſtigavi, ad illius verticem per Callem quendam, quem *passo stretto* appellant, prorepentem; sed oleum & operam, ut dici solet, perdidi. Profecto non semel me pœnituit tam vilis plantæ indaginem instituisse per loca adeò prærupta, quibus ut me expedirem, non minùs necessariæ erant manus quàm pedes: quasi Botanicam Scientiam magnô thesaurô auctiorem fecissem, si res ex votô succesisset.

Risum vix tenebant Amici, qui mecum ad invisendos Petrolei Fontes venerant, dum è Valli me per clivosum supercilium reptantem adspectabant, & quod nunquam videram perquirentem. Tu equidem, Vir Doctissime, conatus meos non risisses, quem scio nulli labori, & peregrinationi pepercisse ad exoticas Plantas perscrutandas, ut Patavinum Hortum, cui præsides, ditare posses, quod magna nominis tui celebritate jam præstitisti. Nullam igitur herbam *Fumanam*, quæ notis respondeat ab *Ariosto* descriptis mihi reperire concessum fuit. Herbam enim illam nullum odorem spirare ait *Ariostus*, *neque nisi vanum, & insipidum saporem degustantibus præbere*, ac si fatua esset materia; omnes verò Plantas, quæ in Vallis fundo, & non adeò longè ab ipsis Fontibus *Fumanæ* aliquam effigiem referentes occurrebant, sapore amaricanti præditas inveni, & aromaticum odorem redolentes. In *Actis Haffnienſibus Vol. 5.* p. m. 193. *Herbæ Fumanæ* mentionem factam invenio, nam *D. Arnoldus Syen* Celeberrimus

Bo-

Botanicus Leydenſis in Epiſtola ad *Gaſp. Bartholinum Tho.* filium Fumanam herbam ad Ciſti ſpeciem refert, ac *Arioſti* meminit inſipidum ſaporem illi adſcribentis; ſubdit tamen, illum non ſatis accuratè hujus Plantæ attributa expoſuiſſe; quare inſignis ille Botanicus & ipſe dubius hæret, quid de hac Planta ſtatuendum ſit, ut ex ejuſdem Epiſtola ſatis conſtat. *D. Lucas Scrœkius* Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ Præſes digniſſimus Iconem herbæ Fumanæ per epiſtolam ad me tranſmiſit, quem ajebat in Bibliothecas *Jo: Rhodii* repertum fuiſſe, mihique hoc onus imponebat, ut vernaculam hanc Plantam perveſtigarem, & Botanicos de hac re dubios ſollicitudine abſolverem, cujus rei me compotem eſſe nequiviſſe ſummopere doleo. *D. Agnellus* Medicus Saxolenſis, Vir ætatis ſatis provectæ, mihi retulit, recordari ſe olim à Patavino Medico Botanicum huc miſſum fuiſſe, ad *Fumanam* herbam perquirendam, quare *Jo: Rhodium* Patavii tunc commorantem credere licet, ipſum fuiſſe, qui miſerit ad Plantam hanc perſcrutandam, ut qui Opuſculum M.S. in hiſce Regionibus forſan repertum, in ſuis Scriniis ſervaret, quod poſtea Typis Haffnienſibus imprimendum tradidit *D. Jacobæus Regius* Profeſſor. Nullam ergo Plantam, quæ *Fumanæ* ab *Arioſto* deſcriptæ propior ſit, reperire datum eſt, quàm eam quam ad Te miſi ac *Chamæciſti* ſpeciem judicaſti. *Fumanam* igitur herbam ſive Plantam imaginariam eſſe arbitrari licet, vel fato quodam, ut ejuſdem nomen portendit, fumi ad inſtar evanuiſſe.

Antequam claudam Epiſtolam, aliqua etiam de *Petroleo Montis Feſtini* perſtringam; non unica enim Scaturigine hujus admirandi liquoris gaudet *Mutinenſis Ager*, aliam ſiquidem habet longè præſtantiorem altiùs adſcendendo verſus *Appenninum*, propè Oppidum, quod *Monfeſtinum* dicitur. Solius autem *Montis Gibii* apud Scriptores fit mentio, *Montis* verò *Feſtini* nomen penè ignotum eſt, *caruit quia Vate ſacro.* Hujus Scaturiginis longè diverſa conditio eſt, ab altera ſuperiùs deſcripta, hæc enim in profundis Terræ Viſceribus concluſa eſt; in parva igitur planitie tota herbeſcente prati ad inſtar prælti putei fodiuntur ad ulnas 70. circiter, ubi in imo è dura Sicile liquor emanat, cum aliqua portione aquæ, interdum etiam ſincerus, & eximii candoris, quò à *Petroleo M. Gibii* diſtinguitur, quod ruſſum eſt; ab aqua verò facilè ſeparatur, in qua innatat. Ibi Centenos Puteos viſere eſt, ſed jam effœtos, quotannis enim duos, vel tres Puteos effodiunt. In hos Puteos per ductarium funem Operarii deſcendunt ad colligendum Petroleum, quod Opus illis moleſtum eſt, ob fumoſam exhalationem, quæ illos adeò infeſtat, ac præſertim ubi primò liquor emanare cœperit, ut interdum exanimentur, ac nonnullos etiam periiſſe dicant; ajunt autem arctari ſibi ſpiritum, & in auribus acutiſſimum doloris ſenſum percipere, quaſi ſtylo perforentur.

Inter hos puteos, variæ Scrobes occurrunt, in quibus Aqua ad ſoli ſuperficiem viſitur, quæ ſemper ebullit, non ſecus ac aqua famoſi *Balnei Viterbienſis*, quod dicitur il *Bullicame*, actu tamen frigida eſt, ſaporemque ſalſum præfert, ac Petrolei odorem redolet; aliquem uſum medicum habere probabile eſt, ac præſertim ad cutaneos affectus, veluti aquam parvi Fluenti apud Scaturigines Montis Gibii ſuperius memoratam, de qua re conſulenda eſſet experientia.

Ab horum Puteorum Cuſtode ſciſcitatus ſum illorum originem, & unde ſomniarint Venam Petrolei tam in profundo latere, qui reſpondit, ſibi tempus ignotum, quo primùm Mundo innotuerint, odorem autem, quem locus ille exſpirat, latentem Venam indigitaſſe; *Lucri ergo bonus odor* ſagacibus, ac naſutis Indigenis ſuaſor fuit, ut Puteos foderent, ſicque etiamnum, ubi odor propè ſolum fortius ſpirat novos Puteos effodiunt. Qualibet hebdomada 20. libras, plus, minus Petrolei è Puteis iſtis obtinent; illius autem talis eſt puritas, & candor, ut nullius rei mixtione fœdari poſſit, quamcunque enim rem affundas, perſtat illius candor illæſus; ſic autem reſpuit cujuſcunque rei connubium virginalis hic latex, ut nullo modo ab Agyrtis adulterari

rari possit, omnes enim liquores superemi-net. Videtur equidem cum spiritu Vini rectificatissimo permisceri, sed si Vini spiritus cum tantillo Croci coloratus reddatur, appareret distinctio, Petroleo supernatante.

Clariss. *Jacobæus*, ut ex illius Epistola ad Lectorem Opusculo *Arioſti* præfixa, naturam Petrolei ad Naphtam, & Succini naturam referens, ait, peracta leni destillatione, magma quod restitat in fundo vim electricam paleas attrahendo possidere; experimentum addit, nimirum Petroleum cum spiritu nitri percoctum abire in crassamentum quoddam fragile, & opacum. Chymicum examen quoque instituit *Schroderus* l. 3. cap. 32. Petroleum rectificando in Capella vacua, quo pacto ait obtineri Spiritum limpidissimum.

Destillationem ego quoque institui, ac liquor exivit, cui aliquid majoris perspicuitatis accessit, sed non parùm nativi odoris decessit, exiguo magmate flavi coloris in fundo relicto; Petroleum sic destillatum igne accensum flammam quidem minùs fuliginosam, sed magis languidam edere visum est; quare Petroleo, Montis Festini saltem, nihil perfectionis per destillationem accedere facilè crediderim, cùm à Natura, viribus Arti non datis, satis elaboratum videatur; fragmenta laterum ignitorum in Petroleum conjeci, ut ex illis Petroleum laterinum elicerem; liquorem ruffum obtinui, qui nihil ferè genuini odoris referret; hujusmodi occasione expertus sum, an igniti lateres plus aquæ absorberent quàm Petrolei, ac facto per exactissimam Bilancem examine, plus aquæ quàm Petrolei bibisse compertum est. Destillatione quoque facta ex æquis portionibus Aquæ fortis, & Petrolei, indiscriminatim visa sunt adscendere Petroleum, & Aqua fortis, in Recipiente tamen ad invicem separabantur, innatante Petroleo, ac immutato non parum illius tum colore, tum sapore, quare Olei Amygd. am. indolem referebat; magma in fundo collectum est atri coloris ad instar picis, in quo nihil Electrici deprehendi. In hac destillatione multùm Petrolei absumptum est, ac tota ferè Aqua fortis recuperata est. Cùm in nullo magis affectu, quàm in Puerorum Lumbricis apud Nostrates familiaris sit Petrolei usus, aliquot terrestres Lumbricos satis vivaces in Vas Petroleo plenum conjeci, ac in iis multas contorsiones observavi, vixere tamen ad horæ circiter quadrantem, ubi in Vitrioli spiritu optimo, temporis ferè momento, exstincti sunt.

Descendendo ab his Puteis Mutinam versus, ad 14. passuum millia, locus quidam occurrit apud Indigenas satis famosus, quem appellant *le Bombe*, in medio Craterem habet insignis amplitudinis, qui continuò materiam bituminosam eructat Petrolei odorem referentem, interdum autem tanto cum strepitu id quod retinet in Ventre conclusum rejectat, ut Bombardarum, unde nomen traxit, sonitum æmuletur. In hisce locis tota qua potui indagine observavi, num Planta aliqua exotica hospitaretur, ac præcipuè Fumana Herba, nihilque notatu dignum reperire datum est, quam Narcissos suavissimum odorem præ cæteris exspirantes.

Hæc habui quæ de Mutinensis Agri Petroleo, ac de Herba fumana ad Te scriberem, Vir Doctissime. Cæterùm si pro Epistola Libellum conscripsisse visus fuero, prolixitati meæ patrocinium à Te nec exposco, nec exspecto, eorum enim, quæ legentis palato arrideant, (qualia isthæc Tibi fore non ignorabam) nunquam prolixa est enarratio. Vale Patavini Athenei Ornamentum, mihique ut cœpisti, favere perge.

Illustriss. & Celeberrimi Nominis Tui

Mutinæ die 15. Junii 1698.

Cultor Studiosissimus
Bernardinus Ramazzini.

BERNARDINI RAMAZZINI,

In Gymnasiô Patavinô Medicinæ Professoris Primarii &c.

EPHEMERIDES BAROMETRICÆ,

Cum Disquisitione causæ adscensus, ac descensus Mercurii in Torricelliana fistula.

Cum totâ Controversiâ, quam idem habuit cum

D. C. GUNTHERO SCHELHAMERO,

In Kilonienſi Lyceo Medicinæ Professore;

Hisce omnibus accedit nova Epistola ejusdem

RAMAZZINI,

Ad Nobilissimum Virum

D. LUCAM SCHROECKIUM,

A. N. C. Præsidem, cum Solutione Problematis ex Invento *Celeberrimi Viri Domini* V. G. LEIBNITZII.

Illustrissimo, & Excellentissimo Domino,

D. FRANCISCO LAUREDANO, EQUITI, PROCURATORI, ac PATAVINI LYCEI MODERATORI,

BERNARDINUS RAMAZZINI Felicitatem.

SI *in literaria mea supellectile, quam pertenuem agnosco & fateor, quicquam habuissem, quod Nominis Tui dignitatem & omnigenam eruditionem decere credidissem, Procurator & Eques Amplissime, jamdudum donario aliquo pro obsequii & grati animi specimine, Tibi litassem: hæret enim, æternùmque hærebit alta mente repositum, quot beneficia, quos honores in Patavino Gymnasio munificentia tua mihi contulerit. Potuissem equidem Veteres imitari, qui cum thura non habebant, farre & mola salsa Numinibus suis supplicabant; Ast nimia flagrabum cupiditate aliquid Tibi offerendi, quod posses, cum à publicis commodis, quibus tua singularis Virtus Te affixit, liceret vacare, non solùm legere, sed etiam circa illud ingenii tui aciem exercere. Dum itaque ob longiorem moram animo angebar, succurrit tandem habere me literariam Controversiam, quæ adhuc est sub Judice, cum Celeberrimo Viro Germano D. Christophoro Gunthero Schelhamero Archiatro Gottorpiensi, & in Kilonienſi Universitate Medicinæ Professore, circa motiones Mercurii in Barometro, juxta aëris statum, modò pluvium, modò serenum, curiosum meherclè argumentum, quod Doctissimorum Virorum ingenia torsit, & adhuc fatigat. Visum est itaque rem Tibi & naturalium rerum scrutatoribus me non ingratam facturum,*

si ea

si ea, quæ hac de re variis temporibus & locis scripta & acta in Processus formam per literas apud Sapientissimum, & Celeberrimum D. Lucam Skröeckium Academiæ Cæsareo-Leopoldinæ Præsidem meritissimum, in unum Opus colligerem, illique novam Epistolam pro solutione problematis ad eundem D. Præsidem pro Additamento apponerem. Hoc itaque Opusculum Nomini Tuo, & Generis claritudine, & rerum gestarum celebritate amplissimo, quod, ut Plinii verbis utar, obsoletis nitorem, fastiditis gratiam, novis auctoritatem, *potis est impertiri, addico & voveo. Nullus dubito, quin ea comitate, qua soles, & cunctorum animos Tibi devincis, munusculum istud, qualecumque est, benignè sis excepturus. Vale diù ac plurimùm Literatorum Mecænas.*

Dabam Patavii Kalend.
Junii 1710.

LECTORI BENEVOLO S.

MEmini legisse me apud Tullium, *non posse vitari reprehensionem, nisi nihil scribendo*, quod equidem vero verius ubique, quocunque tempore, & in quacunque facultate esse deprehenditur; idcirco verè sapere eos existimo, qui Scriptorum Opera evolvere contenti sunt, & licet inter doctos magna nominis celebritate gaudeant, nullo pacto adduci possunt, ut aliquod ingenii specimen publici juris faciant. Hujusce genii homines iis persimiles mihi videntur, qui ædificare non ambiunt, sed ab aliis magno luxu, & impendio constructas Ædes emunt, atque ut eleganter Plinius, *aliena fruuntur insania*, aliorum scilicet periculo edocti, *quam magnum sit dare aliquid in manus hominum*, uti ajebat Plinius Junior in Epistola ad Celerem. Ubi enim quis posthumæ famæ spe concepta Opus aliquod moliri velit, ex quo nomen, & laudem sibi comparet, mirum est quantum curarum, quantum molestiæ sibi imponat, quoties pluteum cædere, & ungues arrodere necesse sit, ut ingenii fœtum ad umbilicum deducat, quo edito præstò est livor, qui fascino illum corrumpere pertentet. Hinc nihil frequentius, quàm inter literarum Cultores Controversias oriri, quæ quò magis in longum producuntur, eò acriores sunt, ut denique in probra & contumelias desinant. Egregiè sanè in hanc rem D. Ambrosius in L. de Officiis consuetudinem hanc his verbis maximè improbans ait: *ambo convitiati sunt, uterque condemnatur, nemo absolvitur.* In mea Controversia cum D. Schelhamero circa motiones Mercurii in Barometro haud quaquam passus sum, ut simile quid contingeret, postremæ enim illius Dissertationi epistolari satis prolixæ, nihil volui reponere, quamvis materia abundè suppeteret; nam id quod modò disputationibus nostris in unum collectis placuit addere, nihil aliud est, quàm Problematis solutio, mihi per literas à Nobilissimo, & Doctissimo Viro D. Leibnitio communicata. Tu interim L. B. ista hæc æqui bonique consule, & Vale.

NEminem ferè ex Rerum Naturalium Profeſſoribus hac noſtra Ætate, & Seculo tam erudito eſſe video, qui duo illa famoſa Inſtrumenta, Barometrum ſcilicet, ac Thermometrum ad varias Aëris viciſſitudines dignoſcendas, ac ſi lubet etiam dimetiendas, in ſuo Muſæo non ſervet, perpaucos tamen adhuc fuiſſe exiſtimo, qui ad quotidianas Obſervationes circà hæc Inſtrumenta animum intenderint, vel illas, quòd ſciam, ediderint; ex quo forſan non levia Errata, & falſas Suppoſitiones irrepſiſſe (ſaltem circa Motiones quæ in Barometro fiunt) quin & Doctiſſimos Viros hiſce hallucinationibus anſam præbuiſſe, meritò ſuſpicari licet. Iiſdem erroribus aliorum Scripta me quoque per aliquod tempus tranſverſum egiſſe fateri non pudet; Ratiocinio enim Celeberrimi Viri Jo: Alphonſi Borelli in Opere tam commendato de Motionibus Naturalibus à Gravitate pendentibus nimis fidens putabam, imò cum tanto Præceptore juraſſem, quòd nebuloſo Cœlo, & impendente pluvia ob auctam (ſaltem probabiliter) Aëris gravitatem altiùs in fiſtula debuiſſet elevari Mercurius, ſicuti poſt pluviam, Aëre repurgato, & redeunte Serenitate, deprimi; verùm ex Obſervationibus ſingulis diebus in hac Urbe per integrum Annum accuratè mihi habitis deprehendi, me non leviter deceptum, ac toto Cœlo erraſſe; conſtanter enim poſt diuturnam Serenitatem, Cœlo nubibus obducto, ac imminente pluvia, cum Aërem quilibet graviorem crederet, *Mercurium* in fiſtula deſcendere obſervavi, attolli autem poſt pluviarum deſcenſum Aëre ſerenato. Validiſſima equidem ſunt rationum momenta, quibus Vir Clariſſimus ſtatuminare ſatagit Propoſitionem ſuam 115 quæ ſic habet. *Mercurius in fiſtula Torricelliana altiùs elevatur dum Aër nebulis pluvioſis imprægnatur, at poſtquam pluvia delapſa eſt, denuò Mercurius in fiſtula deprimitur.* Aſt in contrarium ipſa reclamat Experientia, quæ Ratiociniis noſtris perſæpè illudit, & ingeniosè confícta, ſed falſis fundamentis ſuperſtructa, facillimè diruit.

Mirabitur forſan quiſpiam, quòd duorum Annorum Obſervationibus, quas Piſis Vir Clariſſimus Annis 1657. & 58. *Sereniſſimi Ferdinandi Secundi M. Hetruriæ Ducis* juſſu feciſſe ait, unius Anni Obſervationes tam audacter opponam; is tamen ſciat me dubium aliquandiu hæſiſſe, num ipſius Borelli ſenſum rectè attigiſſem, vel locorum diſtantia, ſivè Inſtrumentorum diverſitas incongruentiam hanc, & Obſervationum diverſitatem parere potuiſſet; verùm Propoſitionis verba ſatis perſpicua, & appoſitas figuras obſervans in quibus de ſimplici Barometro Borellum intellexiſſe ſatis liquet, unaque nuperas Doctiſſimorum Virorum Obſervationes, qui in remotiſſimis Regionibus de Barometro, vel ex profeſſo, vel data opportunitate ſcripſere, perpendens, illorumque Obſervationibus meis in hac Civitate factis valdè conformibus compertis, de veritate Borellianæ Propoſitionis cœpi non parum hæſitare. Prodiit ſex ab hinc Annis Libellus Auctoris Anonymi, cui titulus: *Traittez des Barométres, Thermométres, & Notiométres. Par M. D. A Amſterdam Chez Henri Weſtein.* Hic Auctor diverſas Barometrorum formas & varias regulas ipſos conſtruendi tradit, quod autem ad id de quo ambigitur ſpectat, apertè aſſerit, quòd cum ſupra quendam limitem in fiſtula *Mercurius* aſſurgit, Serenitas ſignificatur, & cum infrà ipſum deſcendit, pluvioſa Tempeſtas prænunciatur; lubet autem ejuſdem verba hic apponere. *Il eſt certain, que lors qu'il montera au deſſus des vingtſept pouces, & un quart, il marquera que le beau temps ſera ſerain, calme, & confirmé au beau; & ne changera pas que le vif argent n'ait deſcendu au deſſous des 27. pouces, & un quart. S'il deſcend lentement, & peu a peu, le mauvais temps viendra lentement, & par degrez; mais s'il deſcend ſubitement le temps changera tout à coup du beau au vilain.*

Haud ſecus ſentit Vallemontius, Vir re-

rum

rum naturalium Sagaciſſimus Explorator in Opere ſuo curioſiſſimo Anno elapſo Pariſiis impreſſo, cui titulus: *La Phyſique occulte, ou Traité de la Baguette Divinatoire. Par M. L. L. de Vallemont Pretre, & Docteur en Theologie;* nam cap. 11. hæc habet verba: *Lors que le temps eſt calme, & qu'il ſemble qu'il va pleuvoir, le Mercure deſcend ordinairement. Quand il fait beau temps, & que l'air eſt ſerain le Mercure eſt ordinairement aſſez haut;* & paulò poſt cujuſdam Machinæ conſtructionem ex inventione Othonis Guerichii deſcribens, quam ipſe Inventor Hominem Anemoſcopium, ſeu Prophetam Phyſicum appellat, qui nihil aliud eſt quam homunculus ligneus, qui in tubo vitreo Mercurio incumbens modò erigitur, modò deprimitur prout gravior, vel levior eſt Aër, hæc habet verba: *C'eſt un petit homme de bois, qui monte dans un tuyau de verre a meſure que l'air devient plus peſant, & qui deſcend à proportion que l'air ſe decharge, comme il arrive lorſqu'il pleut.*

Hoc idem ſe Bononiæ obſervaſſe mihi non ſemel aſſeruit Vir Clariſſimus, & Doctiſſimus Jo. Galeatius Manzius in Bononienſi Archigymnaſio Medicinæ, & Chirurgiæ Profeſſor, quin plurium Menſium Obſervationes, quas penes me ſervo, humaniter ad me tranſmiſit, quas meis Obſervationibus eodem tempore Mutinæ factis valdè conformes deprehendi. Typum itaque motionum *Mercurii* in Barometro ſingulis diebus hujus Anni hic appoſui, ubi videre eſt in quo gradu quolibet die *Mercurius* ſteterit, qui dies pluvii fuerint, qui ſereni, qui Venti perflarint, Naturalium rerum Scrutatores interim adhortans, ac præcipuè Academiæ Naturæ Curioſorum Venerandos Collegas, ut iis in locis ubi degunt laborem hunc non injucundum ſuſcipiant; ſic enim forſan collatis Experimentis, & Obſervationibus aliquid certi in re ancipiti haberi poterit, & genuina ratio hujus Phænomeni clariùs innoteſcet.

Si tamen plures rerum Naturalium Studioſi erudito commercio inter ſe ità convenirent, ſuaſor eſſem ut Barometris uterentur eodem modo quantùm fieri poſſet, fabrefactis & eodem *Mercurio* oppletis, quandò conſtat *Mercurium* Officinarum non ubique ejuſdem eſſe puritatis, & ſpecificæ gravitatis; quamvis enim credibile videatur vulgarem *Mercurium* ſubſtantiam eſſe homogeneam, cum omnia, Auro dempto, illi ſupernatent, multis tamen impuritatibus ſcatere ſatis pater. Barometros itaque Uniformes in hanc rem valdè laudarem; propterea nunquam ſatis commendanda Induſtria Doctiſſimi Viri D. Salomonis Reiſſelii Archiatri Wurtenbergenſis, qui, ut conſtat ex Ephemeridibus Germaninis hoc Anno editis, modum proponit Thermometrum Correſpondentem fabricandi, ut variis in locis diverſitas in calore, & frigore haberi queat, quod idem per Barometros Correſpondentes ad diverſam Aëris gravitatem ſecundum locorum diverſitatem explorandam mutua Amicorum communicatione obtineri poſſet.

Cum autem penes eos, qui de Barometro ſcripſere, variæ exſtent Menſuræ totius altitudinis quam *Mercurius* in fiſtula ſuſpenſus obtinet, ita ut nonnulli ad pollices 27. & 28. extendant, alii etiam ad 29. quidam ad cubitum unum, & quadrantem, aliqui ad Pedes duos Romanos antiquos cum unciis quinque, & aliquot minutiis, ac revera una, & eadem menſura univerſalis ſtatui nequeat, tum ob locorum diverſitatem, tum ob variam *Mercurii* conditionem, prout purior, vel impurior eſſe poteſt, & alia accidentia, quæ in ipſo Experimento, dum Vacuum fit, poſſunt contingere, propterea totam altitudinem perpendicularem, quam hoc Anno *Mercurius* in meo Barometro obtinuit, in 30. partes, ſeu pollices ſuppono diviſam, & quia meus Barometer ad altitudinem pollicum 28. ad latus inflectitur, & brachium exporrigit à plano horizontali mediocriter aſſurgens, in quo *Mercurius* vagatur, ut magis ſenſibiliter illius motiones dignoſcantur, reliquos duos pollices altitudinis perpendicularis, qui per latus inflexum fiſtulæ longiori tractu ſunt diſtributi, in 90. lineas placuit eſſe diviſos.

Typus Motionum Mercurii in Barometro singulis diebus Anni 1694. *Numeri indicabunt gradus altitudinis ipsius Mercurii; littera P. Pluviam significabit; N. nebulosum Tempus sine pluvia; S. Serenitatem. Littera B. Ventum Borealem, A. Australem Ventum designabit, qui duo Venti majores alterationes in Barometro pariunt quàm reliqui. Litteræ or. & oc. Ventum Orientalem, & Occidentalem denotabunt.*

	Jan.	*Feb.*	*Mar.*	*Apr.*	*Maj.*	*Jun.*
1	87 SB	85 S	88 SB	84 S	83 S	81 P
2	86 N	85 S	88 S	84 S	83 SB	78 NA
3	82 NA	85 S	88 S	84 S	83 SB	78 N.or
4	80 NA	84 N	86 S	84 S	83 P	78 S
5	83 SB	87 SB	85 N	83 S	83 PB	80 SB
6	84 SB	87 S	86 S	78 A	82 P	80 S
7	82 NA	87 SB	85 N	80 SB	83 S	80 S
8	83 SA	88 S	85 N	82 PB	80 PA	81 S
9	83 S	87 SB	85 N	83 SB	79 P.or.	81 S
10	84 S	87 S	85 NB	80 P	79 P	82 S
11	84 S	85 S	85 P	82 S	78 P	81 S

	Jul.	*Aug.*	*Sept.*	*Oct.*	*Nov.*	*Dec.*
1	84 S	84 S	84 S	82 S	83 S	88 P
2	84 S	84 S	84 S	87 SB	88 SB	85 P oc.
3	84 S	83 A	84 S	87 SB	88 SB	84 P.oc.
4	84 S	85 SB	84 S	87 NB	88 S	84 P.oc.
5	85 S	87 S	84 SB	87 SB	88 N	87 N
6	84 S	87 S	84 S	90 SB	86 S	87 P
7	84 S	87 S	84 S	90 S	86 S	90 SB
8	85 S	87 S	84 S	90 S	86 S	90 PB
9	84 S	86 S	84 N	90 P	86 S	90 PB
10	84 PB	85 S	86 S	90 S	86 S	89 N
11	82 PB	85 S	85 P	90 S	86 S	89 N

Jan.

	Jan.	Feb.	Mar.	Apr.	Ma.	Jun.
12	83 S	84 N	86 S	82 SB	78 P.or.	81 S
13	84 S	85 S	86 S	82 S	78 P	82 S
14	83 N	84 N	83 P	78 P.or.	77 P	80 N
15	83 N	84 S	80 P.or.	76 N	76 P	80 P
16	82 N	84 S	83 S	80 S	76 P	80 S
17	83 S	84 N	84 S	80 S	80 N	79 P
18	83 S	84 S	82 P	81 S	80 P	83 N
19	85 S	81 N	80 P	80 N	80 P. or.	83 N
20	84 S	81 N	82 PA	82 PB	80 P	82 NA
21	76 N.or	85 SB	81 PA	83 S	80 P	83 S
22	81 S	85 S	81 P	83 S	80 P	8486 S

Jul.

	Jul.	Aug.	Sept.	Oct.	Nov.	Dec.
12	80 N	85 S	87 S	82 P oc.	86 N	89 N
13	80 N	84 N	87 S	84 P.oc.	85 N	89 PB
14	84 S	84 S	87 S	86 PB	85 PA	89 PB
15	85 S	83 N	87 S	86 PB	79 PA	89 PB
16	85 S	85 S	86 S	83 P.oc.	80 N	90 SB
17	85 S	85 S	85 P.or.	84 S.oc.	84 S	90 SB
18	85 S	85 S	83 P	85 N	85 N	90 SB
19	84 S	85 S	84 P.or.	84 P	82 N or	90 NB
20	84 N	84 NA	83 SA	88 S	78 PA	90 N
21	84 N	84 S	86 NB	88 S	84 SB	89 N
22	84 N	87 SB	83 NA	88 S	84 N	88 N

Jan.

	Jan.	Febr.	Mar.	Apr.	Ma.	Jun.
23	83 S	83 S	81 P	83 S	80 S	85 S
24	84 N	82 NA	80 P	83 S	80 P	85 S
25	82 N	84 SB	81 PA	83 SB	80 P	86 N
26	83 S	84 SB	81 P	84 S	81 S	84 P
27	84 SB	84 S	82 S	83 S	83 S	84 N
28	87 S	85 SB	82 S	83 S	83 S	84 N
29	87 S		83 SB	83 S	80 S	84 P
30	86 N		83 P	84 SB	80 S	84 SB
31	85 N		84 S		82 S	

Jul.

	Jul.	Aug.	Sept.	Oct.	Nov.	Dec.
23	85 S	87 S	85 SB	83 N	84 SB	81 Nix
24	87 S	84 N.oc.	86 S. or	83 PB	82 P. oc.	84 NB
25	87 S	85 S	85 S	84 SB	81 P	82 B ni.
26	87 S	85 S	85 N	87 S	84 SB	81 B ni.
27	86 S	84 S	84 S	89 S	85 S	81 B ni.
28	86 S	84 S	84 N	88 N	88 S	83 NB
29	86 S	84 N	82 S. oc.	88 S	90 S	83 Nix
30	84 P	87 S	83 S. oc.	83 P	90 S	83 Nix
31	84 S	85 S		80 N. or.		83 Nix

Hoc

HOc Anno quidem per totam Cispadanam, & Transpadanam Regionem, quin per universam Italiam magna siccitate laboratum est, ut passim ad impetrandam pluviam publicæ decretæ fuerint Supplicationes, ne fruges, & fructus penitus exarescerent, quarè non tam obviæ, & tam frequentes esse potuerunt circa pluviosa tempora Observationes; quoties tamen signum aliquod pluviæ apparuit, ac postmodum cecidere imbres, semper deprimi *Mercurium* observavi, elevari autem post delapsos imbres succedente serenitate; sic per totum ferè Majum, in quo Mense largiores, & crebriores fuerunt pluviæ, *Mercurius* semper depressior visus est, & iis diebus quibus pluviæ cecidere infrà 80. lineam compertus est; per totam verò Hyemem, quæ præter Regionis morem sicca, & pulverulenta exstitit, sublimiorem gradum *Mercurius* semper obtinuit, nisi quando spirarent Australes Venti, ad quorum æstuosos flatus *Mercurius* deliquium quodammodo videtur pati, è sua sublimitate decidens, sicuti ad Septentrionales Ventos recreatur, ac erigitur; sic die prima Januarii in altitudine lineæ 87. apparuit, quæ dies præ cæteris serena, ac nitidissima, flante Borea, visa est, at die tertia ejusdem Mensis desedit *Mercurius* ad lineam 82. quæ dies fuit satis nimbosa Austro validè spirante, die verò quinta redeunte serenitate, ac reflante Boreâ elevatus est *Mercurius* ad lineam 83. & subsequenti die ad lineam 84. die porrò septima nebuloso, ac turbido Cœlo, dein sub Vesperas modica nive delapsa depressus est ad lineam 82. Die pariter 20. ejusdem Mensis cum *Mercurius* in altitudine lineæ 84. suspensus exstaret sub Solis occasum depressus est ad lineam 80 & altera die ad lineam 76. desedit, ac postmodum pauca nive obtectum est solum. Haud secus cæteris Januarii diebus, Cœlo modò sereno, modò nebuloso, licet sine pluviis, *Mercurium* semper in editiori statione annotavi, cum sereni dies, ac perspicui laberentur, quàm cum turbidi, & nimbosi; quod pariter cæteris mensibus animadverti, ut ex Typo videre est, & præcipuè à die sexta Octobris usque ad 12. quo tempore cum perfectissima, & imperturbata serenitate 90. lineam *Mercurius* constanter tenuit, veluti in suo Apogæo constitutus. Huic vero legi alterni descensus, ac adscensus, quotiescumque a sereno Aëris statu ad perturbatum & vice versa, fieret permutatio, tam promptè *Mercurium* auscultantem comperi, ut illum nunquam reluctantem viderim.

Fateri tamen æquum est *Mercurium* sub finem Anni aliquantum exorbitasse, etenim cum postremis Novembris diebus, 90. lineam obtineret una cum inculpata serenitate, mox prima die Decembris, quæ dies valdè nebulosa exstitit, ad lineam 88. secunda die ad 85. tertia ad 84. subsedisset, & solito tenore subsecutæ fuissent pluviæ; porrò iisdem pluviis usque ferè ad Mensis medietatem persistentibus, cœpit *Mercurius* paulatim attolli, donec metam penè extremam, in qua major unquam serenitas hoc Anno visa fuerit, assequeretur; in qua statione postcà ad plures dies immotus hæsit, quod mihi non parvæ admirationi fuit, cum in continuatis pluviis, quæ Mense Majo campos innundarunt, infrà 80. lineam *Mercurius* semper steterit, imò demissior apparuerit, quò densiores pluviæ ingruerent, adeò ut quintadecima Maji ad lineam 76. descenderit, qua die immensam vim aquarum è Cœlo vidimus ruere; in hac tamen nebulosa, & humida Constitutione è Boreali plaga semper flatus aliqui spirarunt; ut ut verò hanc anomaliam deprehenderim, & intrà serenitatis limites non modicæ pluviæ descenderint, attamen die 16. ejusdem Mensis discussis nebulis, & serenato Aëre ad duas ferè lineas *Mercurius* efferri visus est.

Observatione quoque dignum existimavi, num in Pleniluniis, & Noviluniis insignis aliqua variatio in Barometro appareret, verisimiliter ratus, quòd sicuti in Oceano hujusmodi temporibus majores æstus quàm cæteris diebus Lunaris Mensis Nautæ conspiciunt, ob dominatum quem supra Mare creditur habere Lunare Sydus, ita ut Cartesius tales æstus majori pressioni, qua Luna Aërem comprimit, adscribat, ita quoque in Atmosphæra

nota-

notabiliter aliqua alteratio in gravitate apparere debeat, ſed revera nihil effatu dignum annotare licuit, nam in Noviluniis, & Pleniluniis cunctorum Menſium nullum ferè diſcrimen in *Mercurii* altitudine reſpectu præcedentium, & ſubſequentium dierum compertum eſt, ſicuti neque ſilente Luna, quicquam memoratu dignum obſervavi.

Circa Æquinoctia, & in ipſis Æquinoctiis inſignes variationes, ac præcipuè in Æquinoctio Autumnali inſpexi, eadem die ad plures lineas modò adſcendente, modò deſcendente *Mercurio*; in Solſtitio æſtivo eandem altitudinem, quam diebus præcedentibus habebat, prorſus ſervavit, ſicuti pariter in hyemali Solſtitio.

Lunarium Eclipſium vim nullam ſenſiſſe viſus eſt *Mercurius*, in eodem gradu, ut anteà perſiſtens, in Solari verò Eclipſi, quæ in diem 22. Junii incidit, non mediocrem alterationem perpeſſus eſt, nam cum ante Solis defectum in linea 84. quieſceret, in ipſo defectu ad duas lineas ſeſe extulit, in altera verò Eclipſi nobis inconſpicua in ſua ſtatione immotus perſtitit.

Ad adſcenſum, vel deſcenſum *Mercurii* nullum ferè momentum addere caloris vel frigoris exceſſum obſervavi; ſiquidem Kalendis Januarii, & 29. ejuſdem Menſis, qui dies præ cæteris ſummè algentes fuere, ex mei Barometri teſtimonio, in linea 87. *Mercurium* ſignavi, & die ſeptima Auguſti eandem altitudinem annotavi, quæ dies ſi non fuit omnium æſtuoſiſſima, inſigniter tamen fervens exſtitit, in Thermometro liquore ad 80. gradum obſervato; revera tamen elatior ut plurimum eſſe ſolet *Mercurius*, cum Aër minus calet, quam cum impensè æſtuat, & quò magis in Thermometro liquor attollitur, *Mercurius* in Barometro deprimitur; Hyeme quoque majores, & crebriores motiones in Barometro obſervantur quàm Æſtate, Menſibus enim æſtivis, niſi ſubitæ procellæ ingruant, *Mercurius* in eadem ferè altitudine penſilis viſitur, ut Auguſto Menſe, ac Septembri, in quibus ob perpetuam ſerenitatem *Mercurius* ut plurimùm Stationarius fuit; hanc ob cauſam ſub Zona torrida exiguas, & raras fieri in Barometro alterationes, magnas autem ſub Zona frigida refert citatus Auctor Anonymus.

Nihil porrò *Mercurium* à ſua quiete promptiùs dimovere poſſe quam vim ſubitam Ventorum, tam frequens obſervatio eſt, ut nihil magis; mirum eſt autem quomodo Auſtrales Venti *Mercurium* deprimant, Boreales verò attollant. Multæ quidem apud Auctorem Anonymum ſatis curioſæ obſervationes exſtant de *Mercurii* motionibus ex Ventorum ad invicem ſucceſſione, at in maritimis locis ubi degebat Auctor perfacilè fuit talia obſervare, non ita verò nobis in ampla planitie poſitis inter Appenninum, & Alpes Rhœtias, ubi Venti nec tam crebri, nec tam vehementer perflant. Ego certe fateri poſſum me in alterna Ventorum ſucceſſione, & concurſu magnas anomalias deprehendiſſe, ut ex ipſo Typo apparet, conſtanter tamen ad Auſtrinos flatus *Mercurii* depreſſionem annotavi, non ſic verò ejuſdem elevationem ad Boreales Ventos. Nomine autem Borealium, & Auſtralium Ventorum hic eos accipio, qui ex Septentrionali, & Meridionali plaga perflant, quod idem intelligendum volo de Ventis, qui in Typo ſub Auſtri, & Boreæ nomine deſignantur, cum non magis *Mercurium* elevet Septentrionalis Ventus quàm Aquilo, & Corus, nec eundem Auſter plus deprimat, quàm Eurus, & Africus.

Memoratu quoque dignum eſt, quòd aliquandò licet placidum Ventis ſtet Mare Aëreum, inſigniter tamen augeatur Aëris pondus, elevato *Mercurio*, nulla tam ſubitæ mutationis ſe prodente cauſa, neque in ipſo Aëre, nec in Terræ ſuperficie, ut die 30. Auguſti; cum enim ſummo mane *Mercurium* obſervaſſem in linea 72. circa Meridiem ipſum notavi in linea 87. conſtante perfecta ſerenitate, quod idem à ſe pariter obſervatum refert (a) Experientiſſimus Ro. Boylæus; ut plurimùm tamen quotieſcunque ſubita *Mercurii* depreſſio contingit, prænunciari poſſunt ſine ulla hæ-

 ſitatione,

(a) Exper. Phyſic. Mecha. Exp. 18.

ſitatione, ſive Ventorum concurſus, & prælia, ſive ingentes pluvias ingruere; ſic *Mercurius* cum à die ſexta Octobris, uſque ad 11. lineam 90. conſtanter tenuiſſet, & dies nitidiſſimi fluxiſſent, die 12. paucarum horarum ſpatio ad 82. lineas deſcendit, & ſatis liberaliter circa Veſperas ſubſequutæ ſunt pluviæ; eadem ratione ſubita *Mercurii* emerſio Iridis ad inſtar proximam ſerenitatem denunciat; paulatim verò *Mercurio* adſcendente, vel deſcendente, paulatim quoque ſubſequuntur temporum, vel in placidum, vel turbidum converſiones.

Totum ſpatium, quod hoc Anno *Mercurius* in meo Barometro alterno adſcenſu, ac deſcenſu potuit percurrere, tertiam partem unius pollicis non exceſſit: omnes verò Menſes, dempto Aprili, & Majo, extremos penè fines altitudinis in fiſtula tetigere. Aprilis enim ad lineam 84. & Majus ad 83. vix devenere; major autem depreſſio iiſdem Menſibus obſervata in lineis 75. & 76. comperta eſt.

Statuit Auctor Anonymus in ſuo Barometro limitem quendam, ac veluti confinium inter pluvioſum, ac ſerenum tempus, quem limitem eſſe ait 27. pollices, & quadrantem, ita ut ſupra dictam altitudinem conſiſtente *Mercurio* habeatur ſerenitas, & quò ille altior aſſurgat, hæc magis confirmetur; ſic infrà hunc limitem hoſpitante *Mercurio*, ait nonniſi pluvioſa tempora exſpectanda, & magnos Ventorum concurſus; ut verum fatear, in meo Barometro hujuſmodi legem non obſervavi, nam pluries, & præcipuè ad multos Decembris dies etiam propè extremos fines ſerenitatis æſtivæ conſiſtente *Mercurio*, humidam, & pluvioſam conſtitutionem experti fuimus.

Cum in ea parte hyemis, quæ in hujus Anni principium incidit, nullæ ferè Nives præter Regionis morem decidiſſent, anxius diu fui, ut ſcirem quamnam alterationem pariant in Barometro Nives, cum adeò denſæ defluunt, ut Aërem totum impediant, & Campanæ obſurdeſcant, ac tandem circa Anni finem Voti compos ſum factus; nam à die 22. Decembris, uſque ad Anni finem tam copioſæ delapſæ ſunt Nives, ut tota Ciſpadana, & Tranſpadana Regio non Nivibus obſeſſa, ſed ſepulta videretur, quarè ſatis commodè obſervare licuit, quod diu optaram. Nivoſo Cœlo itaque, & actu labente Nive notabiliter in fiſtula *Mercurium* deſidere obſervavi, ita ut à linea 88. in qua prius viſebatur, ad lineam 81. paucarum horarum ſpatio deſcenderit, ac demiſſior exinde fuerit; quapropter ad Nives defluas, ac ad pluviarum deſcenſum idem prorſus contingere in Barometro obſervavi.

Atque hæc ſunt, quæ per integrum Annum ex quotidiana inſpectione Barometri eidem loco ſemper affixi colligere licuit, & quæ præ cæteris memoratu digna exiſtimavi, quorum equidem veram, ac genuinam rationem reddere, ſi tam in promptu eſſet, ut facilis fuit illorum Obſervatio, cum unum non vulgare ingenii acumen, alterum ſolam patientiam deſideret, jam Voti compotem me crederem; ac cum non niſi levium conjecturarum ſuppellex, ſatiſque curta mihi ſit, & alio Vindice digni ſint hujuſmodi nodi, fungar potius vice Cotis, & alios acuere contendam, ut potiſſimùm veram rationem, & cauſam exquirant, quare, cum Aër pluvioſis nebulis ſaturatus eſt, *Mercurius* in ſummitate fiſtulæ deprimatur, pluviis verò delapſis attollatur, quandò perpauci, quòd ſciam, hujus Problematis verè Archimedæi, ut dici ſolet, exactum examen inſtituere.

Suppoſito igitur pro re acceptiſſima, quam Academia Experimentalis Medicea, & Celeberrimus Boylæus jam ſatis demonſtrarint, ſcilicet in fiſtula Torricelliana ab Aëris externi preſſione ſuſtineri *Mercurium* ad altitudinem Cubiti unius, & quadrantis, ea ratione ut inter Cylindrum aëreum, & *Mercurium* in fiſtula ſuſpenſum fiat æquilibrium, & eo modo quo creſcat, vel decreſcat aërei Cylindri momentum, ſic in fiſtula elevetur, vel deprimatur *Mercurius*; videndum itaque num Aër pluvioſo tempore, & Cœlo nubibus obducto re vera ſit levior, ut *Mercurii* depreſſio teſtatur; quod mehercle durum videtur,

videtur, ac veluti paradoxum, gravior autem aqueo pondere excussio, & subsequente serenitate, quemadmodum ejusdem *Mercurii* elevatio videtur evincere.

Profectò pronunciare velle, leviorem esse Aërem imminente pluvia, vel dum actu ruunt imbres densissimi, graviorem vero serenitate restituta, idem prorsus videtur ac asserere Mulierem post editum fœtum graviorem esse quàm cum prægnans esset. Nullus certè Philosophorum, antequam ad strepe-rum Barometri nomen personarent Scholæ, ne somniasset quidem, nedum suspicioni locum præbuisset, Aërem minus gravem esse quandò caliginosus est, *pluvioque madescit ab Austro*, (*a*) ut ait Poëta, quo tempore conqueruntur omnes de gravitate quadam, quam in se ipsis persentiunt. Inter noxas quas Austros nostris Corporibus inferre scripsit Hippocrates, hanc præcipuam recenset, quod (*b*) *Caput gravent*, quam Capitis gravitatem inferre nequeunt, nisi Cerebrum aqueis superfluitatibus onerando; Caput verò præ cæteris corporis partibus humidissimum ab Austrinis flatibus, qui ejusdem sunt naturæ, gravem noxam facilè persentiscit; sic refert (*c*) Galenus, quendam ex suis Sodalibus in lecto cubantem solitum divinare quis Ventus spiraret, *nam quoties gravari sibi caput sentiebat, statim dignoscebat flantem Austrum esse.*

Mirum est autem quomodo Auster præ cæteris Ventis passim malè audiat, ac præsertim apud Poëtas; qui tot probrosis Epithetis illum sugillarunt, ut jam infamem reddiderint; annotatu verò dignum est, quare (*d*) Horatius Ventum hunc plumbeum appellarit.

Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus
Auster,

inquit ille; non hic curiosiùs immorabor in recensendis variis Expositorum Commentis; mihi solum rationi consonum videtur Venusinum Poëtam Australis Venti proprietatem hoc significanti epitheto exprimere voluisse, quòd nimirum Aërem nimia humiditate infarciens illum nobis onerosum, ac veluti plumbeum efficiat; cum enim Poëta, ut ipse narrat, ab Urbe secessisset in Montes, ubi Aër tenuior est, ac purior, se tutum credidit à fastu, & ambitione quæ gentem Urbanam inflat, & ab Austro Romanæ Urbi maximè infenso.

Cum ergo in Austrina, & pluviali Constitutione tanta humiditate, ut patet ad sensum, Aër difluat, ut Marmora ipsa illachryment, Æraque sudent, nulla apparet ratio quare Aër in hujusmodi statu minus ponderosus censendus sit quàm sicco, & sudo Cœlo. Altera ex parte stat *Mercurius* in Barometro tanquam Judex Sententiàm proferens pro Aëris minori ponderositate in Austrina, & quacumque pluviosa Constitutione, nullamque suæ Sententiæ rationem suggerit.

Quid ergo sentiendum? statuendum ne minus gravitare Aërem in humida, & pluviali Constitutione, reluctante sensu, & ingeniosissimo Borelli ratiocinio, qui in citatæ Propositionis expositione nequiit concipere materiam imminentis pluviæ, vel in Aëre innatantem, vel descendentem, quin suo naturali pondere naturalem Aërisgravitatem augere debeat; an asserendum graviorem quidem tunc temporis esse Aërem, sed ob aliquam causam in abdito positam gravitatem suam exercere non posse? Leviorem quidem esse Aërem pluviis impendentibus, & actu labentibus, pronunciat citatus Auctor Anonymus, sed nulla solida ratione, ut reor, apposita, ni potius Aërem graviorem ostendat. *La raison*, inquit ille, *pour la quelle le vif-argent du Barométre marque, qu'il doit pleuvoir lors qu'il baisse, est que l'air étant alors plus leger, il ne peut plus soutenir les Vapeurs: d'où il arrive, que les plus hautes tombant surles plus basses, elles s'y unissent, & forment des nuées, qui étant devenuës très pesantes, & très epaisses par l'augmentation des nouvelles vapeurs qui s'y joignent, tombent enfin en pluie;* paulò post tamen aliud agens rationem aliquam tradit, quæ specimen aliquod probabilitatis præfert; ait enim quibusdam temporibus, velut Hyeme, postquam Terra diutius gelu concreta stete-

 rit,

(*a*) 1. Metaph. (*b*) 3. Aph. 5. (*c*) De The. ad Pis. cap. 11. (*d*) l. 2. Sat. 6.

rit, ad primos repentes flatus ſoluta glacie multa vaporoſa effluvia elevari, quæ Aërem ſurſum protrudant, & ſic leviorem reddant, ut ſtagnantis *Mercurii* ſuperficies hoc pacto minus comprimatur; en illius verba. *Ces vapeurs ſortant en abondance de la Terre, & des eaux, donnent par leur mouvement une forte impreſſion à l'air, qu'elles rencontrent, & le ſoulevant, le rendent plus leger, c'eſt à dire lui diminuent la force, avec laquelle preſſoit ſur la ſuperficie du vif-argent; c'eſt pourquoi alors le Barometre baiſe.*

Vim aliquam ipſe quoque Robertus Boyle in ſuis Experimentis Phyſico-Mathematicis (*a*) hiſce effluviis è Terra ſurſum promiſſis tribuiſſe viſus eſt, ut variationem altitudinum *Mercurii* in Barometro explicaret; quamvis enim Quæſtionem hanc, quòd ſciam, ex profeſſo non tetigerit, attamen cum alternos hos motus Hydrargyri in ſummitate fiſtulæ obſervaſſet, ſcripſit *fumos iſtos quandoque tanta cum celeritate ſurſum ferri, ut quantumvis inſpiſſetur Aër, tantùm abſit ut gravitationem illius promoveant, ut diminuant potius, cum illorum adſcenſu ſuo velocitas impedimento ſit non ſolum ne ipſi gravitent, ſed plurimis etiam aereïs Corpuſculis, quæ fumis iſtiusmodi ſurſum nitentibus occurrunt, ne illi deorſum ferantur.*

Verùm huic ingenioſo Excogitato multa ſunt quæ poſſunt obtrudi, ac præſertim Clariſſimi Borelli Propoſitio 36. (*b*) ubi ait, *quòd licet Aqua in ipſa aqua quomodolibet convolvatur, agiteturque, nihilominus perpetùò retinet propriam gravitatem, eamque perpetuò exercet*; quod demonſtrat ad ſenſum ſuſpenſo in extremitate Libræ Vaſe aqua pleno, & in altera extremitate pondere aliquo, ut fiat æquilibrium, quod ad commotionem aquæ non tollitur. Sicut ergò motus aquæ vertiginoſus in Vaſe nihil diminuit de propria illius gravitate, quin Vaſis fundum premat ut prius, & æquilibrium ſervet cum pondere oppoſito, ſic neque Vaporum adſcenſus urgens partes ſuperiores Aëris, & alias ad deſcenſum compellens, ejuſdem Aëris gravitationem ſuper ſubſtrata corpora nihil prorſus infirmabit. Præterea ſi Vaporibus è ſolo elatis eam vim largiri placeat, ut Aërem in ſublime propellendo eundem leviorem reddant, cum poſt delapſos imbres, & reſtitutam ſerenitatem pateat ad ſenſum ab humenti Terra, & à Sole excalefacta multos Vapores ſurſum efferri, tunc temporis neceſſe foret multò leviorem eſſe Aërem, quem tamen graviorem eſſe *Mercurii* in fiſtula adſcenſus revincit; imò per Æſtatem, quò ferventiores ſunt Solares radii, copioſiores crediderim fieri è globo Terraqueo effluvia, Terra paſſim rimas agente, cujus rei ſatis luculentum teſtimonium ſuggerit nobis Appenninus noſter, nam in Vertice editiſſimi Montis Mutinenſis Ditionis, quem Indigenæ Cimonem vocant, Menſibus Majo, & Junio, Mare Superum, & Inferum manifeſtè conſpicitur, Julio vero, & Auguſto haud quaquam, ob turbidum Aërem, & nebulis occupatum.

Æquè ingenioſa, & elegans ratio (ſed quæ tamen non plenè ſatisfacit pro hujus Phænomeni ſolutione) penes Philoſopho. Burgundicam (*c*) exſtat, ac talis ratiocinii Auctor Borellus dicitur (quem tamen ab Italo noſtro alium reor) nimirùm pluvio tempore magnam Vaporum copiam è Terra elevari, qui cum Aëre leviores ſint, eumque ob corporum impenetrabilitatem aliò protrudant, Atmoſphæram leviorem reddant, quàm ſi hujuſmodi Vaporibus careret; at non adeò certum eſt, ni potius precarium videatur, nebuloſo tempore fieri hujuſmodi Vaporum elevationem, nam veroſimilius eſt diſpoſitionem ad pluviam fieri potiùs per Vaporum ex alto præcipitationem, quàm per ſubitam eorundem exaltationem; ſiquidem cum diuturnis ſiccitatibus ingentes, & continuatæ pluviæ ſuccedunt, fas eſt arbitrari ſenſim collectam fuiſſe illarum materiam, ac præſertim per Æſtatem, quo tempore videmus Lacus decreſcere, & Flumina exſiccari, Vapores autem per magna illa ſpatia diſpeſſos à Ventis colligi, ac denſari, ut tandem in imbres ſolvantur; ſicuti neque certum eſt ea Corpora

(*a*) Exper. 18. (*b*) De Mot. Nat. Grav. pend. (*c*) To. 4. Trac. 2.

Corpora quæ in altum elevantur, & in Corpus aliud fluidum se insinuant eodem esse leviora, adeò ut quæ è globo Terraqueo continuò adscendunt sint minus gravia quam ipse Aër; cum enim videmus pulverulento solo pede concusso pulverem elevari, imò per Æstatem juxtà populosas Urbes totum Aërem pulveris particulis obnubilari, non apparet ratio, quare pulvis ille per Aëra discurrens ipso Aëre sit minus gravis; sic Auri scobes, cui Aqua Regia affusa fuerit, adscendit, & intra poros aquæ se recondit, nec propterea Auri particulæ, quæ propriam naturam nunquam exuunt, dum pendent suspensæ aqua illa leviores censendæ, ipse quoque *Mercurius* ad ignis torturam positus *pedibus talaria nectit*, & citissimè in auras evolat; quomodo autem illius particulæ adeò ponderosæ temporis momento Aëre leviores fiant, ego non satis concipio; facile quidem mihi concipere est, quomodo quædam Corpora in motum adeò concitatum compelli possint, ut vis qua moventur illorum gravitati prævaleat, & in sublime adscendant, non quia ab alio Corpore superiori, & graviori, puta ab Aëre, è sua sede protrudantur, sed quia à vi inferiori sursum propellantur. Haud dispari ratione Vapores, multòque magis Exhalationes, quæ terrenam indolem nunquam exuunt, ut ut in partes tenuissimas redactæ, vel ob centralem calorem Terræ possunt sursum eructari, vel ob Cœlestis materiæ agitationem per Aëra circumvolvi, donec ab aliqua vi præcipites dejiciantur, nec propterea dici posse Aëre leviores, ita ut ex Vaporibus & ipso Aëre fiat novum Concretum in specie levius quàm sit simplex Aër.

Contraria prorsùs via procedit M. Comiers penès Vallemontium; (*a*) asserit enim Vapores dum actu descendunt Aërem leviorem reddere, verùm qua ratione id fiat non explicat; hæc autem sunt illius verba. *Il est bien facile de comprendre la construction de ce petit homme, qui monte plus haut, quand l'air devient plus pesant, & s'abaisse, & descend quand' il pleut, & même avant que la pluie commence, parce que les Vapeurs diminuent la pesanteur de l'Air en descendant.* Rationem quidem, ut dixi, nullam affert, quare Vapores descendendo Aërem leviorem efficiant, sed hujusmodi rationem, eamque non parvi ponderis ex Borellianis Fontibus hauriri posse arbitror, ut non infimum locum inter cæteras, quæ ad Problematis solutionem afferri possunt, mereatur. Hic itaque Vir Celeberrimus in Opere tam commendato de Motibus à Naturali Gravitate pendentibus ait, tam falsum esse quod Corpora terrena quiescentia super alia non gravitent, ut potius verum sit oppositum, quòd Corpora cum descendunt gravitatem non exerceant, quod licet paradoxum videatur, egregie tamen demonstrat exemplo allato de duobus Lanæ involucris, quorum unum alteri superimpositum in descensu nullam pressionem super illud exercet; hæc enim duo involucra cum æquales habeant velocitatis gradus, supremum inferius nequaquam comprimet, sed tantùm exosculabitur; cum verò quiescent, tunc superius involucrum supra Lanam subjectam gravitatem exercebit, ac illius pilos inflectet; deinde expressè subdit, (*b*) *Aquam cum descendit per Aërem nullam gravitatem habere, & eam solummodò exercere cum quiescit*, quod eodem ratiocinio demonstrat, concipiendo aqueum Cylindrum per Aëra descendentem in partes æquales horizonti æquidistantes divisum, quæ partes cum sint æquè graves, pars suprema erit æquè velox, ac inferior; propterea nullo pacto illam urgebit, ac premet, sicuti Sagitta nunquam signum feriet, quod ab ipsa pari velocitate recedat.

Ex his itaque deduci posset mirum non esse, si in pluviam solutis Vaporibus deprimatur *Mercurius*; siquidem Aëreo Cylindro, qui *Mercurium* antea premebat, & altius attollebat, ab aqueo Cylindro per Aëra descendente ex parte occupato, totus Cylindrus *Mercurio* superincumbens conflatus esset ex una parte Aëris, qui gravitaret, & altera parte aquei Cylindri, qui in descensu nullam præstaret gravitatem, ac propterea super

(*a*) Physic. Occult. c. 11. (*b*) Prop. 21.

Mercurium ſtagnantem minorem preſſionem exerceret, cui poſtea conſectaria eſſet *Mercurii* depreſſio; imbribus porrò delapſis, ac ſerenitate redeunte Cylindrus aëreus purus, ac putus, totis ſuis viribus ſuper *Mercurium* ſtagnantem gravitaret, ac ipſum in ſummitate fiſtulæ attolleret.

Plauſibilis quidem eſt hujuſmodi ratio, verùm & ipſa magnis difficultatibus ſtipatur; ſit enim quod aqua deſcendens non gravitet ſuper aliam aquam deſcendentem, non tamen certum eſt quod ſuper Aërem, cujus reſiſtentiam ſuperare debet, non gravitet; præterea in permutatione à ſereno Aëris ſtatu ad nebuloſum notabiles *Mercurii* depreſſiones obſervantur, licet nullæ interdum ſubſequantur pluviæ, niſi dicamus in diſpoſitione ad pluviam aqueos Vapores lento motu ab alto deſcendere, & eadem ratione, ut de actuali pluvia diximus, Aërei Cylindri preſſionem interturbare, & infringere, nec ſemper in pluvias ſolvi debere, cum a Ventis, ſicuti nubes, aliò deferri poſſint. Ulterius conſtans obſervatio eſt, quòd major *Mercurii* depreſſio contingat pluvioſo tempore, quàm dum ruunt imbres copioſi, ac præcipuè in continuatis pluviis, quales per totum ferè Decembrem vidimus, in quibus *Mercurium* notabiliter aſſurgere obſervavi, quando ex ſuperiùs dictis, actu pluvia deſcendente, deberet magis ſubſidere.

Porrò ſi Aërem, cum Vaporibus prægnans eſt, ut conceptam pluviam amplius ſuſtinere nequeat, graviorem ſupponere velimus, ut ad ſenſus, & rationis quoque Criterium proclive eſſet aſſerere, nulla, mihi ſaltem, ſuppetit conjectura, quare gravitationem ſuam ac preſſionem ſupra ſtagnantis Hydrargyri ſuperficiem exercere non debeat, & illum altius attollere. Profecto non parvi momenti eſſe pondus, quod interdum in magnis pluviis paucarum horarum ſpatio ab Aëre excutitur, fateri neceſſe eſt, ex aquis paſſim exundantibus; imò ſi lubeat, aquei humoris ante pluviam in æreo Cylindro qui *Mercurio* incumbit contenti pondus, & menſura ſciri poteſt, ſi in Vaſe Cœlo libero expoſito pluvialis aqua excipiatur, & quanta eſt aquæ delapſæ altitudo, tantundem in vitrea fiſtula, (quæ æqualis ſit amplitudinis ac Mercurialis Cylindrus) reponatur, exemplo inſignis Gallorum Mathematici Mariotte, qui, ut refert G. Bartholinus, (*a*) hoc modo per integrum Annum exceptis aquis pluvialibus, obſervavit illas ad altitudinem pollicum 17. deveniſſe, adeò ut ex illius calculo ſolæ pluviæ ſine recurſu ad aquas ſubterraneas è Mari deductas Sequanæ flumini aquas ſuppeditare potuerint.

Dubitari forſan poſſet, num vis Aëris Elaſtica impedimento eſſe poſſet, quin Aër licet abſolutè ponderoſior, minus premeret; ſi tamen res attentè perpendatur, patebit tantùm abeſſe, ut Aëris vis Elaſtica preſſioni officiat, ut potiùs verum ſit illam non parùm conferre. Multa equidem de Aëris Elatere egregiè ſcripta exſtant, & Cathedræ nihil magis quam hanc Aëris Elaſticitatem crepant, non leves tamen in hac re hallucinationes contingere obſervo; concipiunt enim perſæpe nonnulli hanc vim Elaſticam tanquam Principium à pondere diverſum, ut unum ſurſum, aliud deorſum vim ſuam exſerat, cum tamen ambo hæc Principia junctis viribus ad preſſionem concurrant; hæc enim Corporis elaſtici, quandò ab aliquo externo Agente comprimitur, proprietas eſt, ut expanſionem ſibi debitam quaquaversùm urgendo procuret, nec unam viam potiùs quàm aliam affectet, niſi ubi minorem reperit reſiſtentiam. Aër igitur in pluvioſo ſtatu, ſi re vera eſſet gravior quàm aliàs, proprio pondere, & unà cum ſua elaſticitate Hydrargyrum premere deberet, & illum ſurſum protrudere, cum tamen oppoſitum obſervetur.

Barometro igitur apertis notis atteſtanti Aërem leviorem eſſe, ſeu minus gravem nebuloſo, ac pluvio Cœlo quàm perſpicuo & ſereno, fides non eſt deroganda, & quando ex tot Experimentis conſtat, non ab alia cauſa quàm ab Aëris preſſione *Mercurii* libra-tionem in Torricelliana fiſtula ad 30. pollices pendere (ſicuti pariter ejuſdem variam altitudinem

(*a*) De Fon. & Flum. Origine.

dinem juxta diversam Aëris conditionem, modò magis, modò minùs ponderosi) hujus Phænomeni ratio pro viribus est disquirenda; quòd si non dabitur adeò probabilem afferre ut exspectationem impleat, id forsan aliis incitamento erit, ut probabiliores afferant, quando in rebus dubiis, & magnis difficultatibus involutis plures causas proferre non incongruum est, donec ex multis una habeatur, cui Mens Veritatis avida acquiescat; nam ut rectè Lucretius (a).

Sunt aliquot quoque res, quarum unam dicere causam,
Non satis est, verùm plures, unde una tamen sit.

Fateor equidem, quòd ut cohærenter procederem necesse foret, ut hic non pauca ex Doctrina Meteorologica perpenderem, veluti de natura Aëris, Ventorum, Pluviarum, Nebularum, multarumque aliarum rerum, de quibus licet passim Philosophi tot; ac tanta prodiderint, adhuc tamen sunt materiæ involutissimæ, & mille Disputationum ambagibus implicitæ; verùm in nimiam molem Tractatulus hic meus turgesceret, propterea quædam solummodò præmittam, quæ magis verosimilia credidi, & meis Conjecturis congruentia.

Suppono itaque è Globo Terraqueo non solùm Vapores, qui sunt Pluviarum materia, sed multas Exhalationes diversæ indolis continuò, plus, vel minus, protrudi, & Aëri commisceri, ut particulas Sulphureas, Aluminosas, Vitriolicas, Mercuriales, aliasque omnigenas, ac præsertim Montanis in locis ubi sunt Metallorum Fodinæ; adeò ut aliquibus in locis, veluti in Hungaria, reperta sint Arborum folia aureo colore obducta ab Auri Fodinarum exhalationibus: Aërem verò Nitrosis particulis potissimùm refertum esse, omnes, cum Philosophi, tum Medici unanimiter tradunt, ut Junchen in sua Chymia Experimentali (b) Nitri Mineram non in Terræ sinu, sed in ipso Aëre constituerit, nec secùs sentiat Celeberrimus Vir Jo: Mayovv, qui integrum Tractatum de Salnitro Aëreo conscripsit. Partium enim nitrosarum necessitatem ad Ignem, tum Elementarem, tum Vitalem sustentandum providentissima Natura intelligens illius ingentem copiam esse voluit, & Condum in Aëre, sicut Salis in Oceano constituit.

Non est hujus loci, nec ad rem de qua agitur, Nitri naturam rimari, & quare ad Respirationis munus tanta sit Aëris nitrosi necessitas, de quo consulendi Willisius, Sylvius, Trusthonus, & alii, mihi satis sit Aërem multum nitrosæ materiæ continere, ac præsertim Hyeme flante Borea, qui nitrosæ Annonæ veluti Dispensator est, sicuti Auster Liguritor, quod forsan Plinius (c) innuere voluit, cum tradidit flatus Aquilonares Salem copiosum facere, non sic Australes. Nitri autem efflorescentiam super muros antiquos, ex calce & lateribus constructos, Hyeme, præsertim, & cum Aquilonares Venti dominatum obtinent, passim videre est, & Nitri Collectores tunc temporis toti sunt in verrendis muris, quin uberiorem nitrosæ materiæ copiam è muris qui Boream spectant quàm qui Austrum, congerere se ajunt; sic Glauberus qui de Nitro egregiè scripsit ait, Aquam quæ cum Vento Aquilonari decidit optimam esse ad parandum lixivium pro Nitri extractione. A perito Nitri Coctore accepi, imprudens opus esse Muros antiquos, ubi flos petræ nascitur, diruere ad Nitrum extrahendum, majorem enim Nitri copiam ab iisdem impetrari si sæpiùs verrantur mihi asseruit, cum tales Muri sint veluti Matrices, quæ ab Aëre gravidatæ uberiorem Nitri fœturam præstent. Ab eodem quoque rem satis curiosam didici, nimirùm magnam Nitri copiam in Stabulis colligi ex muris, in quos halitum efflant Boves, in altera tamen Muri parte extra Stabulum, & quæ Aëri exposita est. Inesse quoque Aëri cæteras minerales Exhalationes, quarum habita est mentio; argumento sunt Colcothar Vitrioli, quod Aëri expositum novo ac genuino Vitriolo imprægnatur, Terræ Metallorum, Medicamenta Mercurialia, Stibium Diaphoreticum, quod nisi ab Aëre externo

rite

(a) Lib. 6. (b) C. de Nit. (c) Hist. Na. lib. 31. cap. 7.

rite munitum asservetur, ab eodem vim emeticam resorbet, cui fato quoque obnoxius est *Mercurius* dulcis, qui incustoditus vim corrosivam adsciscit.

Altiùs autem attolli Vapores, & quæcumque majorem cum Aëre cognationem habent, quàm terreas Exhalationes satis probabiliter existimo; non ex hoc tantùm quòd Vapores aquei terrestribus Exhalationibus leviores sint, nam oleosæ Substantiæ licet Aqua leviores segnius adscendunt quàm Aqua ipsa, sed etiam quia Vaporum magis laxa compages est quàm terrenarum Exhalationum; sic in Destillationibus videmus partes tenuiores è Corporibus distillatis priores assurgere, deinde crassiores. Quamvis autem Exhalationes unà cum Vaporibus in Aërem prosurgant, facili tamen negotio postmodum sejunguntur, vel ut Oleum ab Aqua, vel vi Ventotum, adeò ut in sublimiori parte Atmosphæræ Vapores, & tenuiores Substantiæ consistant, in humiliori Exhalationes, & crassiores particulæ resideant; nam ut egregiè Seneca, (*a*) *Aër quò propior est Terris hoc crassior; quemadmodum in aqua, & in omni humore fæx ima est, ità in Aëre spississima quæque desidunt.*

Supponere item satis probabiliter licet Vapores coactos, ac densatos Nubes, ac Nebulas effingere; Vapores autem per magna illa spatia diffusos colligi, ac densari à Ventis contrariis, hinc & illinc prementibus, donec in Corpora illa visibilia transeant, quæ Nubes appellantur, tradit Cartesius, (*b*) quamvis ab Hippocrate videatur id penitùs desumpsisse; quare mirari subit, quomodo Philosophi tum antiquiores tum recentiores, cum tot, ac tanta ab Hippocrate decerpserint, tam rarò illius meminerint, quam ob causam Laurentius (*c*) ingratissimum Aristotelem appellavit; lubet autem Divini Præceptoris verba ipsa (*d*) hic apponere, cum Nubium, & Pluviarum generationem nemo forsan ingeniosiùs descripserit. *Quamdiu igitur Nebula dispersa fuerit, & nondum congregata fertur sublimis. Ubi verò coacervata fuerit, ac simul congregata de repente à Ventis inter se adversariis, tunc deorsum prorumpit, quæ parte plurima collecta fuerit; tunc enim magis verisimile est quum Nebulas à Vento stabilitatem non habente concitatas de repente Ventus contrarius, ac aliæ Nebulæ reliserint; atque tunc quidem prima ipsius pars congregatur, quæ verò à posteriori parte sunt insuper accedunt, & sic crassescunt, ac simul congregantur, & præ gravitate deorsum prorumpunt, & pluviæ fiunt.*

Adverto denique suspicari saltem licere, si non supponere, Aërem, qui Cœlum cum Terra nectit dum separat, non solùm terrena, sed etiam cœlestia effluvia in sinum suum recipere; (*e*) *ultrò, citroque commeante Natura, & quadam veluti pugna, ut terrena in Cœlum tendentia deprimat Syderum vis*, ut ait Plinius; hujusmodi autem emanationum in hæc inferiora non contemnendam conjecturam desumpsit Ingeniosissimus Rob. Boyle (*f*) ex Solarium macularum subita dissolutione, quod idem quoque de Cometarum evanescentia dici posset, adeò ut Sol præter lumen (cujus actionem Cartesius (*g*) in pressione quadam secundum lineas rectas facta constituit) alia ratione, cœlectis materiæ projectione nimirùm, Atmosphæram nostram in gravitate quandoque possit alterare. Ac profectò si in pestilenti Constitutione culpantur à Medicis, nec temerè, anonymæ Qualitates Aëri à Sydereis afflatibus potius, quam à terrenis Exhalationibus impressæ, non prorsùs à ratione alienum erit suspicari, posse aliquandò aliunde quàm à terrestri Exhalatione Aëris gravitatem augeri.

Hisce itaque præhabitis, rationem aliquam hujus paradoxæ Quæstionis reddi posse arbitror, conjectando nimirùm, quòd Vapores vi Ventorum prementium collecti, ac in Nubes, & Nebulas coacti, Aëremque humectantes, ex superiori Atmosphæræ parte terreas Exhalationes quæ infra subsistunt, & nitrosas particulas præcipue, quibus Aër abundat, ad imum deturbent, ac ad solum usque præcipitent, non secus ac Metalla soluta in Aquis for-

(*a*) Lib. 4. Quæ. Nat. c. 10. (*b*) Meteor. cap. 5. (*c*) Lib. 8. Hist. Anat. Quæst. 30. (*d*) De Aër. Aqu. & Lo. num. 19. (*e*) Lib. 2. Hist. Nat. cap. 38. (*f*) In Susp. de Aer. Iat. Qual. (*g*) Part. 4. Princip. Philos.

fortibus per additionem Olei Tartari in Vasis fundum sub forma Calcis decidunt, & hoc pacto ob harum partium mineralium, & alterius generis præcipitationem, & exclusionem, ab Aëris poris Aër ipse reddatur levior, ac Cylindrus Aëreus qui *Mercurio* incubat, minus eundem *Mercurium* premat, ac propterea in pluviosa tempestate *Mercurius* in fistula descendat. Haud secùs discussis per effusos imbres nebulis ac Vaporibus, seu per Ventos aliò delatis, & serenitate restituta, fas est arbitrari terreas illas, & minerales particulas, quæ imminente pluvia, & actu delabente, præcipites è roranti Aëre deciderant denuò exaltari, Ventosque Boreales nitrosam materiam convehendo novam Aëri gravitatem largiri, & hoc pacto *Mercurium* paulatim ad priorem stationem per gradus emergere.

Nec mirum videatur, quòd Vapores anteà dispersi, mox in unum collecti Aërem leviorem reddant, nam majus est pondus quod per hujusmodi præcipitationem, licet insensibilem, ab Aëre secedit, quam quòd eidem successivè accedit, non secùs ac Aqua Regia, in qua dissolutum est Aurum, levior sit, Auro ad fundum præcipitato, & ab ea separato, quamvis illi Oleum Tartari addatur. Aquam verò & ipsam vim habere præcipitandi variorum Corporum solutiones, & Metallorum quoque, experimenta Chymica satis ostendunt. Hanc itaque causam esse reor descensus *Mercurii* in Torricelliana fistula, pluvioso tempore impendente, & adscensus subsequente serenitate; nonnisi autem terreæ particulæ excogitari possunt quæ ab Aëre nebulis pluviosis imprægnato, ut ait Borellus, quoquo modo secedant ubi pluviæ imminent; siquidem Aëris Columna, quæ *Mercurio* superincumbit, & illum in fistula suspensum detinet, in transitu à serenitate ad statum pluviosum specificam gravitatem mutare nequit, ac fieri levior, nisi particulæ graviores excludantur, & leviores subeant.

Hujusmodi autem præcipitationis partium mineralium, & alterius generis in humida tempestate non leves conjecturas afferre possem ex variis Observationibus, ut v. g. quòd quando Chymici Sulphuris Spiritum per campanam elicere volunt, pluviosum tempus, & valdè caliginosum exspectant, tunc enim largiorem Spiritus copiam è Sulphure obtinent, aqueis nempè Vaporibus, quibus Aër oppletus est, fumos è Sulphure exhalantes ad imum deturbantibus, ut faciliùs in Stagma illud acidum cogantur, quod Sulphuris Spiritum appellant; haud secus Terras metallicas Fodinis erutas, & Aëri expositas hujusmodi tempore partes sibi congeneres ab Aëre avidiùs combibere ajunt, quam cum siccum, & sudum est Cœlum. Prætereà Agricolationis Studiosi nunquam magis fœcundari agros prædicant quàm in nebulosis Constitutionibus, iisque continuatis, quòd non aliam ob causam fieri censendum, quàm quòd hujusmodi temporibus magna fiat ex Aëre partium nitrosarum, licet insensibilis præcipitatio, quandò nihil est quod majorem Terræ feracitatem, & Seminibus robur largiatur quam Nitrum; sic enim Poëtarum Princeps. (*a*)

Semina vidi equidem multos medicare serentes
Et Nitro prius, & nigra perfundere amurca,
Grandior ut fœtus siliquis fallacibus esset.

Aliquandò tamen suspicatus sum, num præter externi Aëris actionem *Mercurius* ipse jus aliquod haberet in hujusmodi descensu cum pluviæ imminent, vel decidunt, factus nempè gravior, vel aqueos vapores combibendo, vel Mercuriales, & nitrosas particulas ab Aëre per hujusmodi præcipitationem, ut diximus absorbendo. Revera *Mercurio* aliquam portionem aquæ ex ejusdem naturali constitutione inesse à perito Chymico didici, qui mihi modum communicavit eliciendi aquam simplicem è *Mercurio*, quæ quidem in satis modica quantitate obtinetur, ita ut è duabus unciis *Mercurii* vix aquæ drachma impetretur, quamvis referat Rob. Boyle, (*b*) sibi ab ingenioso Medico relatum ex libra *Mercurii* quatuor uncias aquæ aliquandò elicitas fuisse; quòd tamen aquei Vapores in *Mercurii* substantiam adeò densam insinuare se valeant vix

(*a*) Geo. 1. (*b*) Append. ad Chym. Scept.

concipi poteſt, quandò omnia corpora, præter Aurum illi ſupernatant: ſic neque per novas particulas mercuriales, aut ſalinas ab Aëre abſorptas credibile eſt *Mercurium* majorem gravitatem ſpecificum acquirere; videmus enim per novi *Mercurii* additionem in pyxide, ubi immerſa eſt vitrea fiſtula, *Mercurium* altiùs proportionaliter in ſummitate tubi elevari, ſicuti ex cujuſcumque liquoris affuſione, perſtite tamen eadem ſemper altitudine 30. pollicum à ſuperficie infuſi liquoris menſuranda.

Poſſe tamen *Mercurium* fieri in ſpecie graviorem, quàm ſit vulgaris Officinarum *Mercurius*, cum nimirum corporaliter ab Auro imprægnatur, vel ab eodem ſpiritualiter animatur, tradit Ingenioſiſſimus Boyle, (*a*) ſicuti pariter cum deſtillatur fit non parum gravior, ſi cum vulgari *Mercurio* hydroſtaticè examinetur; cum igitur ex particularum Auri imprægnatione potiſſimùm majorem gravitatem poſſit *Mercurius* adſciſcere, nec tam ingens hujuſmodi partium volatilium copia in Aëre exſtet (ſaltem apud nos, ubi Aurum aliò evolat) nullus ſuſpicioni eſt locus, quòd in caſu noſtro *Mercurius* ſtagnans in pyxide, ubi Mercurialis Cylindrus immerſus eſt, poſſit ab Auri particulis volatilibus ab Aëre pluvio deciduis alterationem aliquam intrinſecam pati ad fieri in ſpecie gravior, ut hanc ob cauſam in ſummitate fiſtula debeat deſcendere. Quare ſicuti Aëris externi preſſio potiſſima eſt cauſa, quare *Mercurius* in Torricelliana fiſtula facto vacuo in dicta altitudine perſtet, ità ad ejuſdem Aëris modò majorem, modò minorem preſſionem referenda eſt in Mercuriali Cylindro hujuſmodi motionum viciſſitudo.

Hoc modo itaque, prout ingenii mei tenuitati datum, expoſito *Mercurii* deſcenſu in Torricelliana fiſtula in permutatione à ſereno Aëris ſtatu ad nebuloſum, & perturbatum, & ejuſdem adſcenſu à perturbato ad ſerenum, reliqua Phænomena quæ ſuperiùs memoravi ſuperſunt explicanda, quod fundamentis à me jactis præſtiturum me confido. Aliquandò inſignes alterationes in Barometro fieri annotavi, notabiliter elevato *Mercurio*, nulla apparente in his inferioribus tam ſubitæ mutationis cauſa; hujus itaque Phænomeni cauſam ad effluvia è Corporibus Cœleſtibus in hæc inferiora projecta referri poſſe rationabiliter putarim; cum enim ſilentibus, ſereno, ac perſpicuo Cœlo, & Aëreo Oceano in ſumma malacia conſtituto id contingat, non aliunde quàm à ſuperiori cauſa tam ſubitæ alterationes in Barometro videntur peti poſſe. Sicuti enim (ut ex eorum Relationibus habemus, qui in Machinis fundum Maris perluſtrarunt, & ex Unionum Piſcatoribus) magna eſt in Maris fundo tranquillitas, dum in ſummo ingens ſævit tempeſtas, quod ipſis Urinatoribus non parvæ fuit admirationi, ita & nos in Maris Aërei fundo poſiti, licet hic pacata omnia videamus, divinare non poſſumus, quid in ſummitate Atmoſphæræ, ac Ætheris fiat, & quales motus ac alterationes ibi excitentur.

Hoc idem crediderim affirmari poſſe de *Mercurii* elevatione in Solari Eclipſi obſervata, dum in ipſo Solis defectu die 22. Junii ad duas lineas ſe ſe extulit; nulla enim nec ante Eclipſim neque poſt ipſam, facta notabili Aëris alteratione, credibile eſt, intercepto Solarium radiorum influxu, & illorum directa projectione uſque in Terram, Atmoſphæram in ſuperiori parte, ac ipſum Ætherem inſignem aliquam alterationem, ac preſſionem perpeſſum fuiſſe, quæ uſque ad *Mercurium* pertingeret. Haud ſecus rationem reddi poſſe exiſtimo de *Mercurii* exorbitantia obſervata ad multos Decembris dies, cum in nebuloſa, ac præhumida Conſtitutione paulatim ità ſe ſe extulit, ut extremos penè ſerenitatis limites tetigerit, dum per totum Annum conſtanter in pluvioſo Aëris ſtatu in infimis ſubſelliis ſtetiſſet, cœleſti nempè materia è Sydereis Corporibus diffuſa, & ſupra Atmoſphæram gravitante; adeò ut non obſtante ſuppoſita partium nitroſarum præcipitatione, qualem in nebuloſa Conſtitutione fieri diximus, Aër ob talem

(*a*) Append. ad Chym. Scept.

talem causam insignem gravitatem acquisiverit.

In Æquinoctiis magnas observari in *Mercurio* motiones superiùs annotavi, ut paucarum horarum intervallo adscendat, ac descendat, cujus causam rimari, ac assequi perdifficile est; Magnas fieri tam in Macrocosmo, quàm in Microcosmo mutationes vetus Observatio est; etenim ut ex Nautarum Relatione, & Observationibus Geographicis, & Astronomicis Regiæ Academiæ Parisiensis (*a*) habemus, nunquam aliàs tam magni æstus in Oceano excitantur quàm in ipsis Æquinoctiis, & Novilunia quæ illis sunt proximiora majores æstus pariunt, quam reliqua quæ magis distant. Haud secus in humanis Corporibus hujusmodi tempore insignes fiunt perturbationes, nec immeritò monuit Hippocrates, (*b*) magnas Temporum mutationes esse observandas, *ut neque Medicamenta in illis libenter exhibeamus, neque uramus, neque secemur*; quales autem sint hæ magnæ Temporum mutationes exposuit subdens, *puncta Solstitialia & Æquinoctialia esse periculosa*; lubet ergò conjicere, Sole sub æquinoctiali Circulo utrumque Polum pari radiorum influxu respiciente, varia utrinque effluvia suscitari, ità ut in Atmosphæra fiant veluti fluxus & refluxus, & hoc pacto modò adscendere modò descendere *Mercurium*, quandò Australes flatus ipsum deprimunt, Aquilonares attollunt.

Nivoso Cœlo, & actu cadente Nive, *Mercurium* in infimam stationem se recipere, constans observatio est, ut diximus, cujus quidem rei eadem est ratio ac de nebuloso Cœlo, & actuali pluvia; imò ex hac observatione Assertum meum de Nitro aereo, & illius præcipitatione in humida Constitutione, magis stabiliri posse crediderim, quandò Nivem copioso Nitro refertam esse non leves conjecturæ, & experimenta comprobant. Non exiguam agris fœcunditatem suboriri *cum nix alta jacet*, communis saltem apud nostrates Agricolas est opinio, ac re verà nunquam major Nivium parcitas observata est, quàm hisce quatuor Annis elapsis, quibus non parva rei Annonariæ angustia nos pressit. Nivem aquarum cœlestium spumam esse, & ex illa Terram fermentescere scripsit Plinius, (*c*) & Scaliger (*d*) Nivem pingue humidum continere, & ex illa fimum confici quocunque alio efficaciorem tradidit. Feracitatem autem hanc, quam Solo Nivem impertiri probabile est, non ex caloris in Terram repercussu gigni censendum, ut credidit Cardanus, adversus quem more suo Scaliger, sed quia Nix multo Nitro abundet, ut ejusdem figura Stellaris ostendit, qualem quoque possidet Nitrum. Licet autem Olaus Borrichius in Epistola quadam ad Tho. Bartholinum (*e*) scripserit commentitium esse reperiri Nitrum in Nive, fatetur tamen se in Nive Batava deprehendisse, illam Sulphure inflammabili, & Sale cubico non carere.

Sciendi cupidus num re ipsa Nivibus Nitrum insit, scisscitatus sum à perito Chymico, num ipse modum calleret Nitrum è Nive extrahendi, respondítque se quidem nunquam hujus rei periculum feciisse, nullam tamen diligentiam omissurum, ut votis meis satisfaceret; sic paucos post dies mihi Nitrum è Nive extractum exhibuit, quod hoc Tentamine assecutum se fuisse affirmavit. Duas libras aquæ accepit è soluta Nive purissima, & recenter delapsa, ac in illis dissolvit libram unam Nitri purgatissimi; pariter in duabus libris aquæ fontis purissimi tantumdem ejusdem Nitri infudit, quo peracto Aquam utramque ad Ignem posuit, & sensim ad cuticulam restrinxit; ex his postmodùm Aëri frigido expositis cœpit nitrum crystallizatum colligere; sic eadem operatione ad plures vices repetita, tandem plus Nitri ex Aqua Nivis, quàm ex Aqua Fontis se collegisse observavit; posito itaque ad Bilancis examen utroque Nitro, deprehendit Nitrum è Nive extractum, reliquum superasse trium unciarum pondo, certo argumento, tantumdem Nitri in libris duabus Nivis exstitisse, quod Nitro dissoluto ob affinitatem socium se adjunxerit. Observatione verò dignum est discrimen, quo

(*a*) Cap. X. (*b*) De Aër. Aq. & loc. num. 30. (*c*) Lib. 17. cap. 2. (*d*) Exerc. 54. 2. (*e*) Barth. Cent. 3. Ep. 97.

hæc duo Nitrorum genera diſtinguuntur; Nitrum enim è Nive collectum fuſci coloris eſt, ſaporem valdè acrem ad guſtum præfert, & flammam edit vivaciſſimam, & fulgurantem, alterum verò lucidum eſt, minoris acredinis, & flammam reddit languidiorem. Cum itaque, ut ſuperiùs annotatum, nivoſo Cœlo, & ad actualem Nivium deſcenſum ad infimam ſtationem deſcendet *Mercurius*, credibile eſt magnam tunc temporis fieri partium nitroſarum, ab Aëre in Terram præcipitationem, & conſequenter aërei Cylindri ſuper ſtagnantem *Mercurium* minorem eſſe gravitationem.

Non minus quoque curioſum eſt, ac diſquiſitione dignum, quam ob cauſam ad Auſtrales flatus *Mercurius* in Barometro ſe ſubmittat, ad Aquilonares proſurgat, ſeu, quod idem eſt, cur in Auſtrina Conſtitutione Aër ſit minus ponderoſus, quàm in Boreali. Auſtrum, & Boream Ventos eſſe *præ cæteris fortiſſimos, & inter ſe tum ſtatione, tum viribus contrariiſſimos*, tradit Hippocrates, (*a*) quare ſi ex iiſdem contrarii effectus prodeant, haud quaquam miror; quomodò verò ab Auſtro (quem Notum Græci appellant ab humiditate quam ſecum defert, undè Notiometri, Inſtrumenta ad Aëris humiditatem menſurandam) Aër fiat levior, ab Aquilone verò ſudo, & ſicco gravior reddatur, ego certè demiror, & genuinam cauſam ignorare me fateor, quàm forte non novit niſi (*b*) *Qui fecit Ventis pondus*. Effectum hunc ad contrariam hujuſmodi Ventorum temperiem referre, quod nimirum Auſtrales Venti calidi ſint, ideòque Aëris tonum laxent, & rarefaciant, undè Aër levior evadat, Aquilonares verò, ut potè frigidi Aërem denſando eundem ponderoſiorem efficiant, non planè ſatisfacit, calida enim vim habere rarefaciendi, & denſandi, ſicut & frigida, ex variis experimentis ſatis liquet, ac ne aliunde quæramus exempla, Auſtrini flatus Nivem jam delapſam denſant, antequam ulla liquoris guttula effluat, quemadmodum & Aquilonares eandem Nivem rarefaciunt, ac attollunt, ut vulgus dicat Nivem ex nimio frigore augeri. Ipſe quoque Ariſtoteles (*c*) ab Auſtris vim denſandi non rejicit, quærens enim cur Auſter non incipiens, ſed deſinens imbrem inferat, ait id poſſe fieri, quòd Aërem cogat è longinquo, quo coacto Aqua exprimatur. In hanc rem egregiè Poëtarum Princeps: (*d*)

Verùm ubi tempeſtas, & Cœli mobilis humor
Mutavere vias, & Iuppiter humidus Auſtris
Denſet, erant quæ rara modo, & quæ denſa relaxat.

Prætereà in caſu noſtro ad aſſerendam majorem, vel minorem Aëris gravitatem vim frigoris denſantis, vel caloris rarefacientis cauſare non poſſumus, quandòquidem ex factis Obſervationibus ad *Mercurii* adſcenſum, vel deſcenſum non magnum momentum addunt calor & frigus, licet in inſigni gradu; cum in eadem altitudine tam in ſummis algoribus, quàm in ſummo æſtu non ſemel mihi compertus fuerit *Mercurius*, & ſub Zona torrida eadem penè altitudo *Mercurii* in Barometro, ac in Zonis temperatis obſervetur, ut ex ſuperiùs citatis Obſervationibus Aſtronomicis, & Geographicis D. Caſſini. (*e*)

An fortè igitur id fiet, ut putat Auctor Philoſophiæ Burgundicæ (*f*) quòd Venti Aquilonares deorſum ruant, ideſt ab editiori loco perflent, & hoc pacto Aërem ad inferiora propellant, Auſtrales verò ab imo ad ſummum ſpirent, ſicque Aërem ſurſum efferentes multum de illius gravitatione detrahant? Auſtrales Ventos ex humiliori loco in ſublimia eniti ſcripſit pariter Carteſius, (*g*) quin & ingenioſiſſimas rationes addidit; hoc idem quoque viſus eſt ſenſiſſe Plinius, qui tradidit; (*h*) *Auſtrum majores fluctus edere, quàm Aquilonem, quoniàm ille infernus ex imo magis ſpirat, hic ſummo*; quòd carmine elegantter expreſſit Pontanus. (*i*)

A ſummo Boreas, Notus imo ſpirat Olympo.

Vera ſint hæc omnia, & Auſter ex imo Polo alis primò ſiccis, deindè madidis hùc advolet (de quo tam longo itinere cum Doctiſſimis

(*a*) De Mor. Sac. n. 15. (*b*) Job. c. 28. (*c*) Sec. 27. Prob. 21. (*d*) Lib. 1. Geo. (*e*) Cap. 10. Art. 4. (*f*) To. 4. Tra. 2. (*g*) Meteo. cap. 4. (*h*) Lib. 2. H. N. c. 47. (*i*) L. Meteo de Ven.

ctiſſimis Viris meritò dubitare licet) his tamen obſtant ea, quæ ſuperiùs ex Clariſſimi Borelli doctrina attuli de ſubſtantiis fluidis, quæ ſuſque deque agitatæ eandem exercent gravitatem ſuper corpora quibus incumbunt, ac dum quieſcunt.

Hypotheſi meæ igitur inhærendo crediderim potiùs id fieri, quia Auſter, quem D. Hieronymus (*a*) *Pluviarum Pincernam* eleganter dixit, *dum pelagus tranſit* (ut ipſius Hippocratis (*b*) verbis utar) *tanquam calidus, & rarus exſiſtens multa humiditate regionem in quam illabitur implet;* Aëre autem humectato, & illius compage laxata, fas eſt arbitrari partium nitroſarum, & Salium diverſæ indolis præcipitationem in ſolum ſubſequi, hancque ob cauſam, Aëre leviori facto ob pondus excuſſum, *Mercurium* in fiſtula ſubſidere; ſicuti opinari licet Aquilonem, (quem idem Eccleſiaſticus Scriptor *Scoparium* appellavit) Vapores, ac Nubes detergendo, unàque partes nitroſas ex Septentrionali plaga convehendo, addita inſuper recenti exhalationum è Terra exaltatione ab hujuſmodi præcipitatione anteà repercuſſa, novam Aëri gravitatem impertiri, ut exinde *Mercurius* cogatur adſcendere.

Quamvis autem aliquandò Septentrionales Ventos ingentes pluviæ comitentur, ut præcipue die 14. & 15. Octobris, id fieri crediderim, quòd Nubes, ac Vapores à Ventis Auſtralibus ad nos delati, & à Ventis Septentrionalibus propulſi, in retroceſſu, ac fuga ſolvantur in pluvias.

In hanc rem egregiè profectò Seneca (*c*) inter Providentiæ Opera hanc recenſuit, quòd *Venti modò Nubes adducant, modò deducant, ut per totum Orbem pluviæ dividi poſſint, nam in Italiam*, ait ille, *Auſter impellit, Aquilo in Africam rejicit;* non eoſdem tamen effectus ubique locorum edere hos Ventos putandum eſt, nam ut ait Plinius, *cum ſitu naturam mutant, Auſter Africæ ſerenus, Aquilo nubilus;* ſicuti Neapolim incolentibus idem Auſter humidiſſimus eſt, ac nimboſus, Apulis vero ſerenitatis Parens eſt, ut Lucas Tozzius, Vir Celeberrimus, (quem Innocentius XII. P. M. ut ad nos fama detulit, ſuæ Valetudinis Cuſtodem deſignavit) in doctiſſimis ſuis Commentariis in Hippocratis Aphoriſmos (*d*) refert; ſcitu propterea dignum exiſtimarem, num in Apulia, flante Auſtro, ibi ſerenitatis Auctore, *Mercurius* in Barometro attollatur, quandò in ſereno Aëris ſtatu elatior ſolet eſſe *Mercurius*, demiſſior verò in turbido, ac nimboſo.

In hanc rem inſignem locum apud D. Lucam (*e*) ſilentio præterire nequeo, ex quo ſatis apparet, quàm varia ſit, ac diverſa juxta regionum & locorum diverſitatem Ventorum conditio; arguens ergo Hypocritas Redemptor noſter, *Cum videritis*, inquit, *Nubem orientem ab Occaſu, ſtatim dicitis imber venit, & ità fit, & cum Auſtrum flantem, dicitis quia æſtus erit, & fit.* Auſtri ergò in Palæſtina æſtum excitant non pluvias, quæ potiùs à Nubibus, & Ventis ab Occaſu flantibus ibi prænunciantur. (*f*) Valleſii hunc locum egregiè interpretantis verba hic lubet adjicere. *Palæſtina ad Occaſum habet Mare; cenſebatur ergo, ut exiſtimo, in illa regione pluviæ ſignum Nubes ex Occaſu adſcendens, quia cum ad Occaſum haberent Mare, inde adſcendebant, eratque id ſignum illi regioni proprium. Nobis verò Hiſpanis, quibus Mare æquè ad Occaſum, & Meridiem, & Septentrionem eſt, æquè ex his omnibus partibus adſcendunt Nubes nimborum nunciæ. Britannis adſcendunt undique, ut qui Mari undique cinguntur.*

Cum itaque flante Auſtro uſque ad extremos fines *Mercurius* in Barometro deſcendat, hinc rationem reddi poſſe crediderim, quare ad Auſtrinos flatus adeò difficilis ſit reſpiratio, ut de quadam veluti ſuffocatione conquerantur omnes; ſiquidem ſicuti ſubſtantiæ fluidæ in Machina pneumatica poſitæ poſt Aëris exſuctionem in bullas attolluntur, ſubtracto nimirum Aëris pondere, quo veluti in officio continebantur, ita eodem modo Sanguis in Vaſis Pulmonum ob minorem

(*a*) V. Lang. lib. 1. Ep. 19. Cœl. Rhod. l. 8. An. Lec. c. 28. (*b*) Lib. 2. de Diæta num. 3. (*c*) Lib. 5. Qu. N. num. 18. (*d*) Lib. 3. Alph. 5. (*e*) C. 12. (*f*) De Sac. Phil. c. 85.

Aëris preſſionem, quæ ad Auſtrinos flatus conſequitur, magis ſpumeſcit, & ebullit, ut non tam expeditè circulum ſuum abſolvat; neque aliam ob cauſam in editiſſimis Montibus gravem duci anhelitum credendum eſt, niſi quod inibi minor ſit Aëris preſſio quam in imis Vallibus, ut palam faciunt Experimenta a variis ſolertiſſimis Viris facta, ac præcipuè à Celeberrimo noſtri ævi Mathematico D. Caſſina. (a) Refert quoque P. Bartholus è S.J. (b) obſervatum, Veſicam ſuillam mediocriter inflatam & ad verticem Montis altiſſimi tranſlatam tumidiorem apparuiſſe; adeò facilè eſt inflari ea, quæ in ſublime efferuntur; mirum itaque non eſt ſi Pulmonares Veſicæ ob Auſtrinos halitus inflentur, ut potè ab Aëre minus compreſſæ, & hanc ob cauſam difficilior ſit anhelitus; nec præter rationem, quamvis parodoxum videatur, ſcripſit Thomas Cornelius (c) Aërem craſſis Vaporibus refertum aptiorem eſſe ad Vitalia munera obeunda, quam Aërem tenuiorem; quod pariter monitum eſt Celeberrimi Th. Willis, (d) qui in Phtiſi Pulmonari magis commendat fumoſas Urbes, qualis eſt Londinum, quàm Villas omnes propè eandem Urbem, quæ Aëre claro, & perflato gaudent.

Hinc lumen aliquod mutuari licet ad illuſtrandam hiſtoriam famoſi illius Urinatoris Siculi, quem Colam Piſcem appellabant, quòd plus in aquis, quàm in Terris degeret. Diu equidem hoc prodigium Doctiſſimos Viros exercuit, ut videre eſt apud Salomonem Sprangerum, qui de Enydrobiis, h e. de hominibus ſub aqua viventibus elegantiſſimum Tractatum nuper edidit; ego verò perſuaſum habeo, hominem illum amphibium ad plures horas ſub aquis commorantem, talem à Natura Sanguinis, ac partium ſpiritalium conſtitutionem ſortitum fuiſſe, ut Sanguis, & Pulmonares Veſiculæ majori compreſſione indigerent, quàm quæ ab Aëre ſolo præſtari poſſet; refert enim Alexander ad Alexandro (e) Urinatorem illum ſolitum dicere, *quod ſi ab aquis abeſſet diù, quaſi reſpirare, & vitam ducere nequiret.*

Hæc ſunt quæ in re tam abſtruſa, ac involuta, qualis eſt motionum *Mercurii* in Barometro viciſſitudo, comminiſci lubuit. Multas equidem nec parvi ponderis difficultates hiſce meis Excogitatis obtrudi poſſe, & ſcio, & fateor; verùm ſi cuncta quæ poſſunt objici recenſere vellem, ac diluere, in nimiam molem Opuſculum hoc meum excreſceret; interim his meis conjecturis hærere placet, donec Lynceus aliquis oſtendat ſtrinxiſſe me, ut dici ſolet,

pro Junone Nubem.

(a) Obſ. Aſtro. & Geo. (b) De Tenſ. & Preſ.. (c) Progy. de Cog. Aër. & Aq. (d) Phar. Rat. P. 2. Se. 1. c. 6. (e) Lib. 2. Dic. Gen. c. 21.

GUN-

GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMERI, D.

Archiatri Gottorpiensis,

In Acad. Kilon. Prof. Med. Primar. & Nat. Cur. Leopold. Adjuncti

De

MOTU MERCURII IN TUBO TORRICELLIANO

EPISTOLA.

Accessit

Altera ejusdem argumenti

BERNARDINI RAMAZZINI,

In Mutinensi Lyceo Medic. Professoris Celeberrimi & ejusdem Acad. Leopoldin. Colleg.

Itemque Tertia,

Sive

Ejusdem SCHELHAMERI ad Objectiones Ramazzinianas

RESPONSIO.

PRÆFATIO.

ANtequam ad has ipsas pagellas perlegendas, LECTOR BENEVOLE, animum adjicias, non modò non injucundum tibi futurum existimo, sed esse etiam quodammodo necessarium, ut qua occasione hæc epistolica disceptatio inter nos orta sit, quam fieri potest paucissimis aperiam. Postquam Torricellianæ fistulæ Hydrargyro impletæ, ad gravitatem aëris computandum usus innotuit, (id quod post olim quidem assertum, nostris vero temporibus ab Ill. Boile, occasione Guer-Kianorum Experimentorum denuo repertum & demonstratum ejusdem pondus factum esse constat,) Virorum eruditorum non pauci in ejus rei examen singulari diligentia & industria incubuere: in his D. Ramazzini, Professor Mutinensis Clarissimus, qui per annum integrum quotidianas observationes instituit, quas postmodum Illustri Societatis nostræ Leopoldinæ Præsidi Lucæ Schrœkio transmisit, ejusque nomini consecravit: à quo mox una cum Ephemeridibus Meteorologicis Rudolphi Jacobi Camerarii, Professoris Tubingensis itidem celeberrimi, anno MDCXCVI. publici juris sunt factæ.

Addiderat autem D. Ramazzini suis illis observationibus discursum, quo cum earum rationem & institutum suum explicat, tum etiam causam reddere conatus est, qua impulsus Mercurius, *sereno tempore ac sudo cœlo in fistula adscendat, decidat contra atque decumbat cum pluviæ aut tempestates vel instant, vel aërem jam tum conturbant occupantve. Exspectabatur enim jure ex principio illo novo & à*

nostræ

noſtræ ætatis hominibus indubitate admiſſo, preſſione ſcilicet aëris, ut contrarium prorſus contingeret, & pluvioſo tempore Mercurius adſcenderet urgereturque, deſcenderet cum ſerenus aër redderetur: tum enim levior, minus premere oportere videbatur, magis, cum aquoſis particulis fœtus, adeoque ponderoſior eſſet, & gravius incumberet. Quod etiam reapſe ita fieri, fretus hoc ratiocinio, Celeberrimus J. A. Borellus, conterraneus & amicus D. Ramazzini prodiderat. Cum ergo præter exſpectationem diſſentiret à ratiocinatione experientia, cauſam ejus rei inquirere, digna res eſt viſa Cl. Viro, in qua ingenium occuparet. Quæ autem in eam rem differit prolixè, eò recidunt.

Primum rejicit Gallici ſcriptoris ſententiam, qua ſtatuitur Aërem eo tempore quo deſcendat Mercurius, eſſe leviorem, hinc à ſe dimittere vapores aqueos, qui denſati in nubes, pluviam forment, poſtquam novis vaporibus aucti ſuſtinere ſemet amplius non poſſint. Deinde Boyleam illam, qua à fumis ſurſum tendentibus aërem ſurſum ſimul propelli & hinc minus incumbere exiſtimatur: perinde ac Burgundicæ Philoſophiæ quidam. Tertio loco Comierii contrariam rationem oppugnat, qui putavit, dum deſcendant vapores, leviorem aërem fieri. His atque aliis examinatis atque rejectis tandem ſuam quoque depromit ſententiam, quæ talis eſt:

Supponit, è globo terraqueo non ſolùm vapores, pluviarum materiam, ſed multas etiam alias exhalationes diverſæ indolis continuò exſurgere, aërique miſceri: ſulphureas, Aluminoſas, Vitriolicas, Mercuriales, aliaſque omnigenas: Aërem verò Nitroſis particulis potiſſimum refertum eſſe, quod omnes, ait, cum Philoſophi tum Medici unanimiter tradant: Quo etiam JunKenius, & Majovv permoti, Nitri mineram, ut ipſius ſunt verba, non in terræ ſinu, ſed potiùs in aëre conſtituerint: Reſidere autem vapores in altiore, terreſtres verò à ſe vocatas exhalationes in inferiore aëris regione, aërem ergo, quò propior ſit terræ, hoc craſſiorem eſſe. Quin etiam ex cœleſtibus globis deſcendere aliqua, unde aër gravior reddatur, effluvia.

Hæc ergo corpuſcula omnia in inferiore aëre tvuantia nitroſas cumprimis particulas, pluviis nubibuſque imminentibus ad imum deturbari, & ad ſolùm uſque præcipitari: non ſecùs ac Metalla in aquis fortibus ſoluta, oleo Tartari affuſo, in fundum ſub forma calcis præcipitentur. Illis itaque liberatum aërem reddi leviorem, ac Cylindrum ejus Hydrargyro remiſſiùs incumbere, adeoque iſtum pluvioſa tempeſtate deſcendere.

Hæc ipſius eſt ſententia, in illo opuſculo propoſita: quæ cum mihi non ſatis videretur congrua, idem mihi in ipſius, quo ille in aliorum aſſertiones erat uſus, jus eſſe putavi: ut ſuboſtenſis quæ poſſent obſtare, aliam itidem ſubjungerem ſententiam, ſi forte in re tam abſtruſa deprehendenda, & extrahenda in lucem majori felicitate uti contingeret; eoque magis, quod ipſe ejus rei mihi poteſtatem fecerat, quippe non initio tantum profeſſus ſe fungi potius vice cotis, & alios acuere velle, ut veram rationem & cauſam exquiramus, *(pag. 11.) ſed poſtmodum etiam (pag. 18.)* ſi non detur adeo probabilem afferre ut exſpectationem impleam, id forſan aliis incitamento futurum ut probabiliores reperiant. *In ea tamen diſquiſitione id potius ſtudui, ut meam exponerem, quam ut ſuam refellerem: idque tumultuaria opera, & inter negotia quamplurima, uti ſolemus, ejuſdem ſocietatis collegæ, in commune conſulentes, ſine cura & ſtudio. Nam ſi de induſtria voluiſſem huic rei incumbere, non pauca, eaque multo maxima, quæ Hypotheſi illius opponi poterant, ſeſe offerebant: præſertim de Nitri ex aëre origine, quam Majovv tam imbecillibus rationibus adſtruxit, ut vix mereantur attendi: tantumque abeſt ut aërem nitro ubique refertum, Medicos & Philoſophos conſentire exiſtimem, ut potiùs id nunquam poſſe oſtendi, certò habeam perſuaſum. Sed hæc, ut dixi, non tetigi, ne viderer altercationibus anſam porrigere velle: Interim Doctiſſimus Ramazzinus, conſpecta mea iſta epiſtola commotus, diligentiùs examinare, quas publico communicaveram, cogitationes meas decrevit, quo parem referret gratiam, conſcripta itidem, ut ego feceram, ad Ill. SchræKium epiſtola, quam una cum mea in Italia edi curavit. Cui ego me reſponſum debere, perlecta illa, utique exiſtimavi: quod præſtiti. Et quia Italicum exemplar rarum his regionibus eſſe, neceſſum*

ceſſum erat, hanc atque iſtas junctim edidi, quò facilius eſſet lectori, collatis omnibus, æquum judicium ferre. Quod tamen non eo animo à me factum, quoniam mea iſthæc ex amuſſi ſcopum ferire & omne punctum tuliſſe exiſtimem, ſed quia nihil vetare arbitrabar, ingenii vires in his etiam, quod omnibus licet, ulterius periclitari, præſertim cum ea mihi opponi viderem, quæ ingenioſa quidem, non tamen talia eſſent, ut iis poſſem acquieſcere. Hæc ergo æquo animo accipe Lector, & Vale.

EPISTOLA PRIOR.

SOLUTIO PROBLEMATIS

Cur Mercurius in Tubo Torricelliano, ſeu Barometro, pluvioſo tempore deſcendat, cum deberet adſcendere.

G. C. SCHELHAMERUS
In Acad. Kilon. Prof. Med. Prim.

Magnifico, Nobiliſ. ac Generoſ. Viro

D. LUCÆ SCHROEKIO

Academ. N.C. Leopoldin. Præſidi.

Sal.

LEgimus nuper, Illuſtris SchrœKi, Clariſſimi Viri, Bernhardi Ramazzini ad Te miſſas, indeque editas obſervationes, quibus deprehendit, *Mercurium in Barometro ſic dicto, & huc uſque credito, ſemper fuiſſe depreſſiorem, nebuloſa, pluvioſa, aut nivoſa tempeſtate; ſublimiorem contra ſereno cœlo, ſecus ac ſecundum celeberrimi J.A. Borelli principia fieri debebat, aliique perperam ſe obſervaſſe prodiderant*, in quibus Bilbergius, Profeſſor Upſalienſis, & ex parte etiam Joh. Beal. *niſi quod menſe Decembri ſemel ad maximam altitudinem adſcenderit, pluviis continuis, & in ea per aliquot ſteterit dies, redituræ ſerenitatis nuncius: itemque in æquinoctiis, ut & viſibili Solis eclipſi non accidiſſe ullam mutationem: Nonnnquam etiam creviſſe altitudinem Mercurii nulla ejus cauſa in aëre apparente.*

Primæ harum obſervationum, quæ haud dubiè præcipua eſt, & quam longa annorum ſerie, etiam certam deprehendit Excellentiſſimus Mathematicus noſter, D.D. Samuel Reyherus, cauſam reddere talem conatur Vir Clariſs. quod terreæ, ſalinæ, aliæque exhalationes, ex globo terraqueo in aërem protruſæ, cum primis autem hyeme, flante Borea nitroſarum maxima copia, quæ in humili aëris regione conſiſtat, ab aquoſis in nubes, ac nebulas denſatis humectentur, ita ut graviores factæ, deturbentur ex ſuis ſedibus, unde aër ipſe vacuus relictus, reddatur levior.

Hæc mihi ratio, quod pace tanti Viri dictum ſit, minime ſatisfacit. Primùm enim, unde ſupponat, aërem nitroſis, potiſſimùm hyeme, particulis abundare (cujus ſententiæ auctor eſt, *Fr. de le B. Sylvius prax.* 1.21.14. Propugnator vero maximus *J. Mayow L. de Spir. Nitro aëreo*) ego quidem neſcio, certus alioquin, nihil omninò nitri in aëre contineri, quod facile oſtendi poſſet, nullo hactenus argumento idoneo eſſe probatum; Ipſum etiam Chymicum quem allegat, vel decepiſſe, vel fuiſſe deceptum. Sed demus interim ſalinas, & nitroſas aëri innatare, credi tamen haud poteſt, aquoſis eas deprimi, ſed potius retineri ne decidant, aliàs forte, ſi cumulentur, pondere ſuo ruituras. Videmus enim quotidie, ſalibus nitrove aquam affuſam, tantùm abeſſe, ut in fundo depreſſa

contineat, ut potiùs in minima diſſolutis hoſpitium præbeat, eaque rapiat in ſublime, ita ut in fundo vaſis diſparcant, & aquæ miſceantur adſupremam uſque ſuperficiem. Quo pacto igitur hic contrario modo potius deprimantur quàm ſolvantur, nullam cauſam fortè licebit comminiſci Quod ſi verò, uti ex dictis perſpicuum eſſe arbitror, non modò non prement has particulas, & præcipitabunt, ſed etiam ſolvent, ex quo connubium fiet amborum; illæ quæ fortè haud longè à terra antea diſtabant, ſolutæ & in aquæ poros admiſſæ, adſcendent potiùs altiùs, & totam occupabunt Atmoſphæram, quousque humidis iſtis repletus eſt aër, eamque reddent ponderoſiorem. De terreis fortè rectiùs procederet argumentatio, ſi modò tales in aëre tam multas volitare, ut pondere ſuperent aquoſas pluvioſo & nebuloſo tempore totum aërem penè replentes, prius eſſet oſtenſum; neque magis eſſet credibile, iſtas, minutiſſimas etiam, proprio pondere ad globum ſuum, ſi forte aliquantulum attolantur illicò eſſe redituras. Ne nunc illud moveam dubium: an adeò heterogeneæ particulæ Atmoſphæram, à qua totæ ſeparatæ exiſtunt, & quam non niſi infima ſui parte leviter implent, graviorem eſſent reddituræ. Sed quicquid hujus ſit, vel propter ſolam priorem objectionem valde eſt lubrica hæc ratio, qua ſalinarum depreſſio multo magis etiam vacillat. Et hic quidem omnes tuerunt hactenus perſuaſi, nec id fortaſſis ſine cauſa, à pondere aëris depreſſum Mercurium contineri, ne totus elabatur, quoniam ponderi in fiſtula contento æquiponderet aëris columna in apertam ejus ſuperficiem incumbens: aërem ergo craſſiorem, & pluvioſum, cum ſit ponderoſior, altiùs eum deprimere oportere, adeoque efficere, ut in tubo adſcendat. Itaque meritò, poſtquam contrarium prorſus evenire compertum eſt, hæret illis aqua, ut cogantur contra rationem, & principia prima ſtatuere, aërem aquoſis particulis gravidum leviorem eſſe, quam ſibi relictum, cum tamen millies ſuperet aquæ pondus aëris, adeoque fieri non poſſit, quin magnum ipſi ex novo hoc corpore ſe per eum diffundente pondus accedat. Unde admiſſa ratione Cl. Ramazzini, conſequens aliud abſurdum colligeretur: hoc enim poſito, particulas ſalinas, nitroſas, terreas, in aëre innatantes plus millies ſuperare neceſſum foret ipſius aëris pondus in quo natent, adeoque graviora corpora in leviori innatare, ſeu aërem majus pondus ſuſtinere quàm ipſe conſtituat. Quod facile eſt oſtendere. Nam ſi aqua eas deprimere, & præcipitare ex aëre debet, oportet eam replere omnes aëris poros, illoſque totos, alias poſſent utraque in iiſdem poris ſimul hærere. At aqua millies æquat pondus aëris; ſit autem ille levior, (ex hypotheſi) ſi aquoſæ deturbant ſalinas. Ergo neceſſum eſt eas aqua omni in aëre contenta fuiſſe graviores, adeoque plus millies aëris pondus ſuperaſſe. Hoc verò nemo facilè admittet, ſaltem de ſalinis; non modò, quoniam contineri illas eadem copia, qua aqua continetur nebuloſo & pluvioſo tempore, credi non poteſt, cum ipſa aqua copioſior facta hinc effluat, & ſolvatur in pluviam vel nivem, ſed etiam quia ἀδύνατον eſt, tantam copiam particularum ſolidarum à terra poſſe ſuppeditari, idque æqualiter per omnem ejus ſuperficiem: nam ubique idem Phænomenon obſervatur. Neque effugiet vim hujus argumenti, ſi quis dicat, non totum aërem impleri ſalinis, aliiſque particulis: Si enim paucæ ipſarum inſint, tunc aqua erit paucis iſtis, quas copia ſuperat, nebuloſo tempore gravior, adeoque iis deturbatis, tamen aëri ponderis nihil decedet, præterea etiam ſolvet, non deturbabit eaſdem aqua ſuperveniens, aut ſaltem cum iis perſtabit in iiſdem porulis: ex quibus difficultatibus difficile erit emergere. Alia ergo erit quærenda via, qua tam rari, & inexſpectati Phænomeni cauſam reddamus. Quam utrum veram ingreſſus ſim, penes eruditos, & expertos viros eſto judicium, cui me, ut ſemper alias, unice ſubmitto.

I. Notum eſt, & apud omnes in confeſſo, imò ſenſibus obvium, quædam corpora gravia in fluido leviori adſcendere, & vel in medio, vel ipſa etiam ſuperficie conſiſtere.

II. Id

II. Id fieri conſtat ad regulam hydroſtaticam, ſecundum quam ejuſdem quantitatis, ejuſdemque ponderis corpora, neque emergunt, neque merguntur: quæ verò majoris ſunt ponderis, ejuſdem verò quantitatis cum aqua ſubjecta, fundum petunt, minoris verò ponderis adſcendunt in ſuperficiem, & ſupernatant: Vide *Varenii Georg. General.* ut non alia videatur eſſe cauſa, quòd ſalinæ particulæ, affuſa aqua, ubi ſolutæ ſunt, in fundo diſpareant, & aquæ poris ſe inſinuent ſponte, quàm quòd in minima redacta, leviores ſint aqua, hoc eſt ejuſdem quantitatis, & minoris ponderis, quod ipſum etiam experientia confirmat: quæ enim affunditur aqua, minimum duplo triplove præponderet ſali ſolvendo neceſſum eſt.

Hæc ergo tanquam certa, & compertæ veritatis, liceat ſupponere: videamus an aliquid utilitatis ad hanc quæſtionem ſolvendam afferant. Quod omninò ſperandum eſſe videtur, poſteaquam Mercurius in fluido itidem hic adſcendit, deſcenditque, quamvis in vaſculo ſuo contentus. Quod ut diſtinctius intelligi poſſit, porrò notanda ſunt ſequentia.

1. Nemo dubitabit, quæ in fluido leviori merguntur, in graviore adſcendere, & quæ in leviori conſiſtunt in medio, ubi gravius id factum eſt, adſcendere altiùs, mutata ratione gravitatis, quæ illud ſuſtinet, & attollit. Id quod ex dicta Hydroſtatica regula conſequitur neceſſariò, & experientia perpetua confirmatur. Nam lignum in aëre nunquam conſiſtens, in aqua adſcendit ex fundo ad ſuperficiem, & naves longè altiùs immerguntur in fluminibus, quæ dulci gaudent lympha, quàm in mari ſalſo.

2. Aquam eſſe craſſius fluidum aëre, itidem in confeſſo eſt. Ergo.

3. Aërem aqueis particulis refertum craſſiorem eſſe quàm ſerenum, non minus erit certum.

Hinc itaque non videtur poſſe aliter fieri, quam ut in aëre nebuloſo Mercurius ex tubo deſcendat; adſcendat dum ſerenum eſt. Fit enim craſſius fluidum humidus aër, quàm erat antea ſiccus: & perinde, illi accidit, ac ſi in aquam dulcem injeceris ſalem, ex quo craſſior redditur, ac ponderoſior. Neque enim deſcendere Mercurius in tubo poteſt, niſi quia adſcendit altiùs in aërem, qui in ſubjecto vaſculo illi ſuppoſitus eſt, & cujus ſuperficiem aër tangit.

Et hæc quidem rationi tam ſunt manifeſta, ut, aut falſam eſſe regulam hydroſtaticam fundamentalem à nobis ſupra allatam, neceſſum ſit, aut hæc vera deprehendi. Eſt enim Mercurius corpus in fluido tenuiore conſiſtens, & quidem ejus habet rationem, quod in medio fluido neque mergitur, neque emergit: Nam omnes fatentur, propterea cum non effluere, quia æquiponderat columnæ aëris, ejus ſuperficiei incumbenti: unde etiam videmus pro Atmoſphæræ altitudine cum vel adſcendere, vel deſcendere in tubo, & in montibus altis longè eſſe depreſſiorem, quàm in convallibus. Simul igitur illud tenue fluidum mutatur fitque craſſius, neceſſum eſt Mercurium adſcendere extra tubum, & altiora fluidi incraſſati loca petere, unde neceſſariò in tubo deſcendet.

Verùm his tam evidentibus duo tamen potiſſimum videntur obſtare. Primùm, quod antea monuimus: à pondere aëris depreſſum Mercurium, ne elabatur totus, columna aëris vel Atmoſphæræ, Mercurio in fiſtula contento æquiponderante contineri; aërem autem craſſiorem fieri, ſi pluvioſus ſit: adeoque fieri non poſſe, ut in tubo tunc deſcendat, cum pondere incumbente aucto, deberet cedere, altiuſque adſcendere.

Alterum eſt, quòd gravia in graviore fluido adſcendant ideò, quia ſub eorum inferiorem faciem ſe inſinuans liquor ea ſurſum pellat, extrudatque. At Mercurii alteram ſuperficiem in tubo intactam eſſe aëri, adeoque nihil eſſe, quod eundem loco pellat; ſubtilis enim materia ſuper ipſum conſtituta in vacuo id præſtare non eſt potis. Manifeſtum ergo adſcendere in vaſculo ſubſtrato cum non poſſe.

Verumtamen hæc movere neminem debent,

bent, utpote quibus probè perpensis omnibus, non est difficile satisfacere. Ut enim jam omittam illud, quod ab aliis dudum est oppositum: quomodo in fundum depresso corpori latioris superficiei aqua incumbens non obstet, quo minus ab eo se expediat, cum columna tunc sub ipso sit nulla, adeòque incumbentem qua superet vi, dici non posse; Quod sane dubium ex omni parte solvere nemo hucusque Mathematicorum quivit: Id tantum eos interrogabo, qui fiat, quòd sub aqua quodvis corpus grave longè minus sit grave quàm in aëre, corpore leviori: cum, si expressione incumbentis columnæ esset, pondus illud multò deprehenderetur gravius. Nimirum & aëris, seu Atmosphæræ, quod antea sustinebat, & aquæ, cui immersum est, incumbit pondus. At secus fit: Ergo etiam in aëre humido atmosphæræ, aliquid ponderis decedere, videtur concedendum. Quod ut planiùs fiat, causa inquirenda est, & respondendum ad quæstionem propositam.

Itaquè necessario erit concedendum, aquam cui immergitur corpus grave, sustinere solam columnam illam aëris, seu Atmosphæræ incumbentem, ita ut corpus in mediis hærens aquis ejus gravitati non ampliùs sit obnoxium, sed aquæ solius incumbentis pondere prematur. Id quòd adeò est certum, ut ipse etiam Mercurius in tubo Torricelliano incumbente aqua, vix ad unius digiti altitudinem adscendat, nisi ultra digitos quatuordecim aqua emineat: Prout hujus rei certam facit fidem *Georgius Sinclarius in Arte Magna Grav. & Lev. Lib. I. Dial. V.* Altitudine verò incumbentis aquæ crescente, ad numerum digitorum eadem adscendentis Mercurii proportio perpetuo observetur, si rectè posuit calculum citatus Auctor. Ex quo sane manifestiùs est nihil, quàm remotam interventu aquæ columnam Atmosphæræ, in subjectum Mercurium nihil ampliùs habere potestatis: quod erat demonstrandum.

His ita jam constitutis, facilè erit ad utrumque dubium respondere; Nam cum aquosi vapores in aërem exhalantes coëunt, & sub forma nubium in eodem innatant sparsim, vel nullæ admodum exsistunt, sudumque est, tota Atmosphæræ columna incumbens, altius submovet Mercurium in tubo, toto suo pondere gravis. Quod si verò partem aëris, in quo exsistit Barometrum, vel nebulæ occupent, vel pluviæ, vel etiam densæ nubes eripiant cœlum, partem Atmosphæræ sustinet diffusus liquor, quod potest, propriam quasi sphæram constituens: ut tum temporis inferior Atmosphæræ pars sit mixtum quid ex aqua, & aëre: Quorum dum illa terræ incumbit superficiei ex parte una, (quod in nebulis fit, ac pluviis) sustinet Atmosphæram etsi non totam adeò, sed ex parte, cum intermisceri aërem permittat sibi; non minùs quàm fluvius, aut lacus totam sustinet. Sed quia non totam, hinc etiam non altè descendit Mercurius, sed tamen in fluido mixto constitutus, sustinetur invalidiùs, intervenientibus aquosis partibus, & pondus Atmosphæræ ex parte in se suscipientibus.

Quo pacto evenit, ut Mercurium sustineri subeunte alteram superficiem aqua, vel aëre, ut in fluido constitutis nudis corporibus fieri oportet, non sit opus, sed sufficiat proprium pondus in tubo vitreo alteri incumbens, illumque pellens.

Qua quidem ratione Atmosphæræ pondus non modò non impugnatur, sed potiùs firmatur; Ratio verò cur in fluidis crassis illa minus appareant gravia, quæ in tenuibus magis talia inveniantur, a primordio ducta serie causarum illustrabitur.

Itaque hanc totam demonstrationem tantò firmiorem inventum iri spero, quod ex propriis principiis procedat. Cum enim aër, & aqua sint ex fluidorum genere, & adscensus descensusque Mercurii sit mensurabilis, necessum est ex hygrometricis universalibus, quales sunt illæ regulæ, quæ in principio, tanquam fundamenta ejus adduximus, eam procedere; Quàm longè esse præstantiorem præ illa, quæ ex aërometria sola ducitur, nemo negabit, rite expendet aërem humidum non ampliùs esse fluidum simplex, hoc est aërem, sed compositum, Aquaëreum, adeoque omnes aberrare à scopo, qui ex

unius,

unius, neglecto altero, regulis eam adornant. Ignoscet igitur Cl. Ramazzini, quod ipsius rationi, qua explicare hanc proprietatem Barometri tentavit, contradicere sim ausus: quod veritatis amore, quam inquirimus omnes, agnoscet factum, si eas, quæ me impulerunt rationes ad animum revocabit. Vale.

P. S.

His ita repertis, aliorum quoque observationum causa potest patere: Ut 1. cur tam brumali, quam æstivo tempore, constante atque sereno, Mercurius eandem servet altitudinem: Nimirum nihil ei cum calore, & frigore commercii est.

2. Cur etiam post pluviam depressior sit: videlicet quia adhuc dum humiditas aërem complet.

3. Cur Euro, & Borea flante sit altior quam Austro, vel Zephyro: quia illi sunt sicci, hi humidiores, etsi regiones, & situs terrarum hoc nonnihil mutent assertum.

4. Cur procellis sævientibus cadat. Scilicet, & hic Atmosphæra sustinetur vaporibus qui ventum constituunt, semoveturve, ut non possit tam graviter incumbere.

Reliqua à Doctissimo Ramazzini observata, levioris momenti esse existimo, & quorum ratio ab ignaris quid fiat in Atmosphæræ altioribus regionibus reddi non possit. Multa autem quæ vel altitudinem ejus, vel pondus augere queant, nos ignorare necessum est, in fundo hujus Oceani aërei versantibus. Neque enim minores sunt mutationes, quæ sine causa manifesta in Thermometris nonnunquam accidunt, etsi nondum id fuerit à naturæ scrutatoribus animadversum. Quæ omnia humano ingenio esse imperscrutabilia, perpensa subtilitate particularum, quæ omnem eludunt sensuum vim, facile est perspicere.

EPISTOLA II.

CLARISSIMI RAMAZZINI.

Illustrissimo, ac Celeberrimo Viro

D. LUCÆ SCROEKIO,

Academiæ N. C. Cæsareo-Leopoldinæ

PRÆSIDI MERITISSIMO.

QUemadmodum ob rei diu optatæ, ac magnis laboribus quæsitæ creditam inventionem summa lætitia animus perfunditur, ità postmodum summo mœrore afficitur, si eam supposititiciam esse apparcat. Hoc idem prorsus mihi eveniisse fateor, Venerande Præses, cùm enim Librum Ephemeridum Germanicarum N. C. quem ad me nuper humanitas Tua transmisit, cursim evolverem, ut in rebus novis, ac peregrinis fieri assolet; ac fortè incidissem in Epistolam Clariss. Viri D. Schelhameri Kilonienſis Professoris, ad Te conscriptam cum titulo, *Solutio Problematis, cur in Tubo Torricelliano pluvioso tempore descendat Mercurius cum deberet adscendere*, valde gavisus sum, quòd tandem dignus Vindex inventus esset, qui nodum hunc dissolveret; verùm tota Epistola perspecta, ac attentè considerata, conceptum gaudium mœror excussit, nec parum dolui

quod aliud in titulo, aliud in pyxide, ut dici ſolet, deprehenderim. Sæpiùs tamen mecum hæſitavi, an tranſverſum me ageret ingenii mei imbecillitas, ut non ſatis creditæ Demonſtrationis ſubtilitatem attingerem, quare aliorum judicium pertentare lubuit; At neque ſic ambiguitatem meam abſolvi animadvertens, cum hujuſmodi Solutionem laudari ab his, culpari ab illis cognoſcerem, Epiſtolam ipſam Typographis noſtris recudendam tradere conſtitui; ſiquidem ſi vera ſit, ac germana tam ardui Problematis Schelhameriana Solutio, neque in publica commoda me peccaturum eſſe, neque alienæ gloriæ invidum dici poſſe credidi, ſi communiorem illam Literariæ Reip. redderem, ac præſertim Italiæ noſtræ, quando non multa Germanicarum Ephemeridum Exemplaria ad nos deferri ſoleant; ſin verò in ſuo ratiocinio humani aliquid, ut reor, paſſus fuerit Vir Clariſſ. illum haud ægre laturum credidi, ſi ipſi oſtendatur ad quos ſcopulos impegerit, dum in aëreo Oceano cauſam deſcenſus Mercurii in Torricelliana fiſtula pluvio Cœlo expiſcari conniſus eſt, nec adeo feliciter ut credidit veritati velificari potuerit. Ea igitur philoſophandi libertate qua ille ob veritatis ſtudium, uti proteſtatus eſt, Hypotheſin meam excuſſit, mihi quoque in eundem finem illius ſuppoſitam Demonſtrationem ad examen revocare liceat, ac Literatorum judicio rationum mearum momenta exponere, quibus adduci nequeo, ut Celeberrimi Viri ratiocinio tralatitium ſolenne illud, *Quod erat demonſtrandum*, noſtra hac ætate in phyſicis, & re medica quoque adeò familiare, tam facile indulgeam.

Poſtquam igitur, Vir Clariſſ. Hypotheſim meam, ac meum nitrum aëreum, ingenioſe fateor, explodere conatus eſt (qua de re aliqua inferius perſtringam) varia principia Hydroſtatica pro fundamento ſtatuit, quibus totam Machinam ſuam ſuperſtruit, quorum nonnulla veriſſima ſunt, & receptiſſima, ex Archimede in libro, *De iis quæ vehuntur in aquis*, & Galilæo in libro, *de Gallegianti* inſcripto, petita, quædam verò vel non ſatis bene mihi intellecta ſunt, vel pro veris accipi nequeunt. N. 1. notum eſſe ait *quædam Corpora gravia in fluido leviori adſcendere, & vel in medio, vel ipſa etiam ſuperficie conſiſtere.* Hic pro re indubia ſuppono in particula, *leviori*, ſphalma eſſe Typographi, ut illius loco ſubſtitui debeat hæc dictio, *graviori*; nemo enim non novit, quod corpora gravia in fluido ſe leviori nequeant adſcendere.

N. item II. ait *Salinas particulas aqua affuſa non aliam ob cauſam in fundo diſparere, & aquæ poris ſe inſinuare, quàm quòd in minima redactæ leviores ſint aqua*, cui aſſerto aſſenſum non tam facile largiri mihi proclive eſt; in minima enim, quantum lubet, redigantur cuncta Salium genera, nunquam ſpecificam ſuam gravitatem exuent, ac data molis paritate *ſemper erunt menſtruo ſuo diſſolvente graviores*, cur verò diſpareant, ac ſurſum adſcendant, inferiùs reddetur ratio; quod verò neceſſe ſit, *Aquam Sali ſolvendo debere eidem duplo, triplove præponderare*, id non evincit Aquam Sale graviorem eſſe.

Potiſſimum verò Principium, cui tota Moles innititur illud eſt, quod ea quæ *in fluido leviori merguntur in graviori adſcendant, & quæ in leviori conſiſtunt in medio, ubi gravius id factum eſt, adſcendant altiùs, mutata ratione gravitatis.* Poſito igitur hoc principio, ac ſuppoſito Aërem pluvioſum graviorem eſſe quàm ſerenum, eò quòd Aqua ſit fluidum Aëre craſſius, hoc ratiocinio, ſi illius mentem rectè attigi, ſic procedit.

Cum Mercurius ſit Corpus in fluido tenuiori conſiſtens, & ejus Corporis habeat rationem quod in medio fluido neque mergitur, neque emergit, quotieſcunque Aër fiat nebuloſior & craſſior, neceſſum erit ut altius adſcendat in Vaſculo ubi ſtagnat, & Aëri expoſitus eſt, eo modo, quo ſi corpus aliquod ita compingamus, ut in medio aquæ ſuſpenſum maneat, ſi aqua illa ob Salis mixturam v. gr. gravior reddatur, Corpus illud adſcendet, mutata nempe ſpecifica fluidi gravitate, ſic fieri ait quod neceſſario *Mercurius extra Tubum debeat adſcendere, & altiora fluidi incraſſati petere, ac nequeat è Tubo deſcendere, niſi quia altiùs adſcendat in Aërem*,

Aërem, qui in subjecto Vasculo illi suppositus est.

Hic pace Doctissimi Viri non pauca sunt quæ suos manes patiuntur, eosque satis graves; dictum illud quod Mercurius Vasculo insidens, aërique expositus, sit *Corpus in fluido consistens* nihil moror; credat id cui libet; id enim si esset, in universa rerum natura nihil foret, ut ut grave, quod in fluido non consisteret, & innataret; certè Mercurius licet aëreæ columnæ æquiponderet dum in Barometro continetur, nec effluit, non ideò tamen comparandus est iis corporibus *quæ in fluido posita neque merguntur, neque emergunt*, ea enim quæ talia sunt, debent in tota sui libertate esse constituta, nec ab ulla vi externa impediri quin descendant, quod de Barometro ad parietem suspenso affirmari nequit, debent præterea data molis paritate esse ejusdem gravitatis; at quænam proportio inter molem Mercurii in fistula contenti, & columnam aëream, quæ illi æquiponderat? non licet ergo inferre quod sicuti Corpus grave in medio alicujus fluidi consistens, *si fluidum illud alteretur & fiat gravius*, Corpus illud altiùs debeat attolli, ita eadem ratione Mercurius pluvioso tempore Aëre graviori facto (ut ipse putat) in sublime elevari debeat in Vasculo (seu quod esset magis sensibile, in ea Barometri specie, cujus ima pars recurva est, nec indiget Vasculo) ac exinde in summitate fistulæ descendere, cum utrobique non adsit molis, & gravitatis æqualitas.

Sicuti ergo falsum est Mercurium esse talis naturæ, ita falsum esse necessum est *non posse Mercurium è Tubo descendere, nisi quia altiùs adscendat in Aërem, qui in subjecto Vasculo illi suppositus est;* hic enim committitur Elenchus non causæ ut causæ; siquidem non descendit Mercurius è Tubo, quia adscendat altiùs in Vasculo, seu in Tubo reflexo, sed altiùs adscendit in Vasculo, seu Tubo reflexo, quia descendit è Tubo, adeo, ut adscensus Mercurii in Vasculo sit productum descensus ejusdem Mercurii è summo fistulæ propter sublatum præcedens æquilibrium, ac debilitatam Aëris spiram in pluviosa tempestate; cum igitur majus sit momentum Mercurii in Tubo contenti quàm momentum Aëreæ columnæ, partes Mercurii superiores premunt inferiores, propterea quantum descendit Mercurius è summo fistulæ, tantum necessario adscendit in altera parte fistulæ, si sit recurva.

Principium verò motus Mercurii, cum pluvioso tempore à sua statione decedit, fieri à parte superiori non inferiori observatio satis curiosa (quod primo annotavit Excellentiss. Tortus) plane demonstrat; nam in transitu à sereno statu ad pluviosum assurgit Mercurius in Tubo recurvo, ubi Aëri expositus est, & bullulam efformat, in transitu verò à pluvioso ad serenum in eadem parte apparet in Mercurio cavitas quædam ad lancis formam, quod sit quia in transitu à serenitate ad pluviam, diminuto Aëris pondere, Mercurius superior premit inferiorem, & quia Mercurius (sicuti quodcumque fluidum) ob attactum ad fistulæ latera non tam promptè pressioni obsequitur, ideò Mercurius qui est in media linea, & minus pressioni resistit, in parvam bullulam conformatur; in permutatione verò à pluvia ad serenitatem Aëris spira fortior, & gravior reddita (quæcunque sit causa quæ id efficiat) premit superficiem Mercurii in Tubo recurvo, sed magis in centro ubi minor est resistentia quàm in circumferentia, ob superiùs allatam rationem, parvam cavitatem ad instar Lancis effingit, quæ observatio nequaquam fieri potest in Vasculo, cui immersa est fistula. Satis verò perspectum est in liquidis per Canales, sive Conicos, sive Cylindricos fluentibus, velociorem esse fluxum circa axem, quàm circa oras extremas. Hunc tumorem, & hanc cavitatem in liquidis Corporibus observat Borellus Prop. 72. & 73. de motibus nat. à gravit. pend. quotiescunque aliquod fluidum ab alio fluido trudatur, rationemque affert a mea diversam, sed quæ assertum meum nihil infirmet, sed potius confirmet. Non descendit ergo Mercurius è Tubi summo, quia altius adscendat in parte inferiori, uti persuasum habuit D. Schelhamerus, (nisi fingere velimus Aërem superincumbentem, ubi Mercurium tan-

tangit, vi quadam tractoria, & magnetica, illum in ſublime attollere) ſed propter minorem Aëris preſſionem. Ubi autem duo Corpora in exactiſſimo æquilibrio conſtituta ab eo dimoventur, principium motus, non illi cui aliquid ponderis detractum fuerit, ſed alteri ſuis viribus integro acceptum referri debet: Sic in Machina Pneumatica collocato Barometro & exantlato aëre, Mercurius in Vas ſubjectum concidit, Aëre verò immiſſo, ad priorem altitudinem aſſurgit.

Verum largiamur etiam cuncta hæc nullius eſſe roboris, ſeu ad inſtar velitationis cujuſdam fuiſſe, ac demus etiam Mercurium *eſſe Corpus in fluido tenuiori conſiſtens*, modo, ut rem ex aſſe conficiam, ac oſtendam quomodo hæc elevatio Mercurii in Vaſculo D. Schelhamero impoſuerit, alteram Barometri ſpeciem in medium producam, in qua fiſtula non eſt immerſa in Vaſculo, ſed Mercurius per lineam perpendicularem pendet in fiſtula recta nec effluit, ut in appoſita Figura prima.

Dum hæc animo verſarem ſubiit animum cogitatio experiundi, num in fiſtula Torricelliana vacui experimentum ſic fieri poſſet, ut Mercurius penderet in Tubo ſine fulcro, & perpetua immerſione in Vaſculo, & juxta diverſum Aëris ſtatum modò adſcenderet, modò deſcenderet, quod mihi poſt aliquot tentamina feliciter contigit, in fiſtula in Vaſe argenti vivi pleno, eaque è Vaſculo ſenſim, & perpendiculariter extracta ſubſtitit Mercurius penſilis, in ſummitate A priori vacuo ſuperſtite, (*vide figuram*) & relicta in ima parte fiſtulæ B parte aliqua Mercurio vacua; obſervavi poſtmodum in hac fiſtula ſic conſtituta, dum tranſitus fit à ſerenitate ad pluviam, deſcendere Mercurium & in ſummo, & in imo fiſtulæ, ſicuti ſuccedente ſerenitate adſcendere, & elevari Mercurium in utraque extremitate. Cur ergo in tali Barometro *Aër aqueis particulis refertus, craſſior quam cum ſerenus eſt, cui perinde accidit, ac ſi in aquam dulcem injeceris Salem ex quo craſſior redditur, ac ponderoſior* (ut ipſius D. Schelhameri verbis utar) cur inquam Mercurium per lineam rectam ſurſum non propellit, ſicuti aqua marina Navim, (ut ab ejuſdem exemplo non recedam) altiùs attollit quàm fluvialis?

Ex neceſſitate autem, & juxta illius principia deberet id contingere, Aër enim nubiloſo, & pluvio Cœlo gravior, ut ipſe ait, non oblique, ſed directe, neque ex ſummo, ſed ex imo faciem inferiorem pendentis Mercurii contingens illum urgere deberet, ac in ſublime attollere; ac contrarium prorſus obſervatur, ut quilibet experiri poteſt, nam in humida, & Auſtrali tempeſtate, qualis fuit dies 13. Aprilis, ſic Mercurium deſcendere obſervavi, ut illius aliqua portio extra fiſtulam penderet in Aëre, veluti in Figura ſecunda, ſatis jucundo ſpectaculo, non ſatis admirans quomodo Corpus tam ponderoſum ſuſpenſum hæreret, nec à reliquo in fiſtula contento divelleretur; die tamen 21. ejuſdem menſis ob continuatas pluvias, depreſſiori facto Mercurio, tandem ejuſdem guttula in Vas ſubjectum decidit, quod pariter die 3. Maji mihi obſervatum, qua die validiſſime ſpirarunt Auſtrales Venti, quibus poſtmodum ſilentibus, ac Ventis Borealibus reflantibus, disjectiſque nubibus ad dimidium ferè pollicem in hac fiſtula recta elevatus eſt Mercurius.

Illuſit ergo D. Schelhamero elevatio illa Mercurii in Vaſculo, ut ſuper illam tanquam ſolidiſſimum fundamentum Problematis ſolutionem exſtrui poſſe crediderit; eandem verò cauſam eſſe neceſſum eſt, quæ in quacunque Barometri ſpecie Mercurii motiones efficiat, quæ non alia eſt quàm quòd pluvio Cœlo Aër minus gravis minus Mercurii preſſioni reſiſtit, ac propterea in tali Barometro tam in ſumma, quàm in ima parte fiſtulæ deſcendit Mercurius, in altero verò ubi Tubus immerſus eſt Vaſculo, ſeu ubi recurvus eſt, deſcendit pariter Mercurius, ſed ad illius deſcenſum conſectaria eſt illius elevatio in Vaſculo, ſeu in Tubi parte reflexa, cum non aliter fieri poſſit; ſubſequente verò ſerenitate, Aër fortior, ac gravior factus Mercurium libere pendentem per fiſtulam directè urget,

ac


Fig. 1.
Fig. 2 Pag. 240
A
B



ac attollit, vel in alio casu superficiem stagnantis Mercurii in Vasculo ita premit, ut pars pressa ad instar vectis portionem Mercurii, cui os fistulæ incumbit, sustollat. *Dissolvatur ergo necessum est tota Solutionis hujus Problematis Machina*, ingeniosè quidem, ac speciosis principiis à Doctissimo Viro conficta, sed parum firmis, ac solidis nexibus ad Veritatis normam compacta; seu Artifex ipse, si fieri potest, *Regulas suas Hydrostaticas (nisi ad instar Regulæ Lesbiæ sint)* ad Mercurium sic in Aëre pendentem accommodet, & *digito compesco labellum.*

Verum neque fistulæ in Vasculo contentæ processum suum Hydrostaticum accommodari posse ipse quoque suspicatus, binas sibi proponit difficultates, à quibus quomodo juxta sua principia se expediat nescire me fateor. Prima ergo difficultas est, quare Mercurius qui ab aërea Columna æquiponderante sustinetur, descendat Aëre pluvioso tempore crassiori ac graviori facto, cum potiùs deberet adscendere; altera difficultas est, quòd cum gravia in fluido graviori adscendant, quia sursum ab eodem fluido in inferiorem faciem se insinuante trudantur, quomodo in Vasculo substrato attollatur Mercurius, cum illius facies superior tantum ab Aëre incumbente prematur. Ut ergo hisce difficultatibus satisfaciat, quædam præmittit, quæ si attentè perpendantur, non paucis difficultatibus sunt involuta; primò tanquam levitatis positivæ Assertor omittere se ait, *quomodo in fundum depresso corpore latioris superficiei aqua incumbens non obstet ne ab eo se expediat, cum Columna tunc sub ipso sit nulla*; in hanc rem omittam & ego Borelli assertionem, qua in libro de motion. nat. à grav. pend. Prop. 81. & 82. ait Experimentum sibi factum in Academia Experimentali Medicea de ligno benè lævigato, quod in fundo Vasis aqua pleno collocatum immotum perstitit, idque fieri ait, quia cum sub illius inferiorem superficiem aqua insinuare se nequeat, libræ aut Siphonis collateralis operationi nullus sit locus.

Quoad causam porrò ob quam Corpus grave longè minus gravitet in aqua quàm in Aëre, cum longe magis gravitare deberet, videatur, dum & Columnæ aquæ, & aëreæ pondus sustinet, eam nunquam admiserim quam ipse affert, nempè quòd *Corpus in mediis hærens aquis gravitati Columnæ aëreæ non amplius sit obnoxium, sed solùm aquæ incumbentis pondere prematur*; sed eam esse credideram, quòd Corpus grave in aqua demersum majorem inveniat in descensu resistentiam quàm in Aëre, Substantia tenuiori, & quæ loco facilè cedat, seu quod ab aqua crassiori magis sustentetur, quàm ab aëre, sicuti si examinari posset pondus alicujus Corporis in Æthere, magis gravitaret quàm in Atmosphæræ ima parte; quam ob causam Experientissimus P. Lana T. 3. Mag. Nat. & Art. l. 25. Prop. 27. scripsit *non posse nos cognoscere verum, & absolutum pondus Corporum, cum in loco omni Corpore vacuo examinari nequeant.*

Multo minùs rationi congruit, quod subdit; *scilicet remotam interventu aquæ Columnam Atmosphæræ* in subjectum Mercurium nihil habere potestatis; in contrarium enim reclamat Machina Pneumatica, in qua si collocetur Barometer cum aliqua portione aquæ super stagnantem Mercurium, & exhauriatur Aër, descendet procul dubio Mercurius, nec sat virium habebit aqua ad sustentandum Mercurium quin præceps ruat; premit ergo aërea Columna Mercurium cum illi, quæcunque, ut lubet, aquæ portio superincumbit, si non immediatè, saltem mediatè, & Aqua secundum proportionem quam habet in ponderis ratione ad Mercurium, illum in fistula attollit, superstite semper ea altitudine quam antea Mercurius à solo Aëre premente habebat.

Ad priorem ergo difficultatem respondet dicendo; Atmosphæram toto suo pondere sereno tempore Mercurium in altum attollere, crasso vero, ac pluvioso *diffusum per Aera liquorem* partem Atmosphæræ sustinere, adeò ut illius pars inferior (concretum nempè ex Aëre, Vaporibus) terræ superficiei incumbens Atmosphæram superiorem sustentet, *seu*

nubibus arcus, ut ait Poëta de Iride. Hic ubi agitur de craſſo Aëre, totum me Bœotum agnoſco, non ſatis percipiens quomodo in fluido Corpore fingi poſſit arcuatum opus, quod ſuperiores partes ita ſubſtentet, ut ea quæ inferiùs ſunt poſita perpendiculariter non premantur, neque cur ſereno tempore Atmoſphæra toto ſuo pondere Mercurium premat, pluvioſo verò, *ob aquoſarum partium interventum, quæ atmoſphæræ pondus ex parte in ſe ſuſcipiant, debeat preſſio diminui.* Aqua, & quodcunque fluidum, ſive perſpicua ſint ſive turbida, & opaca, & cum partium terrenarum mixtura toto ſuo pondere preſſionem ſuam exercent, & partes inferiores premuntur à ſuperioribus, ut egregiè demonſtrat Celeberr. Boyle in ſuis Paradoxis Hydroſtaticis. Id quoque ex ipſo Barometro ſatis liquet, nam ſi ſuper Mercurium in Vaſculo ſtagnantem ponamus Aquam, proportionatè ad momentum quod habet aqua ad conſtituendum æquilibrium cum Mercurio, illum attollit in fiſtula, ac ſi ſuper aquam infundamus Oleum rurſus Mercurius elevabitur, neque ſat virium habebit Aqua, ut Mercurius novum pondus non ſentiat in ea ratione, quam Oleum habet ad Mercurium. Aër igitur Terræ proximior, quem Seneca in Quæ. Nat. Aëris fæcem appellat, ut ut craſſior, non impediet, nec diminuet Aeris ſuperioris, licet tenuioris, preſſionem, ſed ambo junctis viribus majorem efficiunt preſſionem quàm ſe ſolis.

Omittam, nihil apud Hydroſtaticos notius eſſe, quàm liquida corpora è fiſtulis, in quibus continentur, effluere in ſubduplicata ratione ſuarum altitudinum; quod non contingeret, ſi pars inferior ſuperiorem ita ſuſtentaret, ut illius directam preſſionem impediret. Si ergo liquida vi ſuæ gravitatis cum tali proportione effluunt, nullum eſt effugium ad aqueos Vapores per aërem diſperſos, qui ponderis aliquid Atmoſphæræ detrahant, ut hanc ob cauſam diminuto Aeris pondere debeat Mercurius in pluvioſa tempeſtate deſcendere & altiùs adſcendere in Vaſculo ſubſtrato.

Forſan ponderis aliquid Atmoſphæræ decedere ab aqueis Vaporibus intermixtis dici poſſet, ſi aqueos vapores ipſo aëre leviores eſſe demonſtrari poſſet eo modo, quo D. Schelhamerus in ſecunda ſua Regula Hydroſtatica ſcripſit, *Salinas particulas aqua affuſa non aliam ob cauſam diſparere & aquæ poris ſe inſinuare, quam quod in minima redactæ leviores ſint ipſa aqua*; nam ſi vapores in minima attenuati ipſo Aëre leviores revera eſſent, Cylindrum leviorem pluvioſo tempore conſtituerent, quàm cum ſerenum, & ſudum eſt Cœlum, & ſic minori facta preſſione neceſſariò Mercurius deprimeretur; at ſicuti admitti nequit Salinas particulas aqua affuſa adſcendere, quia in minima diſſolutæ aqua leviores fiant, neque pariter affirmandum de aqueis Vaporibus. Salis enim particulæ, ſicuti omnium Metallorum, in ſuis menſtruis ſolutæ adſcendunt, & ſuſpenſæ perſtant, non quod ad minimam molem redactæ menſtruis ſuis leviores reddantur (quis enim Auri particulas in aqua regia diſſolutas eadem aqua leviores credat, quando Auri particulæ ut ut minimæ molis, cum æquali mole, aquæ regiæ comparatæ eadem ſemper erunt graviores?) ſed quia hujuſmodi corpora per fermentationem quandam diſſoluta ſuſque deque agitentur, & in atomos reſoluta ob adauctam ſuperficiem ratione molis in ſuis Menſtrui poris reſideant ſuſpenſa. Satis notum eſt ex Geometricis, multò majorem eſſe proportionem inter molem, & molem, quàm inter illorum ſuperficies, ſeu molem minorem ad majorem, non ita ſe habere, ut ſuperficies minoris ad majorem; quam veritatem Celeberrimus Galilæus in ſuis Mechanicis Dialogo primo oculari fide demonſtrat. Si enim accipiamus Cubum, cujus unum latus longitudinem habeat duorum digitorum, quo facto omnes illius facies ſimul ſuperficiem conflabunt digitorum 24. & Cubum hunc tribus ſectionibus in octo minores Cubos diſſecemus, quorum quilibet latus habeat longitudinem digiti unius, & conſequenter omnes illius facies ſuperficiem habeant digitorum ſex, omnes iſti octo Cubi ſimul ſuperficiem poſſidebunt digitorum 48. ubi prior Cubus, ex

quo

quo omnes isti emerserunt superficiem tantum habebat digitorum 24. En quomodò ad Corporum in minima reductionem major semper respectivè est illorum superficies, & consequenter major attactus, & adhæsio porulis in quibus continentur; quam ob causam Salis, & metallorum particulæ in suis menstruis dissolutæ, licet illis graviores, suspensæ perstent, donec ab aliquo præcipitante dejiciantur; non adscendunt ergo aquei Vapores in Aërem, quia leviores sint ipso Aëre, sed quia à Solis calore, vel Igne centrali terræ in sublime eleventur, *& ob exiguum pondus*, & magnam superficiem innatent in Aëre, nec potis sint illius resistentiam superare, quam tandem superant, dum iidem densati Corpus constituunt, quod ratione ponderis absoluti magis augeatur, quàm illius superficies, & consectariè resistentiæ proportio diminuatur, ut explicat egregiè Dominicus Guilelminus in Bonon. Universitate Mathematicarum Primarius Professor, in Opere suo doctissimo de Fluminum natura cap. 4.

Ad alteram porrò difficultatem, quæ juxta illius principia insolubilis est, paucis respondet, aitque ad hoc ut Mercurius in Vasculo attollatur, non opus esse *ut Aër illius inferiorem superficiem subeat, sed proprium ejusdem pondus in vitreo Tubo alteri incumbens, & illud pellens sufficere*, quod meherclè vero verius est; at id quomodo iis cohæret quæ superius scripsit, dum pro fundamento potissimo creditæ suæ Demonstrationis supposuit *Mercurium descendere non posse è Tubo, nisi quia adscendat altiùs in Aërem, qui in subjecto Vasculo illi suppositus est?* Ingenua ergo confessione, more scilicet magnorum Virorum, fatetur principium motus Mercurii in Torricelliana fistula, pluvioso tempore non à parte inferiori, sed à superiori inchoare, sicque Atmosphæræ pondus ultrò restituit, quod per elevationem Mercurii in Vasculo ab aëre graviori factam paulò antè sustulerat.

En quot difficultatibus eos implicari necessum est, qui ob imaginariam, & plausibilem rationem sensum deserunt: ratiocinia enim nostra persæpè nobis illudunt, ac ut scitè, & eleganter Dantes Poëta Florentinus:

La ragion dietro à sensi hà corte l'ali.

Sic in præsenti casu, ob præconceptam opinionem, graviorem esse Aërem pluvio Cœlo, quàm puro Jove, cum tamen *Barometer* non secus ac *Bilanx* exactissima leviorem esse, ac minus premere demonstret, per quas ambages processerit, & quàm longè à Veritate deviarit Vir Doctissimus satis liquere arbitror. Opinio isthæc (cui ante Barometri inventionem quilibet subscripsisset) quod Aër humidus, ac nimbosus gravior sit, quàm cum excussis imbribus serenus sit, tanti ponderis fuit apud Celeberrimum Borellum, ut illi errandi ansam præbuerit, dum Prop. 115. in l. de mot. nat. à grav. pend. scripsit, Mercurium in Torricelliana fistula *altiùs elevari dum Aër nebulis pluviosis imprægnatur, at delapsa pluvia deprimi*, ut ut Excellentiss. Tortus Borelli vindicias, ingeniosè tamen, pertentarit.

Satiùs ergo est Problematis solutionem alia methodo pervestigare, ac disquirere quomodò Aër aqueis particulis saturatus tam benè gestet onus, ut levior fiat, ac minùs premat ea quibus insidet; hoc uno itinere ad tam grande secretum perveniri non potest, per regulas hygrometricas, quibus tantum tendit Vir Clariss., ut Barometro nomen ipsum, quo apud Literatos omnes audit, pene sustulerit. Ego quidem bona fide testari possum, me in eadem altitudine Mercurium deprehendisse, tam in meridiana luce, quàm in humenti, & caliginosa nocte, tam Hyeme, quam Æstate, *Sole dies referente* siccos; ut fileam eandem Mercurii altitudinem compertam in Zona torrida, ac in Zonis temperatis, veluti constat ex Observationibus Astronomicis, & Geographicis D. Cassinæ cap. 10. Art. 4. Quare Phænomenon istud motionum Mercurii per alternas humiditatis, ac siccitatis in Aëre, vicissitudines exponere velle non multum abludit à Medicis prioris seculi, qui omnes morbosas Corporum affectiones per quatuor illas decantatas Elemen-

torum Qualitates explicari posse existimabant.

Absit tamen ut mihi persuadeam me in Ephemeridibus meis Barometricis rem acu tetigisse, fateor enim, nec pudet, Hypothesim meam de partium nitrosarum, aliarumque diversi generis præcipitatione, impendente pluvia, unde Aër levior fiat quàm antea, validè, ac nervosè à D. Schelhamero impugnatam, non ita tamen eam dejectam esse arbitror, ut restitui nequeat, cum mihi, si velim, non desint quæ possim reponere. Potissima illius ratio est Salinas particulas ab aqueis vaporibus non posse deprimi, imò potiùs abripi debere, ac in sublime elevari, eo modo quo aqua Sali nitrove affusa iis dissolutis hospitium præbet, ac in sublime attollit, nam id non ita fieri in Aëre ut in Aqua, regerere possem, Experientiam ipsam obtrudendo, qua constat nimbosa, & humida tempestate Salem marinum (quod idem de Nitro, aliisque Salibus dicendum) ab Aëre non absorberi, imo liquari, ac diffundi, passimque observari è salitis Carnibus suspensis liquatum Salem in terram depluere, quod Satis norunt Salsamentarii, qui Sale conditas carnes ab Australium Ventorum afflatu, ac pluvioso Aëre, quantum possunt, custodiunt, Ventisque Borealibus partium nitrosarum Vectoribus lubenter exponunt; norunt id etiam Chymici, qui ut spiritum Sulphuris per campanam eliciant, dies eligunt nebulosos, Aëre scilicet humidiori, ac magis roscido fusos illos Sales præcipitante.

Non semel in meo Tractatu admiratus sum, quomodo ad Boreales flatus tollatur in altum Mercurius, ad Australes gravi lapsu concidat; rationem reddit D. Schelhamerus in P. S. idque ait fieri quia Boreales Venti sicci sint, Australes humidi; expedita sanè, ac veluti in numerato habita responsione, sed quæ non sit satisfaciendo. Si quod vim exsiccandi habet nihil addit, imò detrahit, & Venti Boreales humiditatem in oppositam partem abigendo Aërem siciorem reddunt, unde Aëri pondere detracto major succreseit vis premendi? Ergo, nec præter rationem, credidi à Polo Boreali, *qui nobis semper sublimis*, ut ait Poëta, exspirare aliquid, ut de magneticis effluviis ajunt, quod Aëri robur adjiciat, sive particulæ nitrosæ sint, sive quid aliud nobis ignotum? *Aurum ab Aquilone venit*, legimus in libro Job. cap. 37. Augustinus Steuchius in suis Enarrationibus interpretatur de Serenitate quæ aurea dicitur: Sept. Græcè transtulerunt: *ἀπὸ βορρᾶ νέφη χρυσαυγέντα.*

Quoad alias rationes quibus Hypothesim meam impugnare contendit, nempe quod admisso Aërem *aqueis particulis refertum* leviorem esse quàm sibi relictum multa sequerentur absurda, scilicet, quod Salinæ, ac terreæ particulæ in Aëre innatantes longè superarent, sicque graviora corpora natarent in leviori, seu quod Aër majus pondus sustineret quam ipse constitueret, respondere possem, non sic Philosophorum Principi absurdum visum talem graviorum Corporum in Aëre natatum, ut videre est in quarto de Cœlo 7. ubi Aristoteles de hoc non dubitat, sed quærit, *cur aliqua ob parvitatem natent in Aëre, ut auri arena, & alia terrea, & pulverulenta*; certè constat, auri particulas in aqua regia dissolutas, licet illa graviores, ut superius dictum, in illius porulis hospitari, ut omittam multa gravia, velut laminas ferreas, aciculas chalybeas super aquæ superficiem innatare. Sicuti ergo motus, & fermentatio præcedens ac in minimas particulas Corporum dissolutio sunt in causa, ut Metallorum particulæ in aquis fortibus suspensæ persistent, quamvis iisdem graviores, cur non idem de nitrosis, ac terreis particulis per Aërem diffusis affirmare liceat? *Quid mirabilius esse potest aquis in Cœlo stantibus? At illæ, ceu parum sit in tantam pervenire altitudinem, rapiunt eo secum piscium examina, sæpe etiam lapides, subvehunt portantes alienà pondera*, ajebat Plin. Hist. Nat. lib. 31. c. p. Talia admirari, quando causam tenemus, nobis haud quaquam licet, multò minus id absurdum existimare, imò Divini Conditoris summa providentia id factum reor, ut cum omnia in pondere, numero, & mensura condiderit,

hoc

hoc pacto Aërem ob vim elasticam ad intumescentiam pronum sic compesceret, & ad varios usus aptiorem redderet, ac præsertim ad respirationis munus, ut in Tractatu meo Ephemeridum Barometricarum satis demonstratum.

Esto autem quod nitrosæ, ac terreæ particulæ per Aërem volitantes plus millies superent Aeris pondus, quod idem de aqueis particulis affirmandum? quis id ignorat? Aurum quoque insignem gravitatis excessum super aquam habet, vigesies fere, ut ait Galilæus, paulò tamen minorem super aquam regiam, auri tamen particulæ in tali aqua solutæ per illam innatant, licet eadem graviores, ac verè, & absolutè dici poterit de Aqua regia quod sustentet majus pondus quam ipse constituat; & cur non idem de Aere? Omittam à Galilæo in citato Opere p. m. 46. demonstrari possibile esse, ut ex qualibet materia proposita Pyramis seu Conus fieri possit, qui super aquam collocatus non immergatur, sed solum illius Basis madescat. Mirari autem hic subit quomodo D. Schelhamerus hujusmodi corpusculorum in Aere natatum pro tam ingenti absurdo reputet, qui prosuæ præjudicatæ Demonstrationis fundamento tam confidenter pronunciavit, *Mercurium* (quo in universa rerum natura nullum fluidum gravius reperitur) *esse Corpus in fluido tenuiori* (Aëre scilicet) *consistens.*

Neque pariter ex hoc quod Aquæ pondus plus millies Aëris pondus excedat, sequitur, ut ipse ait, *fieri non posse quin novo hoc Corpore magnum pondus Aëri accedat*; non enim semper putare licet, quotiescumque Aër è sereno fit nubilosus, quod aliunde nebularum, ac imbrium deferatur materia, cum ad id sufficiant Vapores per magna illa spatia prius dispersi, si in unum cogantur, ac densentur, sicuti neque tam ingens pondus, ut creditur, Aëri concilietur. Miramur equidem, cum *immensum Cœlo venit agmen aquarum*, quomodo tàm ingens pondus ab Aëre sustineri possit, at si rem attentiùs consideremus nullus pene admirationi locus est. Refert P. Castellus olim Urbani VIII. P. M. Mathematicus in aureo suo libello de Aquarum fluentium mensura, quod cum olim Perusii esset, & Trasimenus Lacus ob prægressam siccitatem nihil aquæ per solitum suum Emissarium dimitteret non sine magno vicinarum Regionum incommodo, impendente pluvia excogitasse modum, quo scire posset quantum ex casuris imbribus crescere deberet Lacus; ait igitur se Aëri aperto vitreum Cylindrum altitudinis unius palmi, latitudinis verò dimidii exposuisse, ac postmodum sequuta ingenti, ac universali pluvia per 8. horarum spatium, observasse aquam in Vase ad digitorum 4. altitudinem devenisse, & hujusmodi observatione amicis qui aderant prænunciasse Lacum quoque ad eandem altitudinem excrevisse; missis proinde qui Lacum inviserent, qui Lacus 4. passuum millibus ab Urbe distat, compertum fuisse aquam cœpisse per suum Emissarium effluere, cum antea aquæ superficies ad 4. digitos ab Emissarii limine abesset.

Refert pariter D. Mariotte Celeberrimus in Gallia Mathematicus in libro de motu fluidorum, ut videre est apud C. Bartholinum Thomæ filium in elegantissima Dissertatione de Fontium & Fluminum origine, & in Memoriis Physicis, & Mathematicis Parisiis Anno 1692. impressis, se per integrum annum aquam à Cœlo labentem in Vase quadrato collegisse, quam ait ad pollicum 17. altitudinem devenisse, unde facto calculo cum ea aquæ quantitate, quæ illum tractum terræ, unde ortum ducit Sequana Galliæ fluvius, per pluvias quotannis inundat, cum illa quæ per idem Flumen in Mare devolvitur, deduxit tertiam partem aquæ per pluvias delabentis sufficere ad Fluminis perennitatem; hinc non contemnendam conjecturam desumpsit Bartholinus ad Fontium & Fluminum originem non è Mari, sed ab imbribus derivandam. Ego quoque per totum Aprilis mensem, qui hoc Anno 1698. maximè pluviosus fuit, aquam pluviam in Vase collegi, ac illam novem digitorum altitudinem vix attigisse deprehendi.

Si ergo ex hujusmodi Observationibus Aqua è Cœlo decidua vel per totum annum quam-

vis eadem Aqua pluries ſub Vaporum ſpecie exaltata (qualis evaporationis calculus per tres annos in præcitatis Memoriis Phyſicis, & Mathematicis habetur) in Aërem adſcendat, & in imbres coacta deſcendat, 17. pollicum altitudinem non excedit, non eſt quod adeo miremur de Aqua in Cœlo hoſpitante, quæ per pluvias delapſa, & unum in locum ob ſitus devexitatem nobis imponit, ut dubitari poſſit Aërem ſuſtinere majus pondus quam ipſe conſtituat.

Hæc pauca ad objecta à Clariſſimo Viro placuit reſpondere, ut ſciat poſſe me, ſi velim, Hypotheſim meam in integrum reſtituere, at quia non tanti illam facio, ut ſi quid ſe offerat quod magis arrideat, eandem repudiare pigeat, cum in fine Opuſculi mei ſatis proteſtatus fuerim leves eſſe conjecturas meas, ac potiùs fungi voluiſſe vice Cotis, acutum reddere quæ ferrum valet exſors ipſa ſecandi. Quid enim mihi ſupererat agendum, quàm ut aliis incitamento eſſent ad ingenii aciem circa hoc implicatiſſimum Problema exercendam, hac pertentandum num Veritas hæc in abdito poſita hac tandiù quæſita tandem obtineri poſſit; propterea ad reliqua levioris momenti, quæ à D. Schelhamero, aliiſque non paucis poſt Opuſculi mei editionem publicis ſcriptis objecta ſunt, nihil addam. Exactiùs tamen Doctiſſimi Viri Solutionem hanc, quam ipſe Demonſtrationis nomine inſignivit examinare lubuit, ne cum ſpecioſitatem aliquam habeat, incautis imponeret, & ne à Curioſis Naturæ Scrutatoribus à rei tam abſtruſæ Diſquiſitione ceſſaretur. Quod me attinet, in hanc rem operam meam impendam, nec cuipiam res meas impugnanti unquam ſuccenſeam, ſiquidem ut in Tuſculanis Quæſtionibus Tullius *& refelli ſine iracundia & refellere ſine pertinacia parati ſumus.*

Verùm hiſce Quæſtiunculis Epiſtolæ modum exceſſiſſe me video Venerande Præſes, quare ab humanitate tua prolixitati meæ patrocinium aliquod expoſco, tam ferax enim novarum rerum eſt ardua hæc Quæſtio, ut ab eorum quæ identidem occurrunt contemplatione non tam facilè quis temperet. Cæterum Clariſſ. Viri ingenioſa Excogitata, & Conatus laudandos exiſtimo, ut qui pro hujus problematis Solutione avia loca pertentarit, *nullius ante trita pede;* quod ſi nec ille, nec ego, nec quiſpiam alius adhuc, Iſthmum hunc perfoderit, contenti ſimus Tibulliana laude, quod in magnis ſit voluiſſe ſatis, etenim omnibus in bonis rebus conatus in laude, effectus in caſu eſt. Quando autem ſub Tuis auſpiciis ſolidè ac nervosè agitari cœpit hæc Quæſtio, cum Celeberrimus Vir D. Rodulphus Jac. Camerarius (cujus humanitati multum debere me fateor, quod elegantiſſimo ſuo Operi Ephemeridum Meteorologicarum Opuſculum meum attexere voluerit) hac de re tractavit, & Opus ſuum ipſe quoque Nomini Tuo inſcripſit, ſperare licet veram, & legitimam hujus Problematis Solutionem in apricum tandem, *remota erroris nebula* proditurum. Tibi militat Nobiliſſima, & toto Orbe Celeberrima Academia, Tu tot præſtantiſſimos Heroas ad hujus Arcani indaginem excue, Tu ſtimulos adde, Te ſiquidem Duce & Auſpice aliquis forſan in hac re Naturæ peplum aperiet. Vale feliciſſimè, ac fave.

Clariſſimi nominis Tui

Mutinæ die 7. Junii 1698.

Cultori Studioſiſſimo

Bernardino Ramazzino.

E P I-

EPISTOLA III.

Viro Illustri, atque Magnifico

D. LUCÆ SCROEKIO,

Societatis Leopoldinæ Cæsareæ Nat. Curiosor.

PRÆSIDI DIGNISSIMO

GUNTHERUS CHRISTOPH. SCHELHAMERUS

S. P. D.

CUm abhinc biennium disquisitionem de causis, cur in Barometro suspensus Mercurius pluvioso tempore descenderet, quam *Solutionem Problematis* indigitaveram, ad Te, PRÆSES COLENDE, transmitterem, haud equidem tam magnifice de me ipso sentiebam, ut nihil in iis desideratum iri existimarem; Sed potiùs, id agebam, ut doctorum Virorum de novis istis conatibus meis sententiam explorarem; Ideòque, expositis iis quæ videbantur mihi obstare, quò minus Clarissimo D. Ramazzino accederem, disertim subjunxi; *Utrum veram invenerim, penes eruditos atque peritos rerum Viros judicium futurum esse, cui me totum submitterem.* Itaque nonnihil commotus sum, cum viderem, in examine illo, quod à Doctissimo viro nunc susceptum video, ita mecum agi, ac si ego pro demonstratione vera absolute eam venditaverim, quod nunquam in mentem venerat. Quo magis mihi video necessitatem imponi, ad illa quæ objecit (pace quod ejus fiat) respondere, eaque quantum licet, bona fide adversus oppositiones ejus tueri; qui neque oracula habere quæ profero, nec temerè explodi velim. Id verò agere coram Te, & causam hanc velut ad tribunal tuum dicere, mihi perjucundum est, quippe cum nihil priùs, nihil antiquiùs mihi sit veritatis amore, quo Te quoque teneri unice scio, indeque tuo præsidio Socios amicè ejus causa inter se disceptare, haut parvo oblectamento esse planè confido.

Et verò, cum quicquid illius gratia suscipitur, gratum acceptumque essu omnibus debebat, non putabam me hisce Clarissimo Ramazzino, etiam si non acurem tetigissem, aut ἀκριβεςάτως, & ἀξίως dicta omnia deprehenderet, mœrorem allaturum esse: ἐ μόνον γὰρ χάριν ἕξειν τέτοις, ὧν ἄν τις κοινωνήσαι ταῖς δόξαις, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐπιπολαιότερον ἀποφηναμένοις, καὶ γὰρ ἔσοι συμβάλλονταί τι, τὴν γὰρ ἕξιν προήκησαν ἡμῶν: ut est apud Philosophum. Neque verò tanti etiam sunt, quæ obstare iis sunt visa, ut non potuisset, vel ipse sibi satisfacere, si paulò curatiùs omnia expendere libuisset, qua est ingenii felicitate. Sed quando evenit, tentandum est altera vice hoc mare, allaborandumque mihi, ut tristitiam istam in qua nunc est, eximam, atque impleam animum gaudio. Quod, ubi viderit, suis dubitationibus satisfactum, uti quidem id futurum confido, gratiam apud ipsum hanc iniviisse gratum erit; sin minus, non tamen iniquo feret animo, quod eodem in illa quo ipse in mea, jure sim usus, sed (quod fieri æquum est, & alter alteri in tam nobili ac lubrico argumento versantes debemus utique) omnia in bonam partem interpretabitur. Quod ipse quoque ut præstem prior, quæ paulò confidentiùs aut etiam duriusculè in me, ab ipso prolata sunt, præteribo: Nempe *se*

mihi

mihi oſtenſurum, ad quos ſcopulos impegerim, dum hæc ſim conniſus, neque adeò feliciter, ut crediderim, veritati velificari potuerim, & alia bene multa, quæ parciùs potuiſſet interponere, cum adhuc ſub judice lis ſit, quem ille in propria agere cauſa, neque debebat, neque etiam poterat, ſed exſpectandum erat aliorum judicium & tuum fortaſſis, aut ſi per modeſtiam id negares, publici.

Impetrata ut ſpero hac venia, ad rem ipſam accedendum eſt: Et de errore quidem ſive Amanuenſis, ſive typographi, in aperto res eſt; De ratione verò ſolutionis ſalium non eſt cur tam difficilem ſe præbeat Cl. Vir. Tametſi enim naturalem ſuam gravitatem ſolutum ſal non exuat, quam ſpecificam ipſi placuit nominare, amittunt tamen disjunctæ ejus particulæ eam, quam conjunctæ in majorem molem antea habebant. Ut enim vis agendi, ita & reſiſtendi, unita fortior eſt, ſejuncta per partes debilior: Apologus docet, de eo qui caudam equinam, cum totam extrahere non poſſet, depilando facilè ſuperavit. Id ne fruſtra à me adductum putet, adeò verum eſt, ut non tantum ad attingendum fundum gravibus neceſſaria ſit moles aliqua, verum & levioribus ad emergendum. Quod licet ad oculum demonſtrare in deſtillatione oleorum, ubi non rarò aquæ prodeunt, albicantes, quoniam particulæ oleoſæ in minima redactæ illis immiſcentur, & in iis poris retente innatant, nec poſſunt ſe expedire. Cujus rei non alia cauſa eſt, quàm quia in exigua iſt hac mole, vincere reſiſtentiam implicantis aquæ non poſſunt, atque in ſuperficiem, ut ſolent in majores guttas coëuntiæ, emergere. Quod ſi qui & aliquandiù illa relinquatur, à reliqua inteſtina agitatione ſibi fortuito occurrentes conjunguntur, & tum nulla difficultate evadunt; ſecus verò & quando per quietem non poſſunt, perſtant, & aquæ albicantes ac turbidæ apparent. Si autem ad emergendum pondere opus eſt, non naturali, ſed ex mole, quo amiſſo, leviora perpetuo opprimuntur, multò profectò magis ad depreſſionem ac deſcenſum eodem opus eſt. Licebit ergo mihi leviora dicere ac reputare quæ innatant iis quæ reſiſtunt pondere, ne in altum tollantur; ſive jam id fiat ſpecifica gravitate, ſive generica, ſeu potiùs ea quam conjunctæ in majorem molem acquirant, qui non ſum alioqui tam ſtupidus, aut adeò legum naturalium ignarus, ut eam quæ materiæ propria eſt & inſeparabilis gravitatem, eadem permanente, minui aſſeram. At mihi viciſſim, ſi in minima redigantur corpora, in parva mole minus eſſe ponderis quam in magna, nemo profecto negabit, niſi qui ſenſus ipſos ejuraverit: Hæc enim cauſa eſt, cur ſalia volatilia, ſatis gravia ſi combinentur, & novo apud nos artificio in cryſtallos coëant, perſiſtunt; ſoluta verò in aërem promptè avolant, ac retineri non poſſunt. Cum enim non ſpontè avolent, ſed ab aëre ſe iis mediis inſinuante attollantur & ſurſum pellantur, certè neceſſum eſt ea eſſe leviora; Nam pondus gravius à leviori corpore attolli abſurdum eſt; Sic camphora quoque in vaporem vertitur, nitrum & ſulphur in fumum abeunt, ipſum hydrargyrum, licet ſit unum ex graviſſimis metallis, per ignem in minimas particulas diſſolutum in aërem adſcendit. Eadem vero opera, quæ in ſequentibus mihi objicit, amoliat: quod enim aquam ſali ſolvendo duplo triplove minimum præponderare, neceſſum eſſe dixi, eo non quidem evincere unquam conatus ſum, aquam ſale graviorem eſſe in ſe, & ſic dicta naturali gravitate: ſed molem tamen univerſam aquæ mole ſalis univerſa graviorem eſſe, certum eſt, quæ mea mens erat, quam potuiſſet ex his ſatis perſpicere Cl. Ramazzinus; niſi vitilitigare his maluiſſet. Sed ad rationem præcipuam ipſam accedendum eſt.

Non ſatis autem percepit mentem meam Vir doctiſſimus, dum cauſam me dicere arbitratur, ubi aſſerui, *non poſſe Mercurium è tubo deſcendere, niſi quia altius adſcendat in aërem qui in vaſculo eſt*, (quo nomine uſus ſum quoniam Torricellianum vaſculum habet ſuppoſitum: titulum autem feceram *De tubo Torricelliano* tanquam fundamento Barometri, non ignarus alioqui non eſſe vaſculo opus in recurvo tubo) non enim cauſalis hic particula

QUIA

QUIA ſtrictiſſimè mihi accepta eſt, quæ efficientem notet, ſed quæ cauſam ſine qua non: neque ego in ea ſum ſententia, hydrargyri in vaſculo, vel breviore brachio tubi Barometrici adſcenſum eſſe cauſam efficientem, ut ex longiori tubo alter deſcendat, eumque inde, quaſi funiculo extrahat: qui enim tam abſurda cogitatio ſatis ſani cujuſquam poſſet in mentem venire? Id tantum volui, iſtum, quia remittat incumbentis aëris gravitas, altiùs in eum immergi, hinc ſequi alterum, non motus principium, ſed occaſionem atque ordinem indicaturus. Id quod poterat itidem facilè ex eo colligere quod ſequitur ſtatim: *Quo pacto evenit, ut Mercurius ſuſtolli ſubeunte ſub alteram ſuperficiem aqua vel aëre, ut in fluidis nudis corporibus fieri opertet, non ſit opus, ſed ſufficiat proprium pondus in tubo vitreo alteri incumbens illumque pellens*, & quæ ſequuntur. Quæ itaque hic contra illam aſſertionem diſputat, una cum *accuſatione ſua fallaciæ non cauſæ ut cauſæ*, dum potiùs ſeipſum, ad mea refutanda nimium properans, egregiè fefellit, omnia concidunt.

Ex quibus verbis porrò id etiam patet neque me ſtatuere, neque ab illo poſtulare ut credat, Mercurium eſſe abſolutè, rigidoque adeò ſenſu, corpus in fluido ita conſiſtens, ut lignum quoddam gravius in media aqua. Id tamen interea mihi concedi peterem: Eſſe eum *Comparandum* ut ipſe ait, iis corporibus, quæ in fluido neque merguntur, neque emergunt, &, ut ego loquutus ſum, *ejus habere rationem*, etſi non in tota libertate ſua ſit conſtitutus, & in circumfluo undique liquido medius innatet. Notum enim comparanda inter ſe non prorsus eadem eſſe oportere per omnia, & quod rationem habet alteriùs, non ſtatim eſſe ipſi per omnia ſimile, ſed in quantum ad ſcopum obtinendum eſt opus, & ratione alia aliqua potiùs diverſum. Quamvis ergo Mercurius hic non ſit aëre undique circumfuſus, neque tamen emergit h. e. totus effluit, & in Oceani Aërei ſuperficiem adſcendit, reſiſtente Atmoſphæræ pondere quod incumbit, nec mergitur, h. e. totus deprimitur, adigiturque in ejus fundum inverſum, oram ſcilicet tubi vitrei igne obſignatam, reſiſtente propria gravitate illius, qui in tubo eſt. Dubium quidem movet D. Ramazzinus; *talia debere in tota ſua libertate eſſe conſtituta nec ab ulla vi externa impediri, quin deſcendant, quod de Barometro ad parietem ſuſpenſo dici nequeat.* Sed ne ægrè ferat, ſi ipſi in animum revocem, duplici ratione in medio fluido quid poſſe conſiſtere: *primum* ita ut à fluido illo ipſo ſuſtineatur, quod illis evenit qui eadem molis paritate ſunt & ponderis, *deinde*, ut ab appenſo vel appoſito pondere (Galli vocant *Contrepoix:*) quod illis contingit quæ ſunt graviora. Quæ ſanè non modo conſiſtere in fluido, etſi aliena virtute, nemo negaverit, ſed etiam in fluido craſſiore adſcenſura, non dubitaverim contendere. Sit v.g. corpus gravius A, ſuſpenſum ex funiculo B. cui pondus C. ad æquilibrium conſtituendum appenſum ſit, per trochleam D. decurrentes, fluidum vero E ſit aqua ſimplex. Hæc injecto ſale fiat gravior: adſcendet mox, ut opinor ſpontaneo motu, pondere C. ſuſtentatum corpus A altiùs, & ad ſuperficiem tendet. Hoc pacto ſe habet Mercurius; Sed hic fortè ulteriùs objiciet D. Ramazzinus: tamen in hoc diverſitatem eſſe, quod non in medio fluido natat Mercurius, ſed Vitreo tubo incluſus hæret. Verùm neque illud obſtare poteſt, quo minùs habeat rationem quam dixi. Et quia plurimùm intereſt à me id quàm clariſſimè dilucidari, aliud exemplum, propiùs ad noſtrum accedens commemorabo, baculi ſcilicet Cylindrici, qui in aquam profundius detruſus recta ſurſum tendit. Id fieri aquæ columna, non ea quæ ſub ipſo eſt, præſertim propiùs fundo admoto, ſed illa quæ à ſuperficie pertingit ad fundum, indeque in baculum reflectitur, extra dubium eſt, idque demonſtrat Nobiliſſimus *Boyle Paradox. Hydr.* IV. cujus figuram intuenti res patebit. Ut autem ibi columna illa aquea quæ Cylindri ſuperficiem æquat, in media aqua ſola conſideranda, ita hic Mercurialis; & licet illa libera, hæc incluſa ſit, tamen eadem prorsùs utriuſque ratio, niſi quod illic imaginarium ſit ambiens, hic verum, quia

baculus ſolidum corpus eſt, & συνεχὲς, Hydrargyrus fluidum & ἐνδιαίρετον, καὶ ἀόριστον. Quibus expoſitis, ſatis jam in aperto eſt, quid reſpondendum ſit. Eſt enim ſanè hoc, ſi quid video, comparari eo nomine cum corpore aliquo poſſe, quod in medio fluidi conſiſtit, illiuſque habet rationem, idque ad obtinendum quem mihi propoſui finem ſat eſt.

Alterum quod deficere, hic dicitur, nimirum, *debere data molis paritate eſſe ejuſdem gravitatis*, pari facilitate excuſatur. Ut enim in iis quæ in fluido ſtricta acceptione conſiſtunt, hæc rectè habent, ita in hoc exemplo, eo modo propoſito quò id feci, locum neutiquam inveniunt. Nam faciendum hic eſt, *quod in Paradoxis Hydroſtaticis* licuit eidem Illuſtri Boyle: dividere nimirùm Mercurium noſtrum in duas partes, illam quæ in brevi, & illam quæ in longiore brachio continetur, deindè ſupponere imaginariam ſuperficiem in illa parte, ubi incipit reflecti, & in brevius tubi brachium ſurſum tendere; quippè ubi deſinit in medio conſiſtens ejus pars, illamque imaginariam ſuperficiem premit hinc incumbens ex alta fiſtula columna Mercurii reliqui, illinc verò aërea, quæ in æquilibrio ſuſpenſum conſtituit, ut ſit ejuſdem conditionis atque eſt corpus in fluido ejuſdem molis paritatis librato. Quod manifeſtum eſt: ſi enim non eſſet, in illam vergeret partem neceſſariò ubi minùs inveniret reſiſtentiæ. Ratio enim, cur fluidi & ejus quod in illo conſiſtit paritas molis & ponderis ſimul deſideratur, eſt, quoniam nihil ponderis ex tali accedit incumbenti fluidi columnæ, aliàs mergeretur; columna verò inferior cui incumbit, æquali ſuo pondere incumbenti reſiſtere idonea ſit, aliàs adſcenderet. Nunc autem, quia tantum exactè ſpatii occupat quantum occuparet illud ipſum fluidum ejuſdem magnitudinis, neutrum poteſt accidere, cum illud in ſui ſimili ubique quieſcat. Quod tamen ſi perpetuum eſſe putat & immutabile Cl. Auctor, fallitur. Nam ſatis oſtendit idem Anglorum ingenioſiſſimus, non ita firmum hoc eſſe principium, quin detrudi quoque tale corpus ad fundum queat, ibique ita conſtitui, ut ſubſiſtat. Sed ad noſtra redeamus: quia Mercurius incumbens in ſuperficiem imaginariam Mercurii brachii reflexi inferioris, æquiponderat aëris externi incumbentis columnæ, perſtat ille immotus, & habet rationem corporis in medio fluido librati, etſi non æquet eadem mole aëris pondus, ſed ſuperet: Quæ profecto tàm ſunt vera, ut nihil opponi poſſit.

Sicuti ergo falſum eſt, hoc in noſtro requiri, ita verum eſt contra conſiderari poſſe, (quod volui) Mercurium in Barometro, ſaltim quod ad partem inferiorem, ut corpus in fluido conſiſtens, etſi non ſit tale propriè, & omni ſenſus rigore, aut in totum quantus tubum implet, verumque itidem eſt, & licèt inferre: ſicuti corpus aliquod in medio alicujus fluidi conſiſtens, ſi fluidum illud alteretur, & fiat gravius, neceſſum eſt altiùs attolli, ita eadem ratione Mercurius in Barometro, pluvioſo tempore, fluido graviore facto, in recurvo ejus brachio in ſublime elevabitur, etſi non utrobique adſit molis & gravitatis æqualitas: idque ex eo principio, quia columnæ Mercurii ſubſtratæ & aëris incumbentis idem erat pondus, remota verò aëris parte, aut ſuſtentata alio fluido interveniente, pondereque ita imminuto, præponderat columna Mercurii columnæ aëris, adeòque Mercurium in breviore brachio exſiſtentem, in eum altiùs impellit. Verùm non eſt cur his diutiùs inſiſtam, cum hæc non eſſe inficias iturum Cl. Virum, certò confidam; ut mihi cum ipſo planè convenit, non aëri hic adſcribendum eſſe principium motus, ſed Mercurio; neque unquam id contendi, & potuiſſet tota hac quidem de motus principio diſputatione D. Ramazzinus ſuperſedere, ſi paulò diligentiùs expendiſſet verba illa, quæ ex epiſtola mea denuò adduxi anteà.

Verum nunc ad experimentum, in quo maximam fiduciam poſuit D. Ramazzinus, atque adeò mihi maximè formidandum eſt, pervenio: novum illud Barometri genus (quod tamen idem quoque deſcriptum exſtat in Georg.

Georg. de Sancto Claro Lib. 1. Dial. 2. 2.) quo producto ſperat, rem omnem ex aſſe ſe confecturum. Suſpenſum itaque Mercurium per lineam rectam perpendicularem in tubo recto nobis offert, non immerſum in vaſculum nec tamen effluentem. Hic obſervavit: *Mercurium, dum tranſitus fit à ſerenitate ad pluviam, deſcendere & in imo & in ſummo*; (quis dubitat, ſi in imo deſcendat, ex ſummo etiam ſimul deſcenſurum,) *ſuccedente* rurſum *ſerenitate denuò adſcendere: quin & in humida & auſtrali tempeſtate uſque adeò delabi, ut illius aliqua portio extra fiſtulam in aëre pendeat.* Quærit ergo, ſe inveniſſe exiſtimans, in quo glorietur: *Cur in tali Barometro, cum aër aqueis particulis refertus adeòque craſſior quàm cum ſerenus eſt, Mercurium per lineam rectam ſurſum non propellat, ut aqua marina altiùs attollit navim quam pluvialis?*

Quod problema me nunquam ſoluturum haut dubiè credidit, adeòque, quaſi jam res omnis eſſet in vado, audacter pronunciat: *illuſiſſe mihi elevationem Mercurii in vaſculo, ut ſuper illam tanquam ſolidiſſimum fundamentum problematis ſolutionem exſtrui poſſe crediderim*, quo ſubtracto, cum idem fiat quod anteà, potiùs ad ſuam hypotheſim redeundum eſſe, *neque alia de cauſa id fieri* exiſtimandum *quàm quòd pluvio cœlo aër minùs gravis minùs Mercurii preſſioni reſiſtat. Diſſolvi ergo totam ſolutionis problematis hujus machinam ingenioſe quidem confictam, ſed parum firmis compactam nexibus.*

Equidem haut parum Clariſſimo Viro obnoxium me agnoſco, quod ingenium meum laudat; efficiundum vero mihi intelligo, ut ne judicium etiam deſideret: quod, ubi inſuper vera eſſe quæ excogitavi & non obſtantibus iſtis, ſubſiſtere, palam fecero, ſpero me ab ipſo conſecuturum.

Utut igitur hæc inſtantia ſatis eleganter excogitata ſit, ut reſpondente ſucceſſu fortiter oppugnaſſe mea iſta videri poſſet, ita tamen haut me terret, ut potiùs gratias habeam doctiſſimo Ramazzino, quod tam ingeniosè excogitata machinula magis iſtam ſolutionem obfirmare, & machinam quam ſe diſſolvere laborat, arctiùs conſtrictam compactamque reddere voluerit. Quod factum ab ipſo eſſe, liquido pateſcet, ubi paulò ſollicitiùs tibi, *Præſes graviſſime*, illa quæ in epiſtola mea ſequuntur, & quibus ulteriùs, cur Mercurius in graviori fluido adſcendat, explicare, ejuſque rei rationem reddere ſtudui, mecum placebit perpendere.

Dixi ſcilicet id fieri, quia Atmoſphæræ pondus humido intercedente, ejuſque partem ſuſtinente, imminuatur frangaturve, ut tam graviter ut anteà incumbere ſuperficiei ſtantis in vaſculo Hydrargyri, illumque in tubum vitreum ſurſum pellere nequeat. Quo poſito, non modo non eſt opus (quod putabat D. Ramazzinus, inque eo ſui argumenti robur omne collocavit) ut in tubo recto, & ſubtus apertò Mercurium altiùs impellat, ſed etiam contrarium evenire, maximè neceſſarium eſt. Quem enim ſurſum adigebat Atmoſphæra ſincera & gravior, cum, ſi particulis aqueis intercedentibus pondus illud ſurſum impellens minuatur, ut minùs reſiſtat tendenti deorſum Mercurio, deſcendere protinus neceſſum eſt: ut in tubo reflexo, adſcendere ſolebat eo adaucto.

Demonſtravimus enim in ſupra allatis, in tubo recto & ſubtus aperto ſuſtineri Mercurium à columna reflexa aëris eo modo, quo Cylindrus ligneus à columna reflexa aquæ ſurſum pellitur. Ut verò ſe habet Mercurius reflexus in tubo reflexo ad columnam aëris perpendiculariter incumbentem: ita ſe habet columna aëris reflexa ad Mercurium perpendiculariter incumbentem, illumque æquè premit urgetque deorſum ubi illi incumbit, ſurſum ubi ille incumbit.

Sed cur, inquit D. Ramazzinus, craſſius hoc fluidum eundem non altiùs propellit, ſicut aqua marina navim magis quam fluviatilis? Dictum puta: Nimirum cum Mercurius non innatet aëris ſummo, ut navis aquæ, ſed hæreat in medio inter Mercurium & aërem, ubi ſibi ipſi eſt ſubditi fluidi loco, hinc fit ut proprio pondere illius qui incumbit in ſuperficiem imaginariam imæ partis, in craſſius illud jam factum fluidum altiùs ſe inſinuet, mirumque non eſt, non idem fieri in re diſ-

ſimili ex parte altera, ſufficit ſi idem fiat ex illa parte qua ſibi ſimilis eſt, etſi inverſo modo: Eſt enim etiam Oceanus Aëreus hic inverſus, & ſurſum reflexus, reduplicata columna Atmoſphæræ, cujus prima pars ſeu longius brachium deorſum vergit premitque, alterum à terra reflexum ſurſum, ut in cylindri lignei exemplo aqua; unde & ſuſtinet Mercurium perpendiculariter incumbens tubo reflexo, ne ſurſum erumpat, reflexa contra in tubo recto, ne deorſum. Quod ne abſurdum quis putet, aut in cerebro meo confictum, evolvat ſæpè laudati Boyle *Paradoxa hydroſtatica part. III.* ubi illud de aqua ita perſpicuè demonſtravit, ut ambigere amplius ſit vanum, vero ſunt demonſtrationes iſtæ huic negotio facilè accommodandæ, utpotè quorum concluſiones ſunt veræ regulæ hydroſtaticæ & univerſales.

Illuſit ergo potiùs deſcenſus hic Mercurii D. Ramazzino in novo ſuo tubo recto, quàm mihi ejus elevatio in vaſculo, ſeu tubo reflexo, rectèque dicit, eandem cauſam eſſe quæ in hoc, & quæ in altero Barometri genere motionem Mercurii efficit, ſed eam non rectè aſſignavit: Non enim aëris imminuta gravitas hic in cauſa eſt, ſed debilitata & intercepta ejus columna, quæ pondere priſtino amiſſo, deſcendenti Mercurii ſuperioris parti minùs reſiſtere poteſt, donec robur priſtinum, aucto pondere & recedente humido aqueo, recuperet. Et hic poſſem illi egregiè viciſſim objicere, ut mihi fecit, aërem ſpecificam gravitatem nunquam amittere: Quo jure ergo eum hic leviorem vocat, ſi non alia ratione quid levius dici poteſt, quam ſpecifica gravitate amiſſa? ſed nolo λογομαχίαν hic ordiri inutilem: quin potiùs ipſi concedo aërem leviorem factum, alia tamen atque ipſe volebat ratione. Nam Clariſſimum eſſe puto, non ex terreis, ſalinis, nitroſiſque particulis acquiſita gravitate incumbentem aërem gravitare, ſed illa ipſa quam barbarè hodie ſpecificam vocant: quam non deponet, iis exturbatis; neque eaſdem etiam humidis exturbari poſſe, nitroſas ſaltem & ſalinas, etſi poſſent, aqueæ particulæ in eorum locum ſuccedentes, & aëre millies graviores, non imminuerint ejus pondus, ſed augerent. Cur enim, ſi ſalinæ & terreæ augent, etiam aqueæ non augeant? præſertim, multo denſius permixtæ, ut pateant oculis, etſi ſua natura magis diaphanæ & minùs viſibiles quàm illæ. Ad quas objectiones meas, cùm nihil ſolidi poſſit reponere, facilè patet, quantum ſuæ iſti hypotheſi ſit fidendum.

Et jam in facili erit, regulas Hydroſtaticas, ſeu potiùs Hygroſtaticas à me adductas ad Mercurium ſic in aëre pendentem, quod poſtulat fieri, tanquam regulam Lesbiam, accommodare, ſunt autem ſequentes:

1. *Quæ in fluido leviori merguntur in graviori aſſurgere.*

2. *Aquam eſſe craſſius fluidum aëre.*

3. *Aërem aqueis particulis refertum, eſſe craſſiorem quam cum ſerenus eſt.*

Hoc ut faciam, *poſtulabo* hæc mihi dari:

I.

Per fluidum adſcendere, eſſe verſus ſuperficiem fluidi tendere. Ergo.

II.

Quidquid ad ſuperficiem fluidi tendit, habere rationem adſcendentis.

III.

Dari fluidum reflexum.

IV.

In fluido reflexo, ſi ad ſuperficiem tendendum ſit, priùs ſuperandum eſſe brachium inferiùs, antequam poſſit ad alterum perveniri, adeòque inflexam viam eſſe affectandam adſcendenti.

V.

Fluida in tubo ſuſpenſa, gravia cum ſint, ſemetipſa proprio pondere urgere & ſuperato reſiſtente æquilibrio, quaquaverſum effluere.

His poſtulatis nihil ineſſe iniqui, neque poſſe mihi denegari quin dentur, certo confido. *Primum* enim definitio eſt, haut inepta, niſi me fallit animus. *Alterum* ex priori immediatè fluit. *Tertium* experientia conſtat: fluidum enim in tubo reflexo reflectitur, ita ut in libero utrinque aëre æqualem in utroque brachio altitudinem ſervet, eo illinc excluſo, inæqualem; tale fluidum eſt ipſe in Barometro Mercurius, qui in Pneumatica ma-

machina ſubmoto aëre etiam illo qui alteri brachio incumbebat, inde totus effluit, quouſque æquali ſit in utrolibet altitudine; Quo ipſo planè firmatur poſtulatum. Verùm etiamſi non includantur in tubo reflexo, tamen per inflexionem agere aëris aquævè fluidum, Hydroſtaticis experimentis ſatis ſuperque demonſtratum eſt dudum, ut de univerſo aëre id liceat affirmare. *Quintum* etiam negari nequit, poſtulat enim hoc ordinis natura, nec aliter fieri poteſt; videat ergo quod ex his neget D. Ramazzinus, aut ſi putat ſibi eſſe admittenda, attendat jam porrò ad eas quæ ſequuntur.

Propoſitiones.

I.

Mercurius in Barometro eſt fluidum grave in tubo reflexo, in medio aëre, vel quaſi, conſiſtens, tanquam in fluido, brachio ejus longiore inferioris fluidi vices ſubeunte.

Hæc cum in ſuperioribus abunde ſint demonſtrata, atque defenſa, nihil attinet plura de ea re addere.

II.

Aër eſt fluidum grave quidem in ſe, levius tamen, ſi ſincerus eſt, quam ſi aqueis particulis ſit refertus.

Hæc propoſitio ex ſecundo principio hygroſtatico, ſeu potiùs lemmate ſatis apertè conſequitur. Quamvis enim non omnia craſſiora ſint etiam graviora, certum tamen eſt, aquam, quia craſſius, eſſe etiam gravius fluidum; quo ipſo conficitur, aërem ejus acceſſione fieri graviorem; grave enim gravi additum reddit illud magis grave, nec eſt cur ſe iterum Bœotum hic fingat doctiſſimus Vir.

Cum itaque, ex principio hygroſtatico primo, quæ in leviori fluido merguntur, aut quieſcunt in ejus medio, in graviori adſcendant, dubium non eſt quin Mercurius, in aëre ſincero quieſcens, in humido, & aqueis particulis referto, urgente proprio pondere columnæ incumbentis in ſuperficiem imaginariam inferioris Mercurii, vi quinti poſtulati neceſſario adſcendat. Urgere enim hanc, agnoſcit D Ramazzinus, qui me exagitat ut levitatis poſitivæ aſſertorem, quia dixeram: Nondum mihi ſatisfeciſſe quæ de corporis in fundum aquæ depreſſi adſcenſu dicta ſint a Mathematicis: ſed falsò, non enim ſequitur: Mihi, quæ prodiderunt Mathematici de corpore in fluido depreſſo atque de cauſa cur incumbens aqua non obſtet quin adſcendat non faciunt ſatis, Ergo ego ſum levitatis poſitivæ aſſertor: ſtolidus ſanè ſim ſi poſitivam talem levitatem ligno, vel cuivis corpori ejus æmulo ineſſe mihi perſuadeam, nam talia ſunt quæ in aqua depreſſa adſcendunt, cum in aëre graviſſima deprehendantur. Sed ad conſectarium hujus propoſitionis redeundum eſt.

Non ignoro, quid hic mihi poſſit opponi: Nimirùm in medio fluido nudè exſiſtentia adſcendere alia longè de cauſa, atque illa quæ concluſa ſunt. Nempe quòd columna impellens, infra illa exſiſtens, eaque ſuſtinens, gravitatis, adeòque roboris capiat augmentum: hoc verò, ut lubens hic agnoſco, ita nondum deſtruit meam hypotheſim. Nam duplici de cauſa fieri poſſe ut aliquid in fluido altiùs adſcendat, contendo: vel quia quod urget, copia ac pondere, indeque virtute augetur, vel quia quod incumbit, impediitque quo minùs adſcendat, removetur. Priùs illud Mercurio non contingit, alterum contingit aëri, qui ex altera parte incumbebat; tum verò remotus receſſit nonnihil. Nec labefactabit ſententiam meam, quod nemo inventus ſit qui de hoc cogitaverit: quando enim permulta quotidie nova excogitantur quæ applauſum inveniunt, fraudi id eſſe mihi non debet: æquè enim hoc atque illud & rectæ rationi conveniens eſt & experientiæ. Certè niſi aëris pondus, quod multò graviùs ob altitudinem Atmoſphæræ ſuæ quàm aqua, non admodum profunda, incumbit, (teſte manu cui aër per antliam ſubtrahitur) per hanc removeretur, fieri etiam non poſſet ut corpus mole & pondere illi æquale in ſtagnis, lacubus, fluviis, maribus in medio ejus conſiſteret, ſed ille in computum deberet admit-

ti, & ſibi incumbente aqua & huic incumbente aëre illud deprimeretur utique ad fundum.

Hæc ad vulgarius Barometri genus pertinent: fiat nunc eorundem principiorum ad tubulum ſubtus apertum applicatio.

Propoſitio III.

Mercurius eſt fluidum grave in tubulo vi aëris reſiſtentis conſiſtens, tanquam in medio fluido vel quaſi, cujus in tubulo columna, imaginariæ ſuperficiei particulæ extremæ incumbens, alterius partis fluidi vices ſuſtinet.

Hæc propoſitio fortaſſis minùs arridebit, Cl. Ramazzino: ſed eam jam prius reddidimus perſpicuam, & nulla cauſa eſt, cur aliter in hoc genere Barometri, quàm in altero vulgatioris fabricæ Mercurium conſideremus. Nam ſi guttulam unam illam quæ effluit, ſupponas eſſe conſiſtens, illique tantum aëris incumbere quantum æquet pondere reliqui hydrargyri pondus, idem prorsùs accidet, quod nunc fieri videmus: ex quo patet, neque hic fruſtra me ſupponere, habere illum rationem corporis in medio fluido conſiſtentis.

Propoſitio IV.

Quod ſuſtinet Mercurium in tali tubulo, eſt columna aëris reflexa.

Id vero paulò accuratiùs rei circumſtantias expendentibus puto in confeſſo ſpontè futurum: tamen ut ad oculum demonſtrem, non alio eſſe opus arbitror, quàm ita aërem contemplari, ut hic ejus Oceanum tanquam inverſo modo incumbentem concipiamus, quippe qui impingens in globum terraqueum reflectitur verſus Mercurium, illique ſic reapſe incumbit. Si enim ita non eſſet, & ſola pars illa quæ à ſolo ad tubulum pervenit, exiſteret, eadem Mercurius ſuſtineri non poſſet, ſed momento citiùs excideret, cum multo-ties gravior illa, quod ipſe fatetur Ramazzinus pag. 18. Italicæ editionis.

Propoſitio V.

Quicquid in fluido conſiſtens, illius ponderi incumbenti, ab alio pulſum renititur, illudque urget, tendit ad ejus ſuperficiem.

Hoc per inductionem clariſſimum eſt, rationi perſpicuum, ſi enim verſùs fundum tenderet, non opus foret impulſu, ſponte enim deſcenderet. Ergo concludendum eſt, quicquid actu renititur & urgetur adverſum incumbens ſuo pondere fluidum, id ad ejus tendere ſuperficiem. Hujus ergo conſectarium eſt.

Propoſitio VI.

Mercurium in hoc tubulo ſubtus aperto tendere quidem deorſum, ſed ſi rectè ponas calculum, verſus aëris ſuperficiem.

Nam quia aër hic eſt fluidum reflexum, quod dari, poſtulato III. ſatis evicimus, non obſtat, quamvis deorſum tendat, quin dicatur ad ſuperficiem tendere, ex poſtulato IV. non enim datur alia via, quam per brachium breve & inferius columnæ reflexæ aëris ad longius ſuperius: At Mercurius qua data porta effluere ſolet ex poſtulato V. Huc vadit igitur, poſtquam rectà ſurſum dirigens brachium tubuli vitrei aut vaſculum ademptum eſt.

VII.

Mercurius in hoc tubulo deſcendens (cum per fluidum adſcendere, ſit verſus ſuperficiem fluidi tendere ex poſtulato I. & quicquid ad ſuperficiem fluidi tendit, habeat rationem adſcendentis ex poſtulato II.) *habet rationem adſcendentis, ſeu cenſendus eſt adſcendere.*

Adeoque ab alterius ſtructuræ barometro licet diverſus ſit, ejuſdem tamen eſt naturæ, & poſſunt omnia iſta quæ in illum conveniunt de hoc quoque dici, eademque de illo affirmari & negari.

Habet

Habet quod volebat! principiorum meorum ad rem controverſam applicationem. Et nunc ex pacto poſtulo, ut promiſſa appareant, *digitoque compeſcat labellum.* Hæc enim tam perſpicuè à me demonſtrata ſunt, ut in eo acquieſci poſſe, exiſtimandi locus fiet. Non autem fuerit, vacillet iſthæc demonſtratio, exiſtimetur deſcendere Mercurius propria gravitate, nec habere rationem adſcendentis, contra quam in aprico conſtitui, nullus tamen hoc ipſo ſublevabitur. Sive enim deſcendat & hic & in reflexo tubo, ſive adſcendat in reflexo & hic, ſemper tamen aër manus loco erit; quæ comprimat, coërceatque Mercurium, ne effluat, ſive jam impoſita ſit ſurſum ſpectanti, ſive deorſum ſpectanti ſuppoſita, cujus vis ſi patiatur decrementum, & æquilibrio per Mercurii columnam ea exturbetur, neceſſum eſt illum elabi, de quo nihil eſt quod metuam ne diſſentiat. Tu verò interim, Illuſtris Vir, exemplum de baculo ſive Cylindro in imum detruſo & adſcendente denuo, aqua compulſum, ſeriò cogita, & num diſſimilis ſit Mercurii in hoc tubulo aperto ſubtuſque ſuſpenſi ratio, obſecro Te, expende.

Sed poſtquam illud pollicitus eſt, nondum tamen me dimittit, verùm hanc ipſam, quàm protuli cauſam deinceps aggreditur; propter quam in fluido craſſiore faciliùs attolli corpora arbitratus ſum quàm in tenuiore. Hoc ergo telum etiam mihi excipiendum eſt.

Quod antequam faciam, Vide quæſo Te, quàm parum vel attendat ad ea quæ in medium protuli, vel æquum ſe mihi præbeat Dominus Ramazzinus, dum pag. 24. hæc verba ex mea ad Te epiſtola refert. *Gravia in fluido graviori adſcendere, quia in inferiorem* (ſub inferiorem dixeram ego) *faciem idem liquor ſe inſinuet, eaque ſurſum pellat, extrudatque;* & tamen vix lineis interpoſitis quinque, me vocat *Levitatis poſitivæ aſſertorem.* Sed hoc relicto & diſſimulato, ad rationem, cur gravitet minùs in craſſiore fluido corpus grave, properandum eſt, & non paucæ illatæ difficultates quibus premi ipſi videtur, è medio mihi diluendæ & tollendæ ſunt. In prima igitur inſtantia nullam reperio rationem, quàm quòd aliter ſentiat ipſe Vir doctiſſimus, cauſamque eſſe putet, quia majorem inveniat reſiſtentiam in aqua, dum deſcendit, quàm in aëre. At hic non eſt de deſcenſu mihi ſermo, verùm de adſcenſu, & ſublevatione. Sit enim, inveniat majorem in deſcenſu reſiſtentiam, cur ergo non etiam, in adſcenſu, dum depreſſum è fundo ſurſum truditur? neque enim cur difficiliùs fundum petat, ſed cur faciliùs ſuperficiem, quæſiveram. Si autem vera hæc eſſet ejus ratio, oporteret multò faciliùs in aëre etiam attolli, *ſubſtantia tenuiore, & quæ loco facilè cedat,* quæ ſunt ejus verba: at contrarium accidit, videt ergo, hanc rationem eſſe nullam. Dici poſſet, Craſſius fluidum ſimul extrudere & ſurſum gravia pellere, dum attolluntur, vel etiam per ſe ſi leviora ſint ipſo: quod vulgus etiam dicit, aquam adjuvare ſublationem pronuncians. Sed hoc non explet animum ſciſcitantis, eadem quæſtione recurrente, qua vi, aut quo impellente id faciat. Reſponderi etiam poſſet, craſſioris fluidi partem quam pellit è loco adſcendens corpus, per latera quaſi circulatione facta, ſub illud continuò properare: qua ratione olim per circulationem aëris fieri reſpirationem ſtatuebat Swammerdammius, & alius quidam vir doctus omnem hinc preſſionis vim ſibi ſumpſerat explicandam: verùm ne hoc quidem poteſt defendi; Quid enim fiet de corporibus media ſui parte vel aliqua tantum in aquam immerſis? ut navibus ex aqua dulci in marinam tranſeuntibus, ubi nulla fit circulatio: Eſt autem vera cauſa haut dubiè quàm ſupra attigi: Nimirùm columna ſuperficiei inferioris corporis immerſi æqualis ex ſuperficie fluidi ad fundum deſcendens, indeque in corpus reflexa, cui incumbens altera ejuſdem fluidi columna, quia brevior, eſt impar, adeòque cedere cogitur: Illa igitur adjuvat attollentem, ut gravius corpus faciliùs emergat. Quod ita eſſe, facilè perſpicitur cum cura expendenti III. Boyle Paradoxa ſæpiùs laudata, etſi non ſolvat ille hoc problema. Nec ab eo video abludere Cl. Ramazzinum, quippè cum experimentum

tum in Medicea Academia factum id ipsum confirmet.

Attamen hoc non contingeret, nisi aquea columna incumbens elevando, sit brevior, indeque etiam quo est brevior, eò faciliùs corpus elevatur, quia robori attollentis impar, faciliùs cedit. Id quod apparet ex eo, quod quò profundiùs corpus demersum est, eò difficiliùs attollitur: quoniam incumbentis aquæ altior columna super ipsum gravior est & plus habet resistentiæ quàm brevior. Quod adeò est verum, vel corpus aqua vigesies gravius, ipsumque adeò aurum, modo columna superior excludi possit, si ita collocetur sub aqua, ut profunditas ejus vigesies excedat altitudinem corporis aurei, non petiturum sit fundum, sed innataturum. Ex eadem verò causa fit, ut quò propius tale corpus spontè adscendens ad superficiem accedat, eò celeriùs feratur, prout notissimum est, certum verò, eandem omnium fluidorum esse naturam, ipsiusque adeò aëris. Ex quo iterum conficitur, etiam ejus incumbente columna vel altiùs submota, ac sustentata, vel imminuta, facilius attolli corpora, in eo subsistentia, quam anteà.

Unde etiam necessarium est, si removeatur interventu aquearum particularum aliqua aëreæ columnæ pars, aut ab iis sustineatur, non quidem eam *in subjectum Mercurium nihil habere potestatis*, quod nusquam dixi, sed tamen Mercurium à columna ejusdem in tubulo exsistente extrudi, & in vasculo adscendere.

Quemadmodum autem hoc concedere cogitur haut dubiè Cl. Ramazzinus, sic alterum illud negat, experimento nixus, qui in Antlia Pneumatica, portio aliqua aquæ super stagnantem in Barometro (suspensum intelligit) Mercurium affusa, eum non sustinet, exhausto aëre, sed finit effluere: Neque ipse tamen id vidit, sed conjectat, nec mihi, ad manum est antlia, ut periculum faciam: sed sit ita! Ego verò non dixi hic solis aqueis particulis sustineri Mercurium, sed levem quandam partem Atmosphæræ submoveri, reliquam manere, & cum his incumbentem, sustinere Mercurium. Ut autem videat ab aquæ copia majori & continua (hæc n. contigua forè est vel discreta) sustineri aëris pondus, consideret, quod modò constitui, non aliud requiri in corpore in media aqua suspendendo proprio pondere, quàm æqualitatem molis & ponderis. Nihil ergo aëri in id potestatis est: nam si esset, veniret in computum. Quod autem Mercurium etiam sustinet in antlia, utique ex eo est, quod aëris pondus comprimit aquam, quo extracto, illa non æquans pondere hydrargyrum, non resistit, sed ab eo pellitur: si verò satis alta superemineret, ut æquaret, etiam sine aëre sustineret eum: ex quo apparet, nihil roboris ex hoc experimento meis assertis decedere. Nam ut aqua sustineat Atmosphæræ pondus, necessum est ut ipsa quoque ab aliquo sustineatur, fundumque habeat in quo quiescat, qui si mobilis est, eam motus extrudet: tum verò corpus quod in ipsa medium suspendatur, non cui incumbat, à nobis descriptum est; D. Ramazzini verò experimentum eam non repræsentat tanquam fluidum in quo medium quid hæreat, sed tanquam corpus in medio fluido hærens, cujus parte incumbente dempta, adscendit pulsum ab inferiore in eam agente Mercurio, utpote graviore & præponderante.

Pergit autem, & addit, *se non satis percipere, quomodò in fluido corpore fingi possit arcuatum opus, quod superiores partes ita sustineat, ut ea quæ inferiùs sint non premantur.* Neque verò ego id postulo, aut tale arcuatum opus ullibi asserui, sed liquidum aquosum totam Atmosphæræ infimam partem occupans, quod sanè, si fornicatum opus intelligat, & subtus concavum, ab arcuato opere in fluido constituto diversissimum est; sin verò repletum, dari certum, & ipsa ratione spontè evidens: cum enim Sphæricum sit & terræ & aëris corpus, tale esse etiam atmosphæram aqueis particulis refertam, planè necessum est. Quò autem intelligat Cl. Ramazzinus, ejusmodi arcuatum opus tam absurdum non esse, optaverim eum legere exiguum libellum Anglicè conscriptum & sine

auctoris

auctoris nomine publicatum, cui titulus *An Essay touching the Gravitation or Non Gravitation of fluid bodies, and the Reasons thereof*, quod prodiit *Londini Anno* 1673. quo tempore ego ibidem degebam. Is auctor, quisquis sit, etsi adversus aëris gravitationem super corpora universa subjecta disputet inaniter, quod ea quæ in medio aëre hærent ab iis quæ ex altera parte sunt libera, plurimum distant, id tamen ostendit planè, atque evincit: Nullum fluidum neque in corpus proprium, neque in illa quæ circumfluit, admodum gravitare, ideò, quia fluida se ipsa ita sustinent ut arcuatum tale corpus efficiant, super unum quodque in ipsis positum solidum corpus; uti quidem experimentis institutis probat, ovi putamen in acervo tritici, arenæ, imò globulorum plumbeorum collocatum, intusque cavum relictum, sustinere libras VII. neque damnum ullum recipere. Quin & insectum tenerum satis, ex vesparum ni fallor familia, sex libris globulorum plumbeorum dextrè super infusis, non fuisse contritum, sed vivum atque incolume perstitisse, non alia de causa, quàm quia arcuatum tale corpus efficiant globuli: multo verò magis fluida id præstiterint. Quæ si vera sunt, ut experimenta ibi sollicite descripta dubitare non sinunt, tàm est evidens à me adducta ratio, ut demonstrationis vices subire possit. Operæ pretium itaque facturus sit, qui parvulum hoc opusculum Latinitate donaverit, quo possent omnes de evidentia hujus mei asserti rectiùs judicare, id quod ut fiat in gratiam D Ramazzini & publici, dabo equidem operam: tantò magis, quoniam simul apertissimè hinc patet, cur fluida non gravitent in propria sphæra, seu loco naturali, ut loqui amabant Peripatetici.

Quæ porrò ex Paradoxis Boyleanis arcessit experimenta, nihil prorsus ad nostram rem faciunt: ibi enim corpus grave gravi superadditum deprimere Mercurium omninò oportere, vel sine experimento rem æstimantibus perspicuum est; at hic aqueæ particulæ ab inferiore parte gregatim subeuntes, seque invicem sustinentes aërem extrudunt, eumque altiùs submovent: sive jam ad latera ille abeat, & in latissimè patente sphæra superiore ætheris diffundatur, sive alio modo dissipetur. Hanc propriam sphæram humidi aquosi incumbens ille quidem comprimit, sed non illud quod in ejus medio natat, aut exsistit in fundo: Habet enim aqueum illud in sphæra sua in illum reactionem, ut cum scholis loquar, & aliquo modo rationem solidi induit, quod aëris pondus sustinet, uti quidem modo videor mihi de aqua ipsa ostendisse. Quò verò fiat appertius, aërem aquæ incumbentem non augere pondus, ut facit oleum aquæ superinfusum, ad experimentum provocemus: Aptet Machinæ pneumaticæ Lagenam vitream D. Ramazzinus, illamque ita collocet, ut aquam superinfundere queat quavis altitudine. Exhauriat deinde aërem, & videbit, non dissilire Lagenam, quod fieret libero in aëre. Qua causa? nisi illud fiet quod dixi, & aqua circumfusa sustineat aëris pondus ne premat Lagenæ exhaustæ superficiem. Fluidum verò aliud subtilius, sed quod itidem aëre magis corporeum sit, vim suam in aquam exercere, mirum non est, quoniam & illud habet rationem solidi inter aërem & aquam intrusi, longeque diversæ est ab aëre naturæ.

Hic tamen objici posset: etsi aqua ipsa ex particulis similibus in unum corpus congregatis vim habeat sustinendi aërem, tamen à dispersis atque aëri intermixtis id credi non posse.

Quò igitur ostendam, aquaëreum hoc crassius fluidum itidem habere rationem solidi, & posse sustinere vel submovere aëris columnam incumbentem, si non totam, (quod etiam non opus est) ex parte saltem, (quod sufficit) velim considerari, tantam harum particularum copiam in aëre nubilo tum exsistere, ut nebulæ ipsas nubes æquent. Idem enim nobis contingit sæpè per talem aërem ambulantibus, quòd ambulantibus per nubes: ut nempè madidas vestes & capillos inde reportemus, nec minùs largiter nos rigari sentiamus ac si per pluviam incederemus. Hoc sanè mihi olim in Alpibus & aliis altissimis mon-

tibus ita accidiſſe non ſemel commemini: habent autem nubes rationem à ſolido non multum diverſam, ut ſaltem mediam liceat appellare, natant quippè in medio fluido nec diffluunt; quicquid verò id facit, videtur mihi ſolidi alicujus naturæ aliquid induiſſe. Non eſt igitur abſurdum, tale corpus terræ incumbens, cum in medio fluido poſſit natare, ubi & ſupra ſe habet columnam itemque ſubtus, ſuſtinetque & ſuſtinetur, poſſe itidem ſuſtinere incumbentem eandem molem fluidi, aut partem ſaltem ejus ponderis, ubi ſubſtratum habet ſolidiſſimum corpus cui incumbat, adeòque preſſionem minuere, ut nullo arcuato opere ad id ſit opus. Interim gravitatem aëris non totam ſubmoveri, ſed molle hoc corpus comprimere, nec niſi tantum ejus frangi, quantum monſtrat Mercurii deſcenſus, qui ſanè valde eſt exiguus, res ipſa loquitur. Ut non arbitrer ἀδύνατον, computum inire etiam humiditatis aëris ex barometro, ſi quis velit illi operi inſudare, modò Mercurius à ſola gravitate aëris, non etiam calore ejus & frigore h. e. expanſione & reſtrictione aliquid patiatur. Hic interim notari meretur, in Boyleanis experimentis ſemper ſolius aquæ incumbentis pondus expendi, non item ſimul columnæ aëreæ: quod favet aſſerto meo, aquam tunc cum ſeparatim corpus conſtituitur, totum ſuſtinere aërem, nec ejus preſſionem in corpora in ea exſiſtentia quicquam habere poteſtatis, quæ hic ſuper infuſo oleo negari non poteſt: & ſic diſparitas meæ & à Boyleano experimento ductæ Ramazzinianæ rationis ſatis opinor oſtenſa eſt.

In iis quæ nunc ſequuntur dum dicit: *Liquida corpora è fiſtulis in quibus continentur, in ſubduplicata altitudinum ratione effluere*, vellem paulò clariùs ſe explicaſſet vir doctiſſimus: etſi enim dicat, notiſſimum id eſſe, neque tamen ego quid ſibi hic velit capio, neque alii viri Mathematici quos conſulimus, peritiſſimi: præſertim cum neget hoc experimento fretus, partem inferiorem ſuperiorem ita ſuſtentare, ut illius directam preſſionem impediat: tametſi enim Boyleana experimenta rectè habeant nondum tamen evincunt, nullum prorſus ejus quod incumbit, ponderis partem in ſe ſuſcipere quæ ſubjacent: quod adeò non abſurdum eſt, ut ex corporum natura id ſpontè fluere exiſtimemus: Certum enim ac evidens, ex vi percuſſionis, ſolidum corpus preſſionem alterius in ſe ſuſcipere, unde & vis percuſſionis à Cl. Borello magnam partem ex hoc principio explicata eſt; & licet infimum omnium totum pondus incumbentium ſuſtineat, poſſunt tamen intermedia quoque ejus partem ſuſtinere, & onus inter ſe partiri: quòd hic fieri credibile, imò certum eſt. Et verò omnino hæc vera cauſa eſt, quòd nos incumbentis aëris gravitatem non ſentimus, prout ex antea allatis liquet. Nam quod vulgò dicunt ex æquali preſſione id fieri, obſcurum per æquè obſcurum ſanè explicant, niſi per hoc ipſum explicent.

Firma igitur ſtat mea etiamnum adverſus hos arietes & inconcuſſa ratio, qua fieri exiſtimavi, Aëris ſphæram non omnem ſuam vim in Mercurium noſtrum exercere. Quam ut quantum fieri poteſt, quam apertiſſimam reddam, meque totum dem, unum adhuc ad ea quæ jam prolixè ſatis exſecutus ſum, addam: Memini me in Sinclario (qui eodem tempore, nec omninò impari cum Domino Boyle ſucceſſu videtur aëris preſſionem & fluidorum naturam perquiſiſſe) legere, tenuem aëris columnam quanta palmæ inſidere poteſt, centum librarum gravitatem æquare: Hoc ſuppoſito, conſiderandum venit, mutua aëris opera particulas aqueas, quæ in illo natant, viciſſim ſuſtineri, ita ut removeatur reliquæ Atmoſphæræ pondus, dum interim globus terraqueus totum aquaërii fluidi pondus ſuſtinet; Mercurius verò aquaëreum illum cylindrum ſolum, qui infra aërem puriorem eſt, tanto breviorem, quantò minus implet totius Atmoſphæræ altitudinem, qui ſane cum admodum brevis ſit, præ illa, etiamſi aqua millies gravior ſit aëre, non æquabit centum pondo, ſed haut paulò minùs: Unde perparum etiam Hydrargyrus deſcendit.

Sed quid opus eſt pluribus, cum res ipſa loquatur? Nam quod neutiquam incumbat prematque Mercurium totus aër cum aqueis per-

particulis, ſenſus docet, nam ſi fieret, idem profecto ſumma neceſſitate compulſus, altiùs exſurgeret. Quoniam itaque contra accidit, facilè vel hoc uno apparet aliam rationem eſſe infuſorum ſuper aquam liquorum, & incumbentis in ſphæram aquaëream reliqui aëris. Ut enim qui contradicunt, liquorem tenuem craſſo ſuperfuſum non diminuere ſed augere pondus ejus, oſtenſuri, ſolum ſenſum teſtem advocant, ita eundum teſtem contrarium de Aëre quem ſubit extruditque humidum, cur repudiant? An locum illud Poëtæ.

La Ragion dietro a'i ſenſi hà corte l'ali,

ubi ipſi volunt habet, ubi verò nolunt non habet? Nimirùm deſcendere Mercurium videmus: an alia confingi ejus rei ratio aut ulli in mentem venire poteſt, quàm id fieri quia minùs quàm antea invenit reſiſtentiæ in fluido quod ſuperficiem ejus lambit? trudere ergo illud, faciliùs quàm antea cedens, & vincere, dum Totum quidem ſolo terraqueo incumbens, in eo quieſcat, ipſe autem ex medio imminens gravior pendenti, illud repellit?

Pergit D. Ramazzinus, & ut evincat deſtructam, ut ſibi perſuadet, machinam meam omnem medelam reſpuere, exemplo conatur id roborare: *Forſan*, inquit, (perinde ac, ſi id ſupponendum, non certiſſimum eſſet) *ponderis aliquid Atmoſphæræ decedere ab aqueis vaporibus intermixtis, dici poſſet eo modo quo D. Schelhamerus ſcripſit ſalinas particulas aqua affuſa, non alia de cauſa diſparere, & aquæ poris ſe inſinuare, quàm quia in minima redactæ, leviores ſint ipſa aqua: at ſicuti id admitti nequit neque pariter affirmandum de aqueis vaporibus.* Accipio conditionem, & ſicuti oſtendi antea, in eo me non erraſſe, quòd ſalinas dixi leviores fieri ſeparatas, verumque eſſe, eas propterea adſcendere, non quòd ſpecificam illam gravitatem amittant, ſed disjectæ minus reſiſtant quàm conjunctæ, adeòque accidentalis ſaltem pereat: ita non video, cur non adſcenſum illum vaporum eidem cauſæ potiùs acceptum referam, quàm ſolis calori, vel igni terræ centrali, quibus ipſe in ſublime eos ferri putat: etſi ad noſtram controverſiam præcipuam quidem id non pertinet. Adſcenſum dico; ut enim aliqua ignis vi ad expellendum eos è terra opus eſſe, non nego, ita poſtquam inde propulſi in aërem venere, non dubito ejus pondere incumbentis terræ, & vi reflexos ferri in ſublime, non ſecus ac particulas ſalinas & ipſas metallicas videmus ex fundo in liquorem abire: quem adſcenſum adjuvat quidem in digeſtione ſubjectus ignis ac calor, verum & abſque eo eundem videmus contingere: ut aëris tepor hic in partes admittendus ſit, ſed ejuſdem preſſio tamen tanquam præcipua cauſa ſimul agnoſcenda. Hoc prævidit Vir Clariſſimus, indeque ad demonſtrationem celeberrimi Galilæi confugit. Quam quidem agnoſco, & ut ingenioſiſſimam meritò deprædico, an verò ad noſtrum etiam hoc negotium expediendum ſufficiat, valdè dubito. Cum enim una ſit veritas, certè aut falſum erit ab omnibus approbatum ac creditum hactenus principium hygroſtaticum, quod ipſe etiam agnoſcit ac probat, corpora in fluido adſcendentia eſſe iis leviora, aut falſum eſt novum ejus principium, majorem attactum efficere, ut etiam graviora attollantur. Videat ergo quodnam ſibi ſit deinceps amplectendum, novumne iſtud à ſe excogitatum, aut vetus illud, omnibus probatum. Antequam tamen id faciat, mihi det veniam, ſi quomodo & hic ſuos ipſe manes patiatur, commonefaciam. Computum ſcilicet inivit ſuperficierum omnium particularum minimarum, & ad univerſam totius retulit, deinde contactum etiam eodem modo ſumpſit ſibi. Nam neque monet, ſe inferiorem tantùm ſuperficiem intelligere, & ſi intelligeret, inepta foret hæc ratio; æqualis enim foret proportio ponderis & ſuperficiei omnium cuborum minorum ad cubum majorem ex quo exſculpti ſint; unuſquiſque enim eorum non minus eſt cubus primo illo majore; etſi minor, & hinc æquali ad ſuperficiem inferiorem pondere incumbet. Contactus verò ille lateralis & ſupremæ ſuperficiei in computum venire non poterat; ſola enim inferior ſuperficies ab ea fluidi columna tangitur quæ attollit. Quod

ut appareat, conſideret, bracteas aureas ipſas, & ramenta in tenuiſſimas lamellas reducta, quæ à torrentibus aut per venam labentibus rivulis abripiuntur, horizontaliter incumbentes ſupernatare, ut ſæpe vidi in metallicis operibus; quas ſi ad quadratas aut cubicas quaſcunque reducas, etiamſi æquales ſuperficies habeant, nunquam videbit innatare ſed mergi. Sic corpora graviora in latitudinem maximam panſa etiam in medio aëre ſuſtineri, Draco volans ex charta ligneiſque bacillis conflatus me puerum docuit: idque ex eo eſſe intelligitur, quia ſuperficies inferior à fluido ſubjecto ſuſtinetur, cujus conatus ſurſum fortior eſt quam incumbentis deorſum: at ſi alia ratione ſtatuas quam dictum eſt, ac revolvas in latus, etiam ſi idem ſit contactus, nunquam tamen non continuò fundum petet, & quidem celeriter. Videt ergo quomodo attactus univerſus quidem hic nihil queat, aliaque cauſa ejus rei quærenda ſit.

Et quomodo quæſo cohæret cum attactu illo, quod dicit de ſolutarum particularum in menſtruis adſcenſu? Fieri id ait, *Quia per fermentationem quandam diſſoluta, ſuſque deque agitantur, & in atomos reſoluta ob adauctam ſuperficiem ratione molis in menſtrui poris reſident ſuſpenſa.* Enimverò ſi perſpecta fuiſſet celeberrimo viro vera ſolutionis ratio, certè non confugiſſet ad confuſam illam agitationis ideam, neque ad ſuperficiem adauctam ratione molis, cum non aliunde quàm ex principiis Hygroſtaticis hæc ipſa res deducenda ſit, quæ in ſuſpenſione particularum in fluido tota conſiſtit, niſi μετάβασις εἰς ἄλλο γένος applauſum mereatur, atque ex principiis alienis etiam demonſtrari quid queat; ſecùs ac recta dictitat ratio, omneſque periti artis demonſtrandi conſentiunt. Non ægrè ferat igitur, ſi primum negem, hic fermentationem intercedere, quæ quàm longiſſimè ab hac actione diſcedit. Hic autem metallica per ſalium acutiſſimas ſpiculas, adjuvantibus fortaſſis igneis quæ in his liquoribus ex deſtillatione reſiduæ ſunt, (quod ut ſuſpicer, multæ ſunt cauſæ) in minima rediguntur, tum aqua ſtygia longè graviſſima, tenuiſſimas & reflexæ columnæ non ampliùs reſiſtentes in altum attollit, ubi diſparent, & pellucidiſſimam relinquunt: ex quo colligere eſt quàm ſint exiguæ, cum omnem fugiant aciem oculorum. Id verò fieri, inſinuante ſe ſubtus aqua illa, & per reflexam columnulam quamlibet extrudente, argumento eſt, quòd, ubi parum ejus affundas, ut nulla ſit inter utrumque proportio, diſſolvuntur quidem, ſed in fundo perſtant: Ubi plus affuderis, illicò diſparent atque attolluntur, licet nihil moveas. Quid ergo attollit, ſi attactus ſuperficieſque multiplicata hic in cauſa eſt? Nam ille complecti tantum, non etiam pellere eſt potis.

Longè profectò meliùs *Ariſtoteles* explicavit rationem natantium in fluidis corporum, quàm ex Galilæo ſuo petitis iſtis principiis D. Rammazzinus *Meteor. L. IV. cap. poſtremo.* Ubi poſtquam ex Democrito eandem attuliſſet cauſam, quam Cl. Ramazzinus ſupra, calorem ſcilicet vapores & ſalia in aërem attollentem, ſed tanquam ἐκ ὀρθῶς ἔχοντα rejecerat, eò tandem evadit: Quædam corpora eſſe ἐυδιαίρετα, καὶ ῥᾳδίως διασπᾶσθαι, quæ ſcilicet ſint ἐυόριστα. τὸ δὲ ἔλαττον ἐν ἐκάστῳ γένει, ἐυδιαιρετότερον. Quare quæ latitudinem habeant, πολὺ παραλαμβάνειν, itaque innatare, quia multum comprehendant, & quæ contraria modo ſe habeant, deorſum ferri: Concludit tandem: *Quandoquidem ergo & pondus vim quandam habet, qua deorſum feratur, & liquores, qua reſiſtant & non facilè findantur, hæc* (duplicem hanc viam) *invicem conferenda eſſe. Si enim illa ſuperet, vim facturum ipſum grave, ſin imbecillior foret, ſuperiùs manere.* Latitudinem autem ſuperficiei *quia plus comprehendat*, ad hoc multum facere. Ubi non niſi inferioris attactum rectiſſime conſiderat. Itaque quia ponderoſior eſt aqua plumbo in latitudinem extracto ſub tenui bracteæ forma, illud ſuſtineri, & innatare conſtat, quoniam plus ſcilicet ſub ſe comprehendit. Subtiliſſima hæc, ſed rectè expenſa perpulchrè dicta ſunt &, vere. Fit enim hoc revera διὰ τὸ μὴ διασπᾶσθαι τὸ πλεῖον ῥᾳδίως, τὰ δὲ ἐναντίως ἔχοντα

ἔχουτα τοῖς σχήμασι διὰ τὸ ὀλίγου περιλαμβάνειν, Φέρεται κάτω.

Ad ea quæ jam ſequuntur, ſeq. pag. 28. non poſſum non rurſum animadvertere, ex his ipſis quæ hic affert, verbis, quo animo dixerim illud: *Quia adſcendit*, facilè eum potuiſſe perſpicere: nec poſſum diſſimulare, male habere me, tam ſtupidum tamque bliteum viſum eſſe doctiſſimo viro, qui exiſtimem, Mercurium nullo impellente, (fortaſſis Lini funiculo attractum) ſponte ſe elevaturum: neque ſat erat erroris tam craſſi coarguiſſe, niſi & illuſiſſet inſuper dicendo; *Ingenuam hanc eſſe confeſſionem, More ſcilicet magnorum virorum.* Ego verò illum viciſſim, & quidem non temerè admonebo, quàm parum in loco & acutè minùs Danteum illud acumen hic interpoſuerit, & preſſionem aëris ſenſibus obviam eſſe putet. Quod ſenſibus patet, omnes facilè pervident & ſentiunt: At hæc aëris preſſura non modò per tot ſecula omnes, etiam exquiſitiſſimo ſenſu præditos, non ex plebe tantum homines, ſed etiam Philoſophos fugit conſtantiſſimè, nec niſi coacta natura, & vi ipſi illata, demum innotuit haut ita pridem, ſed nuper etiam celeberrimum Borellum conterraneum ſuum latuit, quod ipſe mox fatetur. Adeòne & ille erat inſenſatus, ut rem omnibus obviam non caperet? Quod minus premitur Jove humente Atmoſphæra, expedita nunc ejus preſſura, ſenſuum eſt æſtimare; non erat antea, cum nondum Guerikius noſter inveniſſet, quibus patere id poſſet, machinas. Deinde etiam, quàm ſit parum cautus, dum *leviorem aërem eſſe & minùs premere* ita conjungit, ac ſi hæc duo ſe invicem ponerent, nec ex alia cauſa quàm quòd levior ſit, aër minùs premere poſſit: cum ego, ſi non eſſe reapſe, poſſe tamen ſubeſſe aliam quam perſpicuè demonſtraverim: Nam de re inter nos convenit, de cauſa tantum, nimirum utrum à levitate, an verò à ſuſpenſione eveniat ut minùs premat, diſſidemus: quod ſanè ſenſu deprehendi nequit, ſed ratione ritè inſtituta eruendum eſt; niſi nova experimenta ſeſe offerant. Quid ergo impedit, quo minùs viciſſim exclamemus: *En quomodo nimia confidentia ſui etiam perſpicaciſſimis alioquin viris poſſit imponere.*

Nec magis vel æquum vel circumſpectum ſe exhibet in reliquis: Quæ enim eſt humiditatis aqueæ aut ſiccitatis aëris cum quatuor qualitatibus reſpectu morborum convenientia? niſi quod humidum ego nominavi humidum, poſtquam particulas aqueis id conſtituere ſatis expoſui. An nobis cum cauſis mutationis aëris hic res eſt? Nihil ergo habet quod hic coarguat, niſi fortè putet ipſa etiam nomina qualitatum dictarum abolenda eſſe, ut nuper celeberrimus Boyle aliique Naturæ nomen.

Quod verò dicit *ſe obſervaſſe Mercurium eadem altitudine eſſe tam meridiana luce, quam nocte caliginoſa, hyeme quam æſtate*, nihil ad rem facit: non enim de ſolis præſentia vel abſentia nobis ſermo eſt, ſed de aqueis particulis in aëre præſentibus vel abſentibus, neque enim calorem & frigus Barometro metiri animus eſt, ſed aëris pondus.

His adverſus meam hypotheſin ita diſputatis, ad ſua redit D. Ramazzinus. Et de ſale quidem, quem ego pluvioſa tempeſtate ab aqueis particulis ſolvi potius ac retineri quàm deprimi dixeram, perſuaſum vult, id non fieri in aëre, ut in aqua, idque experientiam teſtari, cum nimboſo cœlo è carnibus ſalitis liquatum marinum ſalem (nos culinarem & ex ſalinis excoctum adhibemus) in terram videamus depluere. Nihil verò inde ejus opinioni præſidii eſt, cum aqueæ illæ particulæ quæ eum ſolvunt, ſimul decidant, non ille exturbetur ſolus, remanentibus iſtis; Utique enim hic aqua hærere in aëre, ſal ſincerum & ſolum depluere oportebat: quod fieri non poterat. Verum & Chymicos id noſſe ſcribit, qui, ut ſpiritum ſulphuris eliciant, nebuloſos eligant dies. Aſt & hic eadem ratio eſt: fit enim hoc in id, ut cum humido in aëre natante ſe jungat ſiccum ex ſe acidum ſulphuris, quo deſtitutum in conſpectum venire nequit, & ita ſimul guttatim decidat. Indicio eſt, quod in ejus deſtillatione neceſſum ſit pariter aquam in vas recipiens infundi,

fundi, quæ excipiat illud ſal, *Phlegma enim eſt vehiculum ſalinarum particularum*, ut egregiè docet Celeberrimus Wedelius, amicus meus ſummus, *Pharmac. in Art. Form. Red. II. 5. 1.* Conſuli vero cum primis ea de re meretur ejuſdem Pharmacia Acroamatica, l. 3. 3. §. 21. ubi oſtendit, *humidum & vehiculum eſſe ſalium, & corporaturam iis largiri, unde non eſſe operæ pretium, ſpiritus Salinos deſtillare, niſi hocce intermedio.* Videt ergo ei fallaciam non cauſæ ut cauſæ impoſuiſſe eamque fallaciam trudere, cum ſententia ſua ſimili laboret vitio.

Porrò vero opinatur: *Ventum Boream partium nitroſarum eſſe vectorem*: quam autem rerum ſuarum certus ſit, ex ſubjunctis patet, ubi ait: *ſe credere, polum ſeptentrionalem exſpirare aliquid quod aëri robur adjiciat, ſive particulæ nitroſæ ſint, ſive quid aliud nobis ignotum.* Mihi vero certum eſſe videtur, hoc aliquid nihil eſſe. Non dicam nitri nativi nihil quiquam in Septentrionalibus locis reperiri, ſed in Aſia, in Ægypto & in Saxonia quoque inferiore, prope Stasfurtum oppidum, ſalinis clarum. Polus autem ipſe cum nihil ſit reale, nec ab aliis terræ tractibus differens, nihil profecto exſpirare poteſt: niſi quis credat ſpiraculum aliquod circa punctum polare exſiſtere: Si verò tractum Polarem ſe intelligere dicat, hunc etiam nitro præ cæteris regionibus ſcatere, experimento compertum eſt nullo. Quod autem ſiccus Aquilonius eſt, & nihil humidi hoc eſt particularum aquoſarum, (ne iterum mihi apud D. Ramazzinum ſit fraudi vocabulum receptiſſimum & quo carere haut poſſumus) ſecum vehat, eo fit, quia rigentibus aquis, ex mari glaciali nihil humidi ſecum poteſt abducere: nam ex glacie obductis locis nihil ſpirat, niſi ea ſolvatur: uti fit cum intenſo frigore, ſolaribus radiis incumbentibus, glaciem veluti fumare videmus non raro: ſi quid verò abripiat ſecum, particulæ illæ frigorificæ potiùs fuerunt, quas menſibus hyemalibus glaciem inducere, & reapſe in aëre tum exſiſtere, Illuſtris Boyle, Lib. de Frigore ſatis certum reddidit. Cur autem flante Borea, in altum tollatur Mercurius, ad Auſtrum concidat, dixi ego, & quidem, niſi fallor, ſatis bene. Nempè incrementum ſumere preſſuram aëris, cum ſudum eſt, quia totis viribus incumbit, impediri vero humidis, ne totus premat, quibus ſubtractis, redeat ad priſtinum robur, ex mea hypotheſi in promtu eſt æſtimare, quam ſi admittat Vir doctiſſimus, mirari deſinet.

Sed ut videat quam levibus innitatur ſua credulitas conjecturis, dum ex Polo ſeptentrionali (qui nobis multo hic eſt quam ipſi, ſublimior, & propè verticalis) effluvia egredi exiſtimat, quæ aëri robur addant, hic aliquid de tempeſtatum ratione per Germaniam mihi animadverſa interſeram, quod cognitu non omnino ingratum fore ſpero. Scilicet non eadem in Tranſalpinis regionibus, atque Ciſalpinis ventorum natura eſt. In Italia atque univerſa, ſi Hippocrati fides eſt, Græcia, Auſter humidus eſt ac mollis, qui laxet poros animalium, ſeu potiùs fibrarum robur diſſolvat, perinde ac videmus fieri, ſi humectes quamcumque membranam, tendinem, nervum. Unde flacceſcit quaſi corporis conſtitutio, in ſe concidunt viſcera, tonuſque eorum vitiatur, ut neque excernere ſuperflua, neque circulationem humorum promovere poſſint. Hinc defluxiones in muſculos (quæ nihil aliud ſunt quam ſtagnationes ſeri, quod gravius ſanguine & craſſius, ipſo tranſeunte, in carnibus poſt illum relinquitur) & Rheumatiſmi, capitis gravedines, coryzæ, tuſſes. Aquilo contra ſiccus eſt & ſerenus, robur viſceribus addens, quia humidum abſumit: nam ſibi relictus, dum corpora ventilando, & perflando, illud repellit, & hærentes in aëre aqueas particulas abripit, ſecumque abducit, ſiccat: quod facit etiam omnis aër ſincerus quidem, ut aliunde conſtat. Aſt vero in Tranſalpinis regionibus & Germania non id perpetuum eſt, ſed pro ſitu locorum diverſimode ſe habet. Nam verſus Italiam eadem quidem prope obtinet ratio, idque tanto magis, quo propiùs ad Alpes acceſſeris: in meditullio vero ejuſdem, ubi ego natus atque educatus ſum, Auſter

aliquando

aliquando quidem pluvium cœlum infert, at plerumque tamen ſerenus eſt, itemque etiam ſeptentrionales venti. Ubi inde in inferiorem Saxoniam deſcendas, alia rurſum facies? Nam ibi Auſter omnium gratiſſimus, rariſſimè pluit, contra vero Zephyrus, Poëtarum veterum delicium & Floræ procus, perpetuò nubibus aut pluviis moleſtus, eripit è conſpectu cœlum: verùm & Boreas nubilum exhibet, ita tamen, ut aliquando etiam ſit ſiccus. Eurus autem Orientalis ventus (quod itidem, ſi rectè memini, in Italia ſecus eſſe obſervavi, ubi & ille aliquando eſt humidus) conſtantiſſimam ſerenitatem inducit, & ſiccitatem tantam, ut Anno ſeculi 84. (tum enim Profeſſorio munere in Illuſtr. Helmeſtadienſi Academia fungebar,) cum per totam æſtatem regnaret, per omne id tempus, ne guttula quidem aquarum cœleſtium decideret: unde ſumma annonæ caritas eodem anno ibidem oriebatur. Hic verò Holſatiæ Auſter ſerenus, nec niſi ad occaſum ortumque deflectens pluvioſus eſt: Subſolanus modò pluviam modo ſerenitatem comitem habet, Aquilo verò non raro pluviam aut nubes inducit, rariuſculè ſerenus eſt.

Ex quibus apparet, nihil roboris inde aëri exſpectandum eſſe: quamvis in Italia, & per Germaniæ partem à mari, quod tranſit, remotiorem, corpora fibraſque firmet: Neque tamen id ubique verum eſt, neque ſi eſſet, aër eſt corpus fibroſum, ut robur tale ſuſcipere ab ejus exſpirationibus poſſit, non enim hinc illis robur accedit, ſed humidi expulſu. In aprico vero etiam eſt, ventos ex ſe quidem neutiquam eſſe conſiderandos, cum maxima ſit, eorum conſtitutionis pro locorum quos permeant, conditione, varietas. Nam ſi quid in via vaporoſi adinveniunt, rapiunt, & in regiones quas adeunt, ſecum avehunt, taleſque ad nos adveniunt, quales ſunt regiones quas perflant. Hæc cauſa eſt, quod Africus ventus, per mare tranſiens mediterraneum, in Italia humidus ſemper, in Germania, ſepoſita dudum ibidem & in Alpibus Noricis humiditate ſua, magnam partem ſiccus ſit, & ſudum habeat cœlum, idque magis, quo longiùs ab Italia recedit. Eadem eſt ratio, quod Septentrionales ibi & in parte Germaniæ ſuperiore ſicci & ſereni ſint, in inferiore vero nubili, in Cimbria ſæpè pluvioſi. Nam per Septentrionalem Oceanum, & Mare Daniam circumfluens ad nos perveniunt. Eadem de cauſa ab occaſu ruens in ſuperiori Germania ſerenitate gaudet, in inferiore Saxonia pluvioſus, & aquoſus eſt, quod ex Mari Batavico hauſit, ibidem deponens; apud nos verò, quia ex Germanico Oceano haurit aquas, æquè ac Subſolanus, per mare Balticum migrans, plerumque nubibus & pluviis comitatur, quas alibi diſpellit ac diſſipat. Sed de his plura diſſerere, extra oleas foret evagari, interim hæc per occaſionem obſervata, hic communicare placuit, ut appareat, ventos non ſua natura tales eſſe, quales hic aut ibi ſe exhibent, ſed aliundè ſuas iſtas qualitates accipere: Tum verò ut eximam ex animo errorem, Nitroſas partes ex Septentrionali polo exhalare, aut robur à vento Boreali aëri accedere. Iſta verò omnia multis aliis obſervationibus corroborare poſſem, ſi quid Conſtantinopoli & in Ægypto fieret, ex itineratiis ac relationibus eorum qui has oras adiere, cumulare eſſet animus: verùm hoc alterius loci, mihi verò eò unde diverti, redeundum eſt.

Ea quæ deinceps examini ſubjicit, planè aliter recenſet D. Ramazzinus atque ego protuleram, eorumque ſenſum prorſus pervertit. Non dixeram ego, *admiſſo, aërem aqueis particulis refertum leviorem eſſe quàm ſibi relictum, multa ſequi abſurda*, ſed: *Admiſſa ratione Cl. Ramazzini* (quæ eſt, propterea deſcendere Mercurium, quia aqueæ particulæ ſalinas, nitroſas atque terreas exturbent, & in eorum locum ſuccedant (*illud abſurdum colligi: Has particulas in aëre natantes plus millies ſuperare aëris pondus in quo natent*, idque ideò, quia tanta earum copia in eo eſſe oporteat, quanta ad totum implendum requiratur, alioquin poſſe ſimul cum aqua in aëre ſubſiſtere, neque neceſſum eſſe ab eo expelli: cum quibus planè non pugnant quæ ille hic differit,

&

& ego quoque ſupra ſtabilivi. Aliud enim eſt negare ſimpliciter, innatare graviora poſſe levioribus, aliud negare, tantam copiam innatare, ut ſuperent pondere ipſum corpus fluidum in quo natant, illudque totum: quod de aqua regia aurum ſuſtinente, dici ſanè nequit. Non ergo habet quod miretur, me, qui Mercurium dixerim eſſe corpus in fluido tenuiore conſiſtens, corpuſculorum in aëre natantium pro ingenti abſurdo repetere, cum id nuſquam fecerim ſimpliciter, ſed ut dixi.

Mirari potiùs ſubit, quòd aqueis particulis aërem ſubeuntibus, pondus ipſi accedere, ipſe negare audet: perinde enim eſt ac ſi diceret: aquam particulis ſalinis imbutam non fieri graviorem, quod tamen de aëre ipſe aſſerit. Quin imò aër multò gravior redditur acceſſione aquoſarum, quàm ſalinarum aqua, nimirùm tantùm accedit ponderis aëri, quantùm aquæ accedit. At aqua millies ſuperat aëris pondus, ſi ergo millena pars aquæ inſit aëri, jam duplo erit ille gravior, ſalis verò ad aquam multò minor eſt proportio, ſubdupla fortè, imò vix. Undè apparet, quanta hæc ſit proportionis diverſitas.

At non ſemper, ubi aër ex ſereno fit nubilus, nova hæc materia, inquit (ex terra) *accedit, ſed vapores illi per magna ſpatia diſperſi, in unum coguntur.* Eſto! dum hoc fit, ibi ſanè ubi coëunt, aër fit gravior, alibi, unde recedunt, eodem vacuo relicto. Verùm attendamus etiam ad illud *ſemper*. Nimirum exhalare eos ex globo terraqueo concedit facilè D. Ramazzinus, qui in reddenda ejus rei cauſa tam operoſe anteà erat occupatus: redire etiam, unde profecti ſunt pluvioſo cœlo, manifeſtum eſt. Quid ſupereſt? niſi ut vel tum fieri graviorem aërem, ubi augmentantur, concedat. Undeunde ergo adſint, aër ſanè fiet gravior, levior ſi in aliam ejus regionem recedat. Sed in illa, unde excedit, regione tantum; perinde ac levior eſt aqua Marina, ex qua per frigus hyemale expulſum ſal, in reliquam ſui partem conceſſit, quod fieri, obrigentibus undis, nova arte, ſingulari induſtria detexit nuper ingenioſiſſimus Reyherus.

Quod obſervationes attinet, quibus aquarum per pluvias deciduarum menſuram capere auſum eſt humanum ingenium, laudandus ſanè conatus: ſed etiam hic cautione opus, ne ſtulta prave judicet ſententia. Pulchrè habet Petri Caſtelli Thraſimenum ad lacum pertinens: ſed in Mariottana illa multum fortè deſideres. Non jam meum eſt, illud omne plenius exquirere, & computum illum, ad Sequanæ aquas conferre: ſed quòd ad noſtram facit controverſiam, ſexdecim illi pollices fortaſſis minùs exactè ſunt computati. An non enim per totam æſtatem multò plus aquæ exhalaverit, quàm fuerit relictum, facilè perpendet, qui vel in umbroſis, ac temperatis locis ſepoſitam quotidie notabiliter minui, non ignorat: taceo, uno in loco plus, alibi minùs pluere: aliam regionem ſiccam &, ut loquitur Cous noſter, Aquiloniam eſſe, aliam Auſtralem & humidam: neque non vel triennii ratio nos poteſt hic plurimum fallere.

Sed quicquid hujus ſit, cum ſexdecim pollices aquarum ſexdecies mille pollices aëris pondere ſuo æquent, tantum certè pondere ſuo æquent, tantum certè ponderis aëri accederet quotannis vel circiter, tantòque foret ille gravior quàm erat ſibi relictus, ſi ſimul omnis illa aqua incumberet, cum aquæ cœleſtes non niſi infimam regionem aëris, quæ circa globum terraqueum eſt, occupare, jure credantur. Verùm computum talem inire non licet, neque id volui egomet mihi, contentus, ſi D. Ramazzinus cogatur mihi concedere, ſat magnum pondus aëri per aquoſas in eo natantes particulas accedere.

Hæc ita credidi, Præſes Amplissime, Viri celeberrimi animadverſionibus in meam ad Te epiſtolam fuiſſe reponenda: non contentionis ferram reciprocandi gratia, ſed quia, cum poſſem, laborantibus ſub graviſſimis, quibus acutiſſimi vir ingenii illa oneraverat oppoſitionibus, meis aſſertis ſuccurrere, æquum eſſe exiſtimabam: ſit enim ampliùs iis diductis, & dilucidius expoſitis, futurum

turum ſperare licet, ut rectiùs mentem perſpiciat, quam feſtinatione qua iſthæc conſcripſeram, & infelicitate ingenii impeditus, minùs perſpicuè & verbis non ſat idoneis fortè expreſſam dederam.

Hoc ſi fiat, æquove animo omnia porrò conſideret, ſpes altera lactat animum, eum fortè in meam ſententiam pedibus iturum: quod ſi obtineam, impendio magis animus gaudebit mihi; ſin minùs, & non omnia ad palatum ſint, certè aliqua approbaturum confido: qua de re itidem multum mihi gratulabor; ſi ne hoc quidem, Tibi ſaltim, Germaniæ noſtræ decus & honoratiſſimæ ſocietati vel diligentiam vel conatus meos approbaſſe, haut poſtremo in lucro ponam. Te arbitro inter nos iſthæc aguntor: ſi quis noſtrum ardori, quo ferimur in hos fœtus, nimium indulſerit, tuum erit judicare atque ignoſcere, ſi illud modeſtia detrectet tua, eruditorum univerſo cœtui id officii relinquetur, cujus utriuſque tribunali meas iſtas meditationes lubens meritoque ſubmitto. Non enim ea ſum vel temeritate vel etiam impudentia, ut juſtam demonſtrationem me dediſſe exiſtimem, Mathematica certitudine, & cui nihil opponi poſſit, prout Cl. Ramazzinus mihi ultimis lineis perperam objecit, ego verò ullibi in ipſa commentatiuncula me profeſſum eſſe, haut memini; niſi quod ſemel addidi parte altera de Atmoſphæræ ſuſtentatione per aqueas particulas, tritum illud Q.E.D.

Quibus quidem verbis nihil derogatum velim moderati animi titulo: dudum ſanè didici quam ad lapſum prona ſit humana mens, præſertim in illis occupata, in quibus nobis res eſt cum materia, quæ καθ' ὕλην πρῶτον illud, in demonſtrationibus perfectis adeò neceſſarium non facilè admittit, adeòque abſtractis à materiæ conditione atque incertitudine cogitationibus inferiorem multò eſſe neceſſium eſt. Itaque non magis pertinax quàm amicus adverſarius meus, ſi quid inveniri rectiùs iſtis à quoquam poſſit, lubens & gratulabundus & palmam cedam; Nec minùs me ipſi obſtrictum profitebor, ſi & perſpicuè & evidenter, hoc eſt magis ſolidè quàm nunc ab ipſo eſt factum, opinionem hanc meam falſitatis convincat, quàm ſi veritatem agnoſcat. Huic uterque militamus: in tam nobili certamine vel ſuccumbere glorioſum fuerit. Neque tamen diuturnæ aut duraturæ controvertendi neceſſitati cuperem involvi, qua iſthæc in volumen excreſcerent: retrahunt enim me, cum docendi juventutem publicus privatuſque labor, tum ægrotorum ſollicitudines, aliaque quibus diſtringor bene multa; denique & publici boni cauſa ſuſcepta elaboranda aliqua, quibus vix reliquæ vitæ ſufficiant dies. Et verò ex iis quæ à nobis uſque adhuc diſputata ſunt, ſatis de ſententia mea conſtare poſſe arbitror, ut aliis non magnopere ſit opus. Quod igitur in foro fieri conſuevit, ut poſt iteratas cauſæ ventilationes, ad Judicis arbitrium litigantes ſubmittant, idem mihi hic jam licebit, poſtquam unum addidero, de Mercurii in Barometro motu. Hunc inſtantibus tempeſtatibus atque procellis magnam ſubire mutationem, & ex tubo promte deſcendere compertum eſt. Ejus rei cauſam D. Reyherus, Mathematum in hoc Lyceo Profeſſor, remotioni Atmoſphæræ ſolet adſcribere, ut non tam gravis ac pro more incumbat: ſive cedere eam ventis, in inferiore aëre turbantibus, ſive vaporum exhalationibus ſubmoveri, aut alia cauſa tolli exiſtimet: qua de re ipſemet fortè mentem ſuam aliquando plenius aperiet. Quod ſi exorabitur, multis fortè nominibus illi eruditus orbis erit obnoxius. Nam ultra ſeptemdecim jam annos ſingulis fermè diebus aëris mutationes quater obſervat, & altitudines Atmoſphæræ, gradus caloris & rigoris, humiditatis & ſiccitatis, ventos ac tempeſtates denique diligentiſſime annotat atque deſcribit: ego verò in anteceſſum id monere volui, quoniam meæ ſententiæ haut parum inde roboris accedere exiſtimaverim.

Interim quod ad me dedit epiſtolium, dum hæc inter nos agitur controverſia, occaſione obſervationis in tubulo perpendiculari à Cl. Ramazzino inſtitutæ, impetrata ab ipſo venia, placuit his ſubjungere.

Nihil jam supereſt, quàm ut prolixæ huic ſcriptioni, cui veniam des obſecro, nunc tandem imponam finem, proſperrimoſque tibi, tuiſque omnibus conatibus apprecer ſucceſſus. Vale.

Scr. Kiloniæ Holſatorum, in Academia Chriſtian-Albertina. M. DC. IIC.

VIRI CLARISSIMI

SAMUELIS REYHERI,

Codices & Matheſeos in Academia Kilonienſi Profeſſoris,

AD AUCTOREM

EPISTOLA,

ET HUJUS IN EANDEM BREVIS COMMENTATIO.

HONORATISSIME DN. COLLEGA.

CLariſſ. Dni. Ramazzini Epiſtolam perlegens, inter alia novum ejus vidi experimentum, quo Mercurium in tubo Torricelliano hærere poſſe demonſtravit, licèt nullum vaſculum Mercurio repletum, cui orificium fiſtulæ immergatur, ſit ſuppoſitum; experimentum autem hoc non niſi adhibitis gracilioribus fiſtulis ſuccedere animadvertit: Optarim autem Cl. Virum tàm longitudinem, quàm amplitudinem tubuli, nec non vacui altitudinem ſignificaſſe. Interim adſcenſus & deſcenſus Mercurii cauſam, non auræ ſubjectæ gravitati aut levitati, ſed potiùs circumſtantis aëris, frigori & calori (qui materiam ætheream vacuo incluſam alterare poteſt,) adſcribendam eſſe, ex circumſtantiis a laudato Viro annotatis colligi poſſe autumo, dum pag. 22. ita ſcribit.

In humida & Auſtrali tempeſtate, qualis fuit 13. *Aprilis, ſic Mercurium deſcendere obſervavi, ut illius aliqua portio extra fiſtulam penderet in aëre, ſatis jucundo ſpectaculo, non ſatis admirans, quomodo corpus tam ponderoſum ſuſpenſum hæreret, neq; à reliquo in fiſtula contento divelleretur.*

Die tamen 21. *ejuſdem menſis ob continuatas pluvias, depreſſiori facto Mercurio, tandem ejuſdem guttula in vas ſubjectum decidit, quod pariter die* 3. *Mai mihi obſervatum, qua die validiſſime ſpirarunt venti Auſtrales. Quibus poſtmodum ſilentibus, ac ventis Borealibus reflantibus, disjectiſque nubibus, ad dimidium ferè pollicem in hac fiſtula elevatus eſt Mercurius.*

Ex quibus abundè patet, ſpirante Auſtro, & aëre calefacto, Mercurium deſcendere, poſteà verò, ſpirante Borea, & ingruente frigore, eundem adſcendere debuiſſe.

Cæterum hac occaſione aliquot experimentis tentavi naturam Mercurii, & quidem.

I. Illum non ſine tædioſo labore intruſi in tubulum anguſtiſſimum altero extremo cœcum, ubi ſine alteratione hæſit, & adhuc hæret.

II. Infundibulo vitreo ſatis parvo immiſi, ubi ſubſtitit, quaſi nullum invenire poſſet exitum: percuſſus, particulam in partem infundibuli inferiorem eamque anguſtiorem dimiſit, ubi iterum hæſit, interſtitio vacuo inter elapſum,

psum, & eum qui in sinu permansit, relicto; Cum v. paulò plus Mercurii infunderetur, gravitate sua descendit, particulam ante hærentem protrusit, ac totus in vas subjectum effluxit.

III. Aliquot tubulis utrinque apertis Mercurium immisi: quo graciliores, eo plus retinuerunt. Prætereà in mentem venit, in tubulis vitreis angustioribus utrinque apertis aquam, cui imponitur, spontè adscendere ad insignem altitudinem; si verò amplior sit tubulus, nulla aqua adscendit: At si satis amplus tubus arena repleatur, ad multos pollices liquor adscendit. Si verò quis tubulum talem hydrargyro imponit, tantum abest ut adscendat, quin potiùs multum deprimatur Mercurius. Interim autumo eodem modo adscensum Mercurii adjuvari posse, quo antea adscensus aquæ mediante arena adjuvabatur, si nimirum tubus impleretur scobe cupreo, stanneo, plumbeo, vel aureo, hinc enim procul dubio hydrargyrum ad insignem adscendet altitudinem. Hæc sunt Vir Experientissime, quæ inter varias occupationes tentare potui, Tibique communicare debui. Vale & fave Tuo ad similia promtissimo.

S. R. P. Pub.

Datum die XIX. April.

Utpote Natali meo LXV. anno a. a. Chr. cIↃ. IↃ. cIↃ. Juliano.

EX his Clarissimi & Experientissimi Reyheri observationibus celebratum illud experimentum D. Ramazzini, in quo maximam posuit spem, admodum redditur dubium. Si enim in hac fistula ex alteratione ætheris vacuo inclusi, adeoque circumstantis aëris calore aut frigore motus Mercurii deduci potest, hunc Mercurii adscensum & descensum non amplius Barometri, sed Thermometri affectionem esse reputandam intelligitur.

Mirum autem in D. Ramazzini tubulo mobilem, in D. Reyheri verò, quietum & eundem semper Mercurium observari: Quod etiam me facit ut hæream, neque quicquam amplius ea de re audeam pronunciare.

Videtur ea esse Mercurii natura atque conditio, ut non modò sibimet ipsi occulto particularum nexu implicatus cohæreat, verum & aliis sive applicet se, sive insinuet lubenter: indeque à parietibus vitri ægrius secedat, ac si hamatæ sint, aculeisque reflexis, quibus poris vitri per transitum infigantur, armatæ particulæ.

Unde & in infundibuli suprema parte hæsit, propulsus verò in angustiorem, non omnem expulit aërem, sed eò fultus facilius substitit. Et sanè in aliis permultis rebus quas attingit, sua relinquit vestigia: manibus puta tangentium, omnibus metallicis laminis aut vasis, in quovis etiam ligno, præsertim verò cum speculis, accedente Bismutho, in amalgama redactus, arcte coit, sesèque fortiter iis applicat.

Quæ etiam est causa, ut quò sunt graciliores tubuli, eò plus ejus retineant, cum tamen majorem columnæ Mercurialis altitudinem facilius vincere subjectum aërem, & pondere suo expellere par esset. Ast secùs accidit, ejusque rei causa intelligitur, quod exteriores ejus partes vitri parietibus; inferiores his ipsis exterioribus arctiùs nectantur, & implicentur penitius.

Quæ cuncta eò collimant, ut Mercurius in tenui fistula non solo aëre qui substratus sit, retentus videri queat, & quod aliæ etiam causæ ejus descensus & adscensus esse possint ac à Viro Cl. observatæ allegantur. Verùm hoc effugio, justum licet fortean siet, nihil tamen opus est; sit enim, descendat ille ad

præscriptum & ex causis D. Ramazzino memoratis; cum tamen iis jam in ipsa mea responsione quantum satis est, obviam iverim, nihil est quod hinc decedat meis assertis. Sed hæc tandem concludamus, & istam controversiam Philosophicis, ad quos pertinet, relinquamus.

Illustrissimo, & Celeberrimo Viro

ACADEMIÆ N. C. CÆSAREO-LEOPOLDINÆ

PRÆSIDI MERITISSIMO

D. LUCÆ SCROEKIO,

BERNARDINUS RAMAZZINI

S. P. D.

MIraberis forsan, Præses Amplissime, quòd cum olim Clarissimus Vir D. Guntherus Christophorus Schelhamerus, Archiater Gottorpiensis, & in Kilonienſi Universitate Medicinæ Professor, litem mihi contestatus fuerit, circa veram & germanam causam adscensus, ac descensus Mercurii in Torricelliana Fistula, pro vario aëris statu, & illius modò ad pluviam, modò ad serenitatem conversione, ac tuo in Foro, Teque Judice per literas utrinque fuerit disceptatum, variisque ultrò citròque editis scriptis, ac postremò Vir Clarissimus pro sua causa satis abundè scripserit, in unum Opusculum contractis iis, quæ inter nos fuerunt disputata, cui subsidiariam Epistolam D Reyheri, in eadem Kilonienſi Universitate Mathematicæ Professoris, tanquam suæ causæ allegationem adjecit; cumque postea mihi altum fuerit silentium, non secus ac si illius rationibus acquievissem, nec haberem ampliùs quid reponerem, miraberis inquam, quòd post decem annos novis scriptis à tuis occupationibus interpellare Te audeam. Possem equidem causari, ac præcipuè improsperam meam valetudinem in culpa fuisse, quæ me, postquam Patria relicta Patavium veni ad Professorium munus in re Medica, per decem annos exercuit, & adhuc exercet, experientia edoctus, quam verum sit illud, quòd Arbor vetus malè transfertur; sed illud quod à novis responsionibus & instantiis magis abducebat erat, quòd neque Vir Clarissimus præjudicata illa sua Problematis solutione, neque me conjecturis meis ad tam grande secretum esse perventuros cognoscerem, neque Tu Vir Sapientissime sententiam tuam hâc in re si proferre voluisses, non nisi per aliam viam ad hujusmodi arcanum perveniri posse judicaturus fuisses; attamen quia persuaderi nequeo, me propter tam diuturnum silentium tanquam in causa deserta, non ampliùs audiendum, ac propterea, ut dici solet, è causa mea cecidisse, cum in re literaria non tam arctis legibus temporis præscriptiones teneri existimem, ut in forensibus judiciis, denuò prodire ausus sum; siquidem humanitatem tuam Præses doctissime talem esse novi, ut quocunque tempore benignas aures mihi sis commodaturus. Absit autem, ut ab hujusmodi tuo Foro declinem, & ad aliud Tribunal provocem, quod etiam si vellem, quale illud sit & ubinam, reperire nescirem, cum sciam, quòd Tu, & sapientissimus sis, & servantissimus æqui.

Utut ergo pro certo habeam, quòd si controversiæ telam, quam D. Schelhamerus orsus est, ego vellem producere, rationes meas æquis auribus Tu Vir Optime esses acceptorus, attamen scito decrevisse me propositiones, & varia postulata, quæ in hac secunda

sua


b
B


A
D
B
C

ſua Epiſtola D. Schelhamerus in medium produxit, intacta, & in ſuo robore velle relinquere, ut apud omnes liberum ſit judicium, an ad problematis ſolutionem quidquam conducant, neque me pariter pro mea hypotheſi de nitroſæ materiæ præcipitatione pluvioſo tempore, quæ leviorem faciat aëris columnam Mercurio incumbentem, novi quidquam allaturum, licet non pauca ſuppeterent, eòque magis, quò, ut nuper legi in actis eruditorum Lipſiæ, Auctor Clariſſimus Diſſertationem edidit de nitro, cujus geneſim totam à terreno corpore deducit, adeò ut perſuaſum habeam, nitrum aëreum prorſus explodere conatum fuiſſe; propterea ne novis quæſtionibus implicemur, illius placita nequaquam convellam, imò quoniam in hac noſtra concertatione, ubi primum Actor fuit, poſtmodum reum ſe fecit, dum in hac ultima ſua Epiſtola ſatis prolixa, illum valdè laborare video, ut propoſitiones ſuas, & regulas hydroſtaticas ab iis quæ in ſecunda mea Epiſtola objeceram vindicaret, lubens ſinam ut res ſuas ſibi habeat, ac tueatur. Hujuſmodi tamen diſquiſitionem, & noſtra hæc certamina, qualiacunque fuerint, Naturæ Curioſorum Collegis minimè ingrata, & moleſta fuiſſe exiſtimo, quando à Doctiſſimo Viro D. Bernardo Valentino hujuſce literariæ controverſiæ acta eſt mentio in Ephemeridibus C. N. Decuria 3. Anni 7. & 8. in Appendice, ubi compendiosè refert ea quæ utrinque fuerint ſcripta, & diſcuſſa, imò incitamento mihi videbatur eſſe ad controverſiam proſequendam.

Ne autem ulteriùs Te morer, unica ratio hujus Epiſtolæ conſcribendæ fuit, ut Tibi & Orbi literato, novum modum ſolvendi hoc problema communicarem, non tamen ex paupere meo penu hauſtum, ſed à Celeberrimo, & Doctiſſimo Viro D. Leibnitio habitum. Poſtquam enim D. Schelhamerus poſtremam ſuam Epiſtolam edidit, in qua per hydroſtaticas regulas nodum iſtum ſolvere anniſus eſt, ſed fruſtrante diligentia, ut ego credidi, à D. Leibnitio, cujus ſuaviſſima conſuetudine ad quinquaginta dies olim Mutinæ uſus fueram, per litteras quæſivi, quid in hoc tam abſtruſo negotio ipſe ſentiret; favit ille votis meis atque uti promptiſſimus & paratiſſimus ingenio eſt, Epiſtolam ad me conſcripſit, una cum figura Mechanici Artificii, quoad ſenſum uſque ratio haberi poſſit, cur pluvioſo tempore & actu deſcendente pluvia, deſcendat quoque Mercurius è ſummitate fiſtulæ, excuſſa verò pluvia & reſtituta ſerenitate adſcendat; tota autem vis demonſtrationis in hoc potiſſimum ſita eſt, ut oſtendat, quòd corpus grave quando per fluidum aliquod deſcendit gravitatem ſuam non exerceat, quo habito conſtat ratio, quare columna aërea incumbens Mercurio, levior ſit dum pluvia actu deſcendit, ut hanc ob cauſam Mercurius deſcendat; lubet autem hic Epiſtolam ipſam apponere cum figura, ut quiſque perſpiciat, quàm ingeniosè, quàm perſpicuè Vir Clariſſimus rem expoſuerit.

Ex literis tuis gaudeo Te valere, mihique favere, atque illis qui à me commendantur. Cum cogitationes meas, mehercle meis fundamentis innixas de cauſa motus hydrargyri deſideres, vim earum paucis complectar. Eſto tubus A. B. infra clauſus in B. aqua plenus rectus, ex librę extremo ſuſpenſus, cum pondere oppoſito in æquilibrio conſtitutus, ibi in aquæ ſuperficie natet cavum aliquod corpus D. ex materia gravi, caſurum ſi aqua intraret. Ponamus obturatum eſſe foramen, ſed ita ut paulatim aquæ pervium fiat; ergo ubi intraverit, deſcendet corpus D. verſus fundum B.

His poſitis durante deſcenſu corporis D. ceſſaturum eſſe æquilibrium ajo deſcenſurumque pondus C. ac totum tubum A. B. elevatum iri, cujus rei ratio eſt manifeſta, quòd quantum deſcendit D. in tantum ab aqua in tubo libra non ſuſtinetur, & eatenus non reſiſtit ponderi oppoſito. Compara jam C. cum hydrargyro, aquam tubi cum aëris columna D. cum guttis pluviæ, nempè cum guttæ tam craſſæ fiunt, ut ampliùs ab aëre non ſubſtineantur, deſcendere incipiunt, & tota aëris columna levior eſt quàm ante, Mercuriumque in tubo ſaſpenſum ad priorem altitudinem non ſuſtinebit, itaque deſcendet non nihil Mercurius, Contra aëre ſereno guttæ aquæ

ita comminuuntur, & per aërem disperguntur, ut per se descendere non possint, non magis quàm partes lactis butyraceæ ante separationem, ita manifesta videtur solutio nodi, & ratio redditur paradoxi, cur ita aër serenus levior sit pluvio. Nam & prævenit aliquantulo tempore hydrargyri descensus pluviæ apud nos casum, quia guttæ formari incipiunt, antequam ad nos pertingant. Vale, dabam Hannoveræ Anno 1700.

Ubi hujus Clarissimi Viri, (cujus ingenium, & omnigenam eruditionem antea fueram admiratus, dum Mutinæ ad duos circiter Menses substitit, ut Estensis Bibliothecæ varia monumenta revisseret) Epistola ad manus meas pervenit, mentem subiit, quòd in Ephemeridibus meis Mutinæ impressis, Patavii verò recusis, scripsi de Propositione illa Borelli, qui in libro de Motibus naturalibus à gravitate pendentibus, Propositione 28. nimirum corpora, quæ per aërem descendunt, non gravitare, nisi postquam quieverint, quòd demonstrare satagit Auctor ille, allato exemplo de duobus lanæ involucris, cum sint ejusdem gravitatis, quæ si ab alto descendant, unum alterum non comprimit, quod superius positum est, licet inferius tangat, illud non premit, sed tantummodò quando in solum descenderit, & quiescat, sic mihi blandiebar hoc fundamento Problematis solutionem obtineri posse; sed cum multæ mihi occursarent difficultates, nec lanæ exemplum mihi planè satisfaceret, ad præcipitationem nitrosarum partium, & alterius generis me converti. Postquam igitur hujusmodi fundamento rem tam perspicuè, & ingeniosè expositam vidi, ut dubitare rem aliter esse posse, nefas videretur, attamen cupido me incessit oculata fide experiundi, & curiosè observandi quod propositum fuerat; sed licet quanta potuerim diligentia pertentarim, res ex voto non succedebat, descendente enim corpore gravi, pauca vel nulla motio in Tubo apparebat, neque ullo modo tollebatur æquilibrium. Neutiquam tamen diffidens ratiocinio ingeniosissimi Viri, causabar, quod libra non tam exacta esset uti opportebat, sive quòd tubus nimis brevis esset; nova itaque tentamina in aliud tempus distuli, donec libram melioris notæ reperire possem. Postmodum autem Paravium accitus ad publicè profitendum novis occupationibus districtus, cogitationem de hujusmodi experimento interim sepositi. Verùm non multò post à gravissimis affectibus, à quibus non satis convalui, tam malè mulctatus sum, ita ut Studiis, & cuicunque rei literariæ ac vivendi desiderio penè renunciarim. Hac hyeme verò tempore vacationum bacchanalium dierum ab Illustrissimo D. Joanne Gratiano in hac Universitate Philosophiæ Professore Celeberrimo, mihique conjunctissimo, quæsitus ut illi Ephemerides meas Barometricas, & controversiam habitam cum D. Schelhamero legendam commodarem, illi morem gessi, cumque eidem postea Epistolam D. Leibnitii ostendissem, hic urgere me cœpit, ut novum tentamen experiremur, pollicitus reperturum se exactissimam libram. Unà itaque convenimus & in uno brachio libræ positio longiori tubo aqua pleno, cum gravi corpore apto ex sui natura ad descendendum facilitatis gratia tenui capillo alligato, & ex eodem brachio libræ suspenso, & facto cum pondere opposito exacto æquilibrio capillum resecuimus, è quo pendebat corpus illud grave aquæ incumbens, ac temporis momento descendente gravi corpore observavimus tolli æquilibrium; ubi autem corpus grave fundum tetigit, tubus in altum se sustulit, & restitutum est æquilibrium. Pluries idem experimentum tentavimus, sed semper cum eodem successu, quare nulla suspicio, nec ullus dubitandi locus nobis relictus est, quin verissimum sit, corpus grave dum per fluidum aliquod descendit, gravitatem suam non exercere, sed solùm quando quiescit. Quamvis autem in observatione motus Mercurii in fistula, variæ contingant anomaliæ, & aliquando ad austrinos flatus, sine ulla pluvia succedente deprimatur Mercurius, ac postmodum attollatur, non propterea infirmatur ratiocinium Clarissimi Viri, cum enim venti meridionales ex sua natura aqueis vaporibus aëreos campos impleant, hujusmodi vapores dum paulatim

tim disponuntur ad descensum, ut in pluviam solvantur, ab aliis ventis possunt abigi in alias partes, sic ut sine pluvia observetur interdum ejusdem Mercurii alternis vicibus depressio, & elevatio. Ratio itaque tamdiu quæsita, quæ D. Schelhamerum meque exercuit, ac tot Eruditorum torsit ingenia, cur impendente pluvia, & actu descendente, Mercurius in Torricelliana Fistula descendat, & redeunte serenitate elevetur, modò in propatulo esse cœpit. Gaudendum itaque D. Schelhamero mihique, quòd occasione nostræ Controversiæ tam ardui problematis solutio emerserit, & Vir Clarissimus quàm nobili invento ab ulteriori indagine nos absolverit.

Principali itaque phænomeno, cujus frequentissima est observatio, in Barometro longè certiùs & expeditiùs hoc pacto satisfactum puto, quàm per aëris elasticitatem, quam crepant omnes, qui hujusce nodi vindices esse affectant; non enim aliunde, quàm ab aëris gravitate majori vel minori deducendus est adscensus vel descensus Mercurii, cum elasticitas determinatam non habeat directionem ut in unam partem magis quam in aliam vim suam exserat. Duas esse particulares aëris affectiones, gravitatem scilicet, & elasticitatem certo certiùs est, sed gravitatem cognitam habemus à Barometro, elasticitatem à Sclopo pneumatico. Æquum igitur duxi, Præses Sapientissime, Inventum hoc Clarissimi Viri, cujus nomen ob egregia illius scripta apud Eruditos celeberrimum est, ac ea, quæ de Barometro coram Te Judice acta fuerant, & variis temporibus edita ac sparsa, in unum Opusculum colligere, & ad Germaniæ vestræ decus publici juris facere. Vale diu ac plurimùm, sic ut ad Reipublicæ literariæ felicitatem Hesiodi senecta Tibi contingat.

Dabam Patavii Kal. Junii 1710.

BER-

BERNARDINI RAMAZZINI,

In Patavino Gymnasio Practicæ Medicinæ Professoris Primarii

DE

MORBIS ARTIFICUM DIATRIBA,

MUTINÆ OLIM EDITA.

Nunc accedit

SUPPLEMENTUM EJUSDEM ARGUMENTI,

ac

DISSERTATIO

DE

SACRARUM VIRGINUM VALETUDINE TUENDA.

Illustrissimis, & Excellentissimis D. D.
PATAVINI GYMNASII MODERATORIBUS,
D. HIERONYMO VENERIO, Equiti & D. Marci Procuratori,
D. FRANCISCO LAUREDANO, Equiti & D. Marci Procuratori,
D. JOANNI FRANCISCO MAUROCENO, Equiti,

BERNARDINUS RAMAZZINI Felicitatem.

QUàm laborioſi ſint Ingenii fœtus, & graves curas poſt editionem quoque Auctoribus ſuis relinquant, non norunt niſi qui in literis ævum traducunt, ut aliquod utile moliantur, per quod ſibi & poſteris videantur vixiſſe, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Moderatores; ubi enim quis in hoc præſertim cenſorio ſeculo Opus aliquod pro viribus ediderit, diu inter varia hominum judicia ſuſpenſo animo hæreat neceſſe eſt; ſingulare tamen rationis Critirium, cui quis magis fidat, credatque Opus ſuum frugi fuiſſe habitum, eſſe exiſtimo, nempe ſi illud alicubi, ac in exteris præſertim regionibus audiat recuſum. Sortem hanc Operi meo de Morbis Artificum Mutinæ tredecim ab hinc annis edito, fuiſſe datam accepi, quem in Germania impreſſum, & Teutonica lingua donatum audivi. Librum hunc itaque meum nunc emendatum quantum licuit, cum aliquo ejuſdem argumenti Additamento, in hac Urbe recuſioni traditum Ampliſſimis Nominibus Veſtris ſacrum eſſe volui. Feci quod muneris mei erat, mihi ſcilicet Practicam Medicinam profitenti indecorum ratus, ſi ad inania diverterem, nullum poſtea uſum habentia, nec habitura. Intereſſe nimirum humanæ Reipublicæ credidi particulares Artificum morbos diligenti examine, à nemine adhuc præſtito expendere, & ſua remedia præſcribere. Quantum ad Regnorum & Civitatum amplitudinem conducat Artium cultura, oſtendit olim Carolus Magnus Imperator, qui capto Deſiderio ultimo Longobardorum Rege celebriores Artium tum liberalium, tum mechanicarum Magiſtros, tanquam ſpolia ad clariorem triumphum ſecum in Gallias ad-

adduxit. Celebre eſt dictum illud: Regna fovent Artes; *in quo dicto jure quis ambigat, an Regna foveant Artes, an Artes Regna; utrum æquè benè, ampliſſimum hujuſce rei teſtimonium eſt Adriæ Regina Civitas; hæc enim Artes, quæ diviſæ alias Urbes celebres & beatas faciunt, omnes in ſinu ſuo collectas tenet, & illarum proſperitati favoribus, & privilegiis non ceſſat proſpicere. Sicuti autem cum primùm Liber hic meus prodiit, eorum temporum Moderatoribus fuit nuncupatus, ita fas erat, ut ſi novam in lucem auctior vellet erumpere, eam non niſi à dignitate veſtra auſpicaretur, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Arcis Palladiæ Cuſtodes Vigilantiſſimi. Hoc ergo qualecunque ſit quod Vobis in obſequii argumentum ſiſto, ea benignitate, quæ Vobis propria eſt, excipite ac fovete. Ita vos ſoſpitet Deus O. M. detque diu valere & plurimùm.*

Patavii Kalendis Septemb. 1713.

PRÆFATIO.

NAturam rerum omnium Parentem benigniſſimam ſæpenumerò apud malè feriatos homines malè audire, quòd humano generi variis in rebus videatur, vel parum providè, vel non ſat decenter proſpexiſſe, & ſcriptum legimus, & paſſim audimus. Nullâ tamen minus juſtâ querimoniâ eadem tanquam Noverca traducitur, quàm quòd cuique ad vitam, alioquin ruituram, retinendam, ac ſuſtentandam quotidiani victus neceſſitatem indiderit; ſiquidem ab hac lege ſolutum humanum genus, nullam ferè legem agnoſceret, & Terra hæc, in quâ degimus, longè diverſam faciem præ ſe ferret, quàm quæ nunc viſitur; quare ingenioſiſſimè *Perſius* non manum polydædalam, ſed Ventrem Artium Magiſtrum appellavit: Sic enim ille in Prologo:

Quis expedivit Pſittaco ſuum Chære,
Picaſque docuit verba noſtra conari?
Magiſter Artis, Ingentique largitor,
Venter.

Ex hac itaque neceſſitate, quæ vel ipſa Animalia rationis expertia ingenioſa efficit, Artes omnes, fluxiſſe, tum Mechanicas, tum Liberales, fas eſt aſſerere, bonum quidem non vulgare, ſed, ut in rebus humanis fieri aſſolet, non ſine aliquâ mali mixturâ. Fateri enim neceſſum eſt, ex quibuſdam Artibus non exigua mala ſuis Artificibus interdum proficiſci, ut unde alimenta ad vitam producendam, & familiam alendam exſpectabant, graviſſimos morbos perſæpè referant, ac Artem, cui ſe addixerant, exſecrantes, tandem è vivorum ſtatione decedant. Hoc itaque, dum Medicam Praxim exercerem, ſæpiſſimè contingere animadvertens, ad conſcribendum Tractatum aliquem de Morbis Artificum, quos potui induſtriæ nervos intendi; verùm ſicuti in Artium Mechanicarum Operibus ut plurimùm evenit, ut ſi quid ab aliquo Artifice de novo inventum prodierit, id mancum ſit, & multum ruditatis præferat, mox aliorum diligentiâ perficiatur, ita & in re literariâ idem prorſus fieri conſuevit. Hanc itaque ſortem meum hunc qualemcumque Tractatum de Morbis Artificum ſubiturum video, varias quidem ob cauſas, ſed ob hanc quoque, quòd novitatis aliquid contineat. Nemo enim, quòd ſciam, in hunc campum pedem immiſit, unde contemplationum circa effluviorum ſubtilitatem, & efficaciam, ſeges non contemnenda colligi poſſit. Opus ergo imperfectum, imò incitamentum potiùs editurum me fateor, ut alii auxiliares manus apponant, donec omnibus numeris abſolutus, ac integer Tractatus habeatur, qui in Foro Medico locum aliquem mereatur. Debetur id certè miſeræ Artificum conditioni, è quorum manuariis operibus, licèt interdum viliſſimis, ac ſordidiſſimis, neceſſariis tamen, tot humanæ Reip. commoda proficiſcuntur, debetur id, inquam, ab Arte omnium præclariſſimâ, uti

SYLLABUS ARTIFICUM,

De quorum Morbis fit mentio.

Metallorum fossores. Pag. 477
Inauratores. 486
Iatraliptæ. 490
Chymici. 492
Figuli. 495
Stannarii. 498
Vitrarii & Specularii. 499
Pictores. 501
Sulphurarii. 503
Fabri Ferrarii. 505
Gypsarii & Calearii. 507
Pharmacopœi. 513
Foricarii. 514
Fullones. 519
Olearii, Coriarii, Casearii, Fidicinarii. 529
Tabacopœi. 535
Vespillones. 540
Obstetrices. 544
Nutrices. 548
Oenopœi & Cerevisiarii. 564
Pistores molitores frugum. 574
Amylopœi. 579
Frugum Cribratores, & Mensores. 582
Lapicidæ. 585
Lotrices. 587
Carminatores Cannabis, Lini, ac Sericearum placentarum. 589
Balneatores. 591
Salinarii. 593
Statarii Artifices. 596
Sedentarii Artifices. 599
Judæi. 602
Cursores. 605
Equisones. 609
Bajuli. 613
Athletæ. 616
Lepturgi. 618
Phonasci & Cantores. 621
Agricolæ. 625
Piscatores. 632
Milites. 634
Literarum Professores. 642
Typographi. 658
Scribæ & Notarii. 660
Qui saccharo condiunt plantarum semina. 663
Textores & Textrices. 665
Fabri Ærarii. 667
Lignarii. 669
Qui Novaculas & Phlebotomos ad cotem acuunt. 670
Laterarii. 672
Putearii. 674
Nautæ & Remiges. 677
Venatores. 681
Saponarii. 685

DE

DE MORBIS ARTIFICUM.

De Morbis, quibus obnoxii ſunt Metallorum Foſſores.

CAPUT PRIMUM.

VAria, & multiplex Morborum Seges, quam non rarò Artifices quidam extremâ ſui pernicie ex iis Artibus quas exercent, pro lucro referunt, ex duabus præcipuè cauſis, ut reor, progerminat; quarum prior, ac potiſſima, eſt prava materiæ conditio quam tractant, quæ noxios halitus, ac tenues particulas humanæ naturæ infenſas exſpirans, particulares morbos invehit, altera ad motus quoſdam violentos, incompoſitos, & incongruas corporis configurationes refertur, propter quas Vitalis Machinæ naturalis ſtructura vitiatur, ut inde graves morbi paulatim ſuccreſcant. Primò itaque in cenſum venient ii morbi, qui à prava materiæ indole ortum ducunt, ac inter eos, qui *Metallurgos* infeſtant, & quotquot alios Artifices, qui in ſuis Opificiis mineralibus utuntur, ut Aurifices, Alchymiſtæ, quique Aquam fortem deſtillant, Figuli, Specularii, Fuſores, Stannarii, Pictores quoque & alii. Quales verò, & quàm peſtiferæ noxæ intra Venas metallicas recondantur, experiuntur primò Mineralium Foſſores, quibus in profundioribus Terræ viſceribus continuò degentibus quotidie cum Orco ratio habenda: rectè quidem *Ovidius:*

itum eſt in viſcera Terræ,
Quaſque recondiderat, ſtygiiſque admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

De malis equidem, quæ animos ac bonos mores corrumpunt, *Poëtam* locutum eſſe, procul dubio cenſendum eſt, atque hominum avaritiam, vel inſaniam exprobrare voluiſſe, qui in apertam lucem ea eruere tentarint, quæ nos bona exiſtimamus, imò, ut eleganter Plinius, *bonorum omnium pretium fecimus*, quamvis tot malorum Fons, & origo ſint; non abs re tamen ad ea mala quæ corpora infeſtant *Poëtæ* verba traduci poſſunt. Morbi autem quibus obnoxii ſunt Metallorum Foſſores, aliique id genus Artifices, ſunt ut plurimùm Dyſpnœa, Phthiſis, Apoplexia, Paralyſis, Cachexia, pedum tumores, dentium caſus, gingivarum ulcera, artuum dolores, ac tremores. Pulmones itaque, & Cerebrum in hujuſmodi Artificibus malè plectuntur, magis tamen Pulmones, hi etenim ſimul cum aëre minerales ſpiritus hauriunt, & primi noxam perſentiunt, mox iidem halitus intra vitæ hoſpitia admiſſi, & cruori permixti, Cerebri, & nervoſi laticis naturalem temperiem pervertunt, & inficiunt, unde tremores, ſtupores, & ſuperiùs recenſiti affectus. Hinc eorum, qui in Fodinis mineralia effodiunt, maxima ſolet eſſe ſtrages; Fœminæ propterea, quæ id genus hominibus nubunt, ſæpius nubunt, nam referente *Agricolâ*, apud Fodinas *Carpati Montis* obſervatæ ſunt Mulieres, quæ ſeptem viris nupſerint. De Metallorum Foſſoribus ſic *Lucretius:*

Nonne vides, audiſve perire intempore parvo,
Quàm ſoleant, & quàm vitæ copia deſit?

Metallorum itaque foſſio olim, ac etiamnum iis in locis, ubi Fodinæ ſunt, pœnæ genus eſſe conſuevit, ſontes enim, ac graviorum criminum rei damnantur ad metalla, ſicuti antiquitùs Chriſtianæ Religionis Sectatores ad metalla damnari conſueverant, ut apud *Gallonium* de Martyrum cruciatibus videre eſt. Exſtat elegans Epiſtola D. *Cypriani* ad complures Epiſcopos, & Diaconos, quos Imperatorum barbaries, Metallorum foſſioni addixerat, in qua eoſdem hortatur, ut iis in fodinis, è quibus aurum, & argentum crue-

rent, ſe verum Chriſti aurum probarent. Viſitur quoque apud *Pignorium* in libro de Servis, imago Foſſoris ex veteri icuncula, ex qua apparet, quàm infelix eſſet illorum conditio; capite enim erant ſemiraſi (quo ſigno olim Servi à fugitivis, qui erant omninò raſi, internoſcebantur) quod cucullo Sagato operiebant. Neque forſan noſtris temporibus cultu ſpecioſiores in Fodinis Foſſores eſſe crediderim, quando, licet etiam veſtibus benè muniti ſint, & idoneo victu nutriti, ob loci ſquallorem, & lucis carentiam, non niſi ex Orci familia in purum Aëra emergunt. Quamcumque igitur mineralem materiam effodiant, graviſſimos morbos accerſunt, qui medelam omnem perſæpè eludunt, ſi quis etiam aliquid ritè præſcribat; quamvis in ambiguo eſſe videatur, num pietatis officium credi poſſit, medicam opem id genus hominibus adminiſtrare, & *producere illis vitam ad miſeriam.*

Verùm quia principibus, & Mercatoribus ex Metallorum Fodinis magni proventus perſæpè accedunt, ac ad omnes ferè Artes perneceſſarius eſt Metallorum uſus, propterea pro horum Artificum conſervatione, illorum morbi examinandi, & cautiones ac remedia proponenda, quod itidem in more fuit apud antiquos, ſicuti etiam noſtris temporibus (*a*) *Metallographi* de Foſſorum morbis, ac illorum regimine, nec non de remediis ſatis diſertè tractarunt, ut 1. *Geor. Agricola*, (*b*) 2. *Bernardus Cæſius Mutinenſis* S. J. in ſua Mineralogia, ubi multa ſcitu digna exſtant de damnatis ad metalla, & de prophylaxi, ac Diætâ Metallurgorum, 3. *Athanaſius Kircherus* in Mundo Subterraneo, (*c*) 4. *P. Lana* in Magiſterio Artis, & Naturæ, *D. Ramlovius*, qui Germanico Idiomate tractatum ſcripſit de Paralyſi, ac tremore Metallurgorum. Miſerrimæ igitur conditioni id genus Artificum ex Medicæ Artis penu præſidium aliquod, vel ſolamen depromendum; & quando innumera penè ſunt foſſilium genera, quodcumque ſuas peculiares noxas infert, aliquo examine modum, quo Foſſorum corpora inficiantur, perveſtigare, ac probatiora, & promptiora remedia recenſere oportebit.

Fodinarum itaque, aliæ humidæ ſunt, in quarum fundo aqua reſtitat, aliæ ſiccæ, in quibus interdum ignis miniſterio opus eſt, ad diſrumpenda ſaxa. In humidis Fodinis, quæ aquam ſtagnantem continent, Foſſorum crura vitiantur, ſicuti ob craſſos, & viroſos halitus, qui ab illis exſpirant, ac tunc magis cùm deciſa ſaxorum fragmina in aquam decidunt, & camarinam illam movent, ut dici ſolet, intercepto anhelitu, Operarii præcipites cadunt, ſive ſemianimes emergunt. Ipſe quoque ignis qui cæteroquin Venenorum domitor eſt, ubi illo opus ſit, ad ſaxa emollienda, peſtiferos halitus ex minerali materiâ elicit, ac in motum ciet, quare miſeri Foſſores omnia Elementa ſibi experiuntur infeſta.

Nulla verò truculentior peſtis, Foſſores ad extremam perniciem deducit, quàm quæ è *Mercurii* Fodinis erumpit; Foſſores enim in Mercurialibus Mineris vix tertium annum attingere, ait *Falloppius* in Trac. de Metallis, & Foſſilibus; quatuor Menſium autem ſpatio in artuum tremores incidere, paralyticos, ac vertiginoſos fieri teſtatur *Etmullerus* in ſuâ Mineralogiâ C. de *Mercurio*, idque ob mercuriales ſpiritus, nervis maximè infenſos. (*d*) Ex *actis Philoſophicis Soc. Regiæ Anglicanæ* in Epiſtolâ Venetiis ad Soc. Regiam miſſa habetur, in Fodinis quibuſdam Mercurii in Foro Julii, non poſſe quempiam Operariorum inibi operari ultra ſex horas; ibidem refertur caſus cujuſdam, qui per ſemeſtre ſpatium iiſdem Fodinis addictus, adeò *Mercurio* fuerat imprægnatus, ut ſi ori ſuo æris fruſtum apponeret, aut digitis tractaret, illud album efficeret. Eoſdem quoque Aſthmate corripi advertit *L. Tozzius* Part. 2. ſuæ Praxis cap. de Aſthmate; caſum quoque dentium pati ſolent, quare argenti vivi excoctores, ne fumum ore excipiant,

(*a*) 1. l. 6. de re metallica. (*b*) 2. l. p. Sc. 5. (*c*) 3. T. 2. l. 10. Sc. 2. c. 2, 4. T. 3. de morb. Sympat. (*d*) l. p. Menſ. April. 1665.

cipiant, vento flanti terga obvertere pro more habent.

Asthmatis speciem quandam describit *Helmontius* in Tractatu de Asthmate, ac Tussi, quam inter Asthma siccum, & humidum reponit, quâ corripi ait Fossores Metallicos, Separatores, Monetarios, alioſque id genus Opifices, ob *Gas Metallicum* una cum aëre inspiratum, vi cujus Vasa Pneumonica obserentur. De Asthmate montano mentionem habet (*a*) *Wedelius* in Pathologia Medica Dogmatica, ubi tradit huic affectui obnoxios esse Metallurgos, de quo Asthmatis genere ait *Stockusium* integrum Tractatum edidisse, ubi mali causam in Saturni mercurium refert, *Mercurius* etenim plurimus Saturno inest, illique gravitatem impertit. Quomodo autem Asthma hoc montanum, monstrum tam truculentum, inferant fumi isti metallici, exponit idem (*b*) Auctor, putat enim id fieri per bronchiorum exsiccationem, nec non & ob fuligines constipantes. *Sennertus* in l. de Consensu, & Dissensu Chymicorum cum (*c*) *Galenicis* refert, sibi à *Medico* penes metallicas Fodinas Mysniæ Medicinam facienti traditum, in demortuis Fossorum corporibus, reperta fuisse ipsa metalla, in quibus effodiendis vivi laborassent. Sic pereleganter (*d*) *Statius* Maximum *Junium* invitans tunc degentem apud *Dalmatiæ* montes, gentem hanc Acheronticam describit, quæ ex iis fodinis rediret, *Dite viso*, ut ille ait, *erutoque concolor auro.*

Si ergo color similis efflorescit humoribus, *nisi intro refluxerint*, uti docet *Gal.* in *primo Aph. Com.* 2. & in omnibus penè affectibus observatur, nil mirum, si colorem in cute Fossores referant, qualis est metalli color, quo massa sanguinea infecta fuerit. Idem fortan in fossorum Pulmonibus contingere censendum est, ac in Fornacibus, in quibus, dum excoquuntur metalla, ex fuliginibus in altum adscendentibus, generantur *Pompholyx*, *Cadmia*, & alia metallica concreta.

In *Chalcanthi* Fodinis gravi quoque respirandi difficultate vexari solent Fossores. *Galenus* de Simplic. Medic. facul. cum esset *in Cypro*, Specum describit, (*e*) è qua ab Operariis exportabatur aqua ad Chalcanthum conficiendum, aitque se in Specum illam ad stadium ferè descendisse, & aquæ viridis guttas, in lacum stillantes observasse, nec non odorem suffocantem, ac toleratu difficilem persensisse, subditque Operarios nudos summâ cum festinatione vidisse aquam exportantes, & celeriter recurrentes; nihil autem Pulmonibus magis hostile est, quàm acidum quodcumque, quo maximè abundat *Vitriolum.* Riderent profectò apud nostrates Clinicorum non pauci, si quem alium Professorem rerum naturalium Scrutatorem viderent loca subterranea cum periculo subeuntem, ad secretiores Naturæ recessus pervestigandos; quali risu notatum me scio, dum scaturiginem, unde prodeunt *Mutinenses Fontes*, periculo tentamine scrutarer, nec non dum in Puteos Petrolei nostri in montana regione positos descenderem; at à *Galeno* discant, qui longas peregrinationes suscepit, & abditiora Naturæ arcana curiosè pervestigavit, ut medicamentorum vires exactè calleret; verùm è diverticulis in viam.

Præter corporis partes internas, externæ quoque graves noxas persentiunt, ut manus, crura, oculi, & fauces. In *Fodinis Mysniæ*, ubi Pompholyx nigra reperitur, manus, & crura usque ad ossa abradi refert *Agricola*, ubi ait, *Clavos casarum, quæ illis Fodinis propiores sunt, ligneos esse*, cùm ab eadem pompholyge ferrum quoque absumi observatum fuerit.

Sunt in Fodinis multò etiam graviora mala, animatæ scilicet pestes, quæ miseros Fossores infestant, & ad extremam perniciem deducunt, nimirum parva quædam animalia, Aranearum speciem referentia; *Agricola* ex *Solino* lucifugas appellat. Hæc animalcula in argentariis Fodinis præsertim degunt, quibus dum Fossores non advertentes insident, punguntur, & malè habent. *Dæmunculi* præterea, & spectra quædam Operarios terrent, & infestant, quod genus *Dæmo-*

(*a*) Sec. 2. cap. 9. (*b*) Sec. 3. cap. 5. (*c*) cap. 9. (*d*) l. 4. Syl. (*e*) lib. 9.

Dæmonum nonniſi precibus, jejuniis fugari tradit (*a*) *Agricola*, hac de re videatur *Kircherus* in ſuo Mundo Subterraneo. A perito *Metallurgo Hannoverenſi*, qui nunc in Montanâ regione Mutinenſis agri, juſſu Sereniſſimi Noſtri, metallicas Venas ſcrutatur, accepi, fabuloſum non eſſe, ut putabam, id quod de hujuſmodi Dæmunculis in Fodinis ſtabulantibus tradunt. In Fodinis enim Hannoverenſibus, quæ in Germania ſatis ſunt celebres, mihi ſcriò aſſeruit, frequentes eſſe Foſſorum caſus, qui fateantur, ſe à Dæmonibus (quos Knauff Kriegen vocant) fuiſſe percuſſos, ac perſæpè duorum vel trium dierum ſpatio eos mori, quos ſi evaſerint ſaluti reſtitui. Horum Dæmonum ſubterraneorum fit quoque mentio in (*b*) *Actis Philoſophicis Soc. Reg. Anglicanæ.* Ab eodem quoque mihi narratum, in *Fodinis Goſlarienſibus*, ubi Vitrioli minera ſub pulveris forma cruitur, Operarios nudos opus ſuum exercere. Nam ſi veſtibus obtecti per integrum diem moram ibi traherent, iis egreſſis indumenta in pulverem totâ ſolverentur, quam ob cauſam forſan, qui *Galeni* ævo in Cypri Fodinis Chalcanthi aquam exportabant, nudi operabantur.

Cùm tot inexplicabiles mineralium mixturæ in terræ viſceribus exſtent concluſæ (licet etiam metallorum, & foſſilium, quæ habemus, natura, ac indoles, ex Chymicorum induſtria videatur ſatis perſpecta) impoſſibile fere eſt ſtatuere, quæ, & quales ſpecificæ noxæ in iis, vel illis Fodinis contineantur, & quomodo unam potiùs, quàm aliam partem afficiant; propterea ſimpliciter dicendum, Aërem illum concluſum, & per os hauſtum pro reſpirationis uſu, particulis Pulmoni, Cerebro, & ſpiritibus maximè infenſis, ſaturatum, ſtaſim in maſſam ſanguineam, ac ſpiritus inducere, unde præſto ſit malorum cohors.

Eorum igitur, qui Fodinis præfecti ſunt, nec non & *Medicæ Artis Profeſſorum*, qui in id operam ſuam locarint, munus erit, Foſſorum, quantum licebit, incolumitati proſpicere, ac eniti, ut, quando cauſam occaſionalem removere non liceat, Operarii quàm minimè lædantur. Cùm id genus hominibus igitur, ubi ægrotent, eodem penè modo erit agendum, ac cum iis, qui deſperatis morbis laborant, quibus medica præſidia, (*c*) & ſaltem quæ delinificam vim habent, non ſunt denegenda; Incurabilia enim cognoſcere oportet, ut quàm minimè lædant, ajebat *Hippocrates.*

Fodinarum Præfecti ad emendandum Aërem illum concluſum, & infectum, tum ob halitus, qui à minerali materia, & à Foſſorum Corporibus exſpirant, tum ob eum, quem accenſa lumina effundunt, pro more habent, machinis quibuſdam ſpiritalibus per Cuniculos cum Fodinis in fundo communicantes, aërem craſſum & veteranum extrudere, & recentem, ac puriorem immittere. Ocreis præterea, & Chirothecis Foſſorum crura, & manus munire ſolent, ne vitientur. Veteribus quoque magnæ curæ Foſſorum incolumitatem fuiſſe, ſatis conſtat, illos enim Culeis amicire conſueverant ex (*d*) *Jul. Pollucis* teſtimonio. Ori veſiculas laxas illigabant, ne pernicialem pulverem inſpirarent, & tamen per eas ſpectarent, ut de minium polientibus ait (*e*) *Plinius.* Modò in Fodinis præſertim Arſenici, vitreas larvas apponunt, tutius, & elegantius remedium, ut refert *Kircherus* loco citato.

Varia remedia præſcribit idem Auctor, tum pro præſervatione, tum pro curatione, quæ à perito Metallico accepiſſe ait; valdè celebrat liquorem paratum ex Oleo Tartari, Laudano, & Oleo ex Colchotare, ex quibus per diſtillationem liquor elicitur, quem ad gr. iii. vult exhibendum; ad præſervationem, pariter jura pinguia, & Vinum generoſum laudat; pro infectis autem Balſamum Urticæ, Magnetis, celebrat, ſuadet quoque, ut alimenta ſale nitri condiantur, & ſale ab alumine extracto. *Juncken* in Chymia ſua experimentali, ad vapores metallicos perdomandos

(*a*) l. 6. de re metall. & de ſubterran. (*b*) Tom. 2. *Menſ.* Nov. 1669. (*c*) de Arti. num. 68. (*d*) l. 7. c. 32. (*e*) l. 33. H. N. c. 7.

domandos Spiritum Salis dulcem commendat.

Pro faucium, & gingivarum eroſione, gargariſmata ex lacte egregiam præſtabunt operam, ut quæ particulas illas corroſivas inibi hærentes demulceant, ac abſorbeant; hanc ob cauſam *Agricola* loco citato Butyrum valde conferre ait iis, qui in plumbeis Fodinis operentur. Ubi verò crura, & manus vitientur, uti evenit in iis Fodinis, in quibus *Pompholyx nigra* eruitur, à (*a*) *Plinio* commendatur pulvis lapidis Aſii. Obſervatum enim fuiſſe ait, eos, quibus crura à metallis vitientur, in iis lapidicinis ſanari, in quibus lapis iſte reperitur. Forſan lapis iſte potis erat emendare metallicam acrimoniam, propter vim particularum erodentem, cùm hanc ob cauſam *Sarcophagus* appelletur. Lapidem hunc, qui in *Aſſo Troadis* naſcebatur, nobis ignotum eſſe ſcribit *Cæſalpinus* de Metallicis, (*b*) illique alium ſubſtituit lapidem, qui in Ilva reperitur, ubi alumen foſſile effoditur.

Ad affectus verò Aſthmaticos, ex fumis metallicis ortos, peculiaria quædam remedia proponit *Etmullerus* (*c*) de *Aëris* inſpiratione læſa; nihil enim ait, in tali Aſthmatis ſpecie ordinariis remediis profici. Ad hunc gravem affectum igitur, commendat Mercurium dulcem, Turpethum, purgantia per inferiora, Antimonium Diaphoreticum, Bezoarticum Solare, & ſimilia.

Cùm non levem noxam ex iiſdem mineralium halitibus Oculi perſentiant, remedium pariter ex minerali Regno petendum. Ophthalmiam à fumis metallicis factam, & externis remediis nihil obſequentem per interna mineralia curavit (*d*) *Horſtius*. Collyria tamen ex aëris ſquamma commendantur; norant id etiam Antiqui, nam ex (*e*) *Macrobio* conſtat, eos, qui in Fodinis æreis morantur, ſemper oculorum ſanitate pollere, *ob vim ſicciſicam*, ut ille ait, *quam æs poſſidet*, hancque ob cauſam Æs ab *Homero*, νώροπα χαλκὸν appellari; (*f*) *Celſus* quoque *Cleonis* Collyrium ex ſquamma æris, croco, & ſpodio paratum cæteris præfert. Nitrum quoque Collyriis commiſceri poterit; nam, teſte *Plinio* (*g*) *Operarii in nitrariis non lippiunt*, quod etiam recentiorum obſervatione conſtat. Summatim aptiora & valentiora remedia ad metallicos morbos expugnandos ex mineralium familiâ ut plurimùm petenda ſunt, providò ſanè Naturæ conſilio, ut unde malum profectum eſt, indè quoque ſalus proveniat; ſit malo nodo malus Cuneus, ut dici ſolet, adhibendus.

Neque verò Foſſores tantùm in Fodinis à metallicis peſtibus mactantur, verùm etiam multi alii Artifices, qui circa Fodinas operantur, graves noxas accerſunt, ut *Metallurgi* omnes, qui effoſſam materiam verſant, excoquunt, fundunt, ac repurgant. Iiſdem enim morbis obnoxii ſunt, quamvis non adeò graviter, cùm in Aëre liberiori miniſteria ſua peragant, temporis enim progreſſu, ob metallicos fumos, quos hauriunt, anheloſi fiunt, lienoſi, veternoſi, ac tandem in Tabidorum familiam tranſeunt. Paucis, ſed egregiè, (*h*) *Hippocrates* Metallurgi effigiem nobis depingit: *Vir Metallicus*, inquit ille, *hypochondrium dextrum intentum*, *Splen magnus*, *& alvus intenta*, *ſubdura*, *ſpirituoſus*, *decolor*, *huic in genu ſiniſtro recidiva*. En quot mala in Metallurgo illo delineavit *Divinus Senex*. Mirari autem hîc libet, quomodo *Valleſius*, diligentiſſimus alioquin Epidemiorum Commentator, locum iſtum tam frigidè tractarit; nullam enim animadverſionem circà dictionem illam, *Vir Metallicus*, ſicuti neque Expoſitorum quiſpiam ad hæc verba mentem appoſuit; (*i*) locum hunc tamen annotat *Galenus*, ſed ibi totus eſt in diſquirendo, quid per verbum illud, *Pneumatodes*, intellexerit *Hippocrates*, num Ventris inflationem, vel ſpiritum denſum. Profectò arbitrari licet, divinum Præceptorem unico verbo cauſam tot gravium affectuum indigitare voluiſſe. Metallurgiam enim exercentes, ut plurimùm anheloſi ſunt, lienoſi, al-

(*a*) l. 36. H. N. c. 17. (*b*) Cap. 51. (*c*) cap. 14. (*d*) l. 7. Obſ. 27. (*e*) l. 7. c. ult. (*f*) l. 6. c. 6. (*g*) l. 33 H. N. c. 10. (*h*) 4. Epid. n. 13. (*i*) 3. de Diff. Reſpir. cap. 12.

vos præduras habent, ac decolores habitus præferunt. *Foesius* dictionem illam, ἐκ μετάλλων, sic vertit: *Qui circa Fodinas versabatur*. Non solùm ergo Fossores, sed degentes, & operantes circa Fodinas malè plectuntur à metallicis exhalationibus, quæ vitales, & animales spiritus, quorum natura ætherea est, & pellucida, obfuscant, & totius corporis naturalem œconomiam pervertunt. His itaque eadem remedia, quæ superiùs proposita sunt, sed mitiori dosi præscribenda.

De Morbis Inauratorum.

CAPUT SECUNDUM.

AST, è Fodinis, & Vulcaniis Officinis, ubi *fervent, stridentque cavernis Strictura Chalybum, & fornacibus ignis anhelat*, in Civitates ipsas migremus, in quibus non desunt Artifices, quibus mineralia crucem figunt. Quas diras labes ex *Mercurio* referant Aurifices, qui potissimum in deaurandis argenteis & æneis operibus occupati sunt, nemo non novit. Cùm enim non nisi per amalgamationem id peragi possit, dum postea *Mercurium* igne propellunt, non tam cauti esse possunt, licet faciem avertant, quin virosos halitus per os excipiant, quare hujusmodi Artifices vertiginosi, asthmatici, paralytici citissimè evadunt, habituque cadaverosos contrahunt. Perpauci ex hisce Artificibus in tali opificio consenescunt, ac si non tam citò occumbant, ad tam calamitosum statum deveniunt, ut illis mors sit in votis. Iis collum, & manus tremere, dentes excidere, Crura vacillare, cum Sceletirbo, scripsit *Junchen* in Chymia sua Experimentali; hoc idem testatur (a) *Fernelius* de abditis rerum causis, & in libro de lue Venerea, ubi casum miserabilem Aurifabri refert, qui dum argenteam supellectilem deauraret, hydrargyri vapore admisso, stupidus, surdus, ac planè mutus evasit. Haud dissimilem historiam tradit *Foresius* (b) de Aurifabro, qui ob Mercurii fumos incautè exceptos factus est paralyticus. In *Actis Medicis Haffniensibus* elegans *Olai Borichii* observatio exstat de quodam Teutone, qui vitam deaurandis laminis degebat; hunc, dum incautiùs in hoc opere argenti vivi fumos hausisset, in magnam capitis vertiginem incidisse, ait, una cum gravi pectoris angustiâ, facie cadaverosâ, asphyxiâ, artuum tremore, ut jam jam moriturus crederetur, quem restitutum ait, sudore variis alexipharmacis elicito, ac præcipuè decocto radicis pimpinellæ, & saxifragiæ: Putat Vir Clarissimus, Corpuscula fumantis Mercurii minutissima nervis impacta tremorem accersisse, ac simul in massam sanguineam admissa, naturalem illius motum impediisse. Nimius essem, si historias omnes hujus generis, quæ apud *Medicos* Scriptores exstant, hic recensere vellem. Satis enim frequentes sunt hujusmodi casus, in magnis præsertim Civitatibus, & nostrâ hac ætate, in quâ nihil cultum, nihil satis elegans videtur, nisi auro splendescat, adeò ut in Magnatum Dominibus matulæ, & egestoriæ Sellæ deauratæ spectentur, cariùsque egeratur, quàm bibatur, ut olim de quodam lusit *Martialis*.

Mihi nuper observare contigit Juvenem inauratorem, qui postquam per duos menses decubuisset, tandem mortuus est; hic ab exhalante *Mercurio* sibi parùm cavens, cachecticum habitum primò contraxit, postmodum facies illi facta est lurida, & cadaverosa, oculi turgidi, gravis anhelitus, mentis stupor, totius corporis torpor; huic graveolentia ulcera in ore suborta sunt, è quibus sanies teterrima magnâ in copiâ continuò stillabat. Hic tamen interiit sine ullo febrilis caloris vestigio. Id mihi profectò non parvæ admirationi fuit, cum non satis perciperem, quomodò ex tanta humorum putredine, nulla excitaretur febrilis incalescentia. Cum

(a) Sc. 5. de Mer. l. 2. cap. 7. (b) Vol. 2. p. 196.

Cum Scriptores consulerem mirari desii; refert (a) *Ballonius*, quendam luis Venereæ suspectum, ac simul Quartanâ laborantem, ex litu hydrargyri à Quartanâ sanatum, ptyalismo tamen excitato. *Fernelius* (b) pariter de Lue Venerea, casum memorat cujusdam, cui per oculos stillabat liquatum Cerebrum, & ad multos annos vixit sine febre, ac tandem mortuus est, hunc tamen prius hydrargyro inunctum fuisse ait; Quomodò autem nunquam febricitarit, ipse quoque *Fernelius* se admiratum fuisse ingenuè fatetur; in secundo tamen de abditis rerum causis, (c) rationem aliquam videtur afferre, cur febrilem incandescentiam Mercurius ita compescat, aitque vi narcoticâ id agere eâdem facultate, quâ dolores quoscumque sopire, & sanguinis eruptiones sistere potis est, eâdem prorsus bilis quoque ardorem compescere, atque exesiones retundere. An ergo quid febrifugi latet in hydrargyro? Forsan dies aliqua ex Minerali Regno Febrifugum aliquod, non sub gripho, uti *Riverius*, sed candidè ac apertè Medicæ Arti largietur, sicuti ex Vegetabilium familiâ famosum febrifugum *Peruvianum* habemus, & Antidysentericum remedium nuper detectum, de quo Tractatum edidit Clariss. *Leibnitius;* in hac tamen re experientiam consulere non abs re foret, neque temerarium consilium esset in febribus intermittentibus purgationes mercuriales instituere, ut ex Mercurio dulci, remedio non adeò metuendo; cauto tamen opus est; Mercurius etenim Equo indomito persimilis est, quoties in manus imperitas inciderit, ut ait laudatus *Borichius* casum illustris Viri referens, cui ardentissimâ febre laboranti duos pulvillos argento vivo plenos *Agyrta* quidam in carpo apposuit, unde febrilis calor quidem, sed una cum nativo & vitali, exstinctus est: adeò suspecta sunt beneficia, quæ ab hoste tam infido, ac versipelle proveniunt, ut de *Medicorum* Mercurio aptè dici possint, quæ de suo Mercurio commentus est *Poëtarum Princeps.*

Animas ille evocat Orco,
Pallentes alias ad tristia Tartara mittit.
Dat somnos, adimitque & lumina morte resignat.

Ut verò è via in semitam redeamus, ad corrigendas noxas ab Hydrargyri afflatu illatas, consulendi erunt Scriptores, qui de Venenis, & mineralibus scripsere; in universum commendantur ea, quæ vim possident spiritus, & cruoris massam in motum ciendi, sudoresque promovendi. *Mercurius* enim plerumque id habet, ut torporem inducat, veluti prænarrata accidentia ob fumos mercuriales per os susceptos satis testantur, & autopsia ipsa ostendit, sanguine concreto intra cordis sinus reperto, ut in Simiâ apud *Avicennam*, quæ Argentum vivum biberat. Sic aquæ omnes Cardiacæ spirituosæ, ipse quoque Vini Spiritus, erunt ex usu. Spiritus Salis Armoniaci, Therebinthinæ, Petroleum nostrum, Sales volatiles, ut Sal volatile Cornu C. Viperarum, & alii hujus naturæ commendantur; Theriaca ob vim opii meritò suspecta est. Decoctiones quoque ex plantis alexipharmacis, ut ex Card. B. Scordio, *Scorzonera* & similibus, efficaciores sunt, quàm aquæ ex iisdem destillatæ, quæ, ut scitè ait *Helmontius*, Plantarum sudores sunt. *Falloppius* noster, ubi Metallis, & Fossilibus, Auri scobem, & illius folia proponit, cum nihil sit, cui arctiori complexu promptiùs nubat Mercurius, quàm Aurum. Decoctum ex Guajaco à *Martino Lyster* in Exercitatione de lue Venereâ, ob vim piperatam, quâ Guajacum pollere ait, & quam gustu præfert, laudatur ad emendandas noxas, quas Mercurii virosa exhalatio invexerit. *Poterius* (d) in Pharmacopœâ Spagyrica Sulphur sublimatum in Vino infusum commendat, adversus mercuriales morbos, ac præcipuè in iis, qui casu aliquo fumum Mercurii exceperint, vel qui mercuriali unctione perunctí fuerint. Ubi verò ob humorum abundantiam, necessaria sit purgatio, multò validiora medicamenta adhibenda, quam in aliis affectibus, idque ob torporem inductum, & vim sentientem stimulis minùs auscultantem. Stibiata utramque paginam egregiè absolvent;

(a) l. 2. Epi. p. m. 131. (b) cap. 7. (c) cap. 14. (d) Sc. 3.

à phlebotomiâ verò, cane pejus, & angue, ut dici ſolet, cavendum; ſpiritus enim ac humoralis maſſa impulſore indiget, non ſufflamine. Antiquis mos fuit, ut memorat *Plin.* in Minii, & Argenti vivi foſſione, laxis Veſicis faciem obligare; *Kircherus* in ſuo Mundo ſubterraneo vitreas perſonas, ut ſuperiùs dictum, magis ex uſu eſſe ait ad exhalationes arcendas, ne per os irrepant. Exercitium pariter imperandum, ut Corpus incaleſcat, & habitatio in calido Conclavi propè ignem luculentum laudatur; nihil enim eſt quod magis averſetur Mercurius, quam Ignis, à cujus præſentiâ ut avolet, *pedibus talaria nectit.*

Admiratione autem dignum eſt, quomodò Mercurius, qui Vermium unicum remedium vulgò audit (ut ad necandos Puerorum Vermes, nihil illo ſit efficaciùs, & innoxiè, vel infuſus in aquâ vel decoctus, atque etiam cum conſervâ aliquâ permixtus exhibeatur) talis ſit ut illius fumi & exhalationes per os & nares ſuſceptæ, adeò perniciosæ ſint, ut temporis fere momento tantùm non enecent, uti paſſim in Fabris argentariis deaurantibus videre eſt. An id fieri credendum, eò quia Mercurius, ab ignis violentiâ, diſſolutâ illius compage, in tenuiſſimas particulas valdè penetrantes redigatur, ſicque per os, & nares exceptus Pulmones, Cor, & Cerebrum pervadat? hoc enim pacto faciliùs Spiritus animales obnubilare, ac Narcoſim in totam fluidorum maſſam invehere poterit, ubi illius infuſio, ſeu decoctio, atque etiam ad uncias, & libram, per os exhibitio, ut in Iliacâ paſſione, nulla ex prænarratis accidentibus inducit, cùm in Animalium corporibus tantam caliditatem non reperiat, quæ ſatis ſit ad illum diſſolvendum, ac in halitus convertendum, imò integritatem ſuam ſartam tectam ſervet, ac ponderoſitate ſuâ ſibi viam ad exitum paret, obices quoſcunque perrumpendo, ut Antidoto fuerit Zelotypo cuidam apud *Auſonium*, cui Uxor mœcha Toxicum propinavit, ac poſtmodum, ut necem celeraret, argentum vivum exhibuit. Ita fit, ut Ignis, qui venenorum eſt domitor, quædam, alioquin innoxia, ad venenoſam naturam deducat, ſeu venena magis exaltet, & acuat. Refert (a) *Ambroſius Paræus*, *Clementem Septimum Pont. Max.* præeuntis venenatæ facis toxico, per fumum in corpus admiſſum interiiſſe, aitque *falſam*, *ac in vita malè cautorum perniciem*, *fictamque rationem eſſe*, *putare*, *ignem omnia perpurgare*, *& luſtrantibus viribus conſumere.* Quare, num graſſante peſte, opportunum ſit, ac publicæ incolumitati benè conſultum, infeſtorum ſpolia ac ſupellectilem exurere, an conducibilius eſſet iſthæc cum cadaveribus altè defodere, licet mos obtinuerit, ut cuncta flammis tradantur, haud immeritò videtur dubitandum. Profectò apud *Romanos* lege 12. Tabularum cavebatur, ne Cadaverum uſtrina intra Urbem, neque propè Ædes alienas fieret, ac potiſſima cauſa erat, ne aëris puritas exhalante fumo inquinaretur. Ignis itaque pro diverſitate ac miſcellâ corporum in quæ agit, varios ac diverſos effectus producit, ita ut venena modò pandat, modò concentret; exemplum ſatis manifeſtum admiratione tamen dignum, habemus in *Mercurio*, qui licet ſine gravi noxâ bibatur, cum ſalibus tamen ſublimatus, corroſivam adſciſcit naturam, quæ poſtea per additionem Mercurii vi ignis miteſcet, unde Mercurius dulcis fit, qui ritè paratus inter remedia phlegmagoga, & Veneream luem exſtirpantia, non poſtremum locum obtinet.

(a) l. 20. de Venenis cap. 7.

De Jatraliptarum Morbis.

CAPUT TERTIUM.

HAud ſecus noſtrorum temporum Jatraliptis, ſeu Chirurgis unctoribus eorum, qui à lue Venereâ peſſimè habeant, neque ullo alio remedio ſanari potuerint, Mercurius

rius infestus est. Inter cætera remedia, quæ ad perdomandam Gallici Morbi ferociam *Medicorum* solertia invenit, (ubi primùm dira hæc pestis ex obsidione Neapolitanâ *Italiam* nostram pervasit, ac exinde tanquam fulgur *Europam* totam pervagata est) primas tenuit *Mercurius*, & continuatâ duorum Seculorum experientiâ adhuc tenet. Notarant antiquiores *Medici*, nihil ad ferinam scabiem exterminandam Mercurio esse valentiùs, quare analogismo procedentes, cùm observarent, gallicâ lue infectos, cutem habere pustulis & ulceribus defœdatam, usum Mercurii feliciter experti sunt. Unctionis Mercurialis primus Auctor fuisse dicitur *Iacobus Berengarius*, *Carpus* à patriâ vulgò dictus, illorum temporum celeberrimus Chirurgus & Anatomicus, ut illius opera testantur, ex quibus, utpote rarissimis, recentiores Anatomici tot ac tanta decerpserunt, nomine illius omisso. *Fallopius* noster in Tractatu de Morbo Gallico refert, *Iacobum Carpensem ex sola curatione Gallici morbi cum his inunctionibus lucratum esse plus quàm quinquagenta millia ducatorum aureorum, & multos quidem interfeciſſe, quamvis majorem partem sanaverit.* Melius profectò, quàm Alchymistæ, novit Iatralipta ille vera metamorphosi Mercurium in aurum transmutare, rarâ quidem felicitate, ac à nostris temporibus toto cœlo diversâ, quam ipse quoque *Sennertus* est admiratus.

Modò, qui Gallicâ lue infectos mercuriali unguento solent inungere, è Chirurgis vilioribus sunt, qui lucri causâ in hoc negotio exercentur, præstantioribus Chirurgis tam sordidum ministerium, & periculosæ aleæ plenum opus aversantibus. Licet autem chirothecâ in hac re uti soleant, non satis tamen munire se possunt, quin mercuriales atomi corium, per quod Mercurius alioquin exprimi solet ac perpurgari, pervadant, & Unctoris manum pertingant; neque pariter fieri potest, quin cùm ad ignem luculentum opus hoc peragi soleat, pravæ exhalationes per os, & nares corporis penetralia subeant, Cerebro & nervis diram labem affricando. *Fab. Hildanus* (*a*) casum refert Mulieris, quæ cum in Hypocausto marito suo assideret, dum Unguento ex Mercurio inungeretur, solo aëre illo mercuriali per os susceptо, talam salivationem passa fuerit, ut ulcera in faucibus eidem supervenerint. Manus tremere iis, qui venereâ lue infectos hydrargyro sæpiùs inunxerint, scripsit *Fernelius* (*b*) de lue venereâ. Gravem vertiginem tenebricosam, & continuam Chirurgo Unctori subortam, cùm lue gallicâ infectum solitâ unctione perunxisset, tradit *Frambesarius*.

Nullam in hoc negotio saniorem cautelam hisce unctoribus suggerere possem, (*b*) quàm eam, quâ utitur Chirurgus noster, qui cum suo periculo didicisset, lucrum non æquari dispendio, dum talem Unctionem sibi magis adversam, quàm iis, quos perungeret, expertus esset ab alvi fluxu, torminibus, & multâ salivatione malè mulctatus, unctionem quidem mercurialem parat, ægrisque assistit, qui ungendi sunt, sed præcipit, ut ipsimet se ipsos propriis manibus inungant, quod sibi, & illis magis salutare esse ait, dum ipse nullum subit periculum, & ipsi ex tali motu brachiorum incalescentes, penetrantiorem reddunt illinitionem, nec quicquam timere debent ab eo remedio, à quo suis cruciatibus solamen sperant. Si porrò hujusmodi Aliptæ ex hydrargyrosis labem aliquam contraxerint, veluti tremorem manuum, vertiginem, alvi tormina, ut superiùs diximus, Guajaci decoctum pro remedio erit. Sicuti enim Mercurius venerei veneni insignis domitor est, ita noxarum, quas Mercurius invexerit, torporem, & nervorum imbecillitatem inferendo, Guajacum corrector erit, ut quod vim fundendi, nec non sudores promovendi possideat. Sic persæpè bina hæc Remedia palmaria junctis viribus Gallicæ luis curationem ex asse absolvunt, ut Guajacum primò velitatione quâdam Gallicum morbum aggrediatur, & extenuet, mox Mercurius fortiorem pugnam capessat, postremò idem Guajacum hostem conficiat, & reliquias pessundet.

(*a*) Cent. 5. Obs. 98. (*b*) cap. 7. (*c*) l. 2. Conf. 3. Etmul. T. p. c. 8. de Vertigine.

De Chymicorum Morbis.

CAPUT QUARTUM.

QUamvis Artem cuncta mineralia cicurandi tenere se jactitent Chymici, non impunè tamen ipsi quoque ab illorum vi perniciali evadunt; easdem enim persæpè noxas ac alii Artifices accersunt, qui circa mineralia exercentur, ac si verbis id pernegent, faciei colore satis fatentur. Refert *Leonardus è Capua*, *Theophrastum*, & *Helmontium*, duos celebres Chymicos gravissimas noxas è suorum medicamentorum præparatione reportasse. *Juncken* (*a*) in Chymiâ suâ Experimentali de Antimonio tradit, quòd dum Stibium pulverizatum fumigatur pro conficiendo Vitro Antimonii, Operarii fiunt Pneumonici, & Vertiginosi. *Ettmullerus* (*b*) ingenuè fatetur, quòd cum esset perfectè sanus, & Clysmum Antimonii præpararet, fortè fractâ retortâ tubulatâ, fumum ex Sulphure & Antimonio hausisse, tussique ad quatuor Septimanas vexatum fuisse, cujus nullam aliam causam ipse agnovit, quàm fumum illum acidum, Spiritus organa asperantem. Satis curiosum est, quod sibi accidisse fatetur *Tachenius* (*c*) in suo Hippocrate Chymico; refert enim, quòd cum Arsenicum sublimare vellet, donec in vasis fundo fixum permaneret, & post multas sublimationes vas aperuisset, suavem quendam odorem multâ cum admiratione percepisse, sed post semihorulam stomachum dolentem, confractum, sensisse, cum difficultate respirandi, sanguinis mictu, colico dolore, ac omnium membrorum convulsione. Olei & lactis usu se mediocriter restitutum ait, verùm per integram hyemem febre lenta hecticæ simili mulctatum fuisse, à quâ decocto ex herbis vulnerariis, & esu summitatum brassicæ tandem se expediit. *Carolum Lancillottum*, Chymicum nostratem, satis celebrem, ego novi tremulum, lippum, edentulum, anhelosum, putidum, ac solo visu medicamentis suis, Cosmeticis præsertim, quæ venditabat, nomen, & famam detrahentem.

Absit tamen, quòd studium hujusmodi laborem improbum existimem; utique laudandi sunt Chymici, ut qui ad rerum abstrusarum tentamen, & corporum naturalium scientiam ditandam intenti, publico bono animas suas litare non timeant; neque culpandi sunt, si in castiganda mineralium virulentia non satis cavere queant. Adstent enim necessum est, ac totum processum ad Ignis examen, ac fumum Carbonum observent, si medicamenta ritè parata esse debeant, ac tutò exhiberi possint, minima siquidem variatio, & incuria in Chymicis remediis elaborandis, illorum qualitates sic immutare posse, ut in Venenorum Classem transeant, ait *Renat. Carteſius*. In hanc rem *Juncken* (*d*) quoque in sua Præfatione ait, Chymica medicamenta salvâ conscientiâ non posse à *Medico* exhiberi, nisi ejusdem manu fuerint parata, sive à perito Chymico illa viderit elaborari. Sicuti ergo Equisoni non imputandum, si Equum ferocem ac refractarium perdomando, ab eodem aliquandò dejiciatur, & calces referat; sic ridendus non est Chymicus, si interdum è suis Laboratoriis squallidus exeat ac attonitus, tanquam unus ex Orci familia.

Paucis ab hinc annis, lis non parva exorta est inter Negotiatorem quendam Mutinensem, qui in Oppido hujusce Ditionis, Finali dicto, Laboratorium ingens habebat, in quo Sublimatum fabricabatur, ac inter Civem Finalensem. In jus vocavit Finalensis Negotiatorem hunc, instando, ut Officinam extra Oppidum, vel aliò transferret, eò quòd totam viciniam inficeret, dum Vitriolum in Furno Operarii calcinarent pro Sublimati fabrica. Ut verò accusationis suæ veritatem comprobaret, *Medici* illius Oppidi

(*a*) Sc. 5. (*b*) T. 2. de Tuss. p. m. 203. (*c*) cap. 23. (*d*) Ep. 17.

di atteſtationem afferebat, ac inſuper Parochi Necrologium, quò conſtaret, multò plures in illo Vico, & locis Laboratorio proximioribus, quàm in aliis, quotannis interiiſſe. Ex Tabe autem, ac morbis pectoris præcipuè, mori ſolere, qui in illâ viciniâ habitarent, teſtabatur *Medicus*, qui fumum Vitrioli exhalantem maximè culpabat, & proximum Aërem inquinantem, ut Pulmonibus infeſtus, & hoſtilis redderetur. Negotiatoris cauſam ſuſcepit D. *Bernardinus Corradus*, rei tormentariæ in Eſtenſi Ditione Commiſſarius, Finalenſis verò, *D. Caſina Stabe*, illius Oppidi tunc *Medicus*. Variæ propterea ultrò citròque editæ ſunt ſcripturæ ſatis elegantes, in quibus acriter de fumi umbra diſputatum eſt. Negotiatori tandem favêre Judices, & Vitriolum ex capite innocentiæ abſolutum; an Juris peritus ac in re ritè judicârit, Naturæ Conſultis judicandum relinquo.

Ut ad penſum meum redeam, Chymicis injurium me crederem, ſi remedium aliquod, ſive præſervativum, ſive curativum, quotieſcunque ex Arte ſuâ damni plus quàm lucri referunt, proponerem, cum nullus penè ſit morbus, cui ſanando, è Narthecio, ut dici ſolet, Chymici promptum ac paratum non habeant remedium; quare ad alias Officinas lubet divertere.

De Figulorum Morbis.

CAPUT QUINTUM.

NEque deſunt in omnibus ferè Civitatibus alii Artifices, quibus metallicæ peſtes, labem non parvam affricare ſolent, inter quos Figuli; quæ enim Civitas, quod Oppidum, in quo *Figlina*, Artium antiquiſſima, non exerceatur? Hi ergo cum plumbo uſto, & calcinato indigeant, ad vaſa vitreanda, dum Plumbum in vaſis marmoreis molunt, lignum teres è Tholo ſuſpenſum, illique in alterâ extremitate quadratum lapidem affixum circumagendo, ſeu cum vaſa, antequam in Fornacem indantur, liquato plumbo penicillis obliniunt; totum id, quod virulenti habet plumbum, aquâ ſic liquatum, ac diſſolutum, ore, naribus, ac toto corpore adſumunt, ſicque graves noxas non multò poſt perſentiunt. Nam & ipſi in manuum tremores incidunt primò, mox paralytici fiunt, lienoſi, veternoſi, cachectici, edentuli, ut rarò Figulum quis videat, cui non ſit cadaveroſa & plumbea facies. In *Actis Haffnienſibus* (*a*) caſus memoratur Figuli, cujus Cadavere aperto, repertus fuit Pulmo dexter coſtis adnatus, ad ariduram ac phtiſim vergens; culpabatur autem hujus malæ Pulmonum Conſtitutionis Ars, quam exercuerat; Artem enim Figulinam didicerat, quam æger ipſe ſibi parum ſalubrem expertus, jam, ſed non ſatis tempeſtivè, deſeruerat. *P. Poterius* (*b*) tradit, Figulum Paralyticum factum in dextro latere cum Vertebris diſtortis, ut Collum obriguiſſet; hunc ait à ſe curatum decocto ligni Saſſafras, (*c*) & baccis lauri; pariter hiſtoriam narrat alterius Figuli, repentina morte exſtincti.

Hujuſmodi affectibus torqueri ſolent, qui in Figlinis operam ſuam locant, plumbum tractando. Admiratione dignum eſt quomodò Plumbum (ex quo, Chymicorum ſolertiâ, tam magna ſalubrium remediorum ſupellex emanat, tum pro internis, tum pro externis malis, ut Chirurgorum Columna vulgò audiat) tam prava ſemina in ſinu recondat, & per ſolam exhalationem exſerat dum conteritur, & aquâ diſſolvitur, ut tam malè afficiantur Figuli qui illius operâ indigent. Mirari autem deſii, cùm, teſte experientiſſimo *Boylæo*, mihi innotuit, Argentum vivum, temporis ferè momento, Plumbi fuſi vapore figi, ac ſolidari; adeò ut, ſicuti eleganter *Truſthonus* in Diatribâ de reſpirationis uſu, id quod cum Marte Vulcanum feciſſe ajunt

(*a*) Vol. 2. Obſ. 21. (*b*) Cent 2. cap. 36. (*c*) Cent. 3 cap. 40.

ajunt *Poëtæ*, idem prorsus faciat Saturnus cum Mercurio, illi compedes injiciendo. Mirum itaque non est, si Saturnus à molâ lapideâ ita contritus, licet frigidæ naturæ, in Tortores suos sic incandescat, dum Figulos, tam dira labe adspergit, in sanguinem ac spiritus torporem invehendo, ac illorum manibus Crucem figendo.

Inesse autem Saturno spiritum acidum, acerrimum, penetrantissimum, austerum testantur omnes Chymici ac suo periculo satis norunt Depuratores Auri, & Argenti ob plumbi mixturam; tali enim acrimoniâ pollere spiritum Plumbi tradunt *Collect. Chymicæ Leyden.* (*a*) Auctores, *ut si quis ore, vel naribus, dum instituitur cupellatio, vapores è plumbo exhalantes excipiat, exinde suffocari possit, ac qui parùm caverint, omnium dentium casum pati soleant.*

Cùm Instituti mei ratio ad lustrandas Artificum Officinas (si ritè in explorandis morborum causis occasionalibus, quibus Operarii tentari solent, pensum meum vellem absolvere) identidem me compelleret, mentem lubido incesserat, ut hic loci animadversiones aliquot in Figlinis à me factas recenserem circa mechanicum artificium fictilia vitreandi, quod artificium, sicuti antiquissimum est, uti ex erutis è terra ruderibus satis constat, ita perneccessarium est. Nam si modum vasa fictilia vitreandi non haberemus, nimio sumptu stannea, & cuprea Vasa pro re coquinaria, & mensarum supellectile, adhibere cogeremur. Etenim non minùs admiratione, quàm disquisitione dignum credidi, quomodò scilicet opera figlina priùs cocta in fornacibus, mox plumbo calcinato, & cum pulvere silicum contrito liquatoque oblinita, rursusque Fornacibus indita, vi ignis vitreatam crustam illam induant, quâ fit, ut magno usui sint in omnibus penè rebus; nihilque magis inculcent Chymici, quàm quòd in Spagyricis operationibus perficiundis vitreata vasa adhibeantur. Verùm ab hujusmodi negotio non tam promptè expedire posse me sentio, quin multùm à proposito meo digrederer, veritus propterea; ne mihi, ubi de figulari materiâ agitur, justè obtrudi possit Horatii illud:

Amphora cœpit,
Institui, currente rota cur Urceus exit?

Consilium hoc meum seponam, cui forsan occasione magis propriâ indulgebo in opere, quod meditor de *Artium Mechanica Rationali.*

Quoad hujusmodi Artificum curationem attinet, perrarò talia remedia adhiberi possunt, ut integræ sanitati restitui queant. Cùm enim auxiliares *Medicorum* manus non exposcant, nisi cùm manibus, & pedibus omninò capti sunt, & viscera prædura habeant, ac simul aliud malum, summa nimirùm paupertas, illos premat, ad Pauperum Medicinam confugiendum erit, & ea præscribenda, quæ morbum saltem leniant, eos imprimis monendo, ut Artem deserant. Purgationes Mercuriales, ut ex Mercurio dulci cum Electuario lenitivo ad plures dies aliquandò utiliter adhibui, nec non illinitiones ex petroleo nostro manibus & pedibus. Chalybeata remedia, quæ non multæ sunt impensæ, ad Viscerum duritiem emolliendam, ad longum tempus tamen adhibita, non levem præstabunt operam; sola Chalybis limatura cum Cinnamomo in Vino infusa, cæteris martialibus remediis chymicè paratis, veluti forsan efficacior, & miseræ horum Artificum conditioni minus gravis, erit præferenda.

Cùm in Figulorum Officinis varii sint Operarii, ac alii in creta manibus ac pedibus versanda, subigenda, occupati sint; alii sedendo ad rotam tornatilem vasa conforment, non omnes propterea Figuli superiùs recensitis affectibus tentari solent; quod seriò advertendum, ne solo Figuli nomine audito, ad remedia noxas è minerali materia contractas corrigentia, confugiamus, omnes tamen, cùm semper terram mollem tractent, ac in locis humidis degant, ut plurimùm luridi sunt, decolores, cachectici, ac ferè semper valetudinarii. Qui tamen ad rotam sedentes, illam pedidus circumagendo, vasa confingunt, si alioquin oculorum imbecillitate laborent, vertiginosi fiunt, sicuti etiam nimis pedes defati-

(*a*) cap. 165.

defatigando, non rarò Ischiade tentari solent, idcircò iis remediis, quæ ad hujusmodi affectus à Practicis præscribi solent, si non malum prorsus tollendum, saltem leniendum, illis erit succurendum.

De Stannariorum Morbis.

CAPUT SEXTUM.

Stannum, quod *Plinius* Plumbum album vocat, Chymici verò *Jovem*, ac medium volunt inter Lunam, & Saturnum, non vulgarem habet usum in privatis Civium domibus, ad illorum mensas nobilitandas, nec non apud fusores metallorum pro conflandis Tormentis bellicis, Campanis, aliisque rebus, atque etiam apud Chymicos, qui ex stanno ad varias corporum ægritudines parare norunt varia remedia, uti butyrum Jovis, crystallos, bezoarticum joviale, & alia hujuscemodi. Stannum igitur, non solùm in Fodinis, sicuti omnia metalla, dum eruitur, ac dum extra Fodinas excoquitur & repurgatur, suos Operarios lædit, sed etiam in mediis Civitatibus eosdem, dum lances veteres fundunt, ac renovant, & scalpris nitorem conciliant, malè plectit. Stannarii itaque ea symptomata pati solent, quibus obnoxii sunt Plumbi fusores, & molitores, quales Figuli; constat enim ex Mercurio, & Sulphure acri, quare cùm illud fundunt Operarii, non possunt, quin pernicioſos halitus per os excipiant.

Satis curiosam historiam de Stannario quodam habemus apud *Etmullerum* (*a*) in Collegio Consult. Artificem hunc ait primò tussi, mox tantâ anxietate, ac respirandi difficultate correptum, noctu potissimùm, ut lecto exsilire, fenestras aperire, auram recentem inspirare, & per totam domum noctambulus vagari, donec inciperet dies albescere, quo tempore omnia silebant accidentia; tam gravium Symptomatum causam Vir Experientissimus acceptam refert fumis mercurialibus Metallorum. In Jove etenim multum Antimonii volatilis luxuriare ait, quod cum nitro mixtum vim fulminantem adsciscit; talem Asthmatis speciem inter affectus convulsivos refert, plexu nerveo nimirum in spasmum adacto, & Pulmonum expansionem prohibente.

Hujusmodi Artifices in Civitatibus passim visere est, ac ubi Medicam opem exposcant, iisdem cautionibus erunt curandi ac cæteri Metallurgi; Ad pectus tamen, tanquam primam morbi sedem, primò respiciendum, præcipuæ enim illorum querelæ de anhelitus anguſtiâ sunt. Curandi itaque erunt tanquam asthmate montano laborantes cavendo ab iis, quæ vi exsiccandi polleant; Butyrum potiùs, lac, emulsiones ex amygdalis, & melonum seminibus; ptisanæ hordeaceæ, & similia erunt ex usu.

Remedia quoque jovialia superiùs enumerata possent præscribi, ac præcipuè *antihecticum Poterii*, quod ex regulo antimonii & jove paratum dicitur, nam ut superius dictum, noxæ quas metalla inferunt, non nisi metallicis remediis emendantur.

(*a*) Casus 17.

De Vitriariorum, & Specularіorum Morbis.

CAPUT SEPTIMUM.

IN universâ Artificum Republicâ non esse, qui rectiùs sapiant, existimo, quàm qui Vitrariam exercent. Ii etenim, ubi 6. mensium spatio operati fuerint (hyeme scilicet, ac vernali tempore) ab opere feriantur, & ubi 40. ætatis annum attigerint, opportuna

abdicatione Arti ſuæ Vale dicunt, ac reliquum vitæ tempus exigunt, iis perfruendo, quæ in otia tuta repoſuere, vel alteri opificio operam ſuam impendunt. Intolerandus profectò ad longum tempus eſt tam improbus labor, qui hujuſmodi Operarios exercet, & qui non niſi à robuſtis hominibus & in vigenti ætate ſuſtineri poſſit. Innoxiam quidem eſſe ex ſui natura maſſam illam ex vitro fuſam, ac in fornacibus fluitantem, ſeu labem, ſaltem ſenſibilem ſuis Artificibus non affigere exiſtimo, cùm nullæ ipſis de hoc ſint querelæ, neque ullus gravis odor in Vitrariis Officinis nares percellat. Non vacat hic in maſſæ illius ex qua Vitrum conflatur naturam, neque in mechanicum artificium, quo, flatu mediante, Vitra figurantur, altiùs inquirere; ſolùm, quòd rem meam ſpectat, noſſe ſufficiat, quòd quicquid noxii ab hujuſmodi opificio hiſce Artificibus advenit, totum ab ignis violentiâ, & quorundam mineralium mixturâ ad coloranda interdum vitra proficiſcatur. Cùm igitur ſeminudi, rigenti hyeme, ad ardentiſſimas fornaces continuò adſtent, vitrea vaſa conflando, oculorum acie in ignem, & Vitrum fuſum ſemper intentâ, non poſſunt quin gravibus noxis afficiantur. Oculi itaque primum ignis impetum ſuſtinent, propterea acri lippitudine perſæpe infortunium ſuum plorant, & gracileſcunt, illorum naturâ ac ſubſtantiâ, quæ aquea eſt, à nimio ardore exhauſtâ, ac abſumptâ. Siti quoque inexplebili eandem ob cauſam continuò vexantur, ut frequenter cogantur bibere; Vinum autem lubentiùs, ſed immoderatè, quàm aquam potant, aquam enim, ubi quis quacumque ex cauſa nimio ardore exæſtuet, nocentiorem, quàm Vinum exiſtimant, ob multos caſus eorum, qui æſtuantes frigidâ epotâ, ſubita morte occubuerint.

Morbis quoque Pectoris, obnoxii ſunt; cum enim pectora Aëri ſemper habeant expoſita ſolo induſio contenti, illiſque tandem, peracto opere, ex Vulcania illa Officina ad alia loca frigidiora exeundum ſit, nequit Natura, ut ut fortis, ac robuſta tam graves ac ſubitas mutationes diù tolerare; hinc Pleuritides, Ahſtmata, ac tuſſes diuturnæ contingunt.

Longè verò pejora infortunia ſubeunt, qui Vitra colorata pro armillis, ac mundo muliebri plebejo, aliiſque uſibus, conficiunt; cùm enim ad colorem Cryſtallo conciliandum illis neceſſe ſit *Boracem* calcinatum, ac *antimonium* una cum aliqua auri portione, & hæc omnia in pulverem impalpabilem contrita cum Vitro commiſcere, ut exinde paſtam conficiant pro tali opere, non poſſunt dum id agunt (ut ut faciem obvelent, & avertant) quin pravos halitus ore excipiant; quare perſæpè evenit, ut nonnulli ex illis exanimes concidant, ac interdum ſuffocentur, ſeu temporis progreſſu ulcera in Ore, Oeſophago, & Trachea iis ſuboriantur, ac tandem in Tabidorum familiam tranſeant, Pulmonibus ulceratis, ut ex cadaverum apertione manifeſtè patuit.

Non parùm equidem mecum ipſe demiratus ſum, quomodò mixtura hæc *Boracis & Antimonii* cum vitreâ maſsâ tam perniciale vim adſciſcat; rem tamen ita ſe habere, licet hujus non ſim oculatus teſtis (cùm hæc Civitas officinam Vitriariam quidem habeat, ſed in quâ Vitra non colorentur) perſuaſum habeo, utpote per literas mihi communicatam ab Excellentiſſimo *D. Joſeph. de Grandis*, olim in Mutinenſi Gymnaſio Auditore meo, qui nunc Venetiis (ubi Inſula, Murano dicta, inſignes Vitriariæ Officinæ exſtant) ſummâ cum laude Medicinam & Anatomen exercet. Id eſt quod innuebam, rerum mixturas peritioribus *Medicis* perſæpè imponere, ac præſertim ubi operatio ignis accedat, qui licet ab *Helmontio* rerum Corruptor, & Mors appelletur, multarum rerum tamen Auctor eſt & parens, ut ſcitè, & plus quàm Chymicè, ſcripſerit *Plinius*, (a) *ex eadem materia aliud gigni primis ignibus, aliud ſecundis, aliud tertiis.*

Qui verò *Venetiis* præſertim, ad Specula conficienda operam ſuam impendunt, non ſecus ac Inauratores, Mercurii feritatem experiuntur

(a) l. 37. H. N. c. 26.

periuntur, dum ingentes tabulas crystallinas Argento vivo oblinire, ut parte ex alia clarior imago reddatur, pro more habent. Hoc artificii genus Antiquis ignotum fuisse satis credibile est, ut de quo nullam habeat mentionem *Plinius*, (a) qui in Historiâ suâ naturali varios modos, quibus parabantur Specula, describit. Specularii ergo Artifices, Mercurium tractando, Paralytici fiunt, Asthmatici, aliisque superiùs memoratis affectibus obnoxii. Sic *Venetiis* in *Insulâ Murano* dictâ, ubi ingentia specula parari solent, videre est hosce Artifices invitè, ac torvis oculis miserias suas, suis in speculis contemplantes, ac Artem, cui se addixerint, exsecrantes. Ex Epistolâ (b) *ad Societatem Anglic. Venetiis* missâ (ut ex ejusdem Societatis actis constat) habetur, eos, qui *Venetiis* operantur ad illiniendam Speculorum faciem aversam, apoplecticos persæpè fieri.

Quoad medica præsidia nihil hic adjiciam, cùm eandem curationem hisce Artificibus adhibere liceat, quam cæteris convenire diximus, qui in suis Opificiis mineralibus utuntur, & ad Vulcanias Officinas operantur.

(a) l. 33. c. 9. (b) T. 1. M. Apr.

De Pictorum Morbis

CAPUT OCTAVUM.

Pictores quoque variis affectibus, ut artuum tremoribus, Cachexiâ, dentium atredine, faciei decoloratione, melancholiâ, odoratus abolitione, tentari solent; ac perrarò contingit, ut *Pictores*, qui aliorum imagines elegantiores, & coloratiores, plus quam par est, solent effingere, ipsi colorati sint ac boni habitus. Ego quidem quoquot novi Pictores, & in hac, & in aliis Urbibus, omnes ferè semper valetudinarios observavi, & si Pictorum historiæ evolvantur, non admodum longævos fuisse constabit, ac præcipue, qui inter eos præstantiores fuerint. *Raphaelem Urbinatem*, Pictorem celeberrimum, in ipso juventæ flore è vivis ereptum fuisse legimus, cujus immaturam mortem *Balthassar Castilioneus* eleganti carmine deflevit. Culpari quidem posset illorum Vita sedentaria, ac genius melancholicus, dum ab hominum ferè commercio sejuncti mentem in phantasticis suis Ideis semper involutam habent, ast alia potior causa subest, quæ Pictores morbis obnoxios reddit, colorum nempe materia, quam semper præ manibus habent ac sub ipsis naribus, ut Minium, Cinnabaris, Cerussa, Vernix, Oleum nucum, lini, quibus utuntur ad colores temperandos, multaque ex variis fossilibus pigmenta. Hinc in illorum Officinis latrinalis odor percipitur, qui satis gravis è Vernice, & prædictis Oleis exspirat, & capiti valde infensus est, unde forsan odoratus abolitio deducenda. Ipsi quoque Pictores in ipso opere sordidas, ac pigmentatas vestes solent induere, quare fieri nequit quin ore, ac naribus pravos halitus excipiant, qui ad spirituum animalium sedem perreptando, ac per vias spiritales sanguinis domicilia subeundo, naturalium functionum œconomiam perturbent, & superiùs memoratos affectus excitent. Cinnabarim sobolem esse Mercurii, Cerussam ex Plumbo parari, Æs viride ex Cupro, colorem ultramarinum ex Argento (cùm metallici colores vegetabilibus longè durabiliores sint, & hanc ob causam à Pictoribus magis expetantur) sicque omnem ferè colorum materiam, è mineralium classe desumi, nemo non novit, & propter hanc causam satis graves noxas subsequi. Iisdem igitur affectibus, licet non ita graviter, illos vexari necessum est, ac cæteros Metallurgos.

Satis curiosam historiam in hanc rem describit *Fernelius* (a) de Pictore quodam *Andegavensi*, qui digitorum, & manuum tremoribus

(a) De Lue Vener. cap. 7.

bus primùm, mox convulsione, correptus est, brachio quoque in consensum tracto; huic postmodum supervenit idem in pedibus vitium, tandem dolore tam gravi in ventriculo, & utroque Hypochondrio torqueri cœpit, ut nec Clysteribus, nec Fotibus, nec Balneis, nec ullo remediorum genere quicquam levaretur. Huic in accessione unicum solamen repertum, ut tres, quatuorve homines ventri toto suo pondere incumberent, sic enim compresso abdomine minùs cruciabatur; postremò ad tres annos tam acriter vexatus, tabidus interiit. Magnas concertationes inter celebriores *Medicos* exortas esse ait, circa tanti mali veram, ac genuinam causam, tum ante, tum post Cadaveris apertionem, cum in Visceribus nil præternaturale appareret. Cùm hanc Historiam perlegerem, ingenuam *Fernelii* confessionem, more scilicet magnorum Virorum, ut ait *Celsus*, sum admiratus, *omnes siquidem aberramus à Scopo, & tota, quod ajunt, via errabamus*, inquit ille, subdit tamen, quòd cum Pictor ille penicillum digitis, non modò extergere pro more haberet, sed etiam imprudens, & incautus illum exsugeret, verisimile fuisse, ut è manuum digitis, partium continuatione, Cerebro, totique nervoso generi communicatam fuisse Cinnabarim, per os vero admissam *Ventriculum*, & *Intestina inexplicabili, ac maligna qualitate infeciisse, quæ tantorum dolorum causa occulta fuerit.*

Neque verò aliunde illorum cachectici habitus, & decoloratio petenda, quàm à pravâ colorum indole, sicuti, & melancholicæ passiones, quibus ut plurimùm obnoxii sunt Pictores. *Antonium de Allegris Corrigiensem*, è patriâ propterea *Corrigium* dictum, adeò melancholicum fuisse, imò stupidum, tradunt, ut nec sui, nec suorum Operum dignitatem ac præstantiam cognosceret, adeò ut digna honoraria sibi data, iisdem à quibus acceperat reportarit, veluti erassent aureo pretio erogato pro iis picturis, quibus nunc nullum satis est pretium.

Cùm Pictores ergo vel ex enarratis affectibus, vel aliis morbis vulgaribus laborare continget, particulari studio erunt curandi, ut una cum remediis communibus, peculiaria adhibeantur, quæ noxas è minerali materiâ contractas respiciant, de quibus satis supra, ne toties eadem cum tædio legentium repetamus.

De Morbis quibus tentari solent Sulphurarii.

CAPUT NONUM.

CUm inter mineralia ad hujus vitæ commoda non paucos habeat usus Sulphur, sed non leves quoque noxæ iis, qui illud coquunt, fundunt, ac eodem utuntur in suis operibus elaborandis, ex illo consequantur; in hoc capite videndum, quæ mala sulphurarii Artifices patiantur. Qui ergo Sulphure accenso, seu liquato utuntur, tussim, dyspnœam, raucedinem, ac lippitudinem contrahunt. Sulphur duplici substantiâ constare docet ejusdem analysis, unâ pingui & inflammabili, alterâ acidâ ignis exstinctivâ; Sulphure igitur igne liquato, multòque magis accenso, acidum illud volatile in fumos attollitur, qui per os susceptì, memoratis affectibus occasionem præbent, tussim præcipuè, ac lippitudinem excitando; mollis enim ac delicata Pulmonum, & Oculorum structura, a pungente acido insigniter læditur. (a) Sic *Martialis* varios Negotiatores, & Operarios, recensens, ut Ærarios, Nummularios, Pistores, Judæos, qui illius somnum nocturnum ac diurnum *Romæ* nimio strepitu interturbabant, ut Rus secedere cogeretur, inter illos numerat Sulphurarios, quos lippitudinis vitio notat.

Nec sulphuratæ lippus Institor mercis.

Quantâ vi polleat aura sulphurea, norunt ipsæ

(a) l. 12. Ep. 57.

ipsæ mulierculæ, quæ ut suis velaminibus candorem concilient, illa fumo Sulphuris accensi supersternunt; norunt etiam purpureas rosas decolorare, & lacteas reddere,

Tingit & afflatas Sulphuris aura rosas.

ait *Poëta*. In Germania pro more habent Dolia fumo Sulphuris suffumigare, ut Vinum Rhenanum ad plures annos à muciditate tueantur, teste *Helmontio* in Tractatu de Asthmate, & tussi; Acidum ergo Sulphuris, quod pectori, & asperæ arteriæ est maximè hostile, ipsum est quod hujusmodi affectus inducit. Nota est historia mœchæ mulieris, quæ cùm amasium suum, marito superveniente, sub lecto abscondisset, superposito, ut crimen magis celaret, sulphurato velamine, se ipsam prodidit, ille enim à recenti Sulphuris odore percitus, non potuit quin altè tussiret, ac sternutaret. In hanc rem succurrit casus Pistoris, qui cum videret in suo Hypocausto rotulas Sulphuratas accensas, quibus uti solent ad succendenda ligna, timens ne domus conflagraret, pedibus rotulas illas ausus est premere, ut ignem exstingueret, sed parùm abfuit, quin mortuus concideret, ad multos tamen dies sævissimâ tussi vexatus est, unà cum magna respirandi difficultate, constricta nempè à magno illo acido exspirante Pulmonum Vesiculari structurâ. Olei amygdalarum dulcium, & lacteæ diætæ usu aliquantisper levari visus est, ast intra unius Anni spatium in Libitinæ censum transiit. *Etmullerus* de Vitiis Exspirationis læsæ, ex fumis nitri, & Sulphuris pertinacissimam tussim, ac respirandi difficultatem oriri observavit. Nec quis obtrudat, quòd Sulphur Pulmonum Balsamum vulgò audiat, nam id verùm est quandò Sulphur acido suo, quo abundat, spoliatum fuerit; uti scitissimè advertunt *Juncken* in Chymiâ suâ Experimentali, & laudatus *Etmullerus* in sua Mineralogia, ubi ait Sulphur meritò Pulmonum Balsamum vocari, quando *(a) illius pinguedo balsamica* à parte acidâ corrosivâ fuerit separata. Quomodo autem Acidum à Sulphure separari possit, tradit ibidem *Juncken*, sublimando nempe Sulphur cum Coralliis, Cornu C. quæ illius acidum combibant.

Quomodò verò in Praxi Professorum non pauci, saltem apud Nostrates, Sulphuris Spiritum in morbis Pectoris præscribant, ego non video; cùm enim apud Auctores passim legerint, in hujusmodi affectibus Sulphur primas tenere, quasi Sulphuris acidum idem sit ac totum concretum, pars eadem vires habeat, quas totum, quod maximæ supinitatis indicium est, ansam errandi capiunt. Eundem fermè errorem observare licet, cùm ad scabiem curandam pro remedio interno specifico, eundem spiritum Sulphuris ad longum tempus in aliquo Jusculo Scabiosis propinant, non alia ratione ducti, quàm quòd Sulphur potissimum remedium sit, ac basis unica Unguentorum, quæ parantur ad psoram exterminandam. Tales ergo Operarii, quantum possunt, à Sulphuris fumo excipiendo cavere debent, ac pro tussi leniendâ Syrupo de Althæâ, emulsionibus seminum melonum, ptisanâ hordeaceâ, Oleo amygdal. dulcium, & diætâ lacteâ familiariter uti.

(a) c. de sulph.

De Morbis quibus obnoxii sunt Fabri Ferrarii.

CAPUT X.

LIppitudini quoque obnoxios esse *Fabros ferrarios* quotidiana docet experientia, quod non tam ex ignis violentiâ fieri crediderim, dum Oculorum aciem in ignem fere semper intentam habent, quàm ob sulphurea effluvia è candenti ferro exhalantia, quæ Oculorum membranas feriant, ac vellicent, unde limphæ è glandulis expressio, & lippitudo, unà cum Ophthalmiâ quoque, persæpè consequantur. *Demosthenis* Patrem Fabrum

Machæropœum fuiſſe referunt, ac eundem lippum deſcribit *Juvenalis*; ſic enim loquens de *Demoſthene*: (a)

Quem Pater ardentis Maſſæ fuligine lippus,
Carbone, & forcipibus, gladioſque parante,
Incude, & luteo Vulcano, ad Rhetora miſit.

Verbum illud, *luteo Vulcano*, quod Poëta confinxit, obſervans (quo Epitheto Poëtarum nullus Ignem, quòd ſciam, inſignivit, cum illum coruſcum, nitidum, roſeum, appellent) putaram hic forſan innui luteum colorem, quo metalla fuſa, ob Sulphur quod in ſinu ſuo continent, Fabrorum facies depingunt, ut in tormentis conflandis interdum obſervavi; verùm cum in citato verſu vox illa, *Luteo*, ſyllabam primam correptam habeat, nequit color flavus ſignificari, ſed quid lutoſum.

Cum ergo in ferri ſubſtantiâ non parva Sulphuris portio concluſa ſit, mirum non eſt, ſi dum Ferrum excoquitur, tenues particulæ ſulphureæ ex Ferro, & Carbonibus quoque exſpirent, quæ Oculorum membranas, tanquam acutiſſima Spicula laceſſant, ſicque acres lippitudines, & ophthalmias excitent. Ego certè multos Fabros de hujuſmodi affectibus conquerentes audivi, ac remedium expoſcentes, quibus ſuadere ſoleo, ut lac muliebre, aquam hordei, & ſimilia attemperantia adhibeant, ac ſi inflammatio urgeat, ſanguinem mittant. Sero vaccino, atque emulſionibus ſeminum melonum, ac diætâ refrigerante utantur, quæ propria eſt Artificum, qui ad ignem exercentur; commendatur in ſpecie Beta, quæ ad alvum mollem ſervandam valdè confert, tales enim Artifices ventris adſtrictione laborare ſolent. Sic à *Martiali* (b) appellantur *Fabrorum prandia Betæ*; ſi contumax verò ſit lippitudo ſalutaris comperta eſt aqua ipſa, in quâ ferrum candens ſolent exſtinguere; monendi quoque ſunt, ut quantum poſſunt à ferri bullientis ac radiantis obtutu Oculos avertant.

(a) Satyra 10. (b) l. 13. Ep.

De Gypſariorum, & Calcariorum Morbis.

CAPUT XI.

HAud minus à Gypſo, & Calce malè plectuntur, qui materias iſtas in Fornacibus excoquunt, tractant, ac in Officinis divendunt. Gypſum inter venena recenſeri, nemo non novit, epotum enim ſtrangulando mortem infert; Sic L. *Proculejus* Auguſti familiaris cum ſtomachi dolorem perferre non poſſet, Gypſo mortem ſibi conſcivit, teſte (a) *Plinio*. Qui ergo illud coquunt, præparant, molunt, cribrant, venundant, uti perſæpè obſervavi, magnâ reſpirandi difficultate premi ſolent, alvum præterea adſtrictam habent, hypochondria dura, ac diſtenta, decolores ſunt, ac verè gypſatam faciem præferunt, iique potiſſimùm, qui Gypſum coctum molâ aſinaria conterunt, & cribrant, uti etiam *Gypſoplaſtæ*, qui varia opificia, ac præcipuè Simulacra, & effigies ex Gypſo conficiunt ad Sacrarum Ædium, Aularum Principum, & Bibliothecarum ornatum quoque, qui mos perantiquus eſt.

Indocti primùm, quanquam plena omnia Gypſo
Chryſippi invenias; (b)

Sic *Juvenalis* divites indoctos ſugillans, qui ut ſapientiæ famam apud vulgus aucuparentur, Philoſophorum ſimulacris Bibliothecas ſuas exornabant. Ut ut ergo hujuſmodi Operarii, velamen ori apponant, fieri nequit, quin volitantes atomos gypſeas per os & nares admittant, quæ vias ſpiritus ſubeant, & cum lymphâ permixtæ, in tophos concreſcant, ſeu Pulmonum anfractuoſos ductus incruſtando, reſpirationem intercipiant.

Hic mihi liceat paululùm digredi, & circa Gypſi naturam pauliſper immorari; qui enim de Foſſilibus egere, non ſatis apertè Gypſi naturam, ac indolem mihi videntur explo-

(a) l. 36. H. N. c 24. (b) Sat. 2.

exploraſſe. Gypſo vim emplaſticam, adſtringentem, ineſſe, ſcripſit *Dioſcorides*, hoc idem adſtruit *Galenus* variis in locis. Cognatam Calci rem Gypſum eſſe, ſcripſit (*a*) *Plinius*. Facultatem obſtruentem, ſuffocantem eidem adſcribunt Recentiores, uti *Cæſalpinus* in l. de Metallicis; (*b*) *Amatus Luſitanus* vim ſummè exſiccantem in Gypſo agnoſcit, ait enim, *qui Gypſum parant majori ex parte mori, quia caput ob nimiam ſiccitatem ex Gypſo contractam debile, & imbecille eſt, unde quæ concoquere debebat non concoquit, & quæ retinere non retinet, & ſic materia ad ſubjectas partes decidat, phtiſimque inducat.* Hoc lepido commento Gypſi pravitatem deſignat recutitus Auctor.

Ego quidem, *ni me philautia fallit*, aliam Gypſo naturam, adhuc forſan inobſervatam, ineſſe perſuaſum habeo, vim nempè expanſivam, & elaſticam, Calci nequaquam cognatam, imò potiùs contrariam; obſervari enim mihi non ſemel contigit, Fabros Murarios Mutinæ, ubi multæ ſunt Porticus, dum Columnas veteres ruituras (ædificiis ſuper magnas trabes innitentibus) diruunt, & novas Columnas marmoreas ſupponunt, vel lapideas ſubſtruunt, obſervavi inquam hoſce Artifices, Columnas novas ex Calce, & lapidibus compingere, ad duas verò ulnas circiter, propè finem, ubi Columna ædificio ſuperſtanti, & trabibus innixo ferruminari debet, Gypſo uti, nequaquam verò Calce. Hujuſmodi Opificium animadvertens (qualis obſervatio in hac Urbe Ciſpadanæ Regionis omnium antiquiſſimâ ſatis obviam eſt) ab ipſis Fabris cauſam quæſivi, quare Calce non utantur in opere perficiundo, & cur potiùs Gypſo, quàm Calce opus claudant, ac veluti ſigillo quodam obſignent, reſponſumque eſt, murum ex Calce conſtructum ſubſidere, ex Gypſo verò ſurſum attolli, ac revera res miranda eſt; nam ubi quinque, vel ſex dies à Columnâ ſubſtructâ elapſi fuerint, nullo ferè negotio Trabes, quæ hinc indè totam molem ſuſtentabant, ſubtrahuntur, imò fere ex ſe ipſis concidunt; at ſi opus ex calce tantùm perficerent, vel ſumma difficultate, vel magno ædificiorum periculo, & concuſſione fulcra ſubtraherentur.

Cognatum ergo Calci Gypſum eſt coagulandi vi, & efficaciâ, utrumque enim aquâ temperatum, ac diſſolutum unit, agglutinat; Gypſum verò elaſticitatem magnam intus recondit, dum ingentes moles ſurſùm elevat. Non ſolùm autem ſuperiùs, ſed inferiùs quoque, & circumquaque Gypſum premere obſervavi, ſed ſenſibiliter magis vim ſuam exſerere, ubi minor fuerit reſiſtentia; obſervatur etenim, quod ſi ſuper trabem aliquam murus ex lateribus & Gypſo conſtruatur, & alii veteri ſuperpoſito uniatur, obſervatur, inquam, trabem quamvis fortiſſimam deorſum inflecti, ut quæ aërem ſubjectum habeat, neque hanc flexionem ex nimio pondere, quod perſæpè exiguum eſt, ſed ex premente Gypſo, ortum ducere. Calcis porrò id proprium eſt, ut humido ſemper gaudeat, & nunquam veteraſcat, undè Muri propè ſolum, & in ipſis ædium fundamentis ferrei penè ſunt. Gypſum verò propè terram marceſcit, & ſpontè concidit, in ſummo loco verò, licet imbribus perfuſum, ut in caminis, Calci ſoliditate non cedit.

Ut autem ad rem redeam, mirum non eſt, ſi gypſeæ particulæ per tracheam in ſpiritus receptacula exceptæ, ibique cum ſeroſo latice è glandulis exſudante commixtæ, tam perniciales effectus pariant, vi ſuâ expanſivâ fiſtulares ductus comprimendo, & aëri curſum & recurſum prohibendo. Ad corrigendas verò noxas è Gypſo contractas (quamvis ubi admiſſum fuerit, non tam facilè curationem ſuſcipiat) varia ab antiquis præſcribebantur remedia; *Galenus* (*c*) ſecundo de Antidotis Lixivium è cinembus ſarmentorum vitis commendat, quod idem confirmat *Guainerius*, (*d*) qui cinerem ipſum pondere tertii exhibet, *Sennertus*, laudat ſtercus muris. (*e*) Ego Oleum amygdal. dulc. recens extractum, ac emulſiones ex ſeminibus melonum cum aliquo levamine id genus Artificibus exhibui, ſed

(*a*) l. 5. c. 92. (*b*) Cent. 4. Cur. 41. (*c*) cap. 7. (*d*) de Ven. cap. 8. (*e*) Tom. 3. l. 6. P. 6. cap. 2.

ſed in hoc opere perſeverantes, omnes Aſthmaticos, & Cachecticos, ut plurimùm occumbere obſervavi. Cadaver aliquod ex hiſce Artificibus, aliiſque Opificibus libenter diſſecuiſſem, ſed nec prece, nec pretio a noſtrati plebe impetrare licet, ut inſpectio ulla fiat in denatis ex aliquo non vulgari morbo; imò ſi quis id repoſcat in publicum bonum, incandeſcunt in *Medicum*, quod morbi cauſam, quàm ignorarit, curiosè poſtmodum perſcrutari velit.

Non ita verò noxia eſt Calx iis, qui eam tractant, veluti Gypſum; Calx recens è fornacibus educta igneam vim rejectat, ac urit, miratur propterea *Paulus Zachia* (*a*) quomodò in quibuſdam Civitatibus permittantur Fornaces, in quibus Calx excoquatur, ob evaporationem, quam emittunt, pectori infeſtam. Nihil eſt autem quod, poſtquam arſerit, ignis ſemina diutiùs retineat, quàm lapis calcarius; Siquidem Calx ad annum in loco ſicco aſſervata, cum aquâ diluitur, fumigat, & latentem vim ignis prodit, dum aquam facit efferveſcere; progreſſu tamen temporis, dum in pulverem fatiſcit, ac veteraſcit, multum igneâ de vi illi decedit; minus ergo tunc temporis oblædit Artifices, acrimoniam ſemper tamen corroſivam retinet; hinc fauces, & oculos mordet, & vocem aſperat; facilis tamen medela eſt potus frigidæ, & emulſiones ſeminum melonum, ac ſeminum frigidorum Calx Fabris murariis manus rugoſas facit, ac interdum ulcerat, ſi tamen ſcabioſæ fuerint, illas à ſcabie liberat; quare non immeritò inter remedia antipſorica Calx locum habet, acidum nempè illud, quo Pſora ſcatet, vi ſuâ alchalicâ emendando, quam ob cauſam Calcis decoctum in Diabete commendatur à *Williſio* in Pharmaceutica Rationali; quamvis enim, ait ille, videatur hujuſmodi decoctum, aptum potiùs ad Urinæ fluxum proritandum, ob vim calorificam, & attenuantem, quia tamen ſales acidos fuſionis cauſam temperat, ac infringit, Urinæ profluvio medetur; ob eandem rationem à *Richardo Mortono* Calcis decoctum in Tabe pulmonari magnis laudibus celebratur.

Calci vivæ bina eſſe Salia, quæ poſt calcinationem quieta maneant, ab aquâ verò diſſoluta & in mutuum conflictum concita, notam illam cuique efferveſcentiam efficiant, putant nonnulli, quam opinionem tamen ſuſpectam eſſe ait, *Joan: Bohon* (*b*) in ſuis Meditationibus de Aëris influxu; cum obſervatione conſtet, Alchalica fixa & puriora ab aquea humiditate ſine acidi colliſione calorem concipere. Mirabatur *D. Auguſtinus*, (*c*) Calcem in aquâ fervere, in oleo frigere. Calci vivæ multum Salis alchalici ineſſe, cùm remedia ex Calce parata ad ſordida ulcera, in quibus multum acidi luxuriat, ſananda, paſſim uſurpari ſoleant, profectò credendum eſt. Ad corrigendas ergo noxas, quas calcarii Artifices interdum contrahunt, opportunum erit decoctum tepidum Malvæ, Violarum, Butyrum recens, Lac ipſum, quo nihil promptius ad faucium ſiccitatem & aſperitatem emendandam.

(*a*) Q. M. L. l. 5. Tit. 4. Q. 7. (*b*) c. 7. (*c*) De Civ. Dei l. 21. c. 7.

HI ſunt, quos ego novi Artifices varjis morbis obnoxios, ob mineralium, & foſſilium, quæ tractant, & quibus in ſuis Opificiis utuntur, pravam indolem, atque iſthæc, quam innui, compendioſa curatio. *Medici* enim id hominum genus curantis præcipuum munus eſt, illos citò, quantùm fieri poteſt, aptis ac generoſis remediis ſuæ ſaluti reſtituere; ſiquidem perſæpè miſeros Artifices audias *Medicos* ipſos orantes, ut vel occidant, vel liberent. Hæc itaque in Artificum ægrotantium curatione ſuſcipienda ſit cautio potiſſima, ut expedita, & prompta curatio illis adhibeatur, alioquin morbi tædio, ac animi mœrore, ob familiæ neceſſitatem contabeſcunt. Lubet in hanc rem auream Divini *Platonis* ſententiam hic loci referre, quam legenti non ingratam fore exiſtimo; Sic ergo

go ille in libro de Rep. (a) *Faber, ſi quando in morbum incidit, à Medico curationem exigit, vel per vomitum, vel per dejectionem ventris, vel uſtionem, vel inciſionem. Si quis autem diuturnam illi victus obſervationem præcipit, capitiſque ſuffarcinationes, cæteraque hujuſmodi, ſtatim objicit, non eſſe ſibi ad ægrotandum otium, neque præſtare ſibi, ita vitam trahere contrariis curationibus incumbenti, ſuumque opificium negligenti, deinde Medico hoc valere juſſo, ad conſuetum victum revertens, ſi convaleſcit, opus ſuum exſequitur, ſin autem ſuſtinere morbum corpus nequit, vita functus liberatur.* Hæc *Plato.*

Ita autem in praxi contingere non rarò obſervavi, ut ſi Artifices citò non convaleſcant, valetudinarii quoque Officinas ſuas repetant, & prolixas *Medicorum* curationes perſæpè eludant; Cùm Divitibus equidem, quibus multùm otii ſuppetit ad ægrotandum (ac interdum ſimulatè, ad opes oſtentandas, ut de quodam olim luſit *Martialis*) (b) & quibus *Medici* parvo conducti aſſident, ſic agere liceat, non autem cum operoſis hominibus. *Dives enim* (ut paulò poſt ſubdit idem *Plato*) *opere nullo urgetur, à quo ſi quando vi arceatur, non ampliùs ſit ei vivendum.* Profeſſorum verò quoddam genus eſt, qui morborum alioquin brevium, & ſpontè ſanabilium longas inſtituunt curationes, primò per lenientia, mox per alterantia, ut Syrupos, quos præterire religio eſſet, exinde per cathartica medicamenta, repetitas venæ ſectiones, & mille alia tædia, operoſi ſemper, ut nulla dies exeat ſine lineâ, ideſt aliquâ novi remedii formulâ; in hanc rem per parodiam congruet *Horatianum* illud:

Quem ſemel arripuit, tenet, occiditque medendo
Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.

Verùm ut ad penſum noſtrum redeamus, eorum Artificum, qui metallicâ, & foſſili materiâ ad opera ſua perficienda indigent, curationem contrahendo, remedia potiſſima, ut dixi, ex mineralium familiâ erunt petenda; mox emollientia ex vegetabilium claſſe, antidota quoque communia, ut Theriaca, & Mithridatium, ac ea quæ ſpecifica vi malignos venenorum impetus retundere creduntur. In uſum revocanda Purgantia, & Vomitoria, liberaliori doſi, ac duplo majori præſcribenda, ob contumaciam nempe, & indomitam corporum metallicorum naturam; conſulendi Auctores, qui de Venenis ſcripſere, ut *Guainerius, Cardanus, Arduinus, Baccius, Paræus, Sennertus, Prevotius, Etmullerus*, & alii, nam pro quoque peculiari Veneno amplam remediorum ſupellectilem proponunt; pro præſervatione, Diæta emolliens, & lactea valdè commendatur. In hiſce morbis cauto opus eſt in Venæ ſectione imperanda, rarò enim, niſi aliqua urgeat inflammatio, Phlebotomia utilis eſt: cæque cautelæ, quas ſuperiùs annotavimus, ſunt adhibendæ, ne per os ſcilicet, quantùm fieri poteſt, noxiæ particulæ excipiantur.

(a) Dial. 3. p. 385. (b) l. 2. Epi.

De Pharmacopœorum Morbis.

CAPUT XII.

UT ergo ad alias Officinas divertamus, lubet *Pharmacopolia* adire, in quibus Sanitas, tanquam proprio in lare creditur hoſpitari, niſi forſan inibi, veluti Mors in Olla, interdum deliteſcat. Etenim ſi Operarios ipſos percunctemur, an in parandis remediis pro aliorum ſalute labem ullam aliquando contraxerint, ſe perſæpè graviter affectos fuiſſe fatebuntur, ut in Laudani Opiati præparatione, in contundendis Cantharidibus pro phœnigmis, aliiſque venenatis ſubſtantiis, ob ſubtiles atomos, quæ ab iis emanant, dum contunduntur, & per patentes vias corporis penetralia ſubeunt. Opium enim

enim ſtuporem ac veternum inducit, idcircò in Laudani Opiati præparatione ſuadet *Etmullerus*, (a) ut Acetum aſſumatur; nihil eſt enim, quod Opii ſulphur narcoticum magis caſtiget, & infringat, quàm Acetum. Eodem modo Cantharides in pulverem contritas, & manibus tractatas compertum eſt Urinæ ardorem excitaſſe. Novi ego Pharmacopœum in hac Civitate, qui cum Ari radicem manu geſtaſſet, virilibus contrectatis, tam gravem partium genitalium inflammationem perpeſſus eſt, ut enata exinde gangrænâ, & ingenti hæmorragiâ, illi penè occumbendum fuerit. Exhalationem ex contusâ Colocynthide Pharmacopolis aliquando tormina & graves alvi fluxus concitaſſe refert (b) *Comes de Verulamio*. Quàm volatilis porrò ſit Cantharidum ſubſtantiâ, & quantùm Veſicæ, ac Renibus hoſtilis ſit, nemo non novit. Si Cantharides integræ microſcopio attentè obſerventur, acutiſſimis ſpiculis armatæ apparent, de quo videatur (c) *Olaus Borichius* apud *Bonetum* in Medicinâ Septentrionali, ubi ait, ſe in alis & pedibus minora ſpicula obſervaſſe, quàm in capite; undè antiquam illam quæſtionem, an ex mente *Hippocratis* exhibendæ ſint Cantharides, capite, alis ac pedibus abſciſſis, an integræ ex *Galeno*, diremptam putat; cui ſententiæ adhæret *Etmullerus*, qui ait, litem hanc eſſe de lana caprina, ut ejuſdem verbis utar, ſingulas enim Cantharidum partes vim ulcerativam poſſidere autumat. Caveant ergo Seplaſiarii, ne, dum animalcula hæc conterunt, pulviſculos volitantes excipiant, ſeu præmuniendo ſe antecedenter, vel eo ipſo tempore, quo peſtes has tractant, emulſiones ex ſeminibus melonum copioſas hauriant; Serum quoque Vaccinum, & lac ipſum ad temperandum Urinæ ardorem, non levem præſtabunt operam.

Interdum etiam, non ſolùm à graveolentibus graviter affici quoſdam Pharmacopœos accepi, ut in præparatione Unguenti Dialthææ, quod nonnullis nauſeam ac vomitum ciet, verùm etiam à ſuaveolentibus: Magna & admiranda eſt vis odorum, & ſecundum Idioſyncraſias mirabiles effectus pariunt. Nonnullos audivi verno tempore, quando roſarum infuſiones faciunt, pro Syrupis aureis, & cum tota Officina Peſtana roſaria redolet, de gravi capitis dolore conquerentes, aliis alvum laxari.

Quibus ergo odora Canum vis ineſt, hujuſmodi odores, quantum poſſunt effugiant, ac identidem ab Officinâ exeant ad auram captandam, ſeu odorata quædam ſibi magis familiaria, quibus recreari ſoleant, & ſibi infeſtos obtundant, naribus perſæpè apponant. De noxio odore Roſarum videatur (d) *Sennertus*, *Otto Tachenius* in Hipp. Chymico; Refert (e) *Levinius Lemnius*, Arabiæ Incolas à nimia odorum ſuavitate, quâ Regio illa perfuſa eſt, adeò conſternari, ut ad fætidiora quæque, tanquam ad Balſamum, illis unicum ſit effugium. Satis elegans hiſtoria legitur apud (f) *Caſparum à Rejes*; refert enim, Piſcatorem quendam in Aulâ Sebaſtiani Luſitaniæ Regis a ſummâ odorum fragrantia adeò exanimatum concidiſſe, ut pro mortuo haberetur, reſtitutum verò à celeberrimo *Thoma à Vega*, qui juſſit illum ita ſemianimem ad mare deferri, & in alga & limo marino volutari, quo pacto mirificè, uti ſus in volutabro cœni, recreatus eſt. Tradit (g) *Baconus*; cùm aromatum cumuli diu concluſi aperiuntur, adſtantibus qui primò maſſas illas extrahunt, ac agitant, inſtare febrium & inflammationum periculum.

(a) De Lethargo cap. 7. (b) Syl. Syl. Cent. 10. (c) P. 2. p. 816. (d) T. 1. l. 5. Sc. 6. o. 3. cap. ul. (e) de occul. nat. mir. l. 2. c. 9. (f) Camp. Elyſ. Q. 99. (g) Nov. Organ. l. 2.

De

De Morbis Foricariorum.

CAPUT XIII.

DUbius hic hæreo, num *Medicos*, qui elegantiæ & munditiei ſtudent, â Pharmacopœorum Officinis, quæ ut plurimùm Cinnama ſpirant, & ubi tanquam in ſuo Foro diverſantur, ad Latrinas invitando, in eorum naſum bilem, ut dici ſolet, conciere poſſim; verùm cum & Alvi, & Veſicæ excrementa, ad internos corporis affectus quotidiana inſpectione rimandos, iiſdem pro lege ſit contemplari; idcircò neque hujuſmodi loca averſari debent, ut Foricariorum morbos, eorum ſcilicet, qui Cloacas expurgant, paululum obſervemus; *Medico enim neceſſum eſt ingrata intueri & immania tractare:* verba ſunt *Hippocratis.* (a)

Neque pariter Philoſophum dedecet à ſublimiorum contemplatione, aliquandò etiam ad viliora luſtranda deſcendere, & mechanicis exemplis uti; ſic rectè quidem *Socrates*, apud *Platonem*, *Hippiæ* illum adſpernanti, quòd in perveſtigandâ naturâ pulchri Hominem induceret perquirentem, an pulchræ Ollæ, ubi quis eam igni admoverit, plenæ bonorum leguminum auream tudiculam addere deceret, an ficulneam, dicentique Hippiæ, ſe cum tali homine nequaquam diſputaturum; catè, inquam, repoſuit *Socrates*. *Probè nimirùm, ô Amice, Tibi enim talibus nominibus repleri non convenit, cum tam ſpecioſo amictu, calceiſque ornatus ſis, & inter omnes Græcos ſapientia polleas: me autem nihil prohibet quò minùs cum illo verſer.* Quando igitur noſtrâ hac ætate ad Mechanismum redactâ eſt Ars Medica, cum Mechanicis infimæ ſortis interdum agere, nihilque aliud præter veritatem curare, ut ibidem ait *Plato*, nequaquam indecorum erit.

Narrabo autem Hiſtoriam, unde primùm mihi orta eſt occaſio, Tractatum hunc de Morbis Artificum conſcribendi. Cùm in hac Civitate, quæ pro ſuo ambitu ſatis populoſa eſt, ideòque domos confertas habet ac præaltas, mos eſt, ut tertio quoque anno in ſingulis domibus Cloacæ expurgentur, quæ per vicos diſcurrunt. Cùm ergo domi meæ id opus fieret, contemplatus unum ex Operariis iſtis in Antro illo Charonco magnâ anxietate ac ſollicitudine opus ſuum peragentem, miſertus tam improbi laboris, ipſum interrogavi, cur tam ſollicitè laboraret, & non pacatiùs id ageret, ne ex nimio labore in multam laſſitudinem incideret, tunc miſer ex antro illo oculos attollens, meque intuitus: Nemo, inquit, niſi expertus, imaginari poteſt, quanti conſtet, plus quàm quatuor horis in hoc loco morari, idem enim eſt ac cœcus fieri: illo poſtmodum è Cloacâ egreſſo, oculos ejuſdem attentè contemplatus ſum, eoſque non parùm rubore ſuffuſos ac obnubilatos obſervavi; me rurſus ſciſcitante, ecquam medelam pro more haberent Foricarii huic affectui adhibere, non aliam, inquit ille, quàm ut actutum, uti modò faciam, domum ſuam repetant, in conclavi obſcuro ſe recondant, ibique ad alteram uſque diem immorentur, Oculos aquâ tepidâ identidem abluendo, quo pacto ſolamen aliquod Oculorum dolori reperiunt; rurſus ab eodem quæſivi, num in faucibus ardorem ullum perſentiant, difficultatem aliquam reſpirandi patiantur, capitis dolore tententur, num odor ille nares percellat, nauſeam pariat; nihil horum reſpondit ille, neque pars ulla in hoc opere mulctatur præter Oculos, ac ſi opus iſtud ulteriùs proſequi velim, propediem cœcus fiam, ut aliis contigit; ſic ille, meque valere juſſo, manus Oculis obtendens, lares ſuos adiit.

Complures poſtmodum Operarios id genus vel luminibus ſemicaptos, vel prorſus cœcos per Civitatem ſtipem emendicantes obſervavi. Quòd tam tetra exhalatio tenellam Oculorum

(a) De flat. n. 1.

lorum ſtructuram lædat, nequaquam miror; apud *Ballonium* exſtat in hanc rem hiſtoria de quodam vili Operario Pariſienſi, qui Ophthalmicus factus eſt, cujus affectus cauſam refert (*a*) *Ballonius* in Artem quam exercebat, vicos enim luto ſolitus erat expurgare; quare autem ſoli Oculi tam malo infortunio plectantur, cæteris partibus illæſis, ut Pulmonibus, qui & ipſi molli texturâ conſtructi ſunt, & Cerebro per nares, ut ab illâ tetrâ mephiti minimè infeſtentur, id eſt, quod primò admiratus ſum, & adhuc demiror, cùm ratio non ſuppetat, quare id fiat.

Acidum volatile eſſe illud, quod, hujuſmodi Camarinâ commotâ, exſpiret, mihi proclive eſt arbitrari, idque ſat probabiliter oſtendunt monetarum ex ære, & argento, quas interdum Foricarii geſtant in perâ, denigratio, nec non ænea vaſa, quæ in Culinis, hiſce Cloacis proximioribus infuſcari ſolent, nec non Tabulæ pictæ, quæ atredinem contrahunt, ubi talis exhalatio illas pertigerit; at hujuſmodi effluvia labem aliquam Pulmonibus affricare deberent, quando nihil magis Pulmonibus hoſtile creditur, quàm quodcumque Acidum, ſicuti & maſſæ ſanguineæ, quæ ex ſua naturâ dulcedinem aliquam, vel ipſo ſenſu judice, poſſidet; Oculis tamen ſolummodo, bellum tam atrox indicunt fœtidæ exhalationes iſtæ, ac illos acutiſſimis ſpiculis ſic feriunt, ut illis vitam, ideſt lumen, eripiant. An Curioſorum palato ſatisfiet, dicendo, quòd ſicuti in rerum natura quædam ſunt Venena quæ cum partibus quibuſdam noſtri corporis particularem gerunt antipathiam, ut Lepus Marinus, cum Pulmonibus, Cantharides cum Veſica, Torpedo cum nervis, ſic halitus illi ex humanis fæcibus per varios corruptionis gradus trium annorum ſpatio, talem adſciſcant naturam, ut Oculos tantùm laceſſant, cæteris verò partibus ignoſcant; Mihi certè ſi quis talem rationem obtruderet, ea ſanè non multùm ſaperet, quare nec cuiquam pro ratione alicujus ponderis illam venditare lubet.

Nihil profectò acceptius eſt, nihilque magis crepant *Medici*, quam particularem hanc inimicitiam, quam habent externa quædam, cum quibuſdam corporis noſtri partibus; ſicque citiſſimè ab involutis quæſtionibus ſe expediunt, verùm obſcura per neſcio quid magis obcurum explicantur. *Olaus Borichius*, (*b*) ut ex *Boneto*, Cantharides negant ex vi ſuâ ſpecificâ eſſe magis infenſas Veſicæ, quam cæteris partibus, licet per os aſſumptæ, vel exteriùs appoſitæ, ut in Phœnigmis, vim ſuam ulcerativam ac pungentem in Veſica magis exſerant; id enim fieri ait, eò quòd Salia volatilia Cantharidum ſero ſanguinis ſociata, ſicque ad Veſicam cum Urina delata, eandem Veſicam denudatam, nulloque mucore oblinitam pungant & excorient, quod in cæteris partibus, non tam promptè efficiunt, dum non vehuntur in ſolo ſero, ſed unâ cum ſanguine & pituitâ, à quorum mixturâ illarum vis retundatur. An ergo potiùs dicendum, putrem exhalationem è Cloacis elevatam, Operariorum oculos (quæ partes magis obviæ ſunt, & exquiſitiſſimi ſenſus) tenuiſſimis particulis, tanquam ſpiculis fodicando, lachrymalem ſuccum elicere, illique ſe conſociare, ſicque novùm concretum generari, oculis ſolùm infeſtum, minimè verò cæteris partibus, in quibus ſimilem ſuccum non reperiat? (*c*) *Olaus Borrichius* caſum refert Oenopolæ, qui ad ſolum adſpectum Aceti cohorreſcebat, ac totus ſudore frigido perfundebatur. *An vapores acidi*, ait ille, *Oculis & naribus illius ſunt moleſti?*

Quæcunque ſit cauſa ac modus, quo à tetrâ illâ exhalatione Foricariorum oculi afficiantur potiùs, quàm cæteræ partes, certè conſtat, oculos ex nativâ ſuâ indole ad ſuſceptionem & emiſſionem æquè pronos eſſe. Lippitudinem contagioſam eſſe, oculum ſanum ſcilicet ab alterius oculis lippis, morboſa effluvia excipere, ipſa demonſtrat experientia, (*d*) ac Artis Medicæ Proceres unanimiter teſtantur. Scitum eſt *Ovidianum* illud:

Dum

(*a*) lib. 2. Epid. (*b*) Med Sep. p. 2. l. 8. (*c*) Act. Haffn. Vol. 4. Obſ. 44. (*d*) Vide Gal. p. de diff. feb. c. 2. Senec. T. 2. l. p. c. 3.

Dum ſpectant Oculi læſos, lædunur & ipſi.

Faſcinationem ſimiliter, quæ per oculorum obtutum creditur fieri, non alio modo contingere crediderim, quàm quòd è faſcinantis oculis radioſa quædam emanatio fiat, quæ in alterius oculos tanquam rem cognatam ſe inſinuet, ac inficiat; (*a*) ſic *Plautus*:

Exeundum herclè tibi foras
Conſpectatrix cum oculis emiſſitiis.

Novi ego nobilem Adoleſcentulam ad Tabem ferè deductam, quæ nullis remediis ſanari potuit, niſi cum hortatu meo è ſinu Aviæ ſuæ Vetulæ, à qua unicè diligebatur, evulſa eſt, & cum Ancillis adoleſcentulis connutrita eſt; unde mihi non lis parva cum Vetulâ illâ Matronâ ſuborta eſt, quòd illam tanquam Sagam apud Puellam Neptem adeò ſibi charam infamaſſem; neque ullis rationibus perſuaderi potuit, id peculiare vitium ſenilis ætatis eſſe, ut ex oculis emanationes quaſdam teneræ ætatulæ parùm ſalubres effundat; ac ſicuti oculorum eſt, modò amorem, modo odium ſpirare, ſic juvenilis ætatis magis proprium eſſe amorem, quàm ſenilis, cujus obtutus torvus ac tetricus eſſe conſuevit.

Non eſt hîc loci, ut de oculorum naturâ quicquam adjiciam, libeat tamen locum inſignem *Platonis* adferre. *Socrates* (*b*) enim inducitur edocens, quomodo intelligenda ſit celebris illa inſcriptio in Delphici Templi veſtibulo: *Noſce te ipſum.*

Sic igitur *Socrates* ad *Alcibiadem*: *Num advertiſti, quòd facies hominis in oculum intuentis in oppoſiti viſu relucet, veluti in ſpeculo, quam ſummam vocamus pupillam ſimulacrum inſpicientis exiſtens? Oculus igitur demum ita ſe ipſum cernit, cum in oculum inſpicit undique, præterea intendit, quod oculi optimum eſt, & quo oculus ipſe videt. Oculus ergo, cum ſe ipſum viſurus eſt, in oculum inſpicere debet.*

Ut verò ad Inſtitutum meum redeam, hiſce Operariis, quorum miniſterium in omnibus Civitatibus eſt adeò neceſſarium, æquum eſt, ut aliquo præſidio ſuccurrat Ars Medica; quando Leges Civiles edicto cavebant, ne Cloacas purganti aut mundanti vis fieret, etiamſi ad alienas ædes pertingeret. (*c*) Ego iiſdem ſuaſor fui, ut Veſiculas translucidas ori apponant, ut ſolent ii, qui operantur in Minium polientibus, vel breviori mora in expurgandis Cloacis ſe exerceant, ſive, ſi ex naturâ ſuâ imbecilliorem viſum habeant, Artem hujuſmodi deſerant, & alteri ſe addicant, ne ob infamem & ſordidum quæſtum, oculis capti cogantur emendicare. Quando autem experientia ipſis compertum eſt, ſalubrem eſſe moram in obſcuro Conclavi, quod rationi certè congruit, nec non aquâ tepidâ oculos abluere, multùm conferre ad oculorum ardorem temperandum, ac dolorem ſimul imminuendum, qui veluti ſpina infixa partium nervoſarum contractionem cauſatur, atque hinc ſubſequentem inflammationem; hæc illis permitto. Ubi tamen nimis rubeant oculi, ac metus ſit, ne ſuccedat vera inflammatio, Venæ ſectionem inſtituo, mox ubi oculorum fervor deferbuerit, Vino albo odorato oculos ablui ſuadeo, quod ſalubre remedium eſt in hujuſmodi caſu. Spiritus enim animales è Cerebro & nervo optico quodammodò invitantur ad reviſendas & luſtrandas oculi ſedes, quas à tetro illo pudore in fugam conciti deſeruerant.

Vile hoc miniſterium Cloacas expurgandi, inter pœnarum genera antiquitùs recenſere mos fuit, ut de damnatis ad metalla diximus; ſic apud *Plinium*, (*d*) *Trajanus Imperator* ad eundem ſcribens, illi præcipiebat, ut qui pœnæ damnati erant, nec intra decem annos liberati eſſent, pœnæ ſuæ redderentur; qui verò ſeniores ante decem annos damnati fuiſſent, diſtribuerentur in ea miniſteria, quæ non longè à pœnâ eſſent. Solebant enim tales damnatos ad Balnearum vel Cloacarum purgationes deſtinari. Stomachabitur forſan aliquis, quòd circa Latrinas, & Cloacas tamdiu immorer; verùm nulla res eſt, cujus contemplatio rerum naturalium ſcrutatori debeat ſordeſcere, multò minùs Artis Medicæ Profeſſori: (*e*) legatis *Theodorici Regis* Epiſtolam apud *Caſſidorum*, ubi magnus ille Rex,

(*a*) In Aulul. (*b*) in Alcib. P. (*c*) l. 1. ff. de Cloacis. (*d*) l. 10. Ep. 41. (*e*) 3. Ep. 30.

Cloacarum purgamen *Romanæ Urbis Præfecto* commendat *ſplendidas Civitatis Romanæ Cloacas, quæ tantum viſentibus ſtuporem conferrent, ut aliarum Civitatum miracula poſſent ſuperare.*

De Morbis Fullonum.

CAPUT XIV.

PEnes antiquos Scriptores nil frequentiùs, quàm *Fullonum* nomen; noſtra hac ætate quodnam Opificii genus eſſet illud, in quo exerceretur *Ars Fullonica*, penè ignoratur. (a) *Plinius* mentionem habet *legis Metellæ*, Fullonibus dictæ, quam *C. Æmilius*, & *L. Camillus Cenſores* ad populum dedere ferendam. In lege penult. §. de rebus dubiis hæc leguntur. *Jabollenus, qui habebat Flaccum Fullonem, & Philonium Piſtorem, Uxori Flaccum Piſtorem legaverat. Ulpianus* tamen Fullones inter negotiatores recenſuit, (b) & *Varro* inter ruſticanam familiam Fullones numerat.

Prout tamen ex Antiquorum Scriptis expiſcari licet, Fullonica priſcis temporibus circa lanas purgandas verſabatur, ac potiſſimum circa veſtes emaculandas. *Populas* enim *Romanus* Togis albis uti conſueverat, quæ ſicuti facilè maculis fœdabantur, ita Fullonibus tradebantur, è maculis purgandæ ac dealbandæ, quas etiam Sulphuris fumo accenſo ſufficiebant, ſicuti teſtatur *Plinius*, & noſtris quoque temporibus fieri conſuevit, quotieſcunque ſericeis, vel laneis veſtibus candorem conciliare volumus. Acida enim Sulphuris exhalatio talia mirè dealbat, ut purpureas roſas lacteas efficiat.

Cùm ergo olim, uti nunc etiam, *Romana Civitas* modò lutulenta, modò pulverulenta eſſet, propterea Togæ ſordidæ factæ ad Fullones, tanquam Balneatores, mittebantur; Veſtes autem primò cretâ ſordidâ abluebant, mox quodam cretæ genere, Cimoliæ dictæ, utebantur. Noſtrates quoque mulieres, ubi oleum ſuper veſtem aliquam caſu exciderit, illicò, ne illud altiùs penetret, & magis expandatur, uti fieri aſſolet, partem illam oleo perfuſam argillâ, quâ Figuli utuntur, obducunt, ſinuntque, ut creta paulatim exſiccetur, & ſponte concidat. Sic enim vel parùm, vel nihil maculæ apparet; oleum etenim, quod multo acido occulto abundat, à cretâ, quæ ratione ſuæ indolis de naturâ Saturni participat, & acidum præcipitat, avidè bibitur.

Urinâ quoque hominum utebantur Fullones, ut Veſtes purpureo colore tingerent. Elegans Epigramma (c) apud *Martialem* exſtat, in quo varia rerum fœtidarum exempla recenſentur, quibus *Baſſam* mulierem putidam pejus olere ait, inter quæ Vellus bis murice inquinatum reponit. (d) Aliud quoque ejuſdem Epigramma legitur, in quo ait, *Thaidem* tam malè fœtere, ut non tam graviter oleret,

Fullonis avari
Teſta vetus, media ſed modò fracta via:

Omittam ea, quæ ingeniosè Interpretes commenti fuerint circa id, quod *Velleri murice* bis inquinato tam gravem odorem tribueret, & quidnam eſſet *Fullonis avari teſta vetus*, quæ tam malè puteret; ſolùm ea hic afferam, quæ eruditiſſimus (e) *Zarottus* in libro ſuo *de Medica Martialis tractatione* ingeniosè tradidit. Fullones ergo, Lanifices, Tinctores urinâ humana in ſuis Opificiis utebantur. Id habemus ex (f) *Plinio*, ubi ſcripſit, *Virilem Urinam podagricis mederi, argumento Fullonum, quos ideò eo morbo tentari negant;* hoc idem deduci poteſt ex *Galeno*, ubi Scomma refert quoddam *Quinti Medici*, (g) *Galeni* ætate non incelebris, qui Urinarum conſiderationem non magni faciens; ut multi illorum tempo-

(a) l. 35. H. N. cap. 17. (b) de re ruſtica. (c) l. 4. Ep. 4. (d) leg. l. 6. Ep. 93. (e) c. 24. (f) l. 28. H. N. c. 6. (g) l. 3. de San. tu. c. 13.

temporum, qui ex matulâ, tanquam tripode, uti etiam noſtrâ hac ætate, morbos omnes divinare ſe jactitabant, ajebat, hujuſmodi conſiderationem Fullonum eſſe magis propriam. Idem quoque teſtatur (*a*) *Athenæus*, opinionem referens *Mneſithei Medici Athenienſis* affirmantis, urinam, quæ à nobis excernitur, ubi liberaliori Vini potu nos diluerimus, acriorem eſſe, ut Tinctores commodiùs illâ uti poſſint ad Veſtes expurgandas.

Valdè familiaris ergo erat antiquitùs Urinæ uſus apud Fullones, pro Lanarum ac Veſtium purgamine, neque noſtrâ ætate id prorsùs obſolevit. Nam in Officinis Pannificum, ubi Lanæ pectuntur, & panni texuntur, obſervantur Doliola, ubi Operarii omnes mejunt, ac in iis Urinam aſſervant, ad putrefactionem uſque, quâ poſtmodum utuntur. Ac revera, ubi hujuſmodi Operarios interdum mihi inviſere contigit, peſſimum odorem nares ferientem percipiens, cauſam ab iiſdem ſcitatus ſum, ac Dolium urinâ plenum oſtenderunt, in quod ex Artis lege omnes deberent mejere.

Noſtris autem Fullonibus urinæ uſus hujuſmodi eſt. Poſtquam Pannum, aliaque lanea Opificia contexta fuerint, ut illa ab Oleo ac aliis ſordibus expurgent, urinæ ſic aſſervatæ, & aquæ tepidæ partes æquales, unà cum quadam Saponis Veneti portione, ponunt in Vaſe ligneo, in quo pannum immergunt, mox ut humor altiùs penetret, ac Pannus illo perfectè ſaturetur, pedibus premunt, idque bis vel ter repetunt, abjecta prioris balnei materiâ, ac recenti mixturâ in Vas injectâ. Hoc peracto, prælo liquorem exprimunt, ac poſtremo aquâ purâ cum Sapone Veneto pannum abluunt, ſicque Pannifices pannos ſuos candefaciunt, ut colores omnes promptiùs combibant. Eundem morem laneas Veſtes in Urinâ immergendi, ac nudis pedibus premendi, priſcos Fullones ſervaſſe, arbitrari licet, hancque ob cauſam ſcripſiſſe *Plinium*, *Fullones podagra minùs tentari.*

Romæ itaque olim, ut in Urbe populoſiſſimâ, & quæ Serici uſum vel nullum vel rarum haberet, Fullones ac Infectores ob frequentem neceſſitatem Togas ſordidas abluendi, & Lanas murice inficiendi, lapidea Vaſa, in quibus urinam aſſervabant, quotieſcunque effringerentur, in publicas vias projiciendo tranſeuntes gravi odore infeſtabant.

Fullones igitur, ac Pannifices inter graves hoſce odores urinæ fœtidiſſimæ, ac olei in calido conclavi degentes, ac interdum ſeminudi, omnes ferè Cachectici ſunt, decolores, anheloſi, tuſſiculoſi, & nauſeabundi. Aëre enim concluſo, ac tam pravis odoribus ſaturato, organa ſpiritalia ſubeunte, fieri nequit, quin Pulmones ex atomis illis oleoſis ac putidis noxam perſentiant & infarciantur, ſimulque tota maſſa ſanguinea inficiatur, ad principalia viſcera ac totum corpus fœdis illis particulis in orbem delatis. His addendum, cutis ſpiracula ex unguine illo facillimè obſtrui, unde mala, quæ ex cutis conſtipatione oriri ſolent, illis ſuccreſcant.

Varias Fullonum ægrotantium hiſtorias habemus apud (*b*) *Hippocratem*, ex *Marinello*. *Fullo collum caput &c. Fullo in Syro phreneticus cum ureretur cruribus &c.* verùm ſatis curioſa eſt, apud eundem *Hipp.* (*c*) hiſtoria morboſæ cujuſdam diſpoſitionis, veluti epidemicæ, quæ Fullones ſuſtulit. *Fullonibus*, inquit (*d*) *Hippocrates*, *inguina extuberabant durà, & ſine dolore, & circa pubem & in collo ſimilia erant tubercula magna, febris ante decimum diem. Tuſſi vexabantur à ruptionibus &c. Valleſius* in hujus loci commento *Hipp.* hiſtoriam de unico Fullone expoſuit, & figmentum putat, Fullones communi morbo laboraſſe; cæteri tamen Interpretes, ut *Fœſius*, *Mercurialis*, *Marinellus*, & alii de pluribus, ac veluti de Fullonum cœtu interpretati ſunt; Sic enim *textus Græcus* Τῶν γναφέων οἱ Βυβλῶνες &c. Credibile eſt, pravam aliquam Conſtitutionem hujuſmodi Artificibus magis infeſtam, quàm aliis diverſæ Claſſis, non ſolùm ob pravum victum, quo uti ſolent hujuſmodi Operarii, ſed ob Artis incommoda, è quibus

(*a*) l. 11. c. 10. Dipnoſ. (*b*) in lib. Ep. ut in 4. n. 21. (*c*) in 5. Ep. n. 24. (*d*) & 7. Ep. n. 39.

bus infesta malorum seges, uti diximus, ipsis necessariò succrescit, quemadmodum ex eodem *Hippocrate*, (*a*) in quadam Constitutione, in quâ cum multa mala à malignâ serositate in Vulgus vagarentur, Viri potiùs afficiebantur, quam Mulieres, ac inter Mulieres graviùs ægrotabant famulæ, quæ omnes ferè interibant, quam liberæ, quibus morbi qui fiebant *mansuetissimi moris erant*; Sicuti ex (*b*) *Plinii* testimonio, *aliquando Proceres tentari morbis, aliquando Servos observatum est.* In Constitutionibus meis Mutin. Ruralem Epidemiam tertianarum febrium descripsi, quæ Ann. 1690. solos Agricolas afflixit, & sequenti Anno Urbanam, aliam, quæ solos Cives exercuit, *Judæis* tamen pepercit; sicuti *Palmarius* ex *Schenchio* annotavit, *Parisiis*, dum in Urbe sæviret Pestis, Coriarios ab eâ immunes fuisse. Ex communi itaque morbo ob pravam aliquam temporum Constitutionem (Austrinam puta, quæ crassos humores funderet ac liquaret, & ad glandulas Inguinum, & Colli ablegaret) Fullonum turbam ab *Hippocrate* descriptam ægrotasse, ac idem fatum subiisse, cum omnibus ob ejusdem sordidæ Artis eædem inessent dispositiones, sat probabiliter credi potest.

Ut ergo horum Artificum saluti compendiariâ methodo, quantùm licet, consulatur, & à sordibus, quas intus & in cute gestant, expurgentur, è Pharmaciæ fonte potissima remedia desumenda. Emetica igitur ac præcipuè Stibiata, quorum usus in hisce Operariis mihi valdè salutaris compertus est, cum Cachexia & lentis febribus laborant, primas tenent; haud secus Cathartica valentiora, & quæ crassos humores expurgant, erunt ex usu. Mitiora enim ob humorum infarctum & segnitiem turbas potiùs cient, quàm quicquam proficiant. Aperientia, & deobstruentia, ut Syrupus Cachecticus *Fernelii*, Vina lixivialia à *Willisio* descripta, Spiritus Urinæ, Urina ipsa epota, satis commodam præstabunt operam. In Venæ Sectione cauto opus est; illam enim, ubi acutus morbus urgeat, non improbo, non ita tamen liberaliter sanguinem mittendum, ut in cæteris, censeo; horum enim Artificum sanguis, ut plurimùm fœdus est & gelatinosus.

Antiquitùs, *Romæ* præsertim, ubi tot *Thermæ* (*c*) ad publicos usus prostabant, sordidarum Artium Operariis non leve præsidium erat, Corpora à contractis sordibus identidem abluere, & lassatum virium robur recreare, ut rectè annotat *Baccius de Thermis*. At nostris temporibus, quibus res tam egregia obsolevit, singulari hoc beneficio carent omnes Urbani Artifices; ubi primò decumbunt, ad sordes detergendas, quæ perspiratum prohibent, & connutritam graveolentiam abigendam, in id præcipuè incumbo, ut illorum corpora spongiâ vino albo odorato calenti imbutâ abluantur, ac perfricentur, sicuti ad præcautionem eosdem hortari soleo, ut festis saltem diebus, propriis in laribus dulci lavacro, curatâ cute, mundis vestibus induti in publicum prodeant. Mirum est enim, quantùm à Vestium munditie, ac puritate spiritus Animales hilarentur: quare non satis vulgarem opinionem, quam etiam medentium nonnulli fovent, improbare valeo, quâ volunt, ægris decumbentibus non esse mutanda indusia, nec linteamina, ne illorum vires imbecilliores fiant; quâ de re egregiam habemus (*d*) *Divini Præceptoris* sententiam. *Laborantibus gratificationes*, ait ille, *ut mundè facere aut potus, aut cibos, quæ videt molliter quæcumque tangit*; quem locum satis disertè exponit *Vallesius* in commento.

Hinc non parùm mirror, quomodò (*e*) *Lazarus Messionerus in sua de Feb. Doctrina nova*, eos *Medicos* reprehendat, qui in febricitantibus linteamina & indusia mutanda præcipiunt, hancque rationem afferat, quòd indusia recenter lota vim retineant lixivialem lentorem inducentem, cùm in lixivio vim detersivam ac resolventem omnes agnoscant. Quomodò autem Vestes sordidæ ad febrientium robur augen-

(*a*) 6. Epid. Se. 7. (*b*) l. 7. c. 5. H. N. & l. 26. c. p. (*c*) l. 7. c. 7. (*d*) 4. in 6. Epid. (*e*) Exerc. 5.

augendum tantum valeant, ex Doctiſſimi *Verulamii* ſententiâ in Hiſtoriâ Vitæ & Mortis, quem pro ſuâ opinione ſtatuminandâ adducit *Meſſionerus*, ego, pace tanti Viri, non ſatis video. Scripſit equidem (*a*) *Hippocrates*, *Veſtes puras hyeme induere oportere, oleo imbutas, ac ſordidas æſtate*; verùm libet hic inter germanos *Hippocratis* à *Galeno* non recenſetur, qui illius Auctorem *Polybium* facit, præterquàm quòd ibi ſermo eſt de ſanorum diæta, & quomodò pingues gracileſcant, & graciles pingueſcant. Corporibus enim gracilibus æſtate, neque lotiones, neque induſiorum mutationes tam crebræ forſan convenient, ne ob nimium perſpiratum, ac ſpirituum diflationem augeatur gracilitas.

Non poſſum autem, quin doctiſſimi (*b*) *Valleſii* verba hic referam. *Peccant vulgares Medici*, ait ille, *neque tunicam lineam mutare neque lecti ſyndonem, neque manus, faciemve lavare, neque quicquam aliud, quod ad munditiem ſpectet, ſuis ægrotis permittentes, ne ſi longus quidem morbus ſit; quaſi magni referat volutari in ſuis ſordibus, ac quaſi non augeat hoc omnem putreſcentiam.* Hac de re conſuli poterunt (*c*) *Lemnius* & (*d*) *Gaſpar à Rejes.* Fullonibus itaque ac omnibus aliis Artificibus, qui ex ſordidis Artibus victitant, munditiem corporis ac Veſtium mutationem ſummè commendare oportet, ut, quantùm fieri poſſit, iis affectibus, qui ex fætore & ſorditie proficiſci ſolent obviam iri poſſit.

Antequam autem à Fullonica ad alias Officinas divertamus, liceat mihi pro parergo egregiam animadverſionem hic afferre, quam Eruditiſſimus *Zarottus* ad ſuperiùs citatum *Martialis* Epigramma excogitavit. Cùm ergo *Martialis* ætate valde frequenter *Romæ* contingeret, ut à Fullonum teſtis, in publicas vias conjectis, ob graveolentiam infeſtarentur prætereuntium nares, hinc ſatis probabilem conjecturam deducit *Zarottus*, cauſam perſcrutandi, quare *Veſpaſianus* P. R. tributum ex urinâ, teſte *Suetonio*, impoſuerit. Cùm enim probabile ſit, quòd tunc temporis proſtarent amphoræ Urinariæ ad Urinam excipiendam, ob ingentem illius uſum pro Veſtibus emaculandis, & pro purpuræ tinctura, credi poſſe ait, *Veſpaſianum* hinc anſam hujuſmodi vectigal imponendi deſumpſiſſe, quandoquidem lucri bonus eſt odor ex re qualibet, quod Græci quoque Imperatores imitati ſunt, teſte *Cedreno*; Tales Amphoras Urinarias ſolitas proſtare innuit *Macrobius*, Q. Titium inducens, Judices vinolentos his verbis increpantem *nulla eſt in Angiportu Amphora, quam non impleant, quippe qui Veſicam Vini plerumque plenam habeant.*

Quoniam hac occaſione circa urinarum conſiderationem pauliſper immorati ſumus, ſilentio præterite non licet, quæ de urinarum vi deobſtruente, & efficaciâ in ciendis menſibus non ſemel obſervavi. Complures enim *Adoleſcentulas Moniales* novi, quæ cùm ad multos menſes catameniorum defectum paſſæ fuiſſent, ac ex communibus remediis, quæ in hujuſmodi affectibus adhiberi ſolent, nil opis ſenſiſſent, propriis Urinis epotis redditæ fuerint coloratæ, reſeratis nempè obſtructionibus, ac menſtruis refluentibus, adeò ut hoc remedii genus ſatis familiare redditum fuerit.

Haud ſum neſcius, novum non eſſe, urinam variis in Morbis bibi ſolitam, ut in Hydrope, quamvis id malè ceſſerit familiari cuidam *Antigoni Regis*, qui, ut refert (*e*) *Celſus*, ſuam urinam bibendo in exitium ſeſe præcipitavit, hominem illum tamen notæ intemperantiæ fuiſſe Auctor ipſe teſtatur. Obſervationi tamen de urina, menſtruum fluxum promovente, congruit id, quod tradidit (*f*) *Plinius*, *vaporatione nempè urinæ puerorum impubium fieri menſes fœminarum*; quod remedium equidem à ratione non adeò alienum videtur, & cujus facile eſſet experimentum, ſi præſertim urina manè ſit reddita, quæ ab (*g*) *Helmontio*, urina ſanguinis, dicitur. Quemadmodum autem ad Viſcerum obſtructiones reſerandas, *Sal Ammoniacum*, ac illius ſpiritus commendantur, &

(*a*) in lib. de Salubri Diæt. n. 3. (*b*) com. tex. 8. l. p. de rat. Vic. in acut. (*c*) de Occul. Nat. mirac. l. 4. c. 8, (*d*) in Juc. Quæſt. Campo Qu. 82. (*e*) l. 3. cap. 21. (*f*) H. N. l. 28. c. 6. (*g*) de Sextup. Digeſ. nu. 79.

ex urinâ humanâ cum Sale communi fit Sal Ammoniacum artificiale (quando nativum, ex Africâ olim ad nos deferri ſolitum, in arenâ reperitur ex Camelorum urinâ propè Jovis Ammonis templum) ſic urina humana quæ ex cruoris maſſa varios Sales abſorpſit ac ſerum detulit, dum ſub formâ Seroſi laticis in orbem ageretur, vim deobſtruendi adſciſcet. (a) *Solenander* tradit, ſe agreſtibus viris propriam urinam potandam, in Hepatis, ac Lienis duritie, neque ſine proſpero eventu, præſcripſiſſe. Profectò iis, quibus volupe eſt, hoc remedio uti, in Officinâ Chymicâ Viſcerum elaborato, longè ſalubriorem putarem urinæ hominis ſani, quàm morboſi potum, uti ſcitè, & eleganter oſtendit. (b) *D. Roſinus Lentilius* in Ephemeridibus German. de Αὐτουροποσίας examine; Verùm non tam facilè cuiquam perſuaderi poteſt, ut alienam urinam ſorbeat, niſi interdum urinam pueri, quam tamen imbecilliorem urinâ Virili cenſeo, dum urinæ puerorum, ut plurimùm decolores ſunt ac veluti res fatua, ex quibus non multum Spiritus ac Salis volatilis elici poſſit.

Nemo ferè eſt ex Chymicorum familiâ, qui per ſpagyricam analyſin examen aliquod de urinâ humanâ non inſtituerit. Cùm enim ſaponariam ac deterſoriam vim in illâ omnes agnoſcant, ob varia ac omnigena Salia, quæ in ipsâ hoſpitantur, non adeò facile eſt definire, quid in illa dominatum habeat. Latex enim aquoſus ſeu Serum ſanguinis, dum per Vaſa ſanguiflua in orbem fertur, Sales diverſi generis, ob tam diverſa eſculenta & potulenta, quæ aſſumimus, in quibus tot varii ac diverſi ſapores reſident, abſorbet, & per renales tubulos ad Veſicam defert; ex quo fit, ut urina varios ac diverſos ſapores adſciſcat, ut plurimùm autem ſalſedinem præferat cum aliquo amarore. Elegantiſſimum Tractatum de urinis *Williſius* conſcripſit, ſtatuens in urinâ humanâ portionem magnam aquoſi laticis, minorem verò Salis, Sulphuris, & Terræ, ac portionem aliquam Spiritus: urinæ humanæ multùm ſalis communis ineſſe, cùm ex illa extrahi poſſit ſpiritus acidus, Chymicæ operationes ſatis oſtendunt; quare verò ſit Sal urinæ, & cujuſnam indolis, non tam facilè eſt decernere, quamvis in id operis multùm inſudarint Artis Magiſtri.

Ingenuè quidem *Helmontius* (c) fatetur, Sal lotii in toto Naturæ Syſtemate ſibi ſimile non habere; non enim talis eſt *marinus*, *fontalis*, *rupeus*, *gemmeus*, *non nitrum*, *non petræ*, *non aluminis*, *aut boracis*, *non denique naturalium ullius*, *ut neque Sal urinæ*, *vel armentorum*. Multò autem difficiliùs crediderim ſtatui poſſe, cujus naturæ ſit Sal lotii humani, quàm quodcumque aliud alterius ſpeciei Animalium, cùm Brutorum multò ſimplicior ſit victus, quàm hominum, qui cibaria elementa per omnia conquiſita ingerunt, *ac ſimul aſſis commiſcent elixa*, *ſimul conchylia turdis*, ut ait *Horatius*. Specifica tamen & generoſa remedia ex lotio humano ad varios uſus, & chronicos morbos oppugnandos parari nemo non novit, & noſtra hac ætate Spiritus Salis Ammoniaci, qui urinæ Soboles eſt, pro polychreſto habetur.

Ut ad propoſitum de urinâ fœtidâ, quâ utuntur Fullones ad purgamenta veſtium, ſcio equidem, Chymicos tam de urinâ recenti hominis ſani, quàm veteri poſt longam digeſtionem in fimo equino locutos fuiſſe, ſed apud eoſdem non multùm diſcriminis adverto inter Salem, & Spiritum volatilem, qui ab utraque urinæ ſpecie educitur; imò *Collectaneæ Chymicæ Leydenſis Auctores*, ſolum recenti urinâ hominis ſani utuntur, ad operationes ſuas perficiendas, cùm tamen in urinâ fœtidâ, ac veterrimâ major vis deterſoria à Fullonibus agnoſcatur, quàm in recenti, quamvis rationem ignorent. (d) *Ariſtoteles* quærit, cur urina fœtidior reddatur, quò diutiùs in corpore detenta fuerit; problematicè reſpondet, aitque, id forſan fieri, quia ob longiorem moram urina craſſior effici ſolcat, recens verò potioni ingeſtæ ſimilis ſit; at forſan quæſito meliùs ſatisfieret, dicendo, magis fœrere urinam diu retentam, quòd ea ſit urina ſanguinis, quæ ſecum deferat maſſæ ſan-

(a) Conſ. 2. Sec. p. (b) Dec. 3. An. 2. Ob. 116. (c) in Sext. Digeſt. n. 58. (d) Sec. 13. Prob. p.

ſanguineæ impuritates abſorptas, altera verò ſit urina potus. Forſan ergo urina hominum diu aſſervata, qualis eſt Fullonum, ac in teſtis illis fracedine imbutis fermentata, exhalante aquoſo humore, acrior fit, & magis abſterſiva pro uſu Fullonum. (a) *Collumella* pro ovium ſcabioſarum remedio urinam humanam veterem, per nares & os infuſam, commendat, imò pecudem puſtuloſam jubet defodiendam in ſcrobe prope limen reſupinatam, ſuper quam totus grex mejat, quo pacto ait ſanitati reſtitui.

At obtrudet aliquis, ſi hominum urinæ tam egregios præſtant uſus, & ex iis tot parantur remedia, quæ vi polleant deobſtruendi, & chronicos morbos oppugnandi, & hanc ob cauſam forſan Fullones olim non tentarentur podagrâ; unde fit quòd iidem, ut ſuperius dictum, cachectici fiant, lentis febribus, aliiſque morbis ab humorum infarctu obnoxii. Verùm reponam ego, non tam ab urinæ fœtidæ graveolentiâ, quàm a Lanis oleo imbutis, & diuturnâ morâ Lanificum in locis concluſis, & ſordidis, ubi degunt ſeminudi, Operarios prædictis affectibus laborare: fœtidos tamen habitus continuò per nares & os ſuſceptos ſpirituum animalium puritatem fœdare, indubium eſt; ac quemadmodum longior mora in loco odoribus alioquin gratis oppleto, noxas parit, haud ſecus cenſendum de iis, qui inſuaves ſunt, quamvis aliquandò ad ſpirituum torporem excutiendum adhibeantur.

Antequam claudam hoc caput, lubet hîc referre, antiquitùs in hac Civitate Artem Fullonicam (cujus modò pauca ſunt veſtigia) adeò excelluiſſe, ac tam lucroſam exſtitiſſe, ut Fullo olim inventus fuerit, qui eò opulentiæ devenit, ut Mutinenſi populo munus gladiatorium exhibuerit, quod eodem tempore *Bononiæ* quoque Sutor præſtitit; quare horum duorum Artificum inſaniam ſuarum opum profuſione popularem auram venantium, ſic illuſit *Martialis.* (b)

Sutor credo dedit tibi culta Bononia munus,
Fullo dedit Mutinæ, dic ubi Caupo dabit?

Lanarum verò Mutinenſis agri, ac earum præcipuè, quæ in planâ & campeſtri regione ab ovillo grege, qui inter *Scultennam*, & *Gabellum* paſcitur, antiquitùs obtinebantur, præſtantia valdè commendabatur, ut *Columella* (c) inter Gallicas lanas primas deferret iis, quæ habentur ab ovibus, quæ *circa Parmam, Mutinamque macris ſtabulantur in campis.*

(a) lib. 7. c. 5. (b) l. 3. Ep. (c) l. 7. c. 2.

De Morbis, quibus obnoxii ſunt Olearii, Coriarii, aliique ſordidi Artifices.

CAPUT XV.

MUltæ aliæ Officinæ quoque ſuperſunt, quæ naſorum ſunt peſtes, & Operariis ſuis unà cum lucri beneficio penſionem malam rependunt; quales ſunt eæ, in quibus exercentur Olearii, Coriarii, Fidicinarii, Laniones, Cetarii, Salſamentarii, Caſearii, & qui Candelas ſebaceas fabricantur. Quoties enim in hujuſmodi loca pedem immiſi, fateor me non levem ſtomachi ſubverſionem paſſum fuiſſe, nec diu odoris pravitatem ſine capitis dolore, ac vomituritione aliquâ tolerare potuiſſe. Non immeritò itaque legibus caveri ſolet, ne tales Opifices Artes ſuas domi exerceant, ſed vel in Urbis pomœriis, vel ſuburbiis, ut videre eſt apud *Cœpollam*, (a) *Paulum Zachiam* & alios. In hoc itaque capite de Artificibus Oleariis primùm erit ſermo.

In hiſce Regionibus, quæ nucum ſatis feraces ſunt, magna olei è nucibus copia confici ſolet, quo per noctem populares omnes uti ſolent in lucernis, rarò autem oleo olivarum, ob illius caritatem; tota enim Ciſpadana & Tranſpadana Regio oleas nequa-

(a) De ſerv. ur. c. 48. n. 3. Q. M. L. l. 5. T. 4. Q. 7.

quam alit, & oleum olivarum, quod habemus, ab *Hetruriâ* ad nos deferri ſolet. Paratur autem oleum è nucibus, ſicuti oleum olivarum; Nucleorum enim maſſa ſub molis contrita, & in mollem paſtam redacta coquitur ad Ignem in magnâ ſartagine ex cupro, dein ex paſtâ illâ prælo impoſitâ oleum exprimitur: dum autem hoc fit, atræ fuligines, ac tam infeſti odores elevantur, ut ii, qui ad hoc miniſterium intenti ſunt, rancidas illas exhalationes excipiant. Hinc non exigua mala illis emergunt, ac iis præſertim, qui in ſartagine ad Ignem materiam fumigantem ſuſque deque ſpatulâ verſant, ut Tuſſes, Dyſpnœæ, Capitis dolores, Vertigines & Cachexiæ; his adde, quòd ſordidas lacernas hujuſmodi Operarii continuò geſtent, unde ſordibus obducti pororum cutis conſtipationes frequenter patiantur, & exinde acutos morbos, pectoris præcipuè, cùm hyemem tantùm in hac re exerceri ſoleant. Quàm noxius Capiti ſit fumus, qui ex oleo nucum exſpirat, experiuntur ii, qui in clauſo Cubiculo, & ubi nullum ſit vaporarium, ad lucernas ex oleo nucum ad horas aliquot, ſeu ſcribunt, vel legunt, ſeu quid aliud operantur, non enim ſine gravi Capitis dolore, vertigine, ſtupore illinc abſcedunt, toto Cubiculo fumo oppleto. Nonnullos ego novi, quibus non minus noxia fuit exhalatio ex tali oleo in loco concluſo, quàm fumus Carbonum, ut præcipuè cuidam Literarum ſtudioſo, qui cùm ob rem anguſtam domi, tali oleo pro elucubratione ad ſeram noctem in ſuâ Cellulâ uſus fuiſſet, veternoſus ad plures dies perſtitit.

Haud ſecus malè olent Officinæ, in quibus oleum è ſeminibus lini paratur, cujus uſus in hiſce Regionibus non exiguus eſt nocturnum in lumen, ubi præſertim olei nucum defectus ſit, neque minùs graviter afficiuntur, qui illud parant.

Haud aliter Coriarii, qui Animalium coria in Tinis cum calce & gallâ macerant, pedibus calcant, lavant, expurgant, ſebo inungunt, varios ad uſus, haud aliter, inquam, à continuo pædore, & fœdis exhalationibus infeſtantur, quàm ſuperiùs memorati Operarii; hos enim videre eſt cum cadaverosâ facie, ſubtumidos, luridos, anheloſos, ac omnes fere ſpleneticos. Non paucos ex hujuſmodi Operariorum familiâ mihi obſervare contigit hydropicos factos; quomodò enim, cùm in loco humido, & in Aëre à tetris illis halitibus è coriis ſemiputridis inquinato, ferè ſemper degant, quomodò, inquam, fieri poterit, quin ſpirituum tum vitalium, tum animalium Officinæ inquinentur, ac totius corporis œconomia unà pervertatur? Non rarò obſervavi, equos nullis ſtimulis, nullâ vi adigi potuiſſe, ut ante hujuſmodi Officinas prætergredi velint, quin ubi primùm talem odorem naribus hauſerint, tanquam amentes, habenas nequaquam audiendo, celeri curſu domum repedaſſe. Ædificia propterea in quibus coria elaborantur, vel prope muros Civitatum, uti cæteræ ſordidæ Artes, vel extra muros, ut in hac Urbe, ſita ſunt, ne Aëris puritati officiant. Scitiſſimè propterea (*a*) *Hippocrates* in hiſtoriâ *Philiſci*, qui ex malignâ febre ſextâ die mortuus eſt, locum deſcripſit, in quo decubuit; *Philiſcus prope murum habitabat &c.* in cujus hiſtoriæ commento, doctiſſimus *Mercurialis* annotavit, Divinum Præceptorem verba illa *propè murum appoſuiſſe*, *ut locum morboſum deſignaret*, *in quo æger ille degebat*, *cum loca Urbium circa mœnia ſemper magis morboſa ſint*, *cum omnes Civitatum ſordes eò ſoleant deferri*, *brutorumque cadavera*, *& alia inquinamenta.*

Romæ olim in *Tranſtiberinâ Regione* ſordidiores erant Officinæ, ac præſertim Coriariorum, ut ex *Martiali*, qui varios fœtores enumerat, quibus (*b*) *Thaidem* malè olere ait, quos inter illum reponit, qui ex caninis pellibus, in Tranſtiberina regione maceratis, effundebatur; Sic enim ille:

Non ab amore recens Hircus, non ora Leonis
Non detracta Cani Tranſtiberina cutis.

Uſum hunc illius Regionis, ubi vilior plebecula degebat, & ubi ſordidiores Artes exercebantur, tetigit *Juvenalis*, (*c*)

nec

(*a*) p. Ep. Se. 3. (*b*) l. 6. Ep. 43. (*c*) Sat. 15.

nec te faſtidia mercis
Ullius ſubeant ablegandæ Tiberim ultra.

Infamis propterea illius Regionis Aër apud *Romanos* audiebat, ob inſignem fœtorem, qui ex tam ſordidis Artibus, & olidis mercibus exſpirabat; quam ob cauſam *Judæi* antiquitùs partem illam Urbis incolentes, & in quam, teſte (*a*) *Philone*, ſe infuderant, ut magis deſertam, ac vilem, inſigniter fœtebant, non ob vernaculum, & inſitum illis putorem, ut adhuc vulgò creditur.

Ad Coriariorum Claſſem referri quoque poſſunt Fidicinarii ii, qui chordas parant pro Muſicis Inſtrumentis, iiſdem enim affectibus premuntur, cùm iis neceſſe ſit in humidis locis, ac fœtidis ſemper degere; Animalium Inteſtina tractando, eluendo, evolvendo: quare tales Operarios viſere eſt, ut plurimùm facie luridos, Cachecticos, & tumidis cruribus.

In cenſu quoque ſordidorum Artificum recenſendi ſunt Caſearii, qui & ipſi ob graveolentiam ſuos manes patiuntur: de iis tamen Caſeariis ſermo eſt, qui ex Vaccino lacte grandes illas & caſeoſas rotas efficiunt, quales forſan olim erant *Lunenſes*, de quibus *Martialis* (*b*).

Caſeus hetruſcæ ſignatus imagine Lunæ
Præſtabit pueris prandia mille tuis.

& qualis apud nos eſt *Parmenſis Caſeus*, *Placentinus*, *Laudenſis*, & aliarum Civitatum in *Ciſpadanâ* & *Tranſpadanâ Regione*, fumantes enim illæ, ac pingues exhalationes Operarios non parùm infeſtant. In *Italiâ* rarò quidem intra Urbes Opificium iſtud exercetur, ſed potiùs in Villis & locis campeſtribus paratur Caſeus. In hac Civitate tamen *Judæis*, quibus religio eſt iis uti cibariis, quæ illorum manibus parata non fuerint, ex lacte è proximis Villis advecto, intra ſua ſepta, æſtivo tempore Caſeum conficiunt, ac revera in iis Tabernis, ubi id agunt, peſſimus odor perſentitur, eòque omnes ferè Muſcæ confluunt.

Jo: Pet. Lotichius in libello ſuo de Caſei nequitiâ edito refert, Vicum quendam *Franſofurti* eſſe, in quo Caſeus conficitur, ac tam gravem mephitim ex Vico illo diffundi, ut in illum pravum odorem cauſam peſtis, quæ Civitatem illam malè mulctavit, referri poſſe crediderit.

Nullum porrò Charonæum Antrum, nullam Camarinam motam, ut erat antiquorum adagium, eſſe exiſtimo, ubi Operarii ob graveolentiam magis infeſtentur, quàm loca illa, ubi Candelæ Sebaceæ fabricari ſolent. Etenim neque ſoli Operarii, ſed etiam vicinæ Domus, non levem noxam perſentiunt, quâ de cauſâ hujuſmodi miniſteria ad loca viliora Urbis, ac prope pomœria ablegari ſolent, uti rectè advertit, ac monet (*c*) *Zacchia*, qui in ſpecie mentionem habet de Officinis, in quibus Candelæ Sebaceæ conflari ſolent. Cùm enim aheni, in quibus Sebi hircini, bubuli, ſuilli mixtura continetur, ebullire cœperint, tam fœda ac nauſeoſa exhalatio circumquaque diffunditur, ut vicinia tota inficiatur. Graviter itaque læduntur hujuſmodi Artifices, dum ferventibus ahenis ſuperſtant, & pingues illas particulas ore, ac naribus excipiunt, ex quibus in pulmonum fiſtulari texturâ magni infarctus fiunt, unde reſpirandi difficultates, capitis dolores ſubſequuntur; Speciatim verò nauſea, ac vomituritio. Nihil autem eſt, quod nauſeam, & fibrarum ſtomachi inverſionem validiùs cieat, quàm pinguedo, vel ſolo adſpectu, nedum intus admiſſa; ſic pingues fœminas, ac nimis mammoſas omnes ferè horrere ſolent; propterea *Martialis* hujuſmodi fœminarum genus à ſe procul ablegans, ſe *carnarium* dicebat, *non pinguiarium*. Quantùm verò ad obtundendum Ventriculi acidum, in quo appetentiæ fomes reſidet, polleant ſubſtantiæ pingues, & oleoſæ, ut ut acidum occultum contineant, nemo eſt qui ignorat; neque immeritò *Galenus* (*d*) ad famem caninam ſedandam pinguia edulia, & oleaginoſa commendabat, ut quæ acidi p. n. & Ventriculi membranas arrodentis ſpicula infringere valeant, *Avicenna* propterea pro regimine iter agentium pinguium ciborum uſum,

(*a*) De Leg. ad Caium. (*b*) l. 13. Ep. (*c*) Q. M. L. l. 5. tit. q. 7. (*d*) Com. 21. 2. Sc.

uſum, (a) ut adipis vaccini laudat, ac refert quendam Olei Viol. lib. 1. cum Sebo epotâ decem diebus à cibo abſtinentiam commodè toleraſſe. Mirum propterea non eſt, ſi hujuſmodi Operarios perpetua ferè inappetentia, & nauſeatio comitetur.

Non rarò quoque obſervare mihi contigit Mulieres propè has Officinas habitantes, de uterinis paſſionibus ob hujuſmodi odoris pravitatem conqueri, quod alicui fortaſſe mirum videri poſſet, cùm ad hyſtericos affectus graveolentia commendentur ab (b) *Hipp.* ſi naribus apponantur; verùm ſicuti non ſemper ſuaveolentia uterinas ſuffocationes excitant, cum etiam odorata, ut Cinnamomum, Nux molcata, & ſimilia mulieribus præfocatis pro remedio exhibeantur, quod (c) *Horatii Augenii*, in hujuſmodi caſibus, *infallibile*, ut ipſe ait, *eſt præſidium*, neque id à Doctiſſimo *Etmullero* improbetur, (d) & ab *Hipp.* in libro de Nat. Mul. Vinum odoratiſſimum commendetur, ita non ſemper graveolentia naribus admota hyſtericas turbas ſedant, uti obſervavit (e) *Foreſtus*, & de nidore lucernæ exſtinctæ, quo hyſterici inſultus fiunt, fœtus exſtinguuntur, perantiqua obſervatio eſt. Quare à putri ſebaceo odore nequaquam miror, animales ſpiritus in motus inordinatos cieri, ac ſimul ob nauſeam, Ventriculo ad ſuperiora contracto, uterum quoque convelli; ſic aliquandò obſervari mihi contigit, delicatas mulieres ad candelæ ſebaceum odorem pro nocturno lumine, animo linqui, & hyſtericis affectibus corripi.

De candelarum ſebacearum pernicioſo nidore videatur (f) *Solenander*, qui refert, fratrem ſuum Joannem ad candelæ ſebaceæ lumen gravioribus ſtudiis intentum, magnam exinde noxam in Pulmonibus, & Cerebro accerſiviſſe; addit inſuper ex ſebo bubulo graviorem odorem, quàm ex ovillo, vel vervecino exire, nobis autem candelæ ſebaceæ nunquam graviùs olere cenſentur, quàm cum illis aliqua ſuillæ pinguedinis portio admixta fuerit. Elegantem quoque habemus hiſtoriam in Actis *Haffnienſibus* (g) ubi narratur hiſtoria cujuſdam mulierculæ, quæ in formandis candelis promercalibus intenta in gravem Capitis dolorem cum Vertigine, Oculorum ruborem, difficilem reſpirationem incidit, quam mulierem *Olaus Borrichius* curavit, primò vomitum provocando, poſtea aquis pectoralibus cum oxymellite ſcyllitico adhibitis; quibus hoſtem, ut ille ait, viſus eſt ſopire, ſed non multò poſt remediorum uſu intermiſſo, Orthopnoica facta eſt, & repetitis Medicamentis Artem ſuam diris exſecrando, hujuſmodi Artifices hortabatur, ut ſi pectori proſpectum vellent, ſub dio ſaltem miniſterium ſuum exercerent.

Literarum Profeſſores ego quoque monitos velim, ut a candelis ſebaceis, quotieſcumque in ſuis Muſæis literis operam dant, quantùm poſſunt, abſtineant, ac ſi opes non ſuppetant, ut cereis candelis uti poſſint; Lucernis ex Oleo Olivarum, quæ Palladi ſacræ ſunt, utantur, ut antiquis Scientiarum Cultoribus mos erat, quorum Opera commendabantur cum lucernam olerent. Hoc idem ſuadet (h) *Fortunatus Plempius*, qui ait, non minùs nidorem ac fumum candelarum ſebacearum abortum inferre, ac fumum lucernæ ex *Plinio*. (i)

Talia ergo Medicamenta, quando hujuſmodi Artifices curandi occurrunt, qualia à Clariſſ. *Borrichio* proponuntur, in uſum revocanda, uti Vomitoria, inter quæ Stibium primum locum obtinet, fortia cathartica, abſtergentia acria, & potiſſimùm quæ ex aceto ſunt compoſita, ut Oxymel ſcyllititicum, ac ſimilia, cùm nihil ſit, quod pingue magis tundat ac abſtergat, quàm Acetum.

Enitendum eſt igitur, ut tam interiùs quàm exteriùs unguinoſæ illæ particulæ, quibus viſcera, & cutis hujuſmodi Artificum infracta ſunt, ac ſpiritus irretiti, liberque tranſpiratus prohibetur, extrudantur, everrantur, ſive ex ſuperiùs recenſitis affectibus, ſive ex quocunque alio morbo, juxta temporum Conſtitutiones,

(a) l. 1. Fen. 3. Do. 5. c. 2. (b) 2. de mo. Mut. n. 78. (c) l. 12. Ep. 7. (d) de Affe. fœm. ex utero. (e) l. 28. Ob. 30. (f) Se. 5. conſ. 6. p. 461. (g) Vol. 5. Ob. 86. (h) de Toga Val. tue cap. 35. & 39. (i) l. 7. H. N. cap. 7.

tiones, decumbant. Suſpicari enim ſemper licet, aliquid labis humoribus ac ſpiritibus ex fœdis illis particulis ineſſe; quas unà cum aëre in operum ſuorum exercitio combiberint. Hanc ob cauſam circa V. S. in hiſce Artificibus exercendam cautione opus eſt, liberaliter enim detracto ſanguine, citiſſimè fatiſcunt illorum vires ac ſpiritus, qui ex conſpurcato ſanguine geniti non poſſunt non eſſe imbecilles ac evanidi.

De Morbis Tabacopœorum.

CAPUT XVI.

VErùm à tam ſordidis, & graveolentibus Officinis ad Naſorum delicias noſtræ hujus ætatis, ſi lubet, divertamus, ad Officinas ſcilicet, ubi Tabacum (liceat mihi hoc vocabulo uti, quando jam Civitate donatum eſt) parari ſolet. Hujus ſeculi (ſaltem in *Italiâ* noſtrâ) inventum, ſeu vitioſa conſuetudo eſt pulvis iſte, ex herbâ Nicotianâ compoſitus, nihilque eo frequentiùs eſt cùm Mulieribus, tum Viris, Pueris quoque, ut illius emptio inter quotidianas familiæ impenſas numeretur. Quales ergo noxas tum Capiti, tum Stomacho affigat pulvis eſte ex Tabaco, ſatis norunt ipſi Tabacopœi, dum illum præparant. Inter alias merces, quæ ex *Liburnico Hetruriæ Portu* ad nos deferri ſolent, placentæ quædam ex prædictæ Plantæ foliis in funem convolutis concinnatæ reperiuntur, quas Operarii explicant, evolvunt, ac molæ ſubdunt, ut in pulverem rediganter; dum autem Equi oculis obductis molam circumagunt, Operarii adſtantes, qui Tabaci folia ſuſque deque identidem verſant, antequam aſſueſcant, magno capitis dolore, vertigine, nauſeâ, & continuâ ſternutatione tentari ſolent. Tanta enim ex illâ triture partium tenuium, æſtate præſertim, diffunditur exhalatio, ut tota vicinia Tabaci odorem, non ſine querimoniâ, & nauſeâ perſentiat. Equi ipſi quoque molam circumagentes, frequenti capitum concuſſione, tuſſi, & exſufflatione, acrem & infeſtam Tabaci exhalationem illam atteſtantur. Puellam Hebræam novi (Tabacopolia enim in totâ fere Italiâ, ſicuti multi alii publici proventus, *locantur Judæis*, *quarum cophinus fœnumque ſuppellex*) quæ totâ die explicandas placentas iſtas ex Tabaco incumbens, magnum ad vomitum irritamentum ſentiebat, & frequentes alvi ſubductiones patiebatur, mihique narravit, Vaſa hæmorroidalia multùm ſanguinis profudiſſe, cùm ſuper placentas illas ſederet.

De uſu ac abuſu Tabaci non eſt, quòd hic quicquam agam, ne actum agere videar, qua de re videatur *Magnenus*, qui de hoc peculiarem Tractatum conſcripſit, ac doctiſſimus *Etmullerus* in Opere nuper Francofurti edito cum multis additamentis, ubi exactiſſima Tabaci Hiſtoria, & medicamenta ex illo parata habentur; damna tamen non vulgaria ex nimio illius uſu ſubſequi fatentur omnes, ac variæ Obſervationes apud Scriptores exſtant, de quo videatur (*a*) *Helmontius*, qui illius fumigationem exſecrando, ſtomachum per illius fuliginem flavedine tinctum repertum fuiſſe affirmat, & occultum virus ipſi adſcribit. Pulmones flaccidos, & exſuccos reddi à Tabaci fumo, ac paulatim ad maraſmum deduci, adſtruit (*b*) *Simon Pauli*, *ſicuti*, *& Richardus Mortonus*. In hanc rem adiri poterit (*c*) *Theoph. Bonetus*, qui multas Cadaverum Sectiones inſtitutas refert, ex quibus apparet, quàm graves & abominandæ noxæ in Pulmonibus, ac Cerebro, non ſolùm ex Tabaci fumo, ſed etiam ex uſu pulveris deprehenſæ fuerint. Ineſſe autem Tabaco, ſicuti omnibus iis, quæ ptarmicam vim poſſident, magnam acrimoniam, vellicatio, quam infert naribus, ſatis demonſtrat uti

(*a*) In Cuſtode errante n. 46. ac in Tract. de Mort. Occaſ. Sc. ult. (*b*) Quadr. Bot. c. 6. de Pht. (*c*) in ſuo Sepulch. t. 2. lib. 4.

uti etiam illius maſticatio, & virulentus nidor, qui efficit, ut Tabacariorum ſemper fœteant animæ.

Tam liberaliter ergo à Tabacopœis odores illi ac pulviſculi volantes, qui acriores ſunt quò tenuiores, per os & nares excepti teneram Pulmonum, & aſperæ arteriæ tunicam pungunt, & exſiccant, tetriſque halitibus ſpiritus Animales Cerebri incolas obfuſcant, imò narcoſi quadam obtundunt, ac eodem tempore ſtomachi fermentum corrumpunt, illius acidum infringendo.

Neque verò quis putet, tam celebrem Plantam, Reginæ titulo donatam, Europæis omnibus adeò gratam, multòque magis iis Ditionibus, ubi inter magnos proventus Tabaci uſus recenſetur, infamare me velle. Multa à clariſſimis Scriptoribus de Nicotianæ facultatibus literis prodita fuere, ac meritò inter Plantas Medicas locum ſuum meretur, ſolùm illius nimius uſus, ac intempeſtivus damnandus, qui efficit ut variam ſortem experta fuerit, ac tantundem bonæ famæ, quantum malæ illi obtigerit. Multum Salis volatilis Tabaci foliis ineſſe, vi cujus abſterſivam & traumaticam vim poſſideat, acidum luxurians compeſcendo, experientiâ ſatis comprobatum eſt; hinc illius decoctum in Empyemate magnis laudibus, ac pro ſecreto commendatur ab (a) *Epiphanio Ferdinando*. Tabaci folia itidem maſticata copioſum phlegma educere, nihil vulgo notius eſt, ac nihil frequentiùs; non levis tamen error in hoc committitur. Nam non æquè in omnibus ſalutaris eſt hujuſmodi maſticatio, & tam copioſa lymphæ eductio; in corporibus enim obeſis, & ubi craſſi ſucci abundent, pulvis ex Tabaco, & illius uſus utilem præſtabit operam: non ſic autem in iis, qui bilioſo & præfervido ſunt temperamento prædiți, ut ſcitè advertit præ cæteris (b) *Gulielm. Piſo*. Ego certè non paucos novi ad maraſmum deductos ob hujuſmodi maſticationem, qui, cum ſibi ex ore continuum viderent depluere ſtillicidium, ſuæ incolumitati hoc pacto benè conſultum falsâ perſuaſione ſibi blandiebantur, ac iis ægrè perſuaderi potuit, malè ſanum conſilium eſſe fontes ſalivales, & totum corpus hoc pacto ſuo latice nutritio exhauriri. Adeò inſanabile cacoëthes Tabaci folia maſticandi, ac fumum ſugendi, tot homines infatuavit, *quod vitium*, ut reor, *ſemper damnabitur, ac ſemper retinebitur*.

Tabacum maſticatum, ſeu illius fumum per tubulum tabacarium exſuctum appetentiam obruere, ita ut longum iter illius uſu poſſit confici ſine famis moleſtiis, & ſtomachi latratu, tradunt multi, inter quos (c) *Gugiel. Piſo*, qui in peregrinatione per loca deſerta, tali maſticatione uſus, nec laſſitudinem, nec famem ſenſiſſe affirmat. *Helmontius* idem adſtruit, aitque, id fieri, *non quia Nicotiana famem ſedet, quaſi ſatisfaciat defectui, ſed in quantum ſenſus defectum tollat, ſimulque functionum exercitia*. Ab *Helmontio* non multùm diſſentit (d) *Etmullerus*, qui ait, Tabacum, veluti omnia Natcotica, ſtuporem in ſpiritus inducere, & Sale volatili oleoſo, ſalſum ſtomachi fermentum obtundere, ſicque famis morſus non ſentiri: revera mihi ſæpiùs obſervare contigit, hoſce Fumibibones, & Tabaci maſticatores, non ſecus ac Vini egregios Potores continuâ fere ciborum inappetentiâ laborare. Sicuti enim Vinum, ac illius ſpiritus acidum Ventriculi fermentum enervant, ac infringunt, ita foliorum Nicotianæ maſticatio frequens, ac illius fumus, ſalivarem ſuccum, & ſtomachi robur obtundunt, ut ſuctionis ſenſus vix perſententiatur. Idem prorſus ſentit (e) *Doctiſſimus Plempius*, affirmans, Tabacum nequaquam nutrire, ſed copiâ pituitoſorum humorum in Os prolicitâ, & deorſum demiſsâ Ventriculum eſurientem & quaſi famelicum expleri.

Mirari autem ſubit quomodò, non ſecus ac in Coquinariâ, tam ingenioſus fuerit Naſus, ut tot artes, tot mangonia excogitarit pro condiendo, ac variis modis parando Tabaco, ut cuique, prout lubet, modò craſſum, modò tenue, modò odorum, modò inodorum, arrideat, nc-

(a) Hiſt. 32. (b) l. 4. c. 45. de re nat. & med. ut. Ind. (c) in H. N. & Med. utriuſque Indiæ l. 5. c. 43. in Tract. Mor. tis Oriſ. (d) in Tract. de fame læſa. (e) in lib. de Togatorum Valet. tuenda c. 4.

neque ſolùm Naſo, ſed palato quoque ſapiat, illius fumo hauſto, ac per os & nares regeſto, adeò ut quotieſcunque Tabacarios iſtos mihi viſere contingat, pulverem hunc tam avidè per nares attrahentes, vel fumum haurientes & exſufflantes, menti occurrat *Orlandus ab Areoſto* deſcriptus, qui amiſſum cerebrum per nares reſorbeat, vel Cacus in Speluncâ Aventini Montis cum Hercule decertans, qui

Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Evomat, involvatque domum caligine cæca.

At quale præſidium Tabacopœis præſtabit Ars Medica? Quando cauſa occaſionalis tolli nequeat, & lucri bonus odor hiſce Operariis minus ſenſibilem, & moleſtum reddat Tabaci odorem, monendi ſunt, ut in triturando, cribrando, & quomodocumque tractando mercem hanc, ſine cujus uſu, non ſecus ac ſine Baccho & Cerere, frigerent ſpiritus, & civilis elegantia, quantum poſſunt, caveant ab examine illo volantium atomorum, os & nares obvelando, aërem recentem frequenter captando, faciem frigidâ abluendo, poſcâ fauces perſæpè eluendo, ac etiam bibendo, cùm nihil aptius ſit ad particulas illas, quæ faucibus ac ſtomacho inhæſerint, abſtergendas, obtundendas, quàm quæ acetum habent admixtum. Emulſiones ſeminum melonum, ptiſana hordeacea, Serum vaccinum, Oryza in lacte cocta, non inutilem præſtabunt operam, ut minus lædantur. Cùm in locis concluſis, & humentibus, ac præſertim cùm ſub molâ Tabaci folia triturantur, tale miniſterium peragi ſoleat, ac tales Operarii, de capitis dolore, & nauſeâ conquerantur, vomitoria pro more habui præſcribere, ut quæ pulverem hauſtum, & ex ſuâ naturâ vomiturition em cientem, breviori viâ expurgent.

Quoniam ex odoribus, cum ingratis, tum ſuavibus, Artificibus, qui illos tractant, non levia incommoda proficiſcuntur, neſcio, qualis lubido me inceſſerat, ut hic loci, non injucunda Parecbaſi, pauca quædam de Odorum naturâ perſtringerem; verùm hujuſmodi provinciæ amplitudo me deterruit, veritus quippe, ne ſi in illam pedem immitterem, argumenti jucunditas nimis longè à propoſito me abriperet. Hujuſmodi ergo meditationi pauliſper inſiſtens, ac obſervans, multa quidem de Odoribus, tum ab antiquis, tum noſtræ ætatis *Philoſophis* ac *Medicis*, paſſim literis fuiſſe prodita, ſed particularem & abſolutam hiſtoriam de Odoribus in Scientiâ Naturali adhuc deſiderari, propterea mihi in mente obverſari viſa eſt Idea, quâ Odorum hiſtoria naturalis, & Medica conſcribi poſſet, odorum naturam juxta recentiorum, & antiquorum placita philoſophica perpendendo, unà cum illorum differentiis, ac diſtinctionibus in ſuas Claſſes, proprietatibus, Idioſyncraſiis, cauſis, natali ſolo, compoſitione, mixturis, ſicque de re Unguentariâ antiquorum, exinde procedendo ad medicamenta ex odoribus petita, unde Spirituum Medicina juxta Modernos ortum habuit, poſtremò ad Odores Biblicos recenſendos, quorum mentio fit in Sacris Codicibus, & quibus utebantur, Judæi in Sacrificiis, ac eos, quorum apud varias nationes *Græcos*, *Romanos*, *Ægyptios*, *Indos* erat uſus in ſuffitibus, & expiationibus, ad placandos & evocandos Deos. Quare materiam amplam viſus ſum ſubolfeciſſe Tractatum conſcribendi, univerſalem Odorum hiſtoriam complectentem, ut unico opere quod ſparſim dictum eſt, & quod mihi per varia Experimenta obſervare contingeret, haberetur. Olim *Petrus Servius*, *Medicus Romanus*, in ſuâ elegantiſſimâ Philologicâ de odoribus Diſſertatione Tractatum Phyſicum de Odoribus pollicitus eſt, ſed quantum ſcire licuit, fidem ſuam non abſolvit; meam tamen pro tali molimine, *quod plus temporis, atque olei plus*, expoſceret, hic oppignerare non intendo. Multa enim ſunt, quæ è longinquo, ac primo adſpectu plana, & facilia videntur, ſed poſtmodum ardua, & prærupta deprehenduntur; ſcitè profectò Poëta:

Tollimus ingentes animos, & maxima parvo
Tempore molimur.

De Veſpillonum Morbis.

CAPUT XVII.

VEſpillonum, & Libitinariorum apud Veteres operoſius, quàm noſtris temporibus, conſueverat eſſe miniſterium. Corpora enim exſtinctorum magnâ diligentiâ curabant, illa abluendo, ungendo, cremando, & cineres in Urnis condendo; propterea ad hujuſmodi opus accerſebantur *Pollinctores*, *Succolatores*, *Uſtores*, aliique ex viliori plebe; noſtris verò temporibus Cadavera ad Templa, ſeu Cœmeteria delata Veſpillonibus traduntur, ut in Sepulchris reponantur. Quia verò in Urbibus, ac Oppidis, ſaltem in *Italiâ* noſtrâ, quælibet familia ſuum habet Sepulchrum gentilitium in Templis nobilioribus, plebecula verò in ſuis Parœciis in amplis Sepulchris promiſcuè recondi ſolet; hinc Veſpillones in Antra illa fœtidiſſima, Cadaveribus ſemiputridis plena, deſcendendo, ut delata Cadavera in iis recondant, perniciálibus morbis obnoxii ſunt, potiſſimùm verò malignis febribus, repentinæ morti, Cachexiæ, hydropiſi, Catharris ſuffocativis, aliiſque graviſſimis morbis; ſic illis ſemper cadaveroſa facies, & luridus adſpectus, ut qui citò rationes cum Orco inire ſoleant. Ac profectò quæ gravior cauſa, & magis efficax ad peſtilentes morbos excitandos fingi poteſt, quam talis in Sepulchra deſcenſus, ubi neceſſe ſit, ad aliquod tempus putidam auram illam inſpirare, ob cujus hauſtum animales ſpiritus (quorum natura, ætherea eſſe debet) coinquinentur, ineptique fiant ad munus ſuum exſequendum, ſcilicet ad totam Vitalem machinam ſuſtentandam? Haud immeritò ſcripſit (a) *Hippocrates*, *Aërem Mortalibus Vitæ, & Morborum auctorem eſſe*; non poteſt ergo ſepulchralis Aër Veſpillonibus non eſſe ſummè pernicialis, & maſſæ ſanguineæ corruptor. Antiquitùs ad tam vile miniſterium, ſicuti ad metalla, & cloacas, cogebantur Servi publici, qui ſemiraſi erant, & inſcripti dicebantur, unde *Martialis*:

Quatuor inſcripti portabant vile Cadaver,
Accipit infelix qualia mille rogus.

Noſtrâ hac ætate ſordidum lucrum, ſeu neceſſitas ipſa, & egeſtas liberos homines ad hujuſmodi opus exſequendum compellit, ſed ſorte parum fauſtâ; nullum enim Veſpillonem Senem videre adhuc mihi contigit. Quantùm verò polleat ad Aërem inquinandum, Cadaverum ex quocumque Animalium genere corruptio, nemo non novit, cùm ſæpè obſervatum ſit, poſt magna prælia commiſſa, per inſepulta Cadavera, ſeu per antiqua Sepulchra incautè aperta, diras peſtilentias enatas, quæ ingentem populorum ſtragem ediderint. Mirum itaque non erit ſi Veſpillones, & Buſtuarii, Cadavera tractando, Sepulchrorum oſtia reſerando, ac dum in illa deſcendunt, peſtiferos morbos accerſant. Veſpillo quidam ſatis notus, quem Piſtonem nomine vocabant, cum Juvenem tumulaſſet veſtibus benè munitum, & calceamentis novis indutum, paucos poſt dies circa meridiem Templi fores apertas obſervans, Sepulchrum adiit, ac lapide amoto, in Sepulchrum deſcendit, diſcalceatoque Cadavere, ſuper illud concidit, ibique animam efflavit, violati Sepulchri pœnam meritò luens.

Odor hic peſſimus perſæpè in ſacris Ædibus Æſtate præſertim, manifeſtè perſentitur cum gravi adſtantium noxâ, ob Sepulchrorum copiam, & frequentem illorum reſerationem, utut Thure, myrrhâ, aliiſque odoratis rebus, vaporentur Templa. Hinc non immeritò hanc noſtrorum temporum conſuetudinem Cadavera intra ſacras Ædes tumulandi improbat *Lilius Gyraldus* in Opere ſuo eruditiſſimo de vario ſepeliendi ritu, cùm priſcis temporibus, ac ſub ipſis Chriſtianæ

(a) Lib. de Flatibus n. 6.

næ Religionis primordiis, ſola Martyrum Corpora in Templis recondi ſolerent, cæteri verò Fideles propè ſacras Ædes, ſeu in Cœmeteriis tumularentur. Ruſticana gens noſtra decentiùs ſane, quàm urbana, ſuorum Cadavera ſepelire pro more habet; quemlibet enim ex ſuis fato functum in arcâ ligneâ reponunt, & altâ ſcrobe effoſſâ in Prato, propè ſuas Paræcias humo committunt, amicis, ac propinquis id muneris exſequentibus. Inſtituto meherclè laudando conſueverant *Romani* extra Urbem Cadavera efferre, uti etiam *Athenienſes* in Ceramico, ſeu rogis imponendo, cineresque Urnis lapideis, ſeu æneis, condendo, Viâ Latinâ, & Flaminiâ, ac præcipuè militares Viæ ob Monumentorum frequentiam apud Romanos erant valdè celebres, unde *Juvenalis*: (a)

experiar, quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

Id autem tribus ex cauſis agebant, ut laudatus *Gyraldus* aſſerit, primò quidem, ut monumenta illa Viatoribus incitamento eſſent ad Virtutem capeſſendam; hinc eſt, quòd antiqua Epitaphia, ut plurimùm Viatores alloquerentur; ſecunda, ut quotieſcumque Civitas obſidione premeretur, Cives contra hoſtes alacriùs pro ſuorum cineribus pugnarent; tertia, quæ erat potiſſima cauſa, ut à tetris exhalationibus, quæ à Cadaverum putrefactione emanant, Urbem ſartam tectam ſervarent. Singulari autem privilegio Virginibus Veſtalibus, ac ſolis Imperatoribus permiſſum fuit, ut intra Urbem tumulari poſſent? quin lege duodecim Tabularum, ut apud (b) *Tullium* legimus, cavebatur ne Uſtrina, licet extrà Urbem, propè Ædes alienas inſtitui poſſet; *Rogum buſtumve novum ne propè Ædes alienas 60. ped. invito Domino adjicito.* Sic apud *Tullium*; neque id ob incendii metum, ut idem ait, ſed ob tetrum in Cadaverum uſturâ odorem. Adeò cavebant veteres, ac Aëris ſalubritati pro publicâ incolumitate proſpiciebant, ut extra Urbis Pomœria non ſolùm immunda quæque, ſed ſuorum quoque cineres ablegarent. Ipſam quoque agrorum ſtercorationem damnabat *Heſiodus*, conſultum magis volens ſalubritati, quàm ſoli fæcunditati, ſicuti ædilitio edicto vetabatur, ne quid ſcorteum, hoc eſt ex pellibus, Templis inferretur; nefas enim erat aliquid morticinum in Templis recondi.

Ut verò penſum meum abſolvam, Veſpillonum, quorum miniſterium adeò neceſſarium eſt, incolumitati proſpiciendum; æquumque eſt, ut quando motuorum corpora unà cum Medicorum erroribus humi recondunt, Ars Medica iiſdem beneficium aliquod pro dignitate ſervatâ rependat. Cautiones itaque iis proponendæ, ut minorem noxam, quantum licet, in opere libitinario perſentiant, eæque eſſe debent, quæ peſtis tempore in uſu eſſe conſueverunt, nempe, ut os, & fauces acri aceto abluant, ac ſtrophiolum aceto imbutum geſtent in perâ, ut odoratum, ac ſpiritus reficiant, monumenta pauliſper aperta relinquant, antequam in illa pedem immittant, ut concluſi halitus pauliſper exſpirent. Opere peracto, ac domum regreſſi, Veſtes mutent, ac munditiei ſtudeant, quantùm fert miſera illorum conditio. Ubi vero ex aliquo morbo ægrotant, magna circumſpectione curandi. Ego quoties hujuſmodi hominum genus curandum habui, ſatis parcè ſanguinem detraxi; illorum enim ſanguis cadaveroſus eſt, ac qualis faciei color: purgantia potius erunt ex uſu, ut quæ magis conveniant hiſce hominibus, qui fœda laborant cacochymia, & in Orci familiam citiſſime tranſire ſolent.

(a) Sat. (b) p. 2. de leg.

De Obſtetricum Morbis.

CAPUT XVIII.

A Veſpillonum miniſterio toto Cœlo differt Obſtetricum officium, hæ ſiquidem hominis in mundanam Scenam ingreſſum curant, illi egreſſum; munus tamen amborum, mortalis vitæ Ortum & Occaſum reſpiciens, qualis ſit humana conditio, ſatis teſtatur. Obſtetrices ergo, ſi non tam gravia damna referunt, dum Puerperis aſſident, uti Veſpillones Cadavera tumulando, non immunes tamen, nec impunè ſemper à morbis abeunt partus excipiendo una cum uterinâ proluvie, quæ ab antro muliebri confertim profluit, ut ipſæmet teſtantur, & obſervatio in non paucis planum fecit. De pravitate lochiorum non eſt, quòd hic verba faciam, cùm ad paucas horas illorum fluxus, vel diminutus, vel ſuppreſſus ſatis ſit ad Puerperas necandas. Haud ſum neſcius, multas antiquitus Quæſtiones fuiſſe, & adhuc eſſe de menſium nequitiâ, quam talem eſſe ſcripſit (*a*) *Plinius*, *ut muſta aceſcant*, *ſterileſcant tactæ fruges*, *moriantur inſita*, *exurantur hortorum germina & fructus*, *quibus Mulieres inſederint*. Sanguinem tamen menſtruum à tot criminibus illi impactis abſolvere contendit (*b*) *Fallopius* qui aſſerit, ſanguinem menſtruum bonum eſſe, & ſuâ naturâ laudabilem, ſi fœmina alioquin ſana ſit, ac eundem ipſum eſſe, ex quo Mulier, & fœtus ipſe nutriuntur, neque niſi à ſolâ copiâ ſanguinis uterum ad excretionem irritari; cui opinioni favet (*c*) *Rodericus à Caſtro*, *Gugl. Ballonius*, qui menſtruam per uterum excretionem, non qualitate, ſed quantitate peccare, & in Annotationibus ad quandam hiſtoriam locum inſignem (*d*) *Hippocratis* obſervat, ubi Præceptor menſtruum ſanguinem non fluorem, ſed *Florem* appellat τὰ καταμήνια ἀνθεῖν, imò idem *Ballonius* neque qualitate, neque quantitate peccare aſſerit menſtruum cruorem, *ſed hujuſmodi purgationem perfici arcano*, *& admirabili quodam naturæ conſilio*, *aut divina providentia ad futuram procreationem*. Mihi certè non ſemel, nec ſine magnâ admiratione obſervare licuit, mulieres diuturnis morbis confectas, & ad maraſmum ferè deductas, ac præcipuè nobilem Monialem per decennium in lecto decumbentem prorſus exhauſtam, cui quolibet menſe, ſtatis diebus, menſes quamvis in ſatis modicâ quantitate, & ad paucas ſtillas, apparent. His tamen non obſtantibus, menſtruo ſanguini malignum aliquid ſubeſſe meritò ſuſpicari licet; non ſolùm enim nomine excretionis, ſed ſecretionis menſtruus fluxus notatur, quæ ſecretio cujuſdam nobis ignotæ fermentationis beneficio perficitur, particulis quibuſdam ſalinis, ac omnigenis ad uteri glandulas præcipitatis, & è corpore ablegatis.

Vim hujus fermentationis, ac inteſtinæ perturbationis ſatis experiuntur mulieres ipſæ, cùm menſtruus fluxus inſtat, ac dum actu profluit; quare à nonnullis, nec ineptè, febris menſtrua appellatur, ſed febris medica; quam poſtmodum melior ſtatus, & corporis alacritas conſequitur; eleganter propterea (*e*) *Oribaſius*, de moleſtâ hac purgatione tractans, ſcripſit, *Mulieres*, *unde gaudent*, *inde triſtari*, *& unde triſtantur*, *inde gaudere*. Si porrò hiſtoriis adhibenda fides, menſtruum propinatum philtri loco habetur, & vim dementandi poſſidere creditur, quo modo ferunt, *Cajum Caligulam* ab *Uxore Cæſoniâ* potionatum. Inter cautiones Chirurgicas pro vulnerum curatione, *Fragoſio*, *Lanfranco*, aliiſque celeberrimis Chirurgis advertentibus, hæc quoque numeratur, quòd linea filamenta ex linteaminibus, & induſiis Mulierum non adhibeantur, licet pluries ablutis, quod religiosè ab omnibus Chirurgis obſervari ſolet,

(*a*) l. 7. H. N. c. 15. (*b*) de Med. Purg. c. 8. (*c*) de univ. Mul. Me. l. 2. c. 10. l. 2. Conſ. Hiſt. 2. (*d*) 2. de Mo. Mul. (*e*) Vid. Braſau. l. 5. Aph. 36.

let, idque ob menſtrui cruoris virulentiam, quin monent; ut ab adſpectu vulneratorum arceantur mulieres menſtruatæ, ac homines quoque à venereo ludo adhuc calentes, ob hircoſam ſuffumigationem, quam redolent; adeò ut non ita fabuloſum videatur, id quod refert (a) *Plinius*, & *Joachimus Camerarius apud Gaſparum à Rejes*, Apes nimirùm homines inſequi ab aphrodiſiacâ palæſtrâ adhuc madentes, cùm odorum ſuavitate maximè oblectentur, & caſtitatis ſint obſervantiſſimæ.

Quidquid ſit de menſtrualis ſanguinis conditione, num revera talis ſit, qualis paſſim creditur, neutiquam tamen dubitare licet de uterino profluvio, quod partum præcedit & conſequitur, quin malignitatis, & virulentiæ particeps ſit, quod ſatis demonſtrat lochiorum ſubita ſuppreſſio, vel parcior fluxus; malignæ febres ſiquidem præſtò ſunt, quæ miſeras puerperas citiſſimè ad interitum deducunt; quod non ita evenit in ſimplici menſium ſuppreſſione, quæ ſi morboſas mulieres, & cachecticas reddit, non tam funeſta eſt, nec tam citam mortem accerſit. Suffuratur enim fœtus ſeu ex ſanguine, ſeu ex chylo id, quod magis ſincerum eſt ac ſpirituoſum, ſicque utero gerens geniali ſucco fraudatur; unde non ſolùm in totâ maſsâ ſanguinea prava fit humorum congeſtio, ſed in ipſa quoque uteri ſubſtantia, quæ in gravidis tempore geſtationis, notante *Graaffio*, & *Sylvio*, inſigniter craſſeſcit, ut quò magis diſtendatur, magis incraſſetur. Humorum ſaburra propterea quæ priùs cùm quieta eſſet & concluſa, non multùm negotii faceſſebat, partus tempore, *commota veluti Camarina*, ut dici ſolet, ni promptè, & continuato efluxu expurgetur, interimit.

Obſtetrices igitur, dum parituris ſuper ſellam poſitis procumbentes adſtant, manibus expanſis partum excepturæ, ac in hujuſmodi miniſterio ad plures horas perſtant, non leves noxas ex ſtillantibus lochiis in ipſis manibus perſentiunt, ut aliquando à rodente, & acri materia iiſdem manus inflammentur & ulcerentur. (b) *Fernelius* contagioſorum morborum vim admirans, refert, Obſtetricem quandam, quæ parturienti opem tulerat, talem in manu læſionem paſſam fuiſſe, ut illi tandem manus corrupta exciderit; Puerperam tamen illam, ait *Fernelius*, gallicâ lue infectam fuiſſe. Quemadmodum igitur Nutrix pollutum infantem lactans, in mammis primò luem contrahit, & à Nutrice vitiatâ Infans altus in ore & faucibus prima gallici morbi germina & cruciatus præfert; ita Obſtetrix illa in ipſis manibus, ſuper quas ſtillabat gallica lochiorum illuvies, tam gravem noxam experta eſt. Id tamen ſagacibus, & expertis Obſtetricibus non prorſus ignotum eſt; ubi enim illis alicui Puerperæ gallicâ lue infectæ operam ſuam præſtare neceſſum eſt, linteis manus obvolvunt, ut ab ipſis accepi, ac illas aquâ & aceto perſæpè abluunt, cum periculo ſuo didicerint, poſſe facillimè hoc pacto luem Venereamalioſque morbos, communicari. His addendum, quòd Obſtetrices pravos odores ac halitus ex ſtillanti fluore, per os & nares excipiant, nec modum habeant, quo ſe tueantur, niſi alienis ac benè olentibus odoribus Puerperis hyſtericas paſſiones excitare velint.

Minus forſan in *Angliâ*, *Galliâ*, *Germaniâ*, aliiſque Regionibus patiuntur Obſtetrices, cum Puerperæ decumbentes in ſuis lectulis fœtus ſuos edant, non in ſellis perforatis ſedentes, ut in *Italiâ*, quibus dum Obſtetrices aſſident pronæ ſemper & incurvæ, expanſis manibus, ad oſtium Matricis fœtum proditurum opperientes, tanto labore ac patientiâ (ubi præſertim Matronis aſſident, ac laborioſi partus ſunt) fatigantur, ut partu tandem edito, lares ſuos repetant infractæ & elumbes, artem ſuam diris exſecrantes.

Nùm apud Veteres Puerperæ ſuper ſellas, an in lectulis fœtus ſuos edere pro more haberent, mihi non ſatis compertum, utut in hanc diſquiſitionem curiosè incubuerim. Id autem ſatis perſpectum eſſet cum multis aliis ſcitu dignis, niſi Vulcanus ſortem hanc Literariæ Reip. invidiſſet, *Tho. Bartholini Bibliothecam* concremando, ubi opus elegantiſ-

(a) l. 7. H. N. c. 7. Camp. El. Q. 54. (b) l. 2. de ab. mor. cau. cap. 14.

simum ad umbilicum pene deductum de Puerperio Veterum Vir Clariss. habebat. Mos tamen partus in lecto edendi etiam apud nostrates cœpit inolescere ritu sane, ut reor, laudando, multa siquidem incommoda sic evitantur; Sæpe enim contingit (nisi partus sint adeò faciles) ut Mulieres, antequam pariant, pluries è lecto ad sellam, & è sellis ad lectum, post irritos conatus referantur cum magnâ virium jacturâ; seu, postquam enixæ fuerint, magnis hæmoragiis subsequentibus super sellas ipsas animo linquantur, & exspirent. Fœtus autem facilius effundi jacendo, quàm surrecto corpore, aut sedendo, docent bruta omnia, quæ humi procumbunt, dum pariunt, obstetricante Naturâ. At fortasse id brutis necessarium videbitur, ne illorum fœtus in terram concidant, & exanimentur, seu quia, cùm prona in terram spectent, alium uteri positum ab homine obtineant, ideòque in illis facilior sit fœtus exclusio; verùm etiam parva Animalia, ut Catellæ, Feles, Mures, in quibus de casu fœtus è sublimi non multùm vereri oportet, jacendo pariunt. Neque verò crediderim, situm uteri rectum in parituris ad faciliorem partum multum conferre, cùm suspicari liceat, fœtum è suis involucris expeditum, & exitum affectantem, præpropere ad uteri vaginam præcipitari, ac persæpe in situ præternaturali, ut non rarò observatur, exporrectis manibus, seu quoque alio modo prodire.

At quonam præsidio Obstetricibus Ars Medica obstetricabit, ac opem feret, ut Artem suam sine noxâ, quantùm licet, exerceant? nonnisi ut identidem, quando sint induciæ, manus & brachia aquâ aut vino abluant, ut ab opere suo expeditæ, faciem ac fauces poscâ colluant, vestes puras domum reversæ induant, summatim munditiei studeant. A Vetula quadam Obstetrice accepi, se, quotiescunque Puerperam aliquam haberet gallicæ luis suspectam seu cachecticam, extremos conatus parituræ opperiri, antequam illam super sellam reponat, ne tamdiu lochiali tabe manus conspergantur.

De Nutricum Morbis.

CAPUT XIX.

OBstetricibus munere suo defunctis, Nutrices succedunt, quæ fœtum editum alendum suscipiunt: hæ quoque in lactationis progressu variis affectibus tentari solent. Hic autem Nutricis nomine non solùm intelligi velim eas mulieres, quæ pretio conductæ alienos partus, sed eas etiam, quæ proprios lactant. Affectus autem, quibus ut plurimùm Nutrices vexari solent, sunt contabescentiæ, hystericæ passiones, pustulæ, & scabies, capitis dolores, vertigines, anhelitus difficultates, ac visus imbecillitates; multa alia quoque incommoda patiuntur, in mammis præsertim, dum lac nimis abundat, dum grumescit in mammis, dum mammæ ipsæ inflammantur, abscessum patiuntur, ac in papillis sciffuræ nascuntur. Facilè est autem concipere, quomodò ex diuturnâ lactatione sequatur atrophia & contabescentia; fœtu enim grandiori facto multumque lactis sugente (sive lac ex sanguine, ut prisci sensere, seu ex Chylo, ut rectiùs Recentiores, generetur) Nutricum Corpora geniali succo fraudantur, quo nutriri deberent, & sic paulatim graciles ab exhaustu, & junceæ fiunt, ut plautino verbo utar, ac præsertim cum gemellos interdum lactant, seu cùm lucri gratiâ una cum proprio filio puerum collactaneum habent. Affectibus verò pruriginosis corripi solent, tum quòd tractando & ulnis ac in sinu Infantes gestando, qui lactea crusta, & achoribus infestari solent (dum, qui sic non purgantur à magnis morbis corripi solent, teste (a) *Hippocrate*) Nutrices inficiuntur, tum quòd benigniori sanguinis seu Chyli parte ad mammas delatâ, & in lac permutatâ,

(a) De Morb. Sac. n. 7.

tatâ, serosi, & salsi humores supersunt pro corporis alimoniâ, qui postea in cute pustulas, & psoram excitent. *Lactans quædam pustulas per corpus quidem habebat, cum autem cessavit lactare sedatæ sunt æstate*, scripsit (a) *Hippocrates*; locum hunc egregiè explicat *Martianus* noster (nostrum appello, quia in hisce Regionibus natus & educatus, utpote Saxolensis, non Romanus) contra *Valesii* expositionem, qui sibi finxit, huic mulieri, dum lactaret, menstrua defecisse, ac propterea ex multâ cachochymiâ pustulas ortum habuisse; ait enim *Martianus*, causam harum pustularum rejiciendam potiùs *in errata, quæ committunt lactantes in cibo, & potu, hoc modo lac augeri existimantes, partim appetentia irritante, quæ in lactantibus magna esse consuevit*, quibus accedunt vigiliæ, somni interrupti, quibus Nutrices lactationis causâ frequenter subjiciuntur, quorum occasione cruditates in corpore generantur, quibus si quid humoris salsi associetur, pustularum apta materia evadunt.

Aliam historiam lactantis mulieris habemus pariter apud (b) *Hippocratem; Thersandri uxor leucoplegmatica non valdè exsistens lactans acutè febricitavit. Huic lingua exusta est, aliis etiam ustionem subeuntibus; Sub hoc tempus lingua etiam exasperabatur, ut grandine multa, & lumbricis per os. Circa 20. verò non perfectè judicata est*; eodem modo *Vallesius* acutæ febris causam menstruis evacuationibus detentis acceptam refert; *est enim maxima lactantium noxa*, ait ille, *impura excrementa, quæ singulis mensibus exire solent, retinere pro puro lacte, quod exsugitur*. Verùm *Martiani* expositio magis arridet. Lactantes enim in statu præternaturali nequaquam statuendæ sunt, eò quòd lactationis tempore iis menses non fluant, quod equidem verum esset, si naturaliter simul lactarent, & menstruas purgationes haberent, sed potius culpanda sunt errata in victu, noctes insomnes, succi nutritii exhaustus, & alia à Doctissimo *Martiano* recensita. Mulierem enim illam crassis succis refertam in universo corpore, ac primis viis, ut dici solet, ex ipsis verbis Divini Præceptoris, satis constat, dum illam scripsit leucophlegmaticam fuisse, & lumbricos per os rejectasse.

Has igitur ob causas, visus imbecillitatem, capitis dolores, vertigines, dyspnœas identidem pati solent Nutrices, & albis fluoribus obnoxiæ fieri, ac præcipuè cum ad plures annos protrahitur lactatio. *Experientia compertum esse*, ait *Ballonius*, (c) Medicus suorum temporum experientissimus; *omnes ferè mulieres, quæ diù fuerint Nutrices, gracilescere, aut morbis postea opportunas, aut debiles vivere, aut fluxui muliebri obnoxias*; in iis enim facilis est humorum liquatio, & partium excipientium propensio, quod cuidam mulieri contigit, ait ille, quæ adeò lacte exuberabat, ut diù tres Infantes lactaverit; hinc Vasorum inanitio & infirmitas consequi potuit. Idem (d) *Ballonius* casum refert cujusdam Nutricis, ex quo cautio non contemnenda pro Nutricum rectâ curatione elici poterit; lubet autem ejusdem verba referre; *Cuidam mulieri in spinam fluxio, rigida penè erat, Nutrix erat, & lactandi diligentia, & assiduitas occasio mali fortasse fuerat. Datum medicamentum potens; Gossypium cum Oleo applicatum; brevi convaluit, secta Vena non est; Lecti tepor, & unctio pepasmum promoverunt. Alius Medicus Venam fortasse aperuisset*; hinc errant persæpè *Medici*, qui causas affectuum in Nutricibus ad mensium suppressionem referentes, subitò sectionem Venæ imperant. In simili casu hodierni *Medici*, apud nostrates saltem, non semel tantùm, sed bis aut ter Venam secuissent, quod remedii genus si omitterent, grande nefas, & morte piandum, se patraturos crederent. Ubi enim Nutrix aliqua ob prædictos affectus, seu quo alio morbo laboret, in sanguinis missione pro Curationis cardine spem totam reponunt, eo solo fundamento, quòd toto lactationis tempore à menstruis purgationibus immunis fuerit; verùm in hoc sæpissimè peccari solet, non enim solùm ad mensium carentiam, tanquam ad mali fomitem & sanguinis abundantiæ causam, respiciendum,

(a) 2. in 2. Epid. (b) 4. Epid. c. 14. ex Valles. (c) l. 2. Eph. (d) l. 2. Epidem.

dum, ſed ad cacochymiam, & malum ex longâ lactatione contractum. Quare cum obviæ ſint, ac paſſim occurrant lactantes curandæ, paucæque ſint (apud Noſtrates ſaltem) quæ in Nobilium Domibus infantes alant, & quæ opiparè vivant, cautè procedendum in Venæ ſectione, ne corpus magis effœtum reddatur, & morbus ingraveſcat; in hoc bivio itaque ſatiùs eſt, per viam medicamentorum purgantium incedere, quàm per phlebotomiam intempeſtivè, ſeu temerè inſtitutam.

Quot porrò incommoda in ipſis mammis patiantur Nutrices, veluti nimiam lactis abundantiam, & profuſionem, cùm lac tenuius eſt (unde ſequatur virium imbecillitas & atrophia) lactis grumeſcentiam, mammarum inflammationes, abſceſſus, in papillis ſciſſuras, nemo non novit; propterea ab horum affectuum cauſis exactiùs perquirendis, & curatione proponenda, ne actum agere videar, ſuperſedebo, cùm apud Practicos hæc omnia proſtent abundè deſcripta, unà cum magnâ remediorum ſupellectile, veluti videre eſt apud experientiſſimum *Etmullerum.* (a)

Solent interdum Nutrices de dolore quodam compreſſivo in dorſo conqueri, quod obſervatur potiſſimùm in iis Nutricibus, quæ recenter pepererint, & multo lacte abundent, ob mammas nimis molles & laxas, ſeu quia ab Infante debiliori non ſatis exhauriantur, dolorem autem compreſſivum in dorſo, præſertim perſentiunt, eò quòd vaſa lactea Thoracica, circà aggerem ſpinalis medullæ perreptantia, & Chyloſam materiam pro lactis generatione ad axillares, ſeu mammas (ut creditur) deferentia, nimis turgeant, ac diſtenta ſint, cujus remedium erit moderamen in victu, ac præſertim in generoſioris Vini potu, atque etiam aliqua ſanguinis detractio, ſi dolor premat; hæc autem dolorosa compreſſio, quam interdum febris conſequitur, obſervari ſolet in mulieribus euſarcis, & habitioribus.

Hyſtericis quoque affectibus, ut ſuperiùs annotavi, infeſtari ſolent Nutrices, ac eæ potiſſimùm, quæ in Domibus Nobilium degunt euchymis cibis altæ, ſed magnâ diligentiâ procul à conjugali commercio cuſtoditæ; Ventre enim ſaginato, uterus liquore ſeminali turgeſcens, indignatur, ac in furores agitur, cùm non exiguâ lactei liquoris in mammis defœdatione. Omnes fere, qui de Nutricum regimine ſcripſere, hoc primùm, tanquam rem indubiam, ac veluti Oraculum è Tripode accipiunt, quòd Nutrix à virili concubitu abſtinere debeat, ne lac vitietur. *A Venere omninò abſtinendam eſſe, quæ lac præbebit, moneo; nam & menſes viri conſuetudine provocantur, & lac odoris gratiam in deterius mutat;* Verba ſunt (b) *Galeni.* Nimius eſſem, ſi Auctores omnes, qui cautionem hanc, tanquam neceſſariam proponunt, recenſere vellem, quam ſicuti parùm rationi conſonam, ita non multùm ſalutarem, neque experientiæ congruam, deprehendi. Haud ibo inficias, quòd ſi lactans conceperit, non niſi pravum, & imbecille alimentum ſuppeditare poſſit, & quin ſubitò ablactandus ſit Infans, ſeu alteri Nutrici tradendus. Satis curioſa eſt hiſtoria, & notatu digna, quam (c) *Regnerus de Graaff* refert; ait enim, quendam *Delphis* Catellam ſatis pinguem domi habuiſſe, cujus mammis lac Felis exſugebat, licet Catella nunquam generaſſet, quam idcircò Herus diligenter cuſtodiebat, ne tunc temporis, cum illam coitum appetere cognoſcebat, domo exiret, & amaſium reperiret cui jungeretur; ſed cùm tandem Canis extraneus clam illam iniiſſet, ex eo tempore Felis noluit ampliùs Catellæ lac exſugere. Inficiari itaque non auſim, quin concubitus, ſi immodicus ſit ac ſatis frequens, lacti labem aliquam affricare debeat; at forſan lac magis vitiari credendum eſt, ſi Nutrices, quæ Infantes in alienis domibus nutriunt, à ſuorum Conjugum conſuetudine & adſpectu quoque arceantur, adeò ut lares ſuos ac filios inviſere nequeant; ex quo fit, ut vetitos hymenæos magis appetant, ac perverſas curas animo diu noctuque verſantes, in hyſtericas paſſiones, eaſque vehementes, prola-

(a) Valet Infant. (b) in p. de tuen. val. c. 9. (c) de Virg. Organ.

prolabantur; sic quicquid delirant Nutrices, seu qui ipsas domi alunt & oculatius quàm propriæs Uxores custodiunt, plectuntur innoxia Infantum corpuscula.

Sentiant ergo, ut lubet, Scriptores ferè omnes, & *Galeni* placito subscribant, jubeantque Nutrices à Virorum consortio prohibendas, ac in Gynècæis tanquam in carceribus detinendas, namque ego illorum pace aliter sentio, ac veluti Orator (*a*) quidam ajebat circa judicium rectè dicendi) *Ad populum provoco;* adverto enim apud popularem gentem, Matres omnes fœtus suos alere, nisi fortuitum aliquid contingat, & cum suis Conjugibus qualibet nocte cubare, nec sine consueto Veneris exercitio, neque tot incommoda, & lactis depravationes observari, quot verentur, ac sibi fingunt *Medici* in Magnatum ac Principum Nutricibus, quas volunt castitati addictas; propterea cautelam hanc, non adeò tutam ac salutarem esse existimo, utut à celebrioribus *Practicis* commendetur. Profectò in hac Civitate perpauci modò sunt Nobiles, qui propriis in Domibus Nutrices habeant; cùm enim illarum salacitas & petulantia, postquam benè pastæ fuerint, intoleranda sit, nec quicquam feliciùs observent filios suos educari, quàm Urbanæ plebis, & rusticanæ gentis filios, ni forsan morbosiores sint ac imbecilliores, propterea omnes ferè liberos suos Nutricibus tradunt, quæ illos propriis in laribus unà cum suâ familiâ nutriant, quin lubentiùs rusticanis Mulieribus, quàm urbanis natos suos committunt, ut robustiori lacte alantur.

Unus, quòd sciam, laudatus (*b*) *Martianus* regulam hanc, Nutrices à virili concubitu arcendi, licet bonâ fide tam salutarem creditam, prorsus improbat, cùm enim modum, prout ipse sentiebat, quo in gravidis & Puerperis lac generetur, indicasset, hæc subdit verba. *Quæ si vera sunt, non rectè sentire videntur illi, qui coitum Nutricibus prohibent, lac inde vitiari existimantes; coitu enim mediante motus concitatur in Utero, à quo lactis generatio dependet, & ex coitu alacritas inducitur mulieri, unde venulæ laxantur*, ut dicebat (*c*) *Hippocrates, quæ ad lactis ubertatem, ac bonitatem plurimùm conferre indubitatum est; imò si Veneri assuetas abstinentia tantoperè lædit, quod Viro orbatæ quotidiè experiuntur, quæ variis morborum generibus fiunt subjectæ, Nutrices à proprio Viro penitùs segregare non est tutum.* Hæc Vir ille Doctissimus. Profectò si res benè pensitetur, lactis primordia genesin suam Utero debere, fateri necessum est; Utero enim Veneris deliciis exsultante & commoto, universa corporis systasis commovetur, & vasa sanguifera ampliora fiunt. Hic mihi succurrit consuetudo quædam, ac Nutricum apud Veteres in solenni Nuptiarum celebritate officium; Nutrix enim novæ Nuptæ, primò Thalamum ingressuræ, Collum filo metiebatur, manè verò observabat, num idem filum ad collum remetiendum sufficeret, quod si non satis fuisset, lætabunda proclamabat Virginem à Viro Mulierem factam fuisse; sic *Catullus* ad ritum hunc alludens in Nuptiis *Thetidis, & Pelei:*

Non illam Nutrix orienti luce revisens,
Hesterno Collum poterit circumdare filo.

Collo scilicet novæ Nuptæ turgidiore facto, ac venis in aphrodisiacâ palæstrâ tumefactis.

Mecum sæpè ad mechanicum Naturæ artificium animum advertens, quo edito fœtu, ac etiam ante partum, lac generetur in mammis, quasi ab intelligentiâ quâdam id fiat, quæ prodituri fœtus necessitati in anteceSSum prospiciat, nihil investigare potui, quo mihi saltem blandiri possem, sicuti curiositati haud quaquam ab iis satisfactum, qui quæstionem hanc tractarent, quos inter (*d*) *Diemerbrœkius, Gasparus Bartholinus, Thomæ filius*, aliique, quos memorat laudatus *Diemerbrœkius*, quare circa rem hanc paululùm digredi liceat.

Lactearum historia, quam in hoc fortunatissimo Seculo primus inchoavit *Aselius*, absolvit *Pecquetus* (quamvis illam adumbrasse visus fuerit (*e*) *Hippocrates*) sat celebris est, cùm Professorum nemo in re Medicâ tam hospes sit, qui Chyli motum per proprios

(*a*) l. 7. Ep. 17. (*b*) De Nat. Pu. ver. 250. (*c*) de Mor. Mul. l. p. (*d*) l. 2. c. 2. Anat. Dissert. de Mam. (*e*) de Glad. nu. 3.

ductus, & in Vasa sanguiflua ingressum ignoret, seu quid recentiores sentiant de lactis materiâ, quam firmiter credunt à Chyli fontibus derivari (quamvis Prosectorum industria vias adhuc non indigitarit, utut *Diemerbrœkius* multis exemplis illam demonstrasse persuasim habeat) adeò, ut lac Chyli portionem esse sanguini permixtam, ac in mammis separatam credibile sit, uti *Bibliothecæ Anatomicæ Auctores* arbitrantur, idque sat probabilibus conjecturis, quas primus mente concepit, ac mundo patefecit *Martianus noster*, qui egregius (a) *Hippocratis* commentator si modò viveret, ac lactearum sylvam, quam sibi confinxit, intueretur, quantùm sibi plauderet; hæc, inquam, olim dubia de lactis materiâ, modò in propatulo sunt; solùm, supereslet, ut reor, modum mechanicum nosse, quo appropinquante partu, ac etiam post partum, licet largè fluentibus puerperiis, Chylosus latex in mammarias glandulas, tam pleno fluento urgeatur, cùm eò non sponte Chylum moveri, neque à somniatâ vi tractrice abripi, seu à facultate quâdam intelligente dirigi, pro comperto sit.

Quando igitur Recentiorum commenta in hac re non perplacent, Veterum adeamus Oracula, ac videamus, num aliquid referre contingat, quod veri specimen aliquod præferat.

Qui vetere utuntur vino sapientes puto,
Et qui lubenter veteres spectant fabulas:
Nam novæ, quæ prodeunt fabulæ,
Multò sunt nequiores, quàm novi nummi.

Sic *Plautus*. (b)

Magnus *Hippocrates*, qui licet aliquandò in explicandis, quæ in nostris corporibus fiunt, admirandis operibus, Naturæ nomine usus fuerit, mechanicam tamen necessitatem hanc (de quâ adeò gloriantur nostræ ætatis Scriptores, ut fermentis, in quibus ad tempus aliquod jacuere Scholæ, ad Pistores ablegatis, omnia per mechanismum, & artificiosam structuram explicent) sat manifestè agnovit, ut ex variis ejusdem locis constat, ait enim, (c) Mulieres facilè parere, *quando disruptis pelliculis Pueri Momentum in caput inclinatum prædominetur, obliquum autem; & in pedes procedere, si momentum huc inclinarit;* rectè autem Interpretes græcam vocem ῥοπὴ momentum, & inclinationem verterunt. *Hippocrates* ergo lactis generationem, & modum per automatismum exponit his verbis: (d) *Lac autem ob hujusmodi necessitatem fit; Cùm Uteri tumidi præ puero sunt, Ventrem mulieris comprimunt; ejus autem pleni ubi compressio contigerit, pinguissimum de potibus, ac cibis foras prosilit in omentum, & carnem.* En quomodò *Cous Senex* per illa verba, *Lac autem ob hujusmodi necessitatem fit*, modum mechanicum innuit, per quod Phænomenon istud apparere debeat.

In prægnante igitur muliere, cùm fœtus grandior fieri incipit, Uterus, Intestina, Ventriculum, Diaphragma, & superiores omnes partes comprimit, & in spatium magis angustum cogit, Chylum eodem tempore per abdominis lacteas, & Thoracicos ductus propellendo versus mammas; ex quo fit, ut faciliùs ad easdem mammas, quarum, mollis, & laxior est textura, per Chyliferos ductus deferatur, si non adhuc benè patentes, saltem per arterias mammarias, ut *Richardo Lower*, *P. Dioni*, & aliis placet, nec alio impulsore opus sit, quàm hujusmodi compressione, cui succenturiare possit ejusdem fœtus motus, ex eodem (e) *Hipp.* Ubi enim moveri cœperit Infans in Utero, prima lactis signa apparent in mammis; haud secùs Clariss. *Pecquetus*, Lactearum Thoracicarum primus Observator, credidit, à motu Diaphragmatis Chylosum laticem à lacteis Abdominis in Thoracicas urgeri, ut exinde in cruoris massam devolvatur. Curiosum ac notatu dignum est, quod refert (f) *Herodotus* de modo, quo Schythæ utuntur ad uberiorem lactis equini, quo victitant, copiam impetrandam. *Sufflatoria ossea*, inquit ille, *fistulis simillima sumuntur, eaque genitalibus Equarum imposita ore instantur, hoc aliis facientibus, alii Equas*

(a) Co. Hip. de Nat. Pueri. (b) Prolo. Casin. (c) Epid. de Nat. Pue. n. 21. & 42. de Diæ. nu. 5. (d) de Nat. Pu. nu. 21. (e) p. de Mo. Mul. nu. 97. (f) l. 4. in Melph.

Equas emulgent; hoc ideò se facere ajunt, quod Venæ Equarum inflatæ impleantur, & mammæ descendant. Uterus ergo in prægnante muliere, quamvis non ita proximus mammis, ut in Brutis in terram pronis, à grandiori fœtu distentus, sat virium habere videtur ad vicinas partes comprimendas, & succum in Vasis contentum sursùm propellendum; cui compressioni à pleno Utero factæ socias vires junget ejusdem Pueri motus in Utero.

Quia verò fœtu edito, ac Utero ad naturalem suam magnitudinem redeunte, cessat hujusmodi compressio, ac motus propellens, propterea subdit (*a*) *Hippocrates*, *lac procedere in mammas, si lactaverit; dum enim mammæ lactant, & exsuguntur, venulæ in mammis ampliores fiunt, ampliores autem factæ à ventre pinguedinem trahentes in mammas distribuunt.* Suctio itaque à Puero facta sufficiens est ad Chyli motum continuandum, alioquin suctione omissâ fontes illi citò arescerent. Is ergo est mechanicus modus, quo *Divinus Senex* lac in mammis generari credidit. Hujusmodi autem compressioni ab *Hippocrate* excogitatæ favere non parùm videtur observatio, quâ constat, in Animalibus, quæ plures fœtus unico partu edunt, & longum utrinque mammarum ordinem habent, uti Sues, Canes, Feles, &c. eas mammillas, quæ Uteri cornibus, ubi major est compressio, sunt proximiores, esse magis lacte distentas, tum ante, tum post editos fœtus (quod mihi non semel cùm ruri essem, observare contigit) atque hinc fieri quòd Catuli, quibus obtigerit medias mammillas sugere, robustiores, ac pinguiores sint cæteris, qui ab extremis lac exsugant.

Per Mechanicam igitur, humoris, ex quo lac fit in mammis, motum exponere annisus est *Hippocrates*, cujus vestigia si postmodùm illius Successores pressissent, jamdiù Medicina in multis majorem perfectionis gradum adepta fuisset; verùm in arduis quæstionibus ad Naturam confugientes (quo vocabulo in Physicis nullum aliud malignius est, & quod insciticæ magis patrocinetur) malè de Arte Medicâ meruere. Quæstionem hanc satis diffusè tractat (*b*) *Dimerbræk.* quærens, quidnam Chylum per ductus chyliferos ad cor fluere solitum impellat, vel deducat ad mammas, ut ex eo lac generetur, *Deusingii* opinione priùs explosâ, qui ad qualitatem quandam cuncta in corpore rarefacientem & fermentantem referebat, ipse opinionem suam statuere contendit, sed parùm firmo talo stantem, utpote soli imaginationi sufflultam; Phænomenon enim istud ad fortem imaginationem Puerperæ ad lactis generationem, prò fœtus nutricatu intentè cogitantis, refert, quam opinionem satis doctè *Bartholinus* confutavit. Ad dissolvendum autem (*c*) *Dimerbrœkii* commentum, id unum sufficere crederem, quòd Puerperæ Nobiles & magis delicatæ, quæ fœtus suos alere renuunt, ne iis mammæ pensiles evadant, non solùm nihil cogitant, vel appetunt lactis generationem in mammis, verùm præcipua illis cogitatio est de lactis aversione à mammis; iis tamen invitis, & irritis omnibus, quibus ad hoc utuntur remediis, tertiâ, vel quartâ die à partu fit lactis ad mammas confluxus. Nihil tamen firmi in hac re, & quod Quæstioni satisfaciat, proponit *Bartholinus*, quin dubitanter excogitata sua exponit. Primò causis externis mammillas ad lactificationem disponentibus subitam mutationem accenset, quæ in Virginibus observatur, cùm menstrua fluere incipiunt, pili in pudendis nascuntur, vox mutatur, & mammæ sororiare incipiunt, deinde semini masculino in conceptione massam sanguineam fermentanti, & Chylum ad facilem secessionem in mammis disponenti; causas verò internas, per quas tribus, vel quatuor diebus à partu mammæ turgeant, sanguinis Chylosi reflexui ad Uterum ingenti copiâ pro fœtus nutritione fluere solito, acceptum refert. Idem penè commentus est *Ortloh*, (*d*) qui conceptis verbis ait, *quòd Utero, post fœtum editum contracto, materia ad alendum fœtum destinata à sanguine iterum resorbetur, & sic distentæ plus ordinario glandulæ mammarum, humoris hujus secretionem,*

(*a*) De Nat. Pueri n. 22. (*b*) lib. 2. Anatom. cap. 2. (*c*) Dissert. de mam. & lact. (*d*) Hist. Par. Diss. 14.

nem, cui in Utero vacabant, denuò ſuſcipiant. Ingenioſa iſthæc excogitata profectò ſunt, ac licet verum ſit, lac Utero geneſin ſuam debere (niſi enim concipiat Uterus, ut in Sterilibus, ac Monialibus, aliiſque, quæ nunquam nubunt, lac in mammis non appareret, niſi perrarò, & nonnunquam in Virginibus) ſemper tamem licebit quærere, cur, Utero à pondere exſoluto, Chyloſus ſanguis per arterias Hypogaſtricas ad fœtus alimoniam deferri ſolitus, à venis reſorptus, deinde ad dextrum cordis ſinum, inde ad ſiniſtrum arterioſo ſanguini remixtus, cur inquam, & à quânam intelligentiâ dirigatur ad mammas, ibique lactis formam acquirat, idque fœtu edito, & adhuc fluentibus lochiis, non alio tempore, quando fœminæ extra graviditatem habitiores ſunt, & magis ſucculentæ, non autem exhauſtæ veluti geſtationis tempore, ob partus labores, nec non propter magnam lochiorum proluviem. Quare adhuc integra manet quæſtio, quo impulſore, & quibus machinamentis lactis materia in Puerperis, ad mammas propellatur, id enim planè ignorari exiſtimo.

Profectò credendum eſt, *Divinum Architectum* tali ſtructurâ, ac ignoto adhuc artificio, Uterum ac mammas fabrefeciſſe, ut lege ordinariâ Uteri fœturæ ſuccedat in mammis lactis generatio, ſicuti modò ſcimus, fœtus è clauſtris Uteri erumpentis Pulmones, qui per nonimeſtre ſpatium otio vacarant, munus ſuum inchoare, aëre externo per os ſubeunte ac vi ſuâ elaſticâ eoſdem inflante, ut eodem tempore foraminis ovalis uſus intercidat, & ſanguis per alios ductus circulum ſuum abſolvat. Conſenſum igitur mammarum cum utero, eumque admirandum eſſe, fateri neceſſum eſt, ſed humanæ ſagacitati & anatomicæ inſpectioni adhuc ignotum. Talem conſenſum novit *Hippocrates*; (*a*) *ſi papillæ mammarum, & rubor pallidus fuerit, morboſum eſt Uteri vas*, ſcripſit ille. Laudatus *Bartholinus* Uteri, & placentæ cum mammis conſenſum, per mutuam ſimilitudinem ſubſtantiæ glanduloſæ, quam habent inter ſe placenta uterina & mammæ, expoſuit, ita ut Sanguis Chyloſus ad Placentam fluere ſolitus, dum in orbem fertur ad mammas, tanquam ad ſibi cognatum domicilium, divertat; verùm ſine placentâ, ut in Virginibus, quibus interdum lac generatur in mammis, conſenſum hunc inter mammas & uterum admittere neceſſum eſt, experientiâ ſatis atteſtante, in mulierum mammis, ob Uteri exorbitantias, generari perſæpè cancroſos tumores, quales in Monialibus magis, quam in cæteris Mulieribus, obſervantur, non ob menſtruorum defectum, ſed potiùs, ut reor, ob cœlibem vitam; mihi enim ſæpiùs obſervare contigit, Veſtales Virgines benè coloratas, menſtruis purgationibus ritè fluentibus, ſed ſalaci naturâ præditas, ex horrendis mammarum cancris miſerè obiiſſe; quoniam in *Italiâ* quælibet Civitas complures habet Religioſos Virginum Cœtus, perrarò fit, ut Monaſterium aliquod exſtet, quod tam diram peſtem intus non alat. Cur ergo propter Uteri deliria plectuntur mammæ, non ſic, neque tam frequenter, aliæ partes? Certè ob conſenſum adhuc occultum, & Proſectorum indagini impervium, quem forſan dies aliqua aperiet, cùm nondum ſit occupata veritas.

Admirandum hunc inter mammas & Uterum conſenſum, binos libidinis fontes, abundè teſtatur earundem mammillarum confricatio, quæ in fœminis, ut ipſæmet fatentur, non leve eſt Veneris languentis irritamentum. Obſervat (*b*) *Carpus*, mammarum contrectationem, ac præſertim papillarum, quæ ad modum virgæ arriguntur, ſopitam Venerem excitare; lubet autem hic ejuſdem verba referre: *juvant etiam mammillæ incitando coitum, pertractando eas, tam in mare, quàm in fœmina, licet magis in fœmina, quàm in mare; ſunt etiam Venæ venientes à regione Virgæ ad mammillas, & hoc eſt veriſſimum, quod ſi tangatur papilla mammillæ, ſtatim ipſa papilla erigitur, ſicut virga.* Quædam igitur inter has partes erit ſympathia, & conſenſio potiùs per vaſa, quàm per ſubſtantiæ

(*a*) 6. Epid. Sc. 5. (*b*) Com. 2. in An. Mun. p. 316.

ſtantiæ ſimilitudinem, ut credidit *Bartholinus*, quæ nulla ferè eſt, cum Uterus à lochiis repurgatus, ac naturali ſuæ magnitudini redditus, totus membranoſus ſit, à mammis valdè differens, quarum textura potiùs glanduloſa eſt.

Rationes ergo, ſeu commenta Neotericorum, cur à partu, non alio tempore, mammæ lacte turgeant, *Hippocratis* placito nullatenus videntur præferenda. Licet enim motum ſanguinis, & Chyli, qualis oculis noſtris patet, ignorarit *Cous Senex*, hanc tamen mirabilem ſympathiam & mutuum inter mammas & Uterum commercium, ſummâ attentione obſervavit, & lactis generationem per compreſſionem, & motum fœtus in Utero non incongruè expoſuit, cui opinioni qui non acquieſcit, meliora proferat; aſt huic Seculo, ad metam properanti, Problematis hujus ſolutionem nequaquam conceſſum iri credendum eſt, quam Summus rerum Diſpenſator alteri ſucceſſuro forſan reſervatam voluit.

Verùm hujuſce Arcani, quod tot præclariſſima ingenia exercuit, indagine omiſſa, ad Nutricum affectus redeamus, & ex penu Medico præſidium aliquod iſdem laborantibus eruamus. Si gravis igitur ſit affectio, quæcunque ea ſit, & ex nimiâ lactatione ortum ducat, ablactatio eſt imperanda, cauſæ etenim procatarcticæ amotio reliquis præferenda. Si Tabis imminentis adſit ſuſpicio, quam indicant totius corporis macies ſenſim augeſcens, dejectio appetitus, noctes inſomnes, decolor facies, illicò à lactatione ceſſandum, ac ea adhibenda remedia, quæ Tabem præcavent, & corpus renutriunt. Tabem ex nimiâ lactatione deſcribit (*a*) *Richardus Mortonus*, conſulatur ergo hic Auctor, qui pro hujuſmodi contabeſcentiâ varia proponit remedia. Unicum tamen præſidium in hujuſmodi caſu erit lactis Aſinini, ſeu Vaccini uſus, modò febris acutior, acor nimiùs ventriculi, & alia non obſtent; rationi quippe congruum, ut ſi è lactis diſpendio orta fuerit corporis conſumptio, per lactis uſum quoque ſequatur ejuſdem reparatio. Lac ergo Aſininum ad pravos humores expurgandos primò conveniet, mox Vaccinum ad maciem reparandam; hæc enim vera eſt methodus lac exhibendi in Tabe, & quâ utebatur Divinus Præceptor *in hiſtoria Eratolai filii*; huic enim à gravi & longâ dyſenteriâ confecto, & ad extremam maciem deducto, lac Aſininum priùs exhibuit ad purgationem, mox Bubulum ad nutritionem. *Bibenti lac Aſininum* (inquit Hipp.) *coctum novem heminarum atticarum menſura ad duos dies, biliosa purgatio vehemens oborta eſt, & ceſſarunt dolores, & ciborum appetentia acceſſit, poſtea verò bubuli lactis crudi quatuor heminas atticas bibit pro vice una, cyathos duos in diem primum ſextam aquæ partem admiſcens; & vini nigri auſteri parum;* egregia verò eſt (*b*) *Proſp. Martiani* in hunc locum animadverſio. *Notum etiam eſt* (inquit ille) *lac reficiendi gratia dari, non Aſininum, ut poſteriores faciunt, qui in Tabe cæteris præferunt, ſed bubulum, quod ſua craſſitie corpus reficere aptum eſt.* Lactea itaque Diæta tali methodo utramque paginam implebit, corpus enim ab humorum ſaburrâ primùm expurgabit, deinde illud reſarciet. Hiſtoriam refert *Mortonus* cujuſdam mulieris, quæ poſt quatuor menſium lactationem, cùm in magnam virium imbecillitatem, appetitus dejectionem, paſſiones ſuffocativas, incidiſſet, neque illius conſiliis auſcultare voluiſſet, nimirùm, ut à lactatione ceſſaret, & lacteâ diætâ uteretur, in Tabem pulmonarem, cum tuſſi, gravi anhelitu, & febre hecticâ tandem delapſa eſt.

Si verò paſſiones hyſtericæ à nimiâ plenitudine ortum habeant, veluti Magnatum, ac Principum Nutricibus evenit, tunc aliqua evacuatio molienda, ac in ſpecie phlebotomia celebranda, ad Vaſorum plenitudinem tollendam, ſtrictiorem diætam eodem tempore inſtituendo; ſicuti alia remedia adminiſtranda, quæ ad paſſiones hyſtericas ſedandas, præſcribi ſolent, quorum apud Practicos magna eſt ſupellex; at ſi prædicti hyſterici affectus (quod non rarò in Nutricibus hu-

(*a*) Phtiſ. cap. 6. (*b*) 7. Epid. num. 3. de Nat. Mul. n. 15.

jus generis contingit) fiant, eò quòd benè paſtæ multo ſemine abundent, ſeu, ut cum Recentioribus loquar, Ovarium turgeat, & Falloppiana Tuba claſſicum canat, ad venereum certamen incitando, in tali caſu vel dimittendæ ſunt à lactationis miniſterio, vel iiſdem aliqua cum ſuis Viris conſuetudo permittenda, ne in furorem agantur, cum ſummâ lactantis pueri pernicie. Quia verò aphrodiſiacas ideas tacitâ mente ſecum interdum verſant, & cæco igne carpuntur ob metum, ne ad pauperes ſuos lares ablegentur, neque ſemper manifeſtis paroxyſmis hyſtericis tententur, cauto opus erit; variis autem ſignis occulta paſſio ſe prodit, nimirùm ſi non hilares, ut priùs, appareant, ſi taciturnæ præter morem ſint, ſi quando Vir aliquis venuſtus & elegans ad illarum adſpectum obvius fit, & cum illo colloquantur, hilarentur, & catulire videantur; ſi ergo hujus generis ſigna obſerventur, indubiè cenſeri poterit illas Venereos ludos mente agitare, in quo certè non adeò culpandæ ſunt, imò veniam aliquam merentur, cum naturales affectus ſint, qui easdem, licet invitas, nocte diuque excruciant; ubi enim patella libidinis (ſic enim *D. Hieronymus* Uterum appellat) effervere cœperit, corpus univerſum, ac mens ipſa concutitur; hæ Nutrices itaque œſtro venereo concitæ characteres indelebiles fœtui imprimunt, obſervatumque eſt, inquit (*a*) *Helmontius*, Nutricem ſalacem, furioſam, ſuam fragilitatem tranſtuliſſe in Pueros.

Perſæpè, ut diximus, lactantes mulieres, quæ potiſſimum ſucculentæ ſunt, & albidiores, multoque lacte diſtenta habent ubera, de dolore quodam compreſſivo in humeris ſolent conqueri, quod fit ex pleniori ſucci lactei per Thoracicos ductus lactis promocondos, in ſubclaviam, ac verſus mammas illapſu; in quo caſu moderamen in victu adhibendum, & abſtinendum ab iis, quæ lactis copiam augere nata ſint. Affectum hunc *Hippocrati* haud ignotum fuiſſe patet ex ejuſdem verbis: *A cibis, ac potibus humeri inflantur*, ait ille, de gravidis mulieribus ſermonem habens; in cujus loci commento (*b*) *Martianus*, qui, ut ſuperiùs dictum, lactis materiam è ventriculo deducit, tanquam præcipuo corporis fonte, qui dat omnibus, & accipit ab omnibus, teſtimonium ipſarum Nutricum adducit, quæ ſtatim ac, ait ille, cibum ac potum maximè aſſumpſerunt, teſtantur hujuſmodi humorem, ab humeris deſcendere per claviculas ad mammas ipſas, idque evidentiùs perſentire ajunt, dum actu ſugit Puer, ex quo evenit, ut nihil magis ubertatem lactis tollere poſſit, quàm cucurbitularum dorſo applicatio, quod experimentum Nutricibus cognitum in cauſa eſt, ut remedium hujuſmodi ut plurimùm recuſent, ne lacte deſtituantur.

Quoad affectus pruriginoſos, quibus Nutrices vexari ſolent, à quibus ægrè cavere poſſunt, dum Pueros, quibus familiare eſt lacteam cruſtam in capite habere, ulnis geſtant, mammis apponunt; adhibenda remedia, quæ hujuſmodi affectus curent, ac topica potiùs antipſorica erunt ex uſu, quàm interna remedia, ut purgationes, ac mille alia tædia, quæ in cutaneis affectibus in uſu eſſe ſolent; quare etiam, impurgato corpore, inunctiones ſcabiem profligantes erunt permittendæ, ſiquidem cùm non à pravo humorum apparatu, ſed à contactu, & aſſiduâ Infantum contrectatione tales iis ſuboriantur affectus, nihil metuendum videtur, ſi quamprimùm miaſma illud pſoricum cuti inhærens exſtinguatur. Si tamen ſcabies ex cacochymiâ ob diuturnam lactationem oborta fuerit, ſecùs agendum; pravi enim humores priùs expurgandi erunt, deinde topicis ſcabies exterminanda; complures tamen Nutrices ego novi perfectè ſanatas, paucos poſt menſes à lactatione, dirâ ſcabie defœdatas, non aliam ob cauſam, quàm propter aſſiduam Infantum ſcabie infectorum contrectationem. Cautæ igitur ſint Nutrices in tractandis Pueris, quos alunt, & quantum poſſunt, munditiei ſtudeant, tum ſibi, tum lactentibus Pueris; neque enim tam fœdi, & ulceroſi Infantes ſpectarentur, uti perſæpè contingit, unde fit

(*a*) De Infan. nutrit. (*b*) 2. Epid. Se. 3.

fit ut inter ploratus, & ejulatus contabescant. Refert (a) *Galenus*, historiam de puello quodam, qui cùm totâ die ploraſſet, & Nutrix consilii inops modum neſciret, quo illi quietem conciliaret, quando nec motu, nec appositione ad mammas, vel quoquo alio modo, illum lenire posſet, vestium sordidarum mutatione, jussu *Galeni*, & dulci lavacro, conquievit, & longissimo somno obdormivit.

Antequam à Nutricibus discedam, non contemnendam cautionem pro illarum, ac Infantum regimine, lubet proponere, nimirùm, ut parciores sint in suis Alumnis, tam crebrò lactandis, nec eos quoties plorant, ad ubera apponant; in hoc enim valdè peccatur, centies enim in die lac præbent, & noctu magis, ne illos plorantes audiant, quo pacto se ipsas sensim exhauriunt, & Infantes nimio lacte onerant, adeò ut Nutrix, & Infans miserè ægrotent. Quomodò enim tenellus stomachus tantam lactis copiam conficiat, ut cruditates, accescentiæ, congulationes, & frequentes vomitiones non contingant, & Mulier lactans ex continuo suctu non contabescat? Cautiùs profectò Rusticanæ Mulieres nostrates filios suos alunt, quibus ter vel quater in die tantùm lac præbent, sinuntque, ut plorent quantùm velint, dum ipsæ agrestibus operibus intentæ sunt, exemplo à Vitulis lactentibus, ut ipsæ ajunt desumpto, quos non patiuntur, nisi ter singulis diebus è Vaccæ uberibus lac sugere. Ob hunc Nutricum abusum, tam frequenter Alumnos suos lactandi, forsan mos inolevit in *Angliâ*, *Germaniâ*, Infantes pulte ex lacte Vaccino, Vitellis ovorum, cum Saccharo nutriendi, cùm sic Puerorum regimen faciliùs institui possit, & justa alimenti mensura, quâ debeant ali, sub sensum cadat, quâ de re egregia documenta exstant apud (b) *Helmontium*, *Zod. Med. Gall. Etmullerum* aliosque Scriptores.

(a) 2. de San. tue. c. 8. (b) de Inf nutrit. An. 3. Val. Inf.

De Morbis, quibus obnoxii sunt Oenopœi, Cerevisiarii, & Zythopœi.

CAPUT XX.

POstquam ad Fontes ejus liquoris, quo primùm hausto vitali aëre nutrimur, satis diversati fuimus, modò ad alterius liquoris, quo Mensæ, & Convivia hilarantur, contemplationem lubet divertere. Officinæ itaque & Cellaria, in quibus Oenopœi autumnali tempore Vinum parant, ac Vini spiritum, Aquam Vitæ vulgò dictam, per destillationem eliciunt, perlustranda, & affectus examinandi, quibus tentari solent hujusmodi Operarii. Neque verò de temulentiâ, quæ à Vino largè hausto fieri solet, hic mihi erit sermo, sed de eâ, quæ ex odore, & Vini spiritibus per aërem dispersis, ac per os & nares cum aëre admissis contingit; tales enim Ministri, licet abstemii, totâ die Vinum elutriando, ac Vinacea è Tinis educendo, propter operis assiduitatem, ebrii persæpè fiunt, & omnes ebrietatis noxas persentiunt.

Cùm inter præcipuos Mutinensis agri proventus, in eo tractu præsertim, qui Gabellum, & Scultennam interjacet, is sit, qui è Vino & Vini spiritu obtinetur, cumque in totâ Cispadanâ, & Transpadanâ Regione nusquam uberior spiritus Vini copia habeatur, dum quotannis millena, & grandia spiritus Vini dolia Venetias, Mediolanum, aliasque Urbes deferantur, spectaculum visu dignum est, autumnali tempore, magna Ædificia, ingentes Tinas, longum Doliorum ordinem unà cum Laboratoriis, quibus Vinum destillatur, conspicere. Quoniam verò experientiâ compertum est multùm Vini spiritus ab ipsis Vinaceis elici, propterea magnis trabibus Vinacea in ipsis Tinis diu compressa detinent, sinuntque ut una cum Vino ebulliant, ac fermententur ad menses, atque etiam per totam hyemem; Vinò deinde in doliis repositò, Vinacea unà cum Vini portione in magna vasa cuprea conjiciunt, sicque destillationem instituunt. Antea

tea consueverant, quidquid succi Vinaceis inesset, prælis exprimere, at cum observarint multò plus spiritus Vini à Vinaceis impetrari, si opere licet laborioso, destillationi subjiciantur, jamdudum præla à suis Officinis proscripsere.

Operarii ergo dum operi adstant, & peractâ destillatione, è cupreis vasis Vinacea fumantia educunt, novaque indunt, ac vasa spiritu Vini plena in Doliis reponunt, omnes ferè temulenti fiunt. Licet autem ministerium istud, non in Hypogæis, seu concluso loco, sed in amplis porticibus id fieri soleat, tanta nihilominus partium volatilium spiritus Vini fit diffusio, ut qui non assuetus in hæc loca pedem immiserit, acutum odorem diù præferre nequeat. Gallinæ quoque & reliquæ Aves cortales, Sues, aliaque animalia, quæ in hisce locis degunt, & calentibus Vinaceis, è Cadis extractis pascuntur, temulenta fiunt. Qui verò huic ministerio operam suam locarunt ad plures menses, ac per totam ferè hyemem in hisce Ædificiis versantur, veternosi, vieti, macilenti, tristes, vertiginosi, ac cibi parùm appetentes evadunt.

Non incuriosa, neque contemnenda, pro verâ temulentiæ causâ cognoscendâ, quæstio est, quânam facultate Vinum, ebrietatem inducat, num acidâ, an alkalicâ, figente, an liquante. Quæstionem hanc satis eruditè tractat *Etmullerus*, (*a*) qui varias Scriptorum opiniones recenset, & varia rationum ex æquo ferè decertantium momenta adducit? ipse tamen *Tachenii*, *Bekii*, aliorumque pro acidâ inebriandi potestate sentientium, rationibus rejectis, alkalicam, ac sulphuream eam esse statuit, quæ vim inebriantem possideat.

Hac de re mihi olim cum doctissimo Viro, Chymiæ peritissimo, habitus est sermo, qui totam inebriandi facultatem Acido volatili, quod in Vino præpollet, & vi cujus è musto transit in Vinum, adscribens, magni roboris rationes, & argumenta, ut id evinceret, mihi attulit, quæ hic compendiosè referam. Vinum acidæ prosapiæ esse ostendit, ajebat ille. 1. Curiosum (*b*) *Helmontii* experimentum, quo Vini spiritus temporis ferè momento per spiritum Salis armoniaci in Offam albam concrescit, adeò densiorem, quò purior Urinæ spiritus fuerit. 2. Effervescentia, quæ observatur in calente sanguine, si illi Vini spiritus remisceatur, non secus ac si Vitrioli spiritus superaffundatur, fit major. 3. Tincturarum, ut Castorii, mirrhæ &c. cùm Vini spiritu paratarum per spiritum Salis armoniaci præcipitatio, dum scilicet acidum Vini volatile, spiritum alkalinum pleniùs saturatum aggreditur, & corpus, quod solutum continebat, dimittit. 4. Vini generosi per alkalina absorbentia, ut Sulphur, oculos cancri, testas ovorum, talis enervatio, ut Martem non ampliùs aggrediatur, neque, si destilletur, spiritum fundat, nisi paucum ac imbecillem. 5. Spiritus ardentis, ac inflammabilis ab ipso aceto extractio, ut chymicæ operationes testantur. 6. Remedia ebrietatem cùm præcaventia, tum curantia ex alkalicorum familiâ desumpta, ut semen Sinapi jejuno stomacho comestum, quod vulgi est euporistum, pecudum pulmo assus ex (*c*) *Plinio*. Allium, quod commendat *Hippocrates*, ubi quis *ebrius est*, *aut*, *ad potationes ire volet*; cujusmodi sunt omnia ferè remedia ebriis adhiberi solita, quæ cùm multo alkali turgere constet, nec ebrietatem, neque illius causam oppugnarent, imò graviorem redderent, si vis inebriandi, quâ pollet Vinum, in parte sulphureâ & alkalicâ sita esset. Hæc ille pro Vini acido, quod ebrietatis Auctorem facit; quibus rationes, & experimenta ex parte altera, ego quoque opponam, mox ad ea quæ à doctissimo Viro sunt allata, aliquid reponam.

Partem Vini sulphuream & alkalinam eam esse, quæ vim inebriandi possideat, evincunt. 1. Spiritus Vini inflammabilitas, cùm satis constet, nullum spiritum manifestè acidum, & de quo non sit ambigendi locus, uti Spiritum Vitrioli, nitri, tartari, esse inflammabilem, imò talia potiùs ad inflammabilitatem tollendam apta esse, veluti observatur

(*a*) Diss. de Temul. (*b*) De Aura Vital. (*c*) H. N. l. 3. c. 14. de Vic. Acut. n. 59.

vatur in pyrio pulvere, qui ſpiritu vitrioli irroratus ac poſtmodum exſiccatus, non exardeſcit amplius, quod non evenit, ſi Vini ſpiritu madeſcat. 2. Vini, ac illius ſpiritus uſus in ulceribus, & gangrænis, ad compeſcendum ſcilicet acidum luxurians, & corroſivum, quo ſcatent ulcera, & à quo confoventur, alioquin peſſimus eſſet in ulceribus ſpiritus Vini uſus. 3. Obſervatio conſtans, & indubia, quòd nunquam viſus fuerit Vini ſpiritus, in acetum degeneraſſe, ſed ſolùm, cum veteraſcit, languidiorem fieri, cùm Vina, ſpirituoſiori parte abeunte potiùs, quàm depreſſâ, plerumque aceſcant; nec non alia obſervatio ſatis nota, & perſpecta, quòd ubi Vinum ad aceſcentiam vergat, perexigua Vini ſpiritus portio obtineatur, quòd in Vinis pendulis & mucidis nequaquam evenit; hinc qui publicos proventus habent pro aquâ vitæ promercali parandâ, aliquo pretio quidem Vina pendula, & corrupta emunt, ut è quibus aliquam Vini ſpiritus portionem evocent, nullo verò acidula, quæ fruſtrante diligentiâ, non niſi phlegma inſipidum, mox acrem liquorem exhibent. 4. Spirituum acidorum mineralium, ut Spiritus Vitrioli, Nitri, &c. per Vini ſpiritum dulcificatio, qui ſi acidus eſſet, & hoc nomine inebriaret, eoſdem acidos ſpiritus non caſtigaret, & mitiores redderet, cùm nullum ſimile, aliud ſibi ſimile infringat, ſed roboret. (*a*) 5. Spiritus Vini cum nitri ſpiritu notabilis effervescentia, cùm ad invicem remiſcentur, qualis effervescentia naturam in Vini ſpiritu, Nitri ſpiritui manifeſtè acido oppoſitam arguit. 6. Vini ſpiritus ſine deſtillatione rectificatio, nimirùm per iteratam Salis Tartari, Calcis, cinerum clavellatarum infuſionem. Etenim ſi Vini ſpiritus ex acidorum familiâ eſſet, Sal Tartari, Calx, quæ inter alkalia primas tenent, Vini ſpiritum haud quaquam rectificarent, ac fortiorem redderent, imò potiùs infirmarent, illius acidum abſorbendo; licet autem dici poſſit, Sal Tartari phlegma abſorbere, ſicque Vini ſpiritum rectificare, non apparet tamen ratio, quare Sal Tartari, acidum, quod Vini ſpiritui ineſſe ſupponitur, non abſorbeat, ac illo potiùs, quàm phlegmate, non ſaturetur. 7. Vina ſacco percolata (quæ reliquis Vinis non colatis, cæteris paribus, ſemper debiliora ſunt, cum *Sacco frangantur vires*, ut ait *Plinius*) facilè aceſcentia, ac præcipuè cum æſtatem ſenſerint, quod in reliquis Vinis non evenit, quæ à particulis ſpirituoſioribus ab acore præſervantur. 8. Vina generoſa Podagricis minùs noxia, quàm Vina tenuia, & acidula, ſicut Vina Rhenana, quæ à (*b*) *Sylvio* in Arthritide damnantur, quia pauco ſpiritu volatili prædita ſint, quod multò ante annotarat (*c*) *Crato*, qui in Conſolatione Medicâ pro articularis morbi doloribus, ſcripſit, eos, qui tenuium vinorum uſum innoxium putant admodùm falli, ſed ſalubriùs eſſe, *parùm Vini Ungarici, vel malvatici bibere, quàm tenuia Vina copioſe haurire*; hoc idem teſtantur (*d*) *Helmontius*, *Willeſius*, aliique graviſſimi Viri, qui Vina tenuia & acida prorſus improbant; ut quæ acidum multiplicando, dolores arthriticos adaugeant.

Ad ea porrò, quæ ſuperiùs pro acido Vini inebriativo, mihi à perito Chymico objecta ſunt, reſpondere poſſem, primò experimentum de coagulatione, & effervescentiâ ſpiritus Vini cum ſpiritu urinæ, tanti non eſſe, ut ſpiritum Vini acidæ naturæ eſſe evincat. Multa enim alkalicæ indolis inter ſe commixta effervescunt, ut Sal Tartari, Oleo Tartari affuſum, quod experimentum tradit celeberrimus (*e*) *D. Jo: Bohn*, quod non acido occulto tribuendum ait, quod Tartarus in ſui ſolutione combiberit; cùm aqua affuſa Sali Tartari idem præſtet; ſicuti etiam multa acida inter ſe commixta effervescere paſſim obſervantur, & multa acida alkalicis mixta, ſine ſubſequente coagulatione, adeò ut regula generalis ſtatui nequeat.

Quoad ebullitionem, quæ fit in ſanguine re-

Tt

(*a*) Ermull. Pyr. Ra. c. 10. (*b*) Appen. Pra. M. Tra. 8. n. 54. (*c*) l. 2. Con. 27. (*d*) in Volu[illegible]viven. de Ann. Bru. p. 2. c. 14. (*e*) de Aër in ſubl. infl. c. 4

recens educto, quando illi permiſceatur Vini ſpiritus, non ſecus ac ſi Spiritus Vitrioli affundatur; hanc ſatis variam, nec ſemper eodem modo reſpondentem deprehendi, cùm ſanguinis varia, ac diverſa eſſe poſſit conditio, ac modò peccet in acidi, modò alkali exuberantiâ; quare quando notabiliter ebulliet, Vini ſpiritu illi ſuperaffuſo, probabiliter credi poterit in tali ſanguine ſuperabundare acidum. Præcipitatio porrò tincturarum cum ſpiritu Vini paratarum, quæ per Spiritum Sal. Armoniaci fieri obſervatur, non multi eſt roboris, ſiquidem multæ præcipitationes fiunt per aquam ſimplicem frigidam, ut in præparatione reſinæ Jalappæ, Mechoachæ; quare ſi Vini ſpiritus inter acida connumerandus eſſet, ex Regulâ communi Chymicorum, quòd ea, quæ ſolvuntur per acida præcipitantur per alkalica, Aquam oporteret eſſe alkalicum, corpus, ut norunt omnes, inſipidum non tantùm & nullius acrimoniæ particeps, ſed utriuſque acrimoniæ acidæ, & alkalicæ correctivum.

Neque ad aſſerendam Vini aciditatem, uti ebrietatis cauſam, ſufficit quod dicitur de Vini enervatione per alkalicorum infuſionem; etenim cùm varia corpora ad invicem miſcentur, fit novum concretum diverſarum virium; ſic Aqua enervat tam acida, quàm alkalia, & diluit quamcumque acrimoniam. Detur porrò Chymicis, ab aceto forti per deſtillationem portionem aliquam ſpiritus ardentis elici, id tamen non evincet talem ſpiritum flagrantem eſſe de acidorum familiâ. Nullum enim corpus tam acidum, quàm alkalicum tam ſimplex reperire eſt, quod de oppoſitâ vi aliquid in ſinu ſuo non contineat. Quod porrò ſpectat ultimam rationem à remediis ebrietatem curantibus, atque etiam præſervantibus petitam, quæ de alkalicorum familiâ, ut plurimùm ſunt, dicendum ea potiùs morbi cauſam, quàm morbum ipſum reſpicere, promovere nempè ſeri abundantiam ad vias urinarias, quo modo facilior eſt ebrietatis ſolutio, ſicuti eadem vim habere præſervativam; nam ex *Hippocratis* (*a*) Oraculo, *quæ facta tollunt, ante facta fieri prohibent*. Cæterùm acida quoque inter ebrietatis remedia, uti acetum, adhiberi ſolent. Acetum capiti applicatum, nec non Epithema ex ſucco ſempervivi majoris, cum Aceto commendat *Etmullerus*, (*b*) ſi teſtibus applicetur, quod remedium ait potenter ebrietatem diſcutere.

In alkali ergo volatile, ſeu Sulphur narcoticum, quod Vino inſit, ac vim habeat humorum ac ſpirituum motum ſufflaminandi, ebrietatis cauſam *Etmullerus*, & alii referunt, quod ex tremore, ſtupore, ſoporoſitate, qualia obſervantur ex opio aſſumpto, deducunt. Verùm an probabilius eſt vi ligandi, ac figendi à Vino proſcriptâ, Vinum (quo nulla ſubſtantia ſpirituoſior eſt, & ſanguini ac ſpiritibus magis affinis) largiter potum, dum per venas dividitur, & caput petit, liquare potiùs, fundere, & arteriarum oſcula per cerebrum diſſeminatarum reſerare, ſicque totam cerebri ſyſtaſim, multo ſero irrorare, & emollire, ut nervorum tonus laxetur, & prænarrata accidentia ſubſequantur? An idem etiam de Opio affirmandum, nimirùm quòd humores, ac ſpiritus nequaquam vinciat, & incraſſet, ut creditur, ſed potiùs alkali ſuo volatili, ac fumoſo fundat, ac liquet, ut ex illius vi diaphoretica, & diuretica, de qua nemo ambigit, conjectare licet? Profectò in hac re doctiſſimo (*c*) *Williſio* non parùm hæret aqua, ait enim *qualitates quas Opio ſanguinem figendi, incraſſandi nonnulli attribuunt, ſe non tam facilè deprehendiſſe*. Quidquid ſit de Opii facultate ſeu figente, ſeu liquante, id enim diſquirere modò non vacat, hoc auſim de Vino, ac illius ſpiritu aſſerere, quòd licet eadem ferè accidentia ac Opium invehat, veluti tremorem, torporem, ſomnum profundum, aphoniam &c. diverſo tamen operandi modo, ab Opio hæc efficiat; in ſoporatis enim ab Opio pulſum exilem, tardum, pallorem, faciem cadaverioſam, extremorum perfrigerationem, deprehendo, in ebriis verò ex liberali Vini potu, ſeu illius ſpiritu, pulſus validos, faciem ruben-

(*a*) 3. in 6. Epid. (*b*) de Vig. & Som. c. 8. (*c*) Pla. Ra. l. 1. Sc. 6.

rubentem, flammantes oculos, & Venarum inflationem, ut plurimùm obſervo, unde (a) *Virgilius* Silenum ſuum ebrium deſcribit.

Inflatum heſterno Venas, ut ſemper, Jaccho. Hujuſmodi autem ſeri è maſsâ ſanguineâ in cerebrum diffuſionem ab impetu faciente Vini ſpiritu excitatam, ipſamet teſtatur autopſia; in mortuis enim ex ebrietate, cranio diſſecto, repertum eſt cerebrum multo ſero lacteſcente perfuſum, veluti videre eſt apud (b) *Theophilum Bonetum.* Hanc ſeri fuſionem atteſtatur pariter Crapulæ ſolutio, de qua *Hippocrates*, licèt enim cita vomitio multùm conferat ad ebrietatis noxas minuendas, vera tamen ſolutio, per copioſam diureſim habetur, ſero exundante ad urinarias vias amandato; adeò verum eſt vulgatum illud, Vinum ſanare eas diſpoſitiones, quas facit, facultate nimirùm quâ pollet, humores extenuandi, & urinas ciendi, quod pariter innuere viſus eſt (c) *Ariſtoteles*, qui diſquirens quare crapulam minùs ſentiant, qui dilutum, ſeu mixtum, quàm qui merum bibunt, præter alias rationes hanc affert, *quòd merum, ſicut cætera, ita ſe ipſum concoquit.* Aliquem ebrietatis uſum excogitarunt antiqui, ut apud *Hippocratem* videre eſt. *Mneſitheus* Medicus Athenienſis, in Epiſtolâ de liberaliore potu, apud (d) *Athenæum, & Langium.* (e) *Accidit autem*, ajebat, *ut qui ſe plurimo mero ingurgitarint, corpus & anima graviter offendantur; verùm quodam dierum intervallo inebriari, videtur mihi corpus expurgare, & animum recreare. Coacervantur enim in nobis ex quotidiana potatione quædam humorum acredines, quarum opportuniſſimus eſt per urinam exitus, & purgatio per compotationem maximè competit, abluitur enim corpus.* Lacones ergo ex antiquiſſimo *Medico Mneſitheo* corpus per urinam & vomitum expurgabant, & animum Φιλοτησίας poculo exhilarabant.

Non ſemel, nec ſine admiratione mihi obſervare contigit, Autumnali tempore, *cum plenis ſpumat vindemia labris*, & aſſidua fit Vini elutriatio è Tinis in dolia, eos, qui huic operi in Cellariis adſtant, magnam urinæ profuſionem experiri, ita ut centies in die mingant, & urinam reddant tenuem ac limpidam aquæ ad inſtar. Id autem non aliam ob cauſam fieri crediderim, quàm ob magnam ſpirituum è Vino emanationem, qui ſpiritales vias ſubeant, & in maſsâ ſanguineâ ſeri fuſionem efficiant. Sic Vinum recens expertus ſum, Diureſim multò liberaliùs promovere, quam Vinum vetus, licet meracum, & generoſum, adeò ut ubi ſeri redundantiam per urinarias vias educere conſultum fuerit, Vinum recens, ſed percolatum, ac partibus craſſioribus depuratum, Vino veteri præferre non verear.

Ut autem in ſemitam redeamus, ſanguineam maſſam in hiſce Operariis à partibus Vini volatilibus, quibus ad ſaturitatem oppletus eſt aër, primò affici, ac in motum fermentativum cieri, deinde ſpiritus animales, cenſendum eſt: quantùm enim ſit ſanguini cognata res Vinum, nemo non novit, neque ineptè *Androcydes* ſapientiâ clarus, apud (f) *Plinium*, ut *Alexandrum M.* ab intemperantia cohiberet, illum monuit, ut quando Vinum potaturus eſſet, *meminiſſet, ſe bibere ſanguinem Terræ.* Ob eandem affinitatem, afficiuntur ſpiritus animales, quorum tam ingens copia ex perenni, qui ſuggeritur, Vini ſpiritu generatur, ut intra Cerebri loculamenta hoſpitari nequeant, hinc totius animalis regiminis perturbatio, non ſecus, ac in Apum Repub., cùm ob nimiam illarum fœturam, quæ examen ſuppleverit, oriuntur turbæ; ſic vertigines, ſtupiditates, capitis dolores, non ſecus ac ingenti plethorâ vaſis diſtentis, ſubſequuntur, ac poſtremò ex totius naturalis œcononiæ perverſione macies, virium languor, & ſuperiùs recenſita accidentia, quæ in aſſuetis quidem mitiora ſunt, graviora verò in iis, qui ſe primò huic miniſterio addixerint. Refert (g) *Zacutus Luſitanus*, Aulicum quendam, cum in Villam conceſſiſſet, in Cellam Vinariam fortè in-

(a) Ecl. 6. (b) Sepul. p. 1. ſe. 13. ob. 87. 5. Aph. 5. (c) Se. 3. Pr. 3. & 22. (d) 3. de Diæ. n. 22. (e) l. 11. c. 10. l. 1. Ep. 30. (f) l. 14. H. N. c 5. (g) de Prin. Med. hiſt. l. 1. h. 6.

ingreſſum, ita à Vini odore perculſum fuiſſe, ut in terram ſyderatus deciderit, & intra horas exſpirarit.

Idem quoque contingere iis in Regionibus, ubi pro Vino conficitur Cereviſia, veluti in *Germaniâ*, *Angliâ*, ac penes omnes Septentrionales populos, ſatis perſpectum eſt. Cùm enim dictis in locis, licèt floreant Vites, ut plurimùm tamen non matureſcant Botri; propterea ex hordeo, & ſeminibus cerealibus, quibus abundant, ad germinationem fermentatis cum lupulorum folliculis potionem ſibi parant, quâ paſſim loco Vini utuntur, ac illius potores *haud aliter titubant, quàm ſi mera vina bibiſſent*, ut de aquâ *Lynceſtri amnis* cecinit (*a*) *Ovidius*. Antiquitùs Septentrionales populos ſimiles potiones parare ſibi conſueviſſe ex (*b*) *Virgilio* habemus, his carminibus, ubi de gente Septentrioni ſubjectâ ſermonem habet.

Hic noctem ludo ducunt, & pocula læti,
Fermento, atque acidis imitantur vitea ſorbis.

Sicuti ergo à doctis viris accepi, & apud Scriptores literis traditum eſt, Operarii, qui in Hypogæis ad Cereviſiam parandam incumbunt, iiſdem ferè affectibus vexari ſolent, quibus apud nos Oenopœi, & Vini Deſtillatores; ſicuti enim hujuſmodi potionum genus non modicam vim inebriandi poſſidet, ut ex Cereviſiâ ſpiritum ardentem, quem (*c*) *Platerus* lupulis adſcribit, liceat extrahere; ita qui potiones hujuſmodi præparant, digerunt, ac in Vaſis recondunt, capitis doloribus, vertigine, anxietate tentari ſolent. Inter Cereviſiam ac Vinum multùm equidem convenit; nam ſicuti Vinum, cùm Verno tempore florent Vites, ob odorata effluvia, per aërem diſperſa non exiguam alterationem perſentit, uti omnes norunt, hoc idem contingit in Cereviſiâ, quam ajunt florente hordeo non parùm turbari, teſte *Helmontio*; & ſicuti Vinum, ac illius ſpiritus immodicè potus, appetitum prorſus dejicit, ſic idem prorſus Cereviſia efficit recenter pota, teſte eodem (*d*) *Helmontio*, qui tradit Fermentum Stomachi ab illâ infringi atque enervari. Facultatem hanc inebriandi, quam habent potiones ex hordeo factæ admirans *Plinius* (*e*) ſcripſit, *mira vitiorum ſolertia inventum, quomodò aqua inebriaret.*

Quibus ergo præſidiis Ars Medica Oenopœis, ac Vini Deſtillatoribus ſuccurret, qui labores ſuos impendunt, pro re tanti momenti ac neceſſitatis elaboranda, tum ad Vitam ſuſtentandam, tum ad elegantiora, ac præſtantiora remedia concinnanda, adeò ut ſi Vini ſpiritu Chymicorum Officinæ carerent, ad tantum exiſtimationis faſtigium nunquam Chymica adſcendiſſet. Artem hanc deſtillandi, & ſeparandi varias ac diverſas ſubſtantias, quæ Vino inſunt, mente concepit ac in votis habuit (*f*) *Galenus*, qui ſcripſit, *ſe pericula omnia ſubiturum, ſi quam machinam, aut artem invenire poſſet, ſicut in lacte, contrariarum partium ſeparationis, ita in hoc quoque.* Ego igitur, quotieſcumque hujuſmodi Artifices curandos habeo, ſi ex prædictis affectibus decumbant, ſeu cum in illorum Officinas pedem immiſi, ſuaſor ſum ut à Vino, eò magis à Vini ſpiritu, abſtineant, ac prorſus abſtemii fiant, per totum illud tempus ſaltem, quo tali miniſterio operam ſuam locarint; ſicuti ut quantum poſſunt ab halitibus, qui è Vino exſpirant, faciem avertant, eamque frigidâ identidem perfundant, nec non ut à ſuis ergaſteriis, ad auram liberiorem captandam interdum pedem efferant. Ubi verò actu decumbere cogantur, opere dimiſſo, ea remedia præſcribenda, quæ ad temulentiam & affectus temulentiam comitantes curandos adhiberi ſolent, quâ de re conſulantur Auctores, ac præcipuè inter cæteros (*g*) *Etmullerus*; talia autem ſunt v. g. Acetum, Caſtorium, Spiritus Salis Armoniaci præcipuè; nihil enim eſt quod efficaciùs vitia, ex Vini abuſu contracta emendet, quàm id, quod de ſpiritu volatili urinoſo participet.

Multa quoque recenſet *Plinius* ad ebrietatem præcavendam, quæ vulgò ſatis perſpecta

(*a*) 15. Met. (*b*) 3. Geor. (*c*) T. p. Pra. d. c. 3. (*d*) de fame læſa. (*e*) l. 14. H. N. c. 22. (*f*) l. 1. de ſimp. Me. fac. c. 17. (*g*) de Temul.

cta sunt, ut amygdalæ amaræ, brassica, & dulcia ferè omnia, quibus recentiores multa addidere, qualia sunt, quæ *Platerus* in sua Praxi Medica longa enarratione ad tædium usque proponit; popularium enim suorum conditionem misertus, cùm scribat tanquam civile quoddam introductum fuisse, in conviviis poculis certare, prolixam remediorum ab ebrietate præservantium seriem recensèt, ut Absinthium, Rutam, lac, pulmones animalium assos, poscam, poma acida, tum composita medicamenta, ut Electuaria, ac varias mixturas, quæ priùs sumptæ ab ebrietate præservent.

Operariis id genus, quibus tam conquisitis remediis, ob ipsorum miseram conditionem uti non datur, simplicia potiùs, ac facilè parabilia remedia erunt ex usu, ut Brassica, cujus, per tot secula commendatur virtus, ad ebrietatem tum præcavendam, tum sanandam, Raphanus, Aqua aceto diluta, quam *Platerus* ebrietatis antidotum appellat.

De Pistorum & Molitorum Morbis.

CAPUT XXI.

Multas esse Artes (quibus Ars Medica annumeranda) *quæ illis, quibus earum cognitio contingit, multum laboris ac molestiæ exhibent, illis verò qui earum usu indigent, jucundæ ac utiles exsistunt*, scripsit (*a*) *Hipp.* In hujusmodi Artium censu *Ars Pistoria* profectò collocanda est; quid enim hominum vitæ utilius, imò quid æquè necessarium, ac Panificium? Quodnam verò Opificium, magis incommodum, ac molestum suis Artificibus, veluti ex laboratâ Cerere? sive enim farinam cribrent, seu pinsant, ac pastam subigant, seu panem in furnis coquant, multis laboribus ac tædiis fatigantur, ideòque variis morbis conflictari solent. Pistores ut plurimùm nocturni sunt Artifices, dum enim cæteri diurno labore expediti somnum capessunt, ac vires detritas reficiunt, hi tota nocte exercentur, mox per totam ferè diem, tanquam Solifugæ, sommo indulgere coguntur, adeò ut in ipsâ Urbe habeamus Antipodes, contrario scilicet videndi genere degentes.

Surgite, jam vendit Pueris, jentacula Pistor. ajebat *Martialis*, nocte scilicet elaborata, & percocta: albescente enim die, ac urbanâ plebe ad consueta exercitia redeunte, Panis copiam paratam esse necesse est, alioquin seditionem moveret Venter. Quales enim turbas in magnis Urbibus excitarit interdum Panis deficientia, satis loquuntur historiæ, & nuper *Hispaniarum Regis Aula* hanc ob causam populares motus non parùm extimuit, hinc (*b*) *Juvenalis*, ad plebem in officio continendam, *Panem, & Circenses* commendabat, Annonæ scilicet abundantiam, & Spectacula.

Primùm ergo qui farinam à furfure cribratoriis machinis secernunt, saccos excutiunt, versant, ut ut faciem custodiant, non possunt tamen, quin, dum pro respirationis necessario usu, aërem hauriunt, volitantes farinæ particulas excipiant, quæ cum salivari succo fermentantur, & fauces non solùm, sed stomachum, & pulmones pastâ infarciunt; unde facili negotio tussiculosi fiunt, anhelosi, rauci, ac demum asthmatici, tracheâ, & pulmonaribus viis incrustatis, liberoque Aëris commercio impedito. Oculos quoque non parùm perstringunt, quæ iis hærent farinæ particulæ, ac lippitudinem non rarò inducunt.

Nullam ab hisce noxis præservatoriam cautionem, quam possim suggerere, habere me fateor; illorum consuetudinem fasciâ lineâ os sibi obvelandi commendo, ast id non satis est, quin unà cum aëre inspirato farinæ atomi pectoris penetralia irrepant. Morem

(*a*) De flat. n. 1. (*b*) Sat. 10.

hunc, Piſtores, ori ſudario obvoluto, capiſtrandi, perantiquum fuiſſe conſtat, uti apud (a) *Pignorium* in opere elegantiſſimo de Servis videre eſt, ubi auctoritas *Athenæi* affertur; id tamen non pietatis officio factum fuiſſe conſtat, ſed Sybaritico luxu, ne ſcilicet ſudor ex ore diſtillans influeret, aut ſubactam farinam halitus afflaret. Hiſce Operariis proderit, ſi aquâ faciem perfundant, ſi oxycrato fauces perſæpè colluant, ſi oxymellite utantur, ſi identidem purgationem aliquam inſtituant, aut cùm à reſpirandi difficultate premuntur, emeticum aliquod capiant, ut impactæ materiæ excutiantur, quo remedii genere, ex his nonnullos animam penè agentes, reſtitutos vidi.

Qui porrò paſtam manibus pinſunt, ſubigunt, ac in panem, & placentas efformant, coquunt, cùm ut plurimùm hypocauſtis, hyeme præſertim, ut panis benè fermentetur, opus ſuum perficiant, ubi è loco impensè calido ad aërem externum exeunt, ac domos ſuas repetunt, ad ſomnum captandum, facili negotio in magnas pororum cutis adſtrictiones incidunt, unde poſtea gravedines, raucedines, ac pectoris morbi, ut pleuritides, peripneumoniæ ſuboriantur; quibus affectibus, adeò popularibus, qualia remedia ſint adhibenda, nemo non novit. Non pauci tamen momenti erit noſſe, qualis fuerit cauſa occaſionalis; quare ad naturalem corporis perſpiratum reſtituendum, erit præcipue incumbendum, ægrum in calido conclavi detinendo, frictiones cum oleo adhibendo, intrinſecus verò ea, quæ diaphoreſim promoveant, in uſum revocando. Non ſine admiratione quidem in hiſce Operariis magis, quàm aliis hominibus, obſervavi, quòd graves Pleuritides, vel in ipſo morbi principio ſine ullâ ferè exſpuitione, liberali ſudore erumpente, judicentur; quod fit, ut reor, quia in hujuſmodi caſibus acuta febris, morbus primarius à lateris dolore comitatus, à cauſâ externâ, ſubitâ ſcilicet pororum cutis occluſione, ortum potiùs, quàm à pravo humorum apparatu duxerit; adeò ut Cutis ſpiraculis reſeratis, ac manante ſudore, ſolvatur febris unà cum dolore pleuritico; reſorptâ ſcilicet, quæ in pectus fluxerat materiâ, ac ceſſante ejuſdem fluxuræ rejectione; adeò refert, ex *Hippocratis* (b) monito in *Stymargi* famula *devenire ad occaſionem*, *& occaſionis initium*.

Interdum Piſtoribus inflari manus obſervavi, atque etiam unà dolere, omnibus autem hiſce Artificibus præter morem craſſeſcunt manus, quod evenit ob continuam paſtæ manuum preſſione ſubactionem, ſucco alibili ab arteriarum oſculis abundanter expreſſo, ibique detento, nec tam facilè ob fibrarum ſtricturam remeante. Artem autem ſuam facilè produnt Piſtores, dummodò manus oſtendant; nemo enim inter Mechanicos Operarios eſt, qui manus habeat craſſiores. *Exercitium ſiquidem, ut ait Avicenna, magnificat membrum*, quod in alio quoque miniſterio verum deprehenditur. Lotiones manuum ex lixivio, Vino albo generoſo, ac ſimilibus erunt ex uſu.

Aliud qnoque Piſtoribus malum accedit, omnes enim facilè videas Valgos fieri, h. e. ſuris extrorſum intortis, quales habent cancri, & lacerti; cùm enim in Ciſpadanâ, & Tranſpadanâ Regione pro more habeant ſuper ſolidam tabulam, ſeu tripodem tereti ligno figuræ conicæ tripodis capiti affixo, ut circumvolvi poſſit, cùm inquam pro more habeant, magnam paſtæ molem ſubditam prædicto ligno ex alto deducto, magnâ vi brachiorum & genibus quoque premere, alio interim paſtam verſante, contorquentur crura ad externa, cùm eâ in parte imbecillior ſit genuum articulatio. Huic malo nullum eſt remedium, nam licèt juvenes ſint, & robuſti, citò valgi fiunt, & progreſſu temporis claudi.

Inter Piſtores melior forſan conditio eorum eſt, qui Panem coquunt; etenim ſi ex nimio calore, dum Panem furnis indunt ac educunt, noxas non leves patiuntur, æſtate præſertim dum toti ſudore diffluunt, non parùm tamen à panis calentis odore reficiuntur;

(a) l. 2. (b) 4. in 2 Epid.

tur; Panis enim recens victum analepticum suggerit, ac solo odore spiritus exhilarat, ut de *Sale volatili Plantarum* notat (*a*) *Wedelius*, & in suâ Physicâ subterraneâ (*b*) *Becherus*, qui virtuti perlarum confortativæ panis odorem præponit.

Hujusmodi Artificum genus frequentiùs quàm reliquos Operarios ægrotare observavi, in populosis Civitatibus præsertim, ubi minori impendio, ac lubentiùs Plebecula panem emit, quàm sibi illum domi conficiat, secùs quàm fieri solet in parvis Oppidis ac Villis, in quibus sibi quilibet Pinsor est. *Romanos* quoque ab Urbe conditâ usque ad annum DXXX. Pistores non habuisse, cùm *Quirites* ipsi sibi panem domi conficerent, idque opus esset pistricum, tradit (*c*) *Plinius*; postmodùm verò Urbe populosissimâ factâ, pistorium opus per publicos Servos inductum. Ubi ergo hujusmodi Artifices curandi occurrant, ex quocunque morbo ægrotent, non parùm conducet ad affectiones, quibus ex Artis conditione sunt obnoxii, animum diligenter advertere.

Frugum quoque Molitores, quos ex farinæ volatu semper candidatos esse necessum est, in eodem albo describere non abs re arbitror; frugum enim in tenuissimum pollinem tritarum volitantes particulæ, totum Molendini spatium implent, quare velint, nolint, os, nares, oculos, aures & totum corpus farinâ conspersum gestant: ex his itaque non paucos asthmaticos factos, ac tandem in Hydropem lapsos observavi. Hernioси quoque fieri solent, dum frumenti ac farinæ saccos humeris gestant, disrupto aut laxato peritonæo; quia verò diu noctuque inter rotarum & Molarum strepitum, ac ex alto cadentium aquarum sonitum degunt, omnes ut plurimùm surdastri sunt, aurium Tympano ab objecto fortiori, quàm par sit, assiduè verberato, ac è tono suo dejecto.

Observatione dignum est, quòd Molitores, sicuti & Pistores, phtiriasi, hoc est pediculari morbo ut plurimùm laborent, adeò, ut vulgus pediculos per jocum, pulices albos Molitorum appellet. Num id contingat, quòd hujusmodi Operarii sordibus ferè semper involuti sint, ac rarò vestibus exuti somnum capiant, seu quòd farinæ mixtura cum cutaneis sordibus talium animalcularum fœturæ multùm conferat, non satis liquet; certum est tamen omnes ferè Molitores hujusmodi satellitio armatos, semper incedere, idque si *Danieli Heinsio* notum fuisset, profectò in elegantissimâ suâ Oratione *de laudibus Pediculi ad conscriptos Mendicorum Patres*, Molitoribus dignum locum concessisset.

Gravioribus sanè morbis antiquitùs, quàm hac nostrâ ætate, tales Operarii exercebantur. Non enim hasce machinas ad fruges in farinam terendas habebant veteres, quales nos habemus, aquæ ministerio per incile delabentis, & ingentes rotas versantis, quamvis apud (*d*) *Palladium* Scriptorem antiquum aliqua sit mentio de frugum triturâ aquæ beneficio; loco enim citato scribit, *quòd si aquæ copia sit, fusuram Balnearum debeant Pistores suscipere, ut ibi formatis aquariis molis, sive animalium, sive hominum labore, frumenta frangantur.* Pistrinis antiquitùs utebantur, ut frumentum molerent, quorum usus nunc est ad tundendas, & fruges suis membranis seu spoliandas, seu frangendas. Quare non solùm à Jumentis, sed etiam ab hominibus, servis, ac mulieribus circumagebantur molæ; unde nomen traxere molæ trusatiles, cùm totis viribus in gyrum truderentur; alicujus sceleris rei propterea ad Pistrinum vincti, pœnali opere reducebantur; sic apud *Plautum* nil magis frequens ac Servis magis ominosum, quàm Pistrini nomen, *L. Apulejus* se Asinum factum *velata facie molæ adstrictum fuisse*, ait, *ut caloans vestigia sua incerto errore vagaretur. Sampsonem* quoque à *Philistæis* excæcatum ad versandam molam (quam trusatilem profectò fuisse credendum est) ex sacris Codicibus habemus; servis autem huic operi addictis, ne à vertigine infestarentur, oculos fodere consueverant.

Opus ergo laboriosissimum istud erat, cui servi

(*a*) c. 4. (*b*) l. 1. (*c*) l. 14. H. N. c. 11. (*d*) l. 1. c. 42.

ſervi & Ancillæ addicebantur, & quod hujuſmodi Operarios citò conficeret, graviſſimis morbis illos enecando. (a) *Job* idcircò inter alias imprecationes pro miſeriarum complemento, hanc quoque recenſuit: *Molat*, inquit, *alteri Uxor mea, ideſt ut Vatablus, ac alii Interpretes exponunt*, fiat vilis Ancilla; quamvis non deſint, qui dictum iſtud ad turpia detorqueant, de quo vid. (b) *Auguſtinus Pfeiferus* de antiquitatibus Hebraicis. Apud *Romanos* quoque magnus erat Piſtrinorum numerus, & quælibet Romanæ Urbis regio determinatum Piſtrinorum numerum habebat, quem notat *P. Victor* de Urbis Regionibus. Poſtquam autem ubique ferè locorum, ſi aquæ copia ſuppetat, molæ aquariæ ad meliorem uſum ſunt redactæ, nullus alius eſt Piſtrinorum uſus, quàm ad tundenda, ſeu findenda grana; hinc, ſublato per Chriſtianam Religionem ſervitutis jugo, non tam grave & aſperum eſt molitorium opus, nec adeò morborum ferax, ut priſcis temporibus. Eadem ergo Molitoribus, ac Piſtoribus curatio adhibenda, ubi à volatili farinâ per os exceptâ læſio contigerit; quòd ſi à ponderum geſtatione hernioſi fiant, ſubligaculo utantur, quod etiam ad hujuſmodi affectum præcavendum geſtare poſſent, uti ipſis ſuaſor eſſe ſoleo.

Ad animatam verò pediculorum peſtem abigendam, primò mundities erit procuranda, ac indumenta crebrò mutanda; commendantur in ſpecie lotiones ex decoctione Abſinthii fol. perſici, centauriæ, ſtaphyſagriæ, lupinorum; furfur aceto mixtum à *Q. Sereno* pro tali morbo celebratur; præ cæteris verò multæ ſunt efficaciæ linimenta, quibus aliquid mercurii ſalivâ exſtincti fuerit admixtum; commoda quoque ſunt in hanc rem lintea, quibus Aurifabri utuntur in detergendis Vaſis poſt deaurationem.

(a) cap. 31. (b) cap. 1. de Molend. Hebr.

De Morbis eorum, qui Amylum conficiunt.

CAPUT XXII.

NOn vulgares quoque ſunt noxæ, quas pati coguntur, qui circa *Amylum* parandum exercentur; ſatis vulgatus eſt modus illud conficiendi, nullaque ferè eſt mulierecula, quæ illum ignoret, perfrequens enim eſt Amyli uſus ad lineas veſtes, & collaria dealbanda. In hiſce Regionibus Monialium eſt opificium, quod poſtea Pharmacopolis, aliiſque divendunt. Æſtate igitur, cum Amylum parare volunt, triticum in aquâ ad germinationem uſque maceratum in marmoreis vaſis reponunt; aliquis deinde ex illorum ſervis triticum ſic emollitum, nudis pedibus terit, non ſecus ac cum vindemiæ tempore, premuntur Uvæ; quamvis autem ſub dio id faciant, tam gravis tamen eſt odor, qui ex ſpumante illâ materiâ exhalat, ut qui pedibus eam premit, ac ſuperſtat, nec non Servulæ, quæ manibus materiam illam preſſam colligunt, ut inde ſuccum Sole exſiccandum eliciant, de capitis dolore valdè conquerantur, nec non de gravi reſpirandi difficultate, tuſſi moleſtiſſimâ, ut opus aliquando cogantur intermittere, ni ſuffocationis periculum ſubire velint. Id ego perſæpè obſervavi, ac revera mihi intolerandus ille odor videbatur, qui neſcio quid acidi penetrantiſſimi redolere viſus eſt. Acidum enim volatile, quo Triticum turget, ob fermentationem in motum concitum, à reliquarum partium conſortio ſecedere, & in auras magnâ ex parte evolare, arbitrari licet; hanc ob cauſam Capitis dolores, Dyſpnœam, tuſſim excitare aptum eſt; nihil enim molli Pulmonum texturæ, ac membranoſis partibus eſt magis hoſtile, quàm acida exhalatio, qualis eſt fumus ex Sulphure, aliiſque acorem ſpirantibus.

Hoſce Operarios monere ſoleo, ut in aprico, & quantùm poſſunt, in ampliori ſpatio, non in concluſis locis, opus hujuſmodi perficiant.

ficiant. Quoties verò gravem aliquam noxam exinde contraxerint, oleum amygdal. dulcium, emulsiones seminum melonum, ptisana hordeacea, haustus vini generosi, odor spiritus Salis armoniaci, Aquæ theriacales fuerunt ex usu.

Hujusmodi occasione lubet paululum Amyli naturam, ac indolem penitiùs perscrutari, quam suspicari licet aliam forsan esse, quàm quæ à *Medicis* passim statuitur. Unanimi ferè, cùm veterum, tum recentiorum consensu, supponitur, Amylum acres humores temperandi, fluxiones sistendi, ulcera sanandi vi pollere. (a) *Plinius* in sanguinis rejectione, in vesicæ dolore, Amylum commendat. *Galenus* in ventris profluvio, in asperæ arteriæ inflammationibus, oculorum lacrymatione, ac ubi opus sit, partes ulceratas mollire, & lævigare, multis laudibus Amylum extollit. *Valesc.* (b) de Sacrâ Philosophiâ factum *Elisæi* exponens, qui farinam conjiciendo in Ollam, ubi cocta fuerat colocynthis, amarorem correxit, Amylum ad dysenteriam sanandam, & quamcumque acrimoniam hebetandam, cæteris remediis præfert; hoc idem sentiunt quicumque de Amylo scripsere.

Hæc opinio mihi quoque sat probabilis semper visa est, non solùm quòd Amylum sit ad gustum res fatua, ac prorsus saporis expers, adeò ut tanquam egregium acris materiæ absorptivum, & prædictis affectibus maximè accommodum credi possit, sed quia persuasum haberem, in illius præparatione quidquid acrimoniæ, & acoris frugi fermentatæ in auras exspirasse, ac dum radiis solaribus æstivis exsiccandum apponitur, aqueum humorem acredinis participem absumptum fuisse; nam, ut ait (c) *Gorræus*, *sub ardentissimo sole est exsiccandum, ne si paulisper madidum relinquatur, acorem contrahat;* ast Mulierum observatio Amyli naturam non parùm suspectam mihi reddidit, ut illius candori non multùm sit fidendum. Cùm in hisce Regionibus satis frequens sit Amyli usus in cunctis ferè domibus, ac præsertim apud Religiosos Ordines, ad vestes dealbandas, & solidandas, ut variis plicaturis elegantiores reddantur; observant passim mulieres, quæ in hoc ministerio præstant, quòd ubi Tunicæ lineæ ad aliquod tempus, Amylo sic imbutæ perstiterint, observant inquam, quod cito arrodantur; quare ut id præcaveant, ubi nigrescere cœperint, illas aquâ simplici eluunt, Amylum detergendo, sicque illas asservant, donec suo tempore Lotricibus à sordibus expurgandas tradant. Hujusmodi observatio Amylo non levem inesse acrimoniam absconditam, & quæ ad gustum non tam facilè se prodat, abundè testatur; etenim si Amylum ad aliquod tempus Tunicas, Collaria, & quodcumque ex lino contextum opus arrodit, quâ fide igitur in morbis pectoris, in faucium asperitate, in Dysenteriis, ac ubi mollire opus sit, ut ait (d) *Galenus*, tam confidenter illud exhibebimus? *Plinius* (e) ipse, licet in his affectibus, ut paulò ante dictum, illud commendarit, suspectam tamen esse illius naturam prodidit. *Amylum* (inquit ille) *hebetat oculos, & gulæ inutilis est, contra quam creditur.* Laudanda certè in hac re est quarumdam Mulierum observatio, quæ, ne Amylum tam facilè arrodat, gummi arabicum illi permiscent.

Non pauca certè exsistere credendum est, quorum usus communis est, sed quia sensim, ac tacito pede noxias suas inferunt, innoxia putantur, donec casus aliquis occultam pravitatem ostendat; sic in genere alimentorum multa facilè videntur in stomacho concoqui, quæ in Venis pravos succos postmodum relinquunt; hinc scitè (f) *Avicenna*. *Ille*, inquit, *in quo mala digeruntur nutrientia, ob hoc non decipiatur, quoniam post dies in ipso mali generabuntur humores ægritudinem facientes, & pernecantes;* quod idem scripsit (g) *Galenus*, dum Alimentorum facultates examinaret. *Nobis enim non advertentibus, pravus succus post longum tempus in venis colligitur; qui postea exiguam ad putredinem occasionem nactus, febres malignas accendit;* inquit ille.

(a) lib. 22. c. 25. H. N. (b) de Sim. Med. fac. 2. de Comp. Med. 2 loc. (c) c. 36. (d) Defin. Med. (e) l. 22. c. 5. H. N. l. 22. c. 25. (f) 3. p. Do. 2. c. 6. (g) 2. de Alim. fac. c. 6.

De Morbis, quibus Frugum Cribratores, & Menſores vexari ſolent.

CAPUT XXIII.

FRuges omnes, ac præcipuè Triticum, ſive in Puteis, & Scrobibus, veluti mos eſt in *Hetruriâ*, reconditæ, ſive in Horreis, & ſub Domorum tectis, ut in totâ *Ciſpadanâ*, & *Tranſpadanâ regione*, pulverem ſubtiliſſimum ſemper admixtum habent, non ex eo ſolùm, quem ex areâ ob trituram referant, ſed alium pejoris notæ, quem eædem fruges, cùm diù aſſervantur, ex ſemetipſis dimittunt. Siquidem cùm multo Sale volatili ſemina cerealia turgeant, adeò ut, ſi non benè ad Soles æſtivos exſiccata recondantur, ſummè incaleſcant, ac in pulverem quàm citiſſimè fatiſcant, ex iis ſemper tenues particulæ ex cortice, quo veſtiuntur, decedunt; quibus accedit pulvis reſiduus, & caries ex frugum conſumptione, quam faciunt Tineæ, Teredines, Curculiones, aliæque frugum peſtes, & illarum excrementa. Hinc quoties frumentum, aliaſque fruges ad molendum cribrare neceſſe ſit, vel metiri, cùm à rei annonariæ negotiatoribus huc, & illuc convehuntur, Cribratores, & Menſores ab ejuſmodi pulvere adeò graviter infeſtari ſolent, ut opere peracto, Artem hujuſmodi mille diris ejurare conſueſcant. Fauces, Pulmones, Oculi labem non parvam perſentiunt; fauces enim illo pulvere replentur, & exareſcunt, Pulmonares fiſtulæ pulverulentâ materiâ incruſtantur, unde tuſſis ſicca ac ferina ſubſequitur; Oculi pariter valdè rubent ac plorant. Sic omnes ferè, tum Cribratores, tum Menſores, qui ex tali Arte victitant, anheloſi ſunt, cachectici, ac rarò conſeneſcunt, quin facillimè in Orthopnœam, ac tandem in Hydropem decidunt. Talem porro acredinem habet is pulvis, ut pruritum ingentem per totum corpus excitet, qualis in Eſſeris interdum obſervatur.

Quare ex fruge tam benignâ, quale eſt Triticum, tam pernicioſus pulvis emanet, interdum admirans, ſuſpicari cœpi, latitare in illo pulvere Vermiculos, ſenſibus impervios, eoſque in cribratione, ac menſurâ frugum in motum cieri, ac per aërem diſpergi, qui poſtea, facilè cuti hærentes talem ardorem, ac pruritum per univerſum corpus poſſint excitare. Celeberrimus (*a*) *Ant. Leuvenhœck* ſuis Microſcopiis tradit, ſe in frumento quoſdam Vermiculos obſervaſſe, quos, nec ineptè, luposappellat; verminoſam itaque progeniem eam eſſe, quæ hoſce Operarios tam graviter infeſtet, ſat probabiliter credi poterit.

Non minùs quoque admiratione dignum, qnomodo ex Tritico, ubi diù in loco concluſo, veluti in locis ſubterraneis, uti mos eſt in Hetruriâ, aſſervatum fuerit, tam noxia exhalatio elevetur, ut ſatis ſit ad necandum, ſi quis in dicta loca pedem immittat ad frumentum eximendum, niſi priùs permittatur, ut reſerato oſtio pernicialis aura pauliſper exſpiret. Hanc ob cauſam putat (*b*) *Zacchia*, non ſolùm prohiberi poſſe vicinos, ne tales frumentarios puteos conſtruant, ſed etiam cogi, ut conſtructos deſtruant; monetque Civitatum ſalubritati magis proſpici, ſi tales putei apricis in locis, quàm longè ab incolarum habitatione conſtruantur. Sapienter ſanè *Lucenſis Reſp.* pro more habet, uti accepi, quotannis, Auguſto menſe, frumentum è publicis horreis eductum, & cribratum ſolaribus radiis per aliquot dies exponere, ac poſtmodum in priorem locum recondere, quo pacto ad plures annos à teredine, & corruptione, frumenta ſua publicum in bonum præſervant.

Cur autem Triticum magis quàm aliæ fruges, pulverulentum fiat, ac minus longævum, quærit (*c*) *Theophraſtus*, & cauſam refert in horrea, opere tectorio lævigata, calce nempè & arenâ illita; Sic enim ait, *triticum plus caloris ſentire, ac pulverem calidum, & ſic-*

(*a*) Arc. Nat. Ep. 71. (*b*) Quæſt. Med. leg. l. 5. Tit. 4. Q. 7. (*c*) l. 4. c. 17. de hiſt. Plant.

& ſiccum, calciſque illinimentum calorem fovere, hancque ob cauſam putreſcere, ac in pulverem diſſolvi, quam rationem haud quaquam approbat *J. C. Scaliger* in hujus loci commento; ea enim, quæ calida ſunt, & ſicca, inquit ille, tantùm abeſt, ut ad putredinem diſponant, ut potiùs ab illâ præſervent. Putat ergo, pulverulentum triticum fieri, eò, quòd acervatum ſufficientem non habeat tranſpiratum, *quod enim ſuffocatum eſt, fervet ac putret*, ait ille; at ratio iſthæc non planè ſatisfacit; obſervatione etenim ſatis compertum eſt, frumentum, ſi tamen ſiccum, & benè cuſtoditum in horreis fuerit repoſitum, diutiùs conſervari, ſi multum ſit, atque confertum, & nunquam agitetur. Facilem ergo Tritici in pulverem fatiſcentiam, ac illius minorem longævitatem, quàm cæterarum frugum, ex copiâ partium volatilium, quibus ad turgentiam ſaturatum eſt, nec non à laxiori ejuſdem texturâ lubet deducere.

Multæ in hanc rem curioſæ quæſtiones examinandæ occurrerent, ni vererer, ne à propoſito (quod mihi procul dubio objectum iri exiſtimo) nimis longè digredi poſſem. Diſquiſitione profectò dignum eſſet; quare Lolium, quod probabiliter eſſe creditur degener Tritici Soboles, quando ob ingentes vernales pluvias triticum in Lolium degenerat, ſicuti nuperis annis experti fuimus; quare inquam Lolium ad viginti ac ampliùs annos integrum & incorruptum ſervetur, Triticum verò vix quartum annum pertingat, quin ferè totum in pulverem abeat; An quòd Lolium compactæ ac durioris ſubſtantiæ ſit, quàm Triticum, cùm verè Lolium, ſi frangatur & conteratur, manifeſtè ſolidiùs deprehendatur, quàm ob cauſam cæteræ fruges, ut fabæ, ciceres, viciæ durabiliores ſunt? An potiùs quòd Tineæ ac Teredines ob amarorem, & ingratum alimentum, quod præſtat Lolium, illud averſentur?

Cùm annis elapſis ob carbuncularem morbum, quo in his regionibus laborarunt fruges, neceſſe fuerit Triticum aquâ purâ in magnis vaſis diligenter abluere, ac ad ſolis radios exſiccare, obſervavi, niveum candorem Pani ex frumento ſic loto conciliari; quare etiam ſi frumentum ſanum ſit, non inutilem diligentiam fore crediderim, illud, antequam ad Molendinum deferatur, diligenter abluere & exſiccare. Pro more equidem habent hujuſmodi Operarii ſtrophiolis fauces, ac nares obvelare, ne à pulvere ſuffocentur, ac perſæpè frigidâ fauces, & oculos abluere, veſteſque excutere: at neque ſic cavendo ſatis cavent.

Commodum certè iis eſſet balneis uti ad abluendas pulvereas ſordes, quæ cuti unà cum ſudore inhæſerint, ſed ob illorum deſuetudinem ac obſoletum uſum tam grandi beneficio carent miſeri Artifices. Neque enim credendum eſt, à priſcis illis Urbium, & Legum Conditoribus, tantâ impensâ ac magnificentiâ, non ſolùm in magnis Civitatibus, ſed Oppidis quoque publicas Thermas inſtitutas ad ſolùm luxum, ac delicias fœminarum, hominumque otioſorum, qui *crudum Pavonem in balnea ferent*, ſed in hominum exercitatorum, & Artificum commodum quoque, ut pauco ære, aquæ lavacro in iis ſordes, ac laſſitudinem deponerent, corpuſque laboribus confectum reficerent. Quare malè eveniat iis, qui rem tam bellam infamaverunt; cùm enim mille flagitia in balneis promiſcuis perpetrarentur, illorum uſum à Chriſtianâ pietate ſublatum conſtat.

Hujuſmodi Artifices ergo à frugum carie male mulctari ſolitos, monere ſoleo, ut ptiſanis emulſionibus ſeminum melonum, ſero vaccino, malvarum decoctione frequenter utantur; ſic enim ulceroſi pulveris diluitur acrimonia. Cæterùm quando ex Aſthmate, aliiſque affectibus prædictis laborant, ea remedia adhibenda, quæ iiſdem magis conveniant, ſeu ſi ex aliis decumbant, ſolidâ cautelâ utendum, oculo ſcilicet ad partem imbecilliorem ſemper intento, ne totus morbi impetus in eam præceps feratur.

De Lapicidarum Morbis.

CAPUT XXIV.

NOn contemnendi quoque ſunt morboſi affectus, quibus Lapicidæ, Statuarii, Latomi, ac id genus Operarii, conflictari ſolent. Dum enim in ſubterraneis marmora è rupe diſcindunt, ſecant, ſcalpris incidunt, ut ſtatuæ & alia Opera effingantur, ramenta aſpera, aculeata, anguloſa, quæ reſiliunt, inſpirando perſæpe hauriunt; unde à tuſſi infeſtari ſolent, ac ex iis nonnulli aſthmaticas paſſiones contrahunt, ac tabidi fiunt. His accedit vapor metallicus ex marmore, tophis, ac lapidibus exhalans, qui nares, ac cerebrum manifeſtè percellit; ſic Lithotomos qui circa Lydium lapidem exercentur à gravi odore, qui jugiter exſpirat, tum capite, tum ſtomacho, malè habere, ajunt, ut ad vomendum interdum compellantur; hinc in horum Artificum diſſectis cadaveribus inventi ſunt Pulmones, exiguis calculis oppleti. Satis curioſum eſt id, quod refert (*a*) *Diemerbrœkius* de variis Lapicidis ex Aſthmate mortuis, quorum corpora, ait, ſe diſſecuiſſe, atque in illorum Pulmonibus arenæ acervos reperiſſe, ut dum pulmonares veſiculas cultro diſcinderet, ſibi videretur arenoſum corpus ſecare; ibidem quoque refert à Magiſtro lapicidâ ſibi relatum, quòd dum lapides incideret, tam ſubtilis pulvis aſſurgeret, ut bubulas veſicas in Officinâ pendentes permearet, adeò ut unius anni curriculo, in ventre veſicæ manipulum unum illius pulveris repererit, quem pulverem illum eſſe ajebat, qui Lapicidas parùm cautos, ad interitum paulatim deduceret.

Lapides quoque in horum Artificum Ventriculo, ac inteſtinis inventos eſſe, paſſim loquuntur medicæ hiſtoriæ; neque alia cauſa materialis excogitari poteſt, præter pulvereas particulas per os ſuſceptas, & paulatim congeſtas, de quo videatur *Olaus Borrichius* de generatione lapidum in Microcoſmo; non enim ſemper à cauſis internis ac ſuccis lapidificis gigni in noſtris corporibus calculoſam progeniem credendum eſt, quin etiam aliquando, innoxiis viſceribus, extrinſecùs hæc peſtis adveniat. Calculi ortum à causâ externâ annotavit (*b*) *Wedelius* in cujuſdam Calcarii Ancillâ; in cujus Pulmonibus inventum eſſe calculum refert, à calcis particulis, ut ipſe exiſtimat, per os hauſtis genitum.

In Ventre Boum, ac Inteſtinis, lapides perſæpè reperiri frequens eſt Lanionum obſervatio, quæ (*c*) *Ariſtotelis* opinionem evertit aſſerentis, nullum Animal, homine excepto, calculo affici, niſi forſan *Ariſtotelem* de Renum calculo ſolùm locutum velimus. Hoc idem in Equis annotavit (*d*) *Scaliger*, qui ait Equum egeſſiſſe tophos duriſſimos, quorum unum ipſe aſſervabat. De calculis Equorum, quos *Hippolitos* appellant, ac illorum virtutibus, multa apud Auctores leguntur ſcripta, penes quos ſit fides. A veritate non multùm aberrari crediderim, ſi putemus in Bobus, & Equis, dum per Æſtatem, linguis exſertis, per vias pulverulentas & glareoſas currus trahunt, in illorum Ventriculis, à pulvere ac ramentis per os abſorptis, generari calculos.

Purgationes per alvum, & vomitiones hiſce Artificibus erunt opportuniora remedia, ad exturbandas nempè noxias illas particulas, quæ ſtomacho, ac inteſtinis inſederint, & in grandiores calculos per novam materiæ aggeſtionem tranſire valeant; ſicuti monendi erunt, ut quantùm poſſunt, cauti ſint, ne minuta illa fragmina per os hauriant.

(*a*) l. 2. An. c. 13. (*b*) Pathol. Dog. Se. 2. c. 4. (*c*) Sect. 10. Prob. 40. (*d*) Exer. 123.

De

De Lotricum Morbis.

CAPUT XXV.

NOn rarò mihi contigit Lotrices ægrotantes invisere ex variis affectibus è suo opere contractis. Hæ mulieres cùm semper humidis in locis degant, manusque & pedes aquâ humentes habeant, cachecticæ fiunt, ac in hujusmodi opere si consenescant, ad hydropem transeunt, quales ex his non paucas observavi; menstruorum quoque paucitate, ut plurimùm laborant, unde malorum Ilias prodire consuevit; neque id adeò mirum est. Etenim si observatio satis frequens est, multas mulieres menstruas purgationes habentes, nudis pedibus incedendo, seu crura, ac pedes frigidâ abluendo, subitâ mensium suppressione detineri, multò magis Lotricibus, quæ ex hac Arte sibi quæstum procurant, id evenit; hujus causa est aër humidus, in quo assiduè degunt, & balneatio continua, quâ illarum corpora rorantia sunt; Cutis enim pori obstruuntur, unde perexigua diffiatio, ac transpiratus, quare tota cruoris massa crassis succis infarcitur; hinc cachexiæ, Mensium suppressiones, & quæ his succedunt mala.

Aliis quoque calamitatibus succumbunt Lotrices, dum enim ex bulliente lixivio, cui interdum cinerum loco calcem addunt, fumantes vapores captant, tussi primò, mox Dyspnœâ tentari solent. Apud (a) *Gregorium Horstium*, ex *Boneto*, historia memoratur famulæ cujusdam, quæ dum capite in ahenum lixivio plenum ad linteamina mundanda ore prono fumum exciperet, magnâ pectoris angustiâ correpta est, quæ ad septennium obstinatè perstitit, donec tandem suffocata interiit; Cadavere aperto repertus est Pulmo lividus, & in illius bronchiis nigræ caruncu-læ aëri liberum commeatum prohibentes inventæ sunt. Lixiviales ergo fumi, quos non possunt non haurire, naturalem Pulmonum structuram vitiare apti sunt, eosdem plus, quàm par est, exsiccando, & ad munus suum absolvendum ineptos reddendo.

His addendum, quòd dum linteamina, ac indusia mille sordibus fœda, ut scabiosorum hominum, gallicâ lue inquinatorum, menstruatarum mulierum, abluunt, omnigenam gravium halituum miscellam ore ac naribus excipiunt, ex quibus cerebrum, ac spiritus animales inquinantur. Fissuras præterea in manibus ob lixivii acrimoniam pati solent adeò graves, ut manuum inflammatio unà cum febre, aliquandò subsequatur.

Ut hisce mulieribus, quæ munditiem præstant, Ars Medica gratificetur, videndum quomodò à prædictis affectibus præservari queant; illas ego hortari soleo, ut opere peracto, vestibus humidis abjectis, siccas induant, in quo certè negligentiores sunt; frictionibus utantur, faciem à fumo ferventis lixivii, quantum possunt, avertant, manus unguento rosato, vel Butyro persæpè inungant, à cibis crassi succi caveant, aliisque eratis in victu. Cum verò actu ex aliquo morbo, ut febribus, catharris, decumbere coguntur, purgantia validiora exhibenda, ut crassi humores deturbentur; stibiata quoque ex usu erunt, nisi acutus sit morbus, sicuti remedia deobstruentia, & naturalem calorem roborantia convenient, qualia in cachecticis adhiberi solent.

(a) Sepul. T. 1. l. 2. Sc. 1.

De Morbis, quibus Lini, Cannabis, ac ſericearum Placentarum Carminatores tentari ſolent.

CAPUT XXVI.

VEſtium ac Alimentorum eadem ferè eſt neceſſitas, quæ in ipſis mundi primordiis ſatis apparuit, cùm primævi noſtri Parentes poſt gratiæ chlamydem amiſſam angebantur, ut nuditatem ſuam operirent. Multa nobis ſuppeditavit Parens Natura, ut ab aëris injuriis noſtra corpora muniremus, veluti lanam, linum, cannabem, goſſypium, quibus addi quoque poterit ſericum, quo certè carere poſſemus, cùm ad fœminarum, ac virorum quoque velanda potiùs, quàm operienda corpora ſit inventum. Cùm hæc ut plurimùm indumentorum ſint materia, non levia ſunt incommoda, quæ ſentiunt ii, qui circa ea præparanda operam ſuam impendunt. Quàm noxia ſit cannabis ac lini maceratio autumnali tempore, cùm infeſtus odor ac graviter lædens ſatis longè percipiatur, nihil notius; haud ſecus, qui linum, & cannabem pectunt, ut neri poſſit ac Textoribus tradi pro telis conficiendis, malè vexantur. Pulvis enim teter, ac noxius ex hac materia evolat, ut per os fauces, Pulmones ſubiens, Operarios ad continuam tuſſim compellat, ac ad aſthmaticam paſſionem ſenſim deducat.

E *Galliæ* regionibus *Italiæ* finitimis cannabis Carminatores turmatim per totam *Ciſpadanam*, & *Tranſpadanam regionem* ſub hyemis initium diſpergi conſueſcunt, quando noſtri Artifices Artem hanc cannabem pectendi adeò benè non callent. Ac profectò homines id genus viſere eſt cannabino pulvere ſemper obductos, colore faciei pallido, tuſſiculoſos, aſthmaticos ac lippos; præterea cùm exerceantur ut plurimùm in locis concluſis, ob hyemis aſperitatem, quo tempore magis in hoc opere occupati ſunt, non poſſunt, quin dum cannabem unguinibus valdè perunctam pectunt, fœdas particulas per os excipiant, ſicque inquinatis ſpiritibus, & reſpirationis organis infarctis, graves affectus ſuboriantur. His accedit, quòd cannabis ac linum, cum in aquis ſtagnantibus ac putridis macerentur, ac cœno obruantur, ut infra aquam demerſa promptiùs ad neceſſariam macerationem deveniant, particulæ illæ, quas Carminatores hauriunt, non niſi virulentæ ſunt, ac humanæ naturæ prorſus hoſtiles. In lino pectendo graviùs, quàm cannabe affici ſe ajunt, forſan quòd pulvis ſubtilior eſt, ac faciliùs partes ſpirituales ſubeat, illaſque ad excutiendam rem noxiam magis irritet.

Peſſimè porrò habent, qui ſericeas quaſdam placentas, à ſerici fabrica reſiduas pectunt, ut ſtamen quoddam inde conficiant varios ad uſus pro urbanâ gente, utpotè minoris pretii, quam ſericum. Etenim dum Bombycum folliculi, aquâ calente macerati, à noſtris mulieribus (quibus ſolis id muneris demandatum eſt, quaſi ſolùm in illorum gratiam Sericum Natura condiderit) evolvuntur, & in tenuiſſima fila ſuper alabra explicantur, ab hoc opere filamenta quædam craſſa ſuperſunt, quibus portiones aliquæ de Bombycum cadaveribus permixtæ ſunt, ſicque placentæ quædam conficiuntur, quæ ad Solem exſiccantur, & ſuis Artificibus traduntur, ut minutis pectinibus ſtamen educant. Qui ergo dictas placentas pectunt, ferina tuſſi unà cum magna reſpirandi difficultate infeſtari ſolent, paucique ex iis Operariis in hac arte conſeneſcunt; tota verò virulentia in hujus materiæ elaboratione, è particulis illis cadaveroſis Bombycum, quæ hujuſmodi placentis permixtæ ſunt, ortum ducit. Obſervatione dignum eſt, quòd parvi hujus inſecti excrementa, quando vivit, ac Mori foliis paſcitur, ſi per aliquot dies acervatim projecta, in aliquo loco hæſerint, donec putreſcant, tam gravem odorem poſtmodùm commota exhalant, ut totam viciniam inficiant; quare in aliquibus Civitatibus edicto caveri ſolet,

ſolet, ne in publicos vicos tales ſordes projiciantur, ſed extra Urbis pomœria aſportentur.

Habet ergo Inſectum hoc, ut multa alia ejuſdem generis, veluti Bruchi, & Erucæ, quæ ad inſtar Bombycum integras Sylvas interdum depaſcuntur, & in folliculis ſe recondunt, neſcio quid pravum, & corroſivam acrimoniam, pulmonibus infeſtam. Novi in hac Civitate integram familiam, quæ ex hac Arte non paucas opes ſibi compararat, miſerè obiiſſe, tabe confectam, & hujuſce calamitatis culpam in Artem, cui erant perpetuò addicti, à *Medicis* fuiſſe rejectam.

Lacteam diætam hiſce Artificibus maximè commendare ſoleo, ut quâ nil ſit efficacius, ad corroſivam & ulcerantem acrimoniam retundendam. Juſcula quoque ex Malvæ, Violarum, Endiviæ decoctione, ſive ſucci depurati ex iiſdem herbis, erunt ex uſu; ſeu ſi ſentiant ſe graviter lædi, aliunde ſibi victum quæritent, cùm peſſimum ſit lucrum, quod ſanitatem, rem adeò pretioſam peſſundat.

De Balneatorum Morbis.

CAPUT XXVII.

INter publica Ædificia, quibus *Romana Civitas* ad luxum uſque eminebat, nil publicis Thermis magnificentius olim viſebatur, ac qualis eſſet illarum magnitudo, ex earundem Cadaveribus, ac reliquiis ſemiſepultis ſatis etiamnum dignoſcitur. Neque ſolùm *Romæ*, ſed in aliis quoque Civitatibus, in privatis Ædibus, in Villis ipſis, Balnea conſpiciebantur, ſummâ impensâ conſtructa, adeò ut ſeveriſſimus morum Cenſor, (a) *Seneca*, luxum hunc Romanorum Civium carpens, ſcripſerit, *Pauperem ac ſordidum ſibi videri, niſi parietes magnis, & pretioſis orbibus refulgerent, niſi alexandrina marmora numidicis cruſtis diſtincta eſſent, niſi vitro abſconderentur cameræ, niſi aquam argentea Epiſtomia funderent.* Jam obſolevit Thermarum uſus, ac penè modum ignoraremus, quo Balneis *Medici* ipſi utebantur, nec non vocabula ipſa, ſtructuram, ac tot alia ſcitu digna, niſi *And. Baccius* in Opere ſuo laudatiſſimo de Thermis, *Mercuralis* in ſuâ Gymnaſticâ, *Sigonius* noſter de Jure Antiq. Rom. Thermarum hiſtoriam è tenebris eruiſſent, & abſolviſſent. Cùm in popularium gratiam itaque ab Imperatoribus conſtructa eſſent Balnea, & quælibet Urbis Regio publicas Thermas haberet, ut, cùm luberet, quod quotidiè fieri ſolebat, cum Viri, tum fœminæ parvo ſumptu lavarentur, dum quilibet poſſet, *quadrante lavari*, ut ait (b) *Juvenalis*, & Pueri gratis lavarentur, ut ex eodem Satyrico habemus,

Nec pueri credunt, niſi, qui nondum ære lavantur,

innumerabilem profectò credendum eſt fuiſſe Servorum, ac Servarum turbam promiſcuam, quæ continuò in Thermis pro hujuſmodi miniſterio diu noctuque immoraretur, quos *Balneatores*, ſeu *Aquariolos* appellabant. Hanc igitur Operariorum turbam Enhydrobiam, in locis humidis concameratis degentem, & corporibus lavandis intentam, modò in Calidario, modò in Tepidario, modò in Frigidario ſudoribus, ſordibus, Unguentis quoque, quibus erant delibuti, depilandis occupatam; hos Aquariolos, inquam, credere licet variis ægritudinibus obnoxios fuiſſe, ut Cachexiæ, crurum Tumoribus, Ulceribus, Inflationibus, ac Anaſarcæ. Ex *Lucilii* carmine, quæ agerentur ab hujuſmodi miniſtris, dum corpora eorum, qui Balnea adibant, curarent, ſatis apparet.

Scabor, ſupellor, deſquammor, pumicor, ornor, expilor, pingor.

Quamvis jamdudum obſoleverit antiquus Balnea-

(a) Ep. 86. (b) Sat. 2.

Balnearum uſus, ſeu quòd Gymnaſticæ exercitationes & ipſæ obſoleverint, in quarum gratiam Balnea videbantur exſtructa, ſeu quòd Veteres, ut nonnulli credunt, Induſiorum, ac Interularum linearum uſum non haberent, ac ſolùm laneis veſtibus uterentur, ideòque ad ſordes abſtergendas, illis neceſſaria foret frequens lavatio; adhuc tamen in Urbe, & populoſis Civitatibus, aliqua perſtant Balnearum veſtigia, ad valetudinariorum uſum, quamvis etiam nonnulli pro decoratione, & munditie per æſtatem Balnea aquarum dulcium adire ſoleant. Noſtrâ hac ætate, qui infectiones aliquas cutaneas habent, ut ſcabiem, pſoram, gallicam luem, Balnea iſta, & Hypocauſta adeunt, ubi Balneatores aquâ tepidâ ipſos ritè abluunt, ac ſæpè parvas cucurbitulas ſcarificatas toti corpori apponunt, ſanguinem ſatis liberaliter educendo, ſicque lotos, perfrictos, & minutatim interciſos, domum dimittunt, idque perſæpè, tum ægri, tum Balneatores ſine *Medici* conſilio agunt; quod num benè, ipſi viderint; profectò mihi non rarò contigit, nonnullos ex his videre, qui conſultò talem curationis formam in ſemetipſis tentarint, in ſummum diſcrimen perductos, & ob nimiam ſanguinis copiam cucurbitulis extractam ferè exanimatos, cùm interdum ad 3. vel 4. libras ſanguinem educant. Opinio enim apud nonnullos obtinuit, ſanguinem cutaneum notæ longè inferioris eſſe ab illo, qui è Venis majoribus educitur, quaſi ſanguis per cucurbitulas eductus floridior non eſſet (inciſis quippe arteriolis capillaribus) quàm ſanguis inciſæ Venæ, qui atrior ſemper apparet. Iſti ergo Balneatores huic Arti addicti, quantùm obſervare licuit, pallidi ſunt, luridi, ſubtumidi, cachectici, ac interdum ab iis morbis corripiuntur, à quibus cæteros ſanare contendunt.

Ne cum tædio ea repetantur, quæ ſuperiùs ſunt dicta, ad cachexiam, & conſimiles affectus curandos, hic nihil aliud adjiciam, muneri meo ſatisfactum putans, ſi ſolùm innuam, quibus affectibus præter naturam, hic, vel ille *Artifex* premi ſoleat. Non enim in hoc meo Opuſculo mens eſt integros Morborum Tractatus & abſolutas ex aſſe curationes, cum magnâ formularum ſupellectile, conſcribere, ſed tantùm Clinicæ Profeſſoribus monita quædam pro feliciori Artificum curatione ſuggerere.

De Morbis eorum, qui in Salinis operantur.

CAPUT XXVIII.

SCitè quidem & eleganter ſcripſit (a) *Plinius*, nihil Sole & Sale utilius; addi poteſt, nihil eſſe magis neceſſarium. Salis neceſſitatem ad humanos uſus prævidens Natura, ſeu *Divinus Opifex*, in ipſis Mundi primordiis Mare Salis Promocondum conſtituit, ex quo per ſubterraneos ductus aqua ad ſummos uſque montes eveheretur, unde poſtea aquæ ſalſæ fontes, & ſcaturigines emanarent. Hinc Sal foſſile, & nativum variis in locis habetur, ſponte Sale concreſcente, dum aqua illa ſalſa præterfluit; niſi putemus in ipsâ Mundi fabricâ *Deum* Salis montes condidiſſe. Sal factitium, & cujus magis communis eſt uſus, ex aquâ marinâ habetur, quæ à maris æſtu in foſſas quaſdam, & areas deducta, per æſtatem ab urenti Sole exſiccatur, copioſè in fundo reſidente Sale.

Hiſce regionibus, ac toti penè Italiæ magnam Salis factitii copiam ſuppeditat Cervia Civitas ad Maris Adriatici littus poſita, Ravennatenſi Eccleſiæ olim immediatè ſubdita. Libenter equidem Urbem illam adiiſſem, verùm tantum otii à meis occupationibus impetrare non potui. Curavi itaque, ut per literas ſcirem, id quod optabam, quod humaniſſimè præſtitit D. *Joſeph Lanzonius Ferrarienſis*, Medicinæ Profeſſor Clariſſ. At non tam

(a) l. 31. c. 9 H. N.

tam opportunè ejuſdem literæ ſunt delatæ, ut caput iſtud referre poſſem inter eos Artifices, qui circa mineralia operantur. Ex literis igitur à *Medico* in ipſa Civitate Cerviæ Medicinam faciente ſcriptis, ſcire licuit; in illa Civitate, ac illius Salinis, Aërem ſpiritibus corroſivis eſſe adeò ſaturatum, ut ferrum arrodat, quod paulatim, ceræ ad inſtar emolleſcit, ac in pulverem fatiſcit. Operarios verò omnes fere Cachecticos eſſe, Hydropicos, & ſordidas plagas in cruribus geſtare. Eoſdem quoque ſummè voraces eſſe, & bibaces, ut nunquam ſaturentur; hinc perſæpè iis Operariis repentinæ mortes fiunt, modum illos curandi varium inibi eſſe, prout varii ac diverſi *Medici* eò ſunt crebrò conducti; perexiguum tandem eſſe remediis locum, in acutis ſaltem, qui ſoporoſos affectus ſemper comites habent, idque propter Salis copiam, ſeu montes ipſos Salis, quos ſummâ admiratione ſe conſpexiſſe, ait F. *Leander Albertus* in ejus Civitatis deſcriptione. Credibile eſt magnam ſpiritus Salis copiam elevari, qui totum aërem illum ad ſaturitatem acido corroſivo impleat, ut Martem arrodat, nec non in Operariis illis ſanguinis indolem, quæ dulcis, & benigna eſſe debet, ad ſummum acorem diſponat; hinc poſtea Cachexiæ, Hydropes, crurum Ulcera, quæ ex ſui natura à luxuriante acido foventur, ortum habeant.

Cauſam porrò tantæ appetentiæ ac edacitatis, quaſi Bulimo laborent, in eundem Salis acidum ſpiritum ſtomachi fermentum acuentem, rationabiliter fas eſt referre. Caninam appetentiam, quam Vino ſolvi ſcripſit (*a*) *Hippocrates* in Aphoriſmis, ab acido præternaturali in ventriculo ſtabulante progigni, Veteres quoque cognovere; quâ de causâ Vina generoſa, & meraca ad talem affectum præſcribebant, nec non pinguia edulia, & quæcumque alia, quæ ex multo parantur oleo, ut in commento hippocratici Effati expoſuit *Galenus*, ut quæ apta eſſent acidum ſtomachi fermentum infringere, ac dulcificare, eò modo, quo acidi ſpiritus, Vini ſpiritu dulcificari ſolent. Bibacitatis cauſam pariter referre licet in ſalſas exhalationes, ſeu in ſeroſam colluviem, quâ ſcatent, & ad hydropiſim ſunt diſpoſiti, cùm ſitis perpetua Hydropicos comitetur.

Num revera tam graves affectus ex ſolo Salis ſpiritu, quem unà cum aëre inſpirato Operarii combibunt, an verò ex aliis cauſis, ut ex aëre alioquin parùm ſalubri, cum Civitas in hoc peſſimè audiat, mihi non ſatis compertum. Ex relatione mihi communicatâ, ab incolis Urbem illam penè deſertam eſſe habeo, ideòque ex ſummorum Pontificum privilegio, eidem Civitati conſenſum, ut ex quacumque regione Exſules, ibi tutum Aſylum habeant, & ære alieno obſtricti, qui hanc Civitatem pro domicilio ſibi delegerint, ad debiti ſolutionem non poſſint cogi, verùm ad debitum Naturæ perſolvendum facillimè adigi ſolent. Profectò multis aliis in locis, ubi Sal conficitur, non tam graves noxas patiuntur Operarii, ut ſola acidi ſpiritus exhalatio culpari poſſit. *Urbs Veneta*, *Adriaci Maris Regina*, populoſiſſima eſt, & quamvis à marinis exhalationibus ſit circumſepta, ſatis tamen ſalubri Cœlo fruitur, quâ de re videatur Opus elegantiſſimum *D. Lodovici Teſti* Venetiis Medicinæ Profeſſoris Celeberrimi. In Agro Placentino Putei ſunt aquæ ſalſæ, ex quâ decoctâ Sal elicitur, & cum portione aliquâ bubuli ſanguinis granulatur, nec Operarios, qui complures ſunt (cùm inter magnos proventus Ducalis Cameræ Salis fabrica cenſeatur) tam graviter affici accepi.

Rem valdè operoſam eſſe Salis fabricam, ut tam graves affectus Operariis, non ſolùm ex materia, quam tractant, ſed ex laboribus etiam, quos ſubſtinent, ſubſequi, ſit ſatis probabile. Quibus ærumnis expoſiti ſint hujuſmodi Artifices videre eſt apud (*b*) *Georgium Agricolam*, qui multus eſt in hac re, & non ſolùm diverſa artificia pro aquis Salſis coquendis, ſeu aquâ maris ſalsâ in areas corrivanda, ſed Miniſtros quoque operantes deſcribit, quos ait ob nimium Officinarum calorem,

(*a*) 2. Aph. 22. (*b*) l. 12. de re met.

lorem, capita tantummodò pileis ſtramineis, & verenda ſubligaculis tegere, cætera nudos eſſe. Quare & ab ignis vehementiâ, & æſtivis caloribus, aliiſque ærumnis vexari ſolent.

Non ibo tamen inficias, quin Opificium hujuſmodi Operariis ſuis non ſit admodum infeſtum; obſervo etenim, quòd in Cameris, ubi Sal *Cerviâ* ad nos advectum reponitur, ut poſtea per totam Eſtenſem Ditionem diſtribuatur, parietes ſemiroſi ſunt, ita ut inter lateres rimæ veluti quædam exſtent, quod marini Salis ſpiritui eſurino adſcribendum, qui Alkali calcis præſertim aggrediatur, ac illo ſaturetur, ſicuti fit, quando in confectione Salis Placentini, ob admixtionem ſanguinis, vel fellis bubuli, acidum Salis ſanguinis alkali arripit, unde ſequitur granulatio. Sic obſervare licet eos, qui in Tabernis publicis continuò morantur, ut Sal divendant, ut plurimùm decolores, & lubricæ valetudinis eſſe.

Miſeram profectò horum Artificum conditionem eſſe pronunciare licet; etenim, cùm Sal ut plurimùm, in *Italiâ* ſaltem in locis maritimis, ubi maris aqua in foſſis & areis concluſa reſtagnat, atque ob id aërem inquinat, ac non tam facilè ſit *Medicos* reperire, qui hujuſmodi in locis Medicinam exercere velint, perſæpè infelices Operarii acutis morbis correpti citiſſimè, remediis deſtituti pereunt, vel lentâ ægritudine contabeſcunt. Rationi tamen congruum, ut *Medici* in hæc loca conducti, in curandis hiſce Operariis valdè cauti ſint, præſertim in venæ ſectione præſcribendâ; ſanguine etenim à ſalſis exhalationibus depravato, ac ad diacriſim prono, facilè, ſectâ venâ, ſubſequentur exſolutiones, & morborum in pejorem ſtatum lapſus. Purgationes potiùs, eæque fortiores, videntur magis propriæ, ut quæ ſeroſam colluviem valeant educere, & alkali, quo omnia ferè purgantia præpollent, acidam humorum diatheſim temperare. Vina generoſa, aromata, & quæcumque Sale volatili prædita ſunt, Tabacum maſticatum, & Decocta ipſa ex Tabaci foliis; ſummatim, quæcumque acorem ſanguinis infringere apta ſunt, in uſum erunt revocanda. Modus, quo Salis ſpiritus communiter ſolet dulcificari, ſpiritu nempe Vini rectificato, pro regulâ veluti Polycleti eſſe poterit, ut ſciri poſſit, quonam remedii genere in hiſce Artificibus curandis ſit utendum.

De Morbis, quibus tentari ſolent Statarii Artifices.

CAPUT XXIX.

HActenus de iis Artificibus, quibus ob materiæ pravitatem, quam tractant, morbi contingunt; modò ad alios Artifices, quibus aliis ex cauſis, veluti ſitu quodam membrorum, ac motionibus corporis incongruis, morboſi affectus ſuccreſcunt, dum operantur, quales ſunt Artifices tota die ſtantes, ſedentes, proni, incurvi, currentes, equitantes, vel quomodolibet ſua corpora exercentes, lubet divertere. Primò ergo Statarii Artifices in Scenam prodibunt, ut Fabri lignarii, dolantes, ſecantes, Sculptores, Fabri ferrarii, Murarii, aliique, quos hic non referam, ne nimis longam Operariorum nomenclaturam inſtituam. Artes ergo Statariæ ſuos Artifices Varicibus potiſſimùm obnoxios habent; ob motum enim tonicum muſculorum, tum fluentis, tum refluentis ſanguinis curſus retardatur, unde in crurum venis ac valvulis reſtagnat, ac tumeſcentias illas efficit, quas Varices appellant. Muſculorum diſtentio quantum valeat ad ſanguinis naturalem motum remorandum, cuilibet facilè eſt in ſemetipſo experiri, proprium pulſum in brachio diſtento obſervando, quem valdè exilem deprehendet. Diſtentis ergo crurum, & lumborum muſcularibus fibris, comprimuntur arteriæ deorſum tendentes: quare arctato ſpatio, non eo impetu, ut ſolent in deambulantibus, ex alternâ

nâ muſculorum actione, ſanguinem protrudunt. Hinc ſanguis, qui ex arteriis in venas remigrat, vim neceſſariam ab arteriarum appulſu non obtinet, ut ſurſùm per lineam perpendicularem adſcendat, idcirco ſuo impulſore à tergo deſtitutus inibi ſubſiſtit, & Varices in cruribus efficit. Sic (*a*) *Juvenalis* de Haruſpice (cùm id genus hominibus mos eſſet diu ſtare, ad Extiſpicia intentis)

varicoſus fiet Haruſpex.

Olim diù ſtare, ac tam firmo talo, ut vix quis dimoveri poſſet, exercitii genus erat, & Romanæ militiæ peculiare, veluti in ſuâ Gymnaſticâ tradit doctiſſimus (*b*) *Mercurialis*, ubi ait, ſatis probabili conjecturâ *C. Marium* varicoſum factum, eò quòd, ut fortiſſimum Ducem decebat, ſtare in acie conſueviſſet. Sic *Veſpaſianus*, *Suetonio* referente, dicere ſolebat, Imperatorem ſtantem mori debere. Propterea *C. Marius*, utpote ſtationi aſſuetus in uno crurum ſtando, ſibi Varices exſcindi paſſus eſt. *Poëtarum Princeps* quoque, (*c*) *Æneam* deſcribit ſtantem, dum illi lapis Medicus ſagittam infixam ſtuderet evellere.

Stabat acerba fremens ingentem nixus in haſtam
Æneas

Admiratione dignum eſt quod *A. Gellius* refert de (*d*) *Socrate*, *qui ſtare ſolitus dicitur*, *pertinaci ſtatu perdius*, *atque pernox*, *à ſummo lucis ortu*, *ad ſolem alterum orientem*, *inconnivens*, *immobilis*, *iiſdem in veſtigiis*, *& ore*, *atque oculis eundem in locum directis*, *cogitabundus*, *tanquam quodam ſeceſſu mentis atque animi facto à corpore.*

Ulcera quoque in cruribus, articulorum imbecillitatem, nephriticas paſſiones, ſanguinis mictum, ſtatariæ Artes ſolent inferre. Servos in Aulis Principum (nobiles quoque, ut in *Aulâ Regum Hiſpaniæ*, in quâ nulla ſunt ſedilia) non paucos obſervavi valde conquerentes de Renum dolore, nullamque aliam cauſam, quàm continuam ſtationem ipſimet, nec malè, agnoſcunt; corpore enim in ſitu erecto ſtante, lumbarium muſculorum fibras intentas eſſe neceſſum eſt, ac Renes neceſſariò in conſenſum trahi, ut non tam liberè curſum naturalem peragat ſanguis, nec à ſanguine ſerum ſecernatur, unde poſtea prædicti affectus ſubſequantur.

Stomachi quoque imbecillitas Statariam comitatur; in ſtantibus enim & in figurâ erectâ ſtomachus neceſſariò penſilis eſt, non ſic autem in ſeſſili vitâ, & figurâ inflexâ, in qua ventriculus inteſtinis incumbit; hinc quoties ſtomachi paſſione aliqua laboramus, totum corpus ad anteriora inflectimus, ac genua, & crura contrahimus. Obſervatio doctiſſimi (*e*) *Bacconis* eſt, damnatos ad remiges, licet tot ærumnis expoſitos, ſatis pingues eſſe, & boni habitus; eò quia ſedentes remigent, & artus magis quàm abdomen, & ſtomachum exerceant, quod etiam in Textoribus obſervatur, qui manus ac pedes eodem tempore exercent; partibus autem externis motis, & internis quieſcentibus, pinguiora fiunt, & habitiora corpora, quàm in ſtatione, ac deambulatione, quibus laſſitudo facilè ſubſequitur.

Quare autem tanta defatigatio ſtationem, licet non adeò diuturnam ſequatur, ſi conferatur cum deambulatione, & curſitatione, quamvis longâ, non indignum eſt diſquiſitione; communiter creditur, id fieri, ob motum tonicum muſculorum omnium antagoniſtarum, tum extenſorum, tum flexorum, qui ſtent in continuâ actione, ad hoc ut homo erectus perſtet; aſt opinionem hanc evertit Doctiſſimus (*f*) *Borellus*, qui demonſtrat retentionem brachii in directum, fieri ſine actione muſculorum flexorum, ſed per ſolam actionem extenſorum, idemque fieri in figura erecta hominis, ubi omnes flexores feriari ait, operantibus ſolùm extenſoribus. Rationem verò, cur ex ſtatione tanta fiat laſſitudo, idem ingenioſiſſimus Scriptor ex continuatâ corundem muſculorum actione deducit; Naturam enim ait alternâ, & interpolatâ actione gaudere, & recreari, atque hinc fieri, ut deambulatio non tantam inferat laſſitudinem, adeò ut ſtantes minus delaſſentur, ſi alternatim pedi uno inſiſtant,

(*a*) Sat. 6. (*b*) l. 6. c. 1. (*c*) l. 12. Æneï. (*d*) lib. 2. Noc. Att. c. 1. (*e*) Hiſt. Nat. Cent. 8. (*f*) de mot. Anima. Prop. 131.

ſtant; hunc Naturæ genium in Brutis animantibus obſervare eſt, ſicuti in Pullis, qui pedi uni aliquandò inſiſtunt, altero ſublato, ac in quadrupedibus, cùm interdum obſerventur Aſini, dum ſtare coguntur, alterum ex poſterioribus pedibus ſtapedi imponere.

Non ſolùm autem in corporis motionibus, grata eſt hæc alternatio, ſed in omnibus penè naturalibus functionibus. Etenim ſi fixo obtutu objectum aliquod ſpectemus, ſi eundem ſonum auribus percipiamus, ſi eædem epulæ in conviviis apponantur, ſi iidem odores nares pertingant, moleſtia percipitur; tam grata eſt Naturæ alternatio & viciſſitudo. Sic *Hebræi* in Deſerto cœleſti mannâ paſti Ægypti allia, & cæpas votis optabant, ſic ut ait *Horatius*; (a)

Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem.

Qui ergo Statariis Artibus addicti ſunt, quotieſcunque ſe offerat occaſio, monendi ſunt, ut cùm poſſunt, continuatam ſtationem interrumpant, vel paululùm ſedendo, vel deambulando, vel quomodolibet corpus movendo. Id genus hominibus ſalubria erunt ea, quæ laſſitudinem tollunt, & partium tonum reſtituunt, ut frictiones humidæ, fomenta, balnea. Pro Varicum verò curatione, Ulcerum, Renum, Herniarum, cæterorumque affectuum, conſulendi erunt Practici Auctores, qui de his ſcripſere; non enim mihi animus eſt curationes particulares morborum, ne actum agere videar, inſtituere, ſed Profeſſoribus in praxi provectis innuere, quibus affectibus obnoxii ſint Artifices.

(a) Art. Poë.

De Sedentariis Artificibus, ac illorum Morbis.

CAPUT XXX.

QUi porrò Sedentariam vitam degunt, *Sellularii Artifices* propterea dicti, veluti Sutores, & Sarcinatores, ſuos particulares morbos patiuntur. *Sutores* propriè dicuntur, qui calceos ſuunt, unde (a) *Martialis* de Sutore quodam, ad tantum divitiarum à fortuna evecto, ut ludum, hoc eſt gladiatorium Spectaculum, populo exhibuerit, ad Muſam converſus, ſic luſit.

Frange leves calamos, & ſcinde Thalia libellos,
Si dare Sutori calceus iſta poteſt.

Sarcinatores verò ſunt, qui veſtes ſuunt, utrumque tamen Artificum genus, & quotquot alii Artifices, cùm Viri, tum fœminæ, qui ſedendo opus aliquod moliuntur, ob vitam ſedentariam, & inflexam corporis figuram, dum totâ die ſedentes, in Sutrinis Opificiis ſuis incumbunt, curvi fiunt, gibboſi, obſtipo capite, quærentibus aliquid ſimiles. *Simitas* verò potiùs eſt, quàm vera gibboſitas; nam ſimitas æqualis eſt, in quâ dorſi vertebræ æqualiter extuberant; etenim cum nonniſi curvi opera ſua perficiant, fieri nequit, quin vertebrarum ligamenta extrorſum vergentia diſtrahantur, & calloſitatem aliquam contrahant, ob quam ad naturalem ſuum ſitum redire nequeant. *Simitatem* obſervavit (b) *Wedelius* in Sutore jam ſene, quam ſimitatem incurabilem ait fuiſſe ob neglectum in Juventute malum.

Sarcinatores autem dum veſtimenta conſuunt, cùm ferè ex neceſſitate crurum alterum ſuper femur inflexum cogantur detinere, crurum ſtupore, claudicatione, iſchiade, non rarò tentari ſolent; quare ſic (c) *Plautus*:

Pervigilat noctes totas, tum autem interdiu,
Quaſi claudus Sutor, domi ſedet totos dies.

Ridenda certè res eſt, Collegia iſthæc Sutorum, & Sarcinatorum aliquandò intueri, diebus quibuſdam feſtis ipſis ſolemnibus, cùm per Urbem ritè ac bini procedunt, ſeu cum aliquem ex ipſorum Collegio vitâ functum, ad Sepulchrum comitantur, ridenda res eſt inquam, agmen illud incurvum, gibboſum, claudicans, & modò in hanc, modò in

(a) l. 9. (b) Pathol. Dogm. Se. 1. cap. 1. (c) Aulul. Ac. 1.

in illam partem propendens conſpectare, quaſi omnes, datâ operâ, ad hujuſmodi ſpectaculum fuiſſent delecti.

Scabioſi quoque, decolores, ac mali habitus eſſe ſolent ſedentarii Artifices, Sarcinatores potiſſimùm, ac Mulieres, quæ ſuis in laribus die ac nocte, ut victum ſibi quæritent, acu operantur, hæc enim mala inexercitatos comitantur, nam vitium capit ſanguis, ni moveatur corpus; unde illius excrementa in cute reſtitant, & univerſus corporis habitus defœdatur. Alvum quoque molliorem habent, ſecùs quàm homines exercitati, quorum fæces paucæ ſunt, flavæ, duræ, ſicuti docuit (a) *Hippocrates*. Apud eundem (b) *Hippocratem* exſtat hiſtoria de *Cleotimo* Sutore, *cui alvo liquefacta multo tempore, & calore oborto, juxta Hepar tumor tuberculoſus ad imum ventrem deſcendit, & alvus liquefacta fiebat.* (c) Similiter alium deſcribit, qui in Sutrinâ decumbebat, & ſanguinem è naribus effudit, cui poſtmodùm ſeceſſus modici facti ſunt.

Malâ igitur intemperie, & multâ vitioſorum ſuccorum redundantiâ laborare ſolent hujuſmodi Artifices, ob vitam Sellulariam, quam degunt, ac præſertim Sutores. Non ſic tamen multi alii Artifices, qui ſedendo operantur, uti Figuli, Textores, qui brachia & pedes, totumque corpus exercent; ac propterea ſaniores ſunt, ut quibus ſanguinis impuritates faciliùs per hujuſmodi motum diſcutiantur. Omnes Sellularii Artifices lumborum dolore premi ſolent. Notum eſt *Plautinum* illud, *Lumbi ſedendo, Oculi ſpectando dolent.*

Quænam præſervatoriæ cautiones hiſce Artificibus præſcribi poſſint, quando cauſa occaſionalis perſtet, ac ſe, ſuamque familiam quotidiano victu ſuſtentandi neceſſitas urgeat, ego non video. Purgationes tamen vere, & autumno inſtitutæ id præſtabunt, ut tam ingens, non acervetur craſſorum humorum multitudo, ac rariùs ægrotent. Monendi quoque ſunt, ut feſtis ſaltem diebus, corpora exerceant, & plurium dierum ob vitam ſeſſilem damnum, alicujus dici utilitate aliquâ ex parte compenſent. Cùm autem actu in lectis decumbunt, ſive ob enarratos, ſeu alios affectus, humorum evacuatio molienda, ac partibus, quæ ex Artis miniſterio magis laborant attentè proſpiciendum, ad eas enim facilis eſt metaſtaſis. In hanc rem locus memoratu dignus eſt apud (d) *Hippocratem*, ubi duos Artifices deſcribit, *manu laborantes*, ut ipſe ait, quorum unus ſarmenta torquebat. Ambo cùm à tuſſi vexarentur, *dextera reſoluti ceſſaverunt à tuſſi*; ſubdit autem eos, *qui equitarunt, aut iter egerunt, in lumbis, ac femoribus reſolutos eſſe*; tam prona via eſt, ut humores ad eas partes confluant, quæ nimis exercitæ firmitatem ac robur amiſerint.

(a) Prorrh. (b) 7. Epid. n. 60. (c) 4. Epid. nu. 9. (d) 4. Epid. n. 27.

De Morbis Judæorum.

CAPUT XXXI.

Judæorum natio, cui nullam aliam ſimilem inter homines reperire eſt, ut quæ nullibi ſedem habet, & ubique gentium eſt, quæ otioſa ſimul, & negotioſa eſt, quæ neque arat neque occat, neque ſerit, metit tamen; hæc igitur natio, non tam vitio generis, ut vulgò creditur, ſeu ob pravum victum, quo utitur, quàm ob artes, quas exercet, variis morbis & ipſa exercetur. Putor etenim tanquam innatus, & endemius Judæis falsò adſcribitur; qui enim in plebe obſervatur, provenit, & quia ſint illi anguſtæ domus, & res anguſta domi; cùm enim Hieroſolymis degerent, ubi erat odorum copia, nitidos & benè olentes fuiſſe cenſendum eſt.

Omnes ferè itaque *Judæi*, ac plebs potiſſimùm, quæ majorem illorum conſtituit numerum, Sedentarias, ac Statarias artes exer-

cent. Sutrinæ etenim, & veſtium antiquarum reconcinnationi addicta eſt, multòque magis inter ipſos Fœminæ, tum puellæ, tum nuptæ, quæ acus miniſterio victum ſibi quærunt; illæ etenim neque nent, neque pectunt, neque texunt, neque ullam aliam Minervæ artem, quàm ſuendi, norunt. In hoc autem ita præſtant, ac excellunt, ut veſtes laneas, ſericeas, & cujuſcumque generis ita compingant, ut nullum futuræ veſtigium appareat; Romæ vocant *rinacciare*. Quare veſtibus laceris ex pluribus fruſtulis egregiè compactis popello incauto illudunt, ac tali mangonio victitant.

Opus id multam exigit oculorum intentionem, propterea Mulieres omnes Hebrææ, ſutorio operi intentæ totâ die, ac ad multam noctem, ad tenuiſſimum filum lucernulæ, ac languidulum lumen, quale habent ſepulchrales Lucernæ, non ſolùm omnia ſedentariæ vitæ incommoda ſubeunt, ſed etiam temporis progreſſu multâ viſus imbecillitate laborant, ut cùm 40. ferè annum attigerint, luſcioſæ, ac Myopes evadant. His accedit, quòd cùm in omnibus ferè Civitatibus Judæi malè habitent intra vicos anguſtos concluſi, ac Mulieres Hebrææ, quolibet Anni tempore, ad feneſtras apertas pro lumine captando conſiſtant, opus ſuum exercendo, fit ut illarum capita varias adſciſcant ægritudines, ut cephalalgias, aurium ac dentium dolores, gravedines, raucedines, lippitudines, unde plurimæ ex his, ſaltem è plebeculâ, ſurdaſtræ ſunt, lippæ, ut ſuperiùs de Sutoribus diximus.

Homines porrò in Tabernulis ſuis totâ die, aut ſedentes, veſtes conſarcinando, aut ſtantes obſervando, cui centones ſuos veteres divendant, omnes ferè cachectici ſunt, melancholici, tetrici, ac ut plurimùm ſcabioſi; pauci enim ſunt ex Hebræis etiam ditioribus, qui pruriginoſo aliquo affectu non laborent, adeò ut talis fœditas morbus ipſis gentilitius credatur, & quaſi hæreditarius, ut qui Elephanticæ labis, Judææ genti olim familiaris, tanquam ſoboles exiſtat.

Præter ſutorium opus, gens Hebræa pro more habet, ſaltem in Italiâ, Culcitras laneas, poſtquam ad annos aliquot in cubilibus, ob quotidianum cubatum, lanâ compreſsâ, duriores redditæ fuerint, illas reſarcire, lanam ſuper crates vimineas virgis verberando, & excutiendo, ſicque molliores culcitras pro faciliori cubatu reddere, quo miniſterio lucrum non parvum per Civitatis domos hinc inde referunt: verùm Lanam illam veterem multoties profectò permictam, & conſpurcatam, ſic excutiendo, & carminando, multum ſordidi pulveris per os hauriunt, unde graves noxas perſentiunt, tuſſim vehementem, dyſpnœam, & ſtomachi ſubverſionem. Multos ex his ego novi ab hujuſmodi exercitio malè mulctatos, ac ad tabem inſanabilem deductos, ipſiſmet fatentibus, ac Artem hujuſmodi tanquam ſui exitii cauſam exſecrantibus. Pulverem hunc, non tam exitialem ex lanâ veteraſcente, quàm ex impuritatibus è cubantium corporibus in ipsâ relictis eſſe crediderim. Nobis certè pro more eſt, ubi aliquis ex familiâ mortuus fuerit, & juſta illi fuerint perſoluta, Lotricibus Lintea, Induſia, & quidquid aliud ægritudinis tempore uſui fuerit, tradere repurganda, & emaculanda, nec non Judæum accerſere, qui culcitras laneas in aprico loco ritè excutiat, ac repurget; quare gens iſta, non ſecùs, ac Libitinarii, in hoc opere non poteſt, quin morticinum aliquod combibat, & eodem tempore Pulmones labem aliquam contrahant.

Ex lineis, & cannabinis veſtibus veteranis, longoque uſu attritis, aquâ remollitis, putrefactis, & contuſis, ut norunt omnes, Charta ſcriptoria conficitur, ingenioſo ſanè, ac admirando artificio, Veteribus incognito, qui pro ſcriptione, ceratis tabellis, membranis, ſeu papyro ex Ægypto advectâ utebantur. Gens ergo iſta quæ lucro inhians, pro more habet publicos proventus conducere (uti etiam antiquitùs, de quo (a) *Juvenalis*) ſpolia iſta, per Urbem vicatim clamitando, vili pretio emit & colligit, ut poſtquam ex iis

(a) Sat. 3.

iis ingentem maſſam collegerit, illam chartariis Artificibus divendat. Cùm ergo ad lares ſuos Judæi faſcibus iſtis coemptis onuſti redierint, ipſos diligenter evolvunt, ac advertunt, ne quid lanei, vel ſericei operis intermixtum ſit, id enim abjiciunt, tanquam inutile ad chartam conflandam (quamvis in Muſæo Septaliano Charta Chinenſis ex Serico conflata oſtendatur) poſtmodùm ex ejuſmodi ſordidis ſpoliis magnam ſtruem in Tabernis ſuis conficiunt. Mirum eſt autem, & vix credibile quàm teter halitus exſpiret, quotieſcumque Camarinam illam movent, & ſaccos ingentes implent, ut ad Chartariorum Officinas ſordida merx iſta deferatur.

Tuſſiculoſi ergo, anheloſi, nauſeabundi, vertiginoſi, in hujuſmodi opere fiunt. Quid enim ſordidius, quid magis abominandum excogitari poteſt, quàm ſordium omnium in unum collectus cumulus, ex hominum, mulierum, cadaverum, inquinatis ſpoliis, ut miſerandum non minùs, quàm horrendum ſpectaculum ſit, Currus hujuſmodi paupertatis, ac humanæ miſeriæ reliquiis onuſtos intueri.

Videndum itaque, quomodo genti huic ſuccurramus, ne tam malè ab Artibus ſuis afficiantur. Ego quidem iis, tum maribus, tum fœminis in opere ſutorio occupatis, nihil magis ſalutare cenſeo, ac magis commendo, quàm corporis exercitium, quo nihil præſtantius, ad obſtructiones expediendas, nativum calorem roborandum, coctiones perficiendas, tranſpiratum promovendum, & ſcabiem fugandam. Suſſurentur itaque, Mulieres præcipuè, quæ ſutorio operi ſunt intentæ, horas aliquot in valetudinis gratiam, ut corpus recreent, ac manus, & oculos de tabulâ, ut dici ſolet, ſemoveant, ne oculis captæ inertem poſtea, & miſerabilem vitam trahere cogantur. Purgationes iiſdem frequentes ex uſu erunt, ſed blandæ, ut ex electuario lenitivo, pillulis ex aloë, Rheobarbaro, & ſimilibus, ne tam magna humorum congeries, in illarum corporibus cumuletur; non ità verò V. S. iis ſalutarem eſſe veluti purgationem, mihi compertum eſt; facilè enim in iis exſolvuntur vires, ob ſanguinem ſpiritibus effœtum, & evanidum, præterid, quod illorum mentibus altè infixa hæret opinio (quæ tamen non multùm verò abludit) imbecillitati viſus, nihil magis pernicioſum, quàm V. S. Cauteria brachiis, vel femoribus facillimè admittunt, ac ſalubria deprehendunt, cùm Natura Emiſſarium habeat, per quod impuritates paulatim excernantur.

Iis porrò, qui attritis indumentis colligendis, ac culcitris repurgandis addicti ſunt, valentiora remedia præſcribenda, quæ particulas abſorptas per inferiora, vel ſuperiora, quod expeditius, educant. Stibiata propterea magis ex uſu erunt, nec non alexipharmaca, quæ virulentiam expugnent, veluti aceta Theriacalia, Theriaca ipſa, & ſimilia; Os etiam, dum operi intenti ſunt, oxycrato identidem colluendo, faciem pariter ac nares obvelando, ne atomi illæ volantes, corporis penetralia tam facilè ſubeant.

De Curſorum Morbis.

CAPUT XXXII.

PRiſcis temporibus, quibus *Ars Gymnaſtica* colebatur, inter cæteras exercitationes, non ſolùm propter gymnica certamina, ſed bellica quoque, numerabatur curſus; exercebantur enim in publicis Gymnaſiis Pueri, tum Ingenui, tum Servi, ac à Pædotribis ad curſum inſtruebantur, nam in ludis & publicis ſpectaculis Stadium currebant, ut coronam lucrarentur.

Hujuſmodi exercitii genere homines, ad prælium aptiores reddebantur, nimirum, veluti ajebat *Vegetius*, *ut majori impetu in hoſtes ruerent*, *ut loca opportuna celeriter occuparent*, *vel hoſtibus id facere volentibus præoccuparent*,

cuparent, ut fugientium terga faciliùs comprehenderent; quod exercitationis genus apud *Turcas* in hos fines, laudandâ disciplinâ in usu est, militiam suam ad celerem cursum assuefaciendo. (a) *Plato* fœminas quoque, in cursu exercendas volebat, ut ad militaria munia, & patrios lares tutandos suam operam præstarent. *Principes*, & *Imperatores*, non solùm (teste *Suetonio*) sed & nobiles *Romani* quoque suos Cursores habebant, quos *Pueros à pedibus* appellabant. Nostrâ hac ætate talium exercitationum obsolevit usus; *Principes* solùm, aut Viri Nobiles, Servos habent, quos *Lachè* appellant, quorum munus est Currum, ac Rhedas præire velociter currendo, seu interdum cùm literis locum aliquem adire, ac responsa ad suos Dominos magnâ pernicitate redeundo referre.

Id ergò hominum genus, à variis morbosis affectibus vexatur. Hernioſi ut plurimùm fiunt, & Asthmatici, quod infortunium etiam in Equis Cursoribus persæpè animadvertimus; Hæmoptoici quoque non rarò evadunt; Sic *Acanthio* Servus apud (b) *Plautum* ex nimio cursu cum Hero conquerens, penè confectus, ut vix halitum duceret, sic ajebat:

Tua causa rupi ramicem; jamdudum sputo sanguinem.

cui *Herus Chremes* respondens,

Resinam ex melle Ægyptiam vorato, sanum feceris.

En quomodò, antiquitùs quoque, resinacea in morbis pectoris commendabantur: Macilenti præterea fiunt, juncei, ac tanquam Canes Venatici, absumptis unà cum sudore partibus sanguinis spirituosioribus, ac simul lymphâ nutritiâ; Morbis quoque capitis vexari solent, unde (c) *Aristoteles* quærebat, qui fieret, ut cùm motus excrementa ad inferiora deturbare soleat, cursus velox capitis morbos accerseret; cujus rei (omissis iis, quæ à *Septalio*, *Guastavinio*, & aliis expositoribus dicta sunt) vera causa est, quòd in concitato cursu, pulmonares vesicæ inflentur, ac reduci sanguini per venam cavam supra Cor veluti remora injiciatur, ne tam liberè in vasa pneumonica influat, ex quo fiat, ut in capite necessariò restagnet, & graves morbos excitet, quod non evenit in cursu moderato, qui potiùs aptus est humores ad inferiora promovere.

Cursores præterea in acutos, & graves pectoris morbos persæpè incidunt, veluti Pleuritides, Peripneumonias; ventis enim, ac pluviis expositi, vestibusque levis armaturæ induti, cùm toti sudore diffluant, ac postmodùm perfrigerentur, cutis poris obstructis, non possunt quin exitialibus morbis corripiantur, ac præcipuè in partibus spiritalibus, quæ in cursu magis laborant, & incalescunt; Urinas quoque cruentas interdum mingunt, venulâ aliquâ in Renibus disruptâ, quam ob causam (d) *Celsus*, ubi renes fuerint malè affecti, cursum improbat. Hernioſi quoque facilè fiunt, peritonæo ob aërem nimis compressum & cohibitum disrupto vel dilatato; hinc (e) *Paulus Ægineta* scripsit, iis, qui bubones & rupturas habent, à cursu cavendum esse.

In cursu majorem esse aëris inspirationem, quàm exspirationem, pro certo est; ut vires enim ad cursum continuandum perstent, necesse est, ut Aër intra Thoracis caveam cohibeatur; laxatis enim per multam exspirationem Thoracis musculis, concidere experimur vires; inflato verò Thorace, Pulmonibusque distentis, musculorum, ac fibrarum totius corporis tonus firmatur. Si tamen cursus sit nimis concitatus, ac longus, multo Aëre oppletis Pulmonibus, Pulmonares vesicæ inflantur, & sanguini à dextro cordis sinu per vasa pneumonica transeunti, remora injicitur, arctatis quippe, & compressis ductibus; hinc vasorum ruptiones, & sanguinis rejectiones contingunt, quod etiam observat (f) *Galenus*. Ob eandem causam asthmaticæ passiones iisdem oboriuntur, tum primariæ, tum secundariæ, id est convulsivæ, acris seri nempè per musculos intercostales diffusione

(a) 2. de leg. (b) Menæ. Act. 1. (c) Sec. 5. Prob. 9. (d) l. 8. c. 4. (e) l. 3. c. 53. (f) 6. Epid. com. 2. & 7. Meth.

fusione factâ, ipsoque ad violentam contractionem cogente. *Enecat me spiritus, vix differo anhelitum*, ajebat (*a*) *Cursor* apud *Plautum*. Hinc fit, ut nostrorum temporum Cursores, ubi 40. Annum attigerint, ab hoc ministerio tanquam emeriti ad publica Nosocomia ablegentur. Mihi profectò Cursores nostri, quos passim videmus in Civitatibus anhelantes, præpeti cursu Dominorum suorum Rhedas anteire, mihi inquam, ejusdem conditionis esse videntur, ac illi, quos eleganter delineavit *Ælius Spartianus* in vitâ *Imperatoris Veri*, qui suorum Cursorum humeris alas aptarat, & variis ventorum nominibus appellabat; nostris enim, si non humeris, saltem pedibus, servilis necessitas addidit alas. Lubet autem hic Scriptoris referre verba. *Jam illa leviora, quòd Cursoribus suis, exemplo Cupidinum frequenter, alas addidit, eosque Ventorum nominibus sæpe vocitavit, Boream alium, alium Notum, item Aquilonem aut Circium, cæterisque nominibus appellans, & indefessè, atque inhumaniter faciens cursitare.*

Cursoribus etiam lien non rarò intumescit, laxa enim hujus visceris compages, ex nimis concitato motu, sanguinis plus excipit, quàm dimittat, undè serosus humor in illius cavitatibus restagnans, inflationem facit; Lienem propterea Cursoribus solitum antiquitùs inuri, quòd illis in cursu impedimento esset, scripsit *Plinius* (*b*) sic modò descriptus *Servus plautinus*:

Genua hunc Cursorem defecerunt,
Perii, seditionem facit lien.

Hæc igitur sunt Cursorum vitia, quæ porrò ipsimet multâ intemperantiâ, in victu, fovent, ac nutriunt. Ab Herniis facilè se præmunire poterunt subligaculo, antequam ab ejusmodi infortunio corripiantur, quod illis familiare est; extenuationem quoque, & carnium absumptionem reparare poterunt, non solùm victu humectante, sed mollibus, & oleosis frictionibus, ac Balneis, ubi otium illis suppetat; hisce remediis occurrent quoque cutis constipationibus, quibus post ingentes cursus, & sudationes obnoxii sunt. Identidem quoque venam secando, vasorum ruptiones, & sanguinis rejectiones præcavebunt, quod remedii genus, ubi ex gravi aliquo affectu decumbant, nequaquam omittendum. In Cursoribus enim nulla pars magis laborat, ac imbecillior fit, quàm Pulmones. *Labor articulis, carnibus cibus, somnus visceribus*; ajebat (*c*) *Hippocrates*. Motu enim, & cursu roborantur articuli, sicuti otio, & exercitationis intermissione langueſcunt, ac torpent; non sic autem Pulmones, qui in violento cursu incalescunt, & naturalem suum tonum amittunt.

Hisce remediis, ac monitis Cursorum incolumitati erit consulendum; at id genus hominum *Medicorum* consilia, & præsidia non exposcit, nisi cum actu decumbunt, seu ab aliquo ex dictis affectibus, ob cursale ministerium detinentur, quibus in casibus, non prorsus inutile erit nosse, quo exercitii genere utantur.

Cùm à viscerum, ac lienis potissimùm obstructione malè habent (iis remediis adhibitis, quæ infarctus expediunt, qualia sunt chalybeata) moderata ambulatio loco remedii erit; sic apud (*a*) *Plautum*, *Cappadox Leno* se quasi liene cinctum cum *Palinuro* conquerens; *Lien disruptum est*, ait, cui respondit alter; *Ambula, id lieni optimum est.*

(*a*) Menæch. Act. 1. (*b*) l. 11. c. 37. H. N. (*c*) 5. in 6. Epid. (*d*) Curcul. Act. 2. Sce. p.

De Morbis Equisonum.

CAPUT XXXIII.

IN eandem classem satis commodè referri possunt Equisones, qui in Hippodromis ad Equos perdomandos, & instruendos operam suam impendunt, nec non & Tabellarii, qui mutatis Equis propter publica negotia, & commercia literas huc & illuc deferunt; iis-

dem enim pene morbis teneri ſolent, ac paulò antè deſcripti Curſores. Hernioſi etenim facilè fiunt, Aſthmatici, ac præcipuè Iſchiadici, quem affectum Scytharum proprium eſſe ſcripſit (a) *Divinus Præceptor*, cùm vitam degerent in aſſiduâ equitatione, ac eandem ob cauſam infæcundos eſſe. Ruptionem quoque vaſorum pectoris inferre ſolet continua equitatio, uti annotat (b) *Ballonius*, ſicuti non parvam labem renibus, ut non rarò Equiſones ſanguinem mingant, ac aliquando lumborum reſolutionem patiantur. *Qui equitarunt, aut iter fecerunt, in lumbis, ac femoribus reſoluti ſunt*, verba ſunt (c) *Hippocratis*; fiſſuræ quoque in ano, & mariſcæ iiſdem oboriri ſolent, ac præcipuè cum equos ſuccuſſatores exercent, ac ſine ephippiis, ad quod morbi genus alludens (d) *Martialis* ſic luſit,

Stragula ſuccincti Venator ſume Veredi,
Nam ſolet à nudo ſurgere ficus Equo.

Memini Juvenem quendam, Hippodromi noſtri Equiſonem ſatis elegantem, olim me conveniſſe, qui multo cum pudore, multiſque proteſtationibus ſuæ honeſtatis, teſtes Superos vocando, mihi dixit ſe ad longum tempus ſycoſi in ano laborare, quem juſſi hilari animo eſſe, nec quicquam fœdi de illo me ſuſpicari, cùm id Artis, cui ſe addixerat, eſſet vitium.

In clunibus quoque, ac interfœmineo, iiſdem fieri ſolent ulcera diuturna, dyſepulotica, & calloſa, & varices in cruribus. In hanc rem pulcherrima hiſtoria exſtat apud (e) *Hippocratem*, quam hic referre lubet ex verſione Fœſii. *Qui ad Elealcis fontem habitabat ad ſex annos hippurin habuit, & inguinum tumorem, varicem, & diuturnas defluxiones in coxendicem, aut articulos.* Morbum igitur ex equitatione nimiâ contractum, hippurin vocat *Hippocrates*, ulcus calloſum nimirum in clunibus, veluti interpretatur *Valleſius*. En quot mala Equiſonibus, & cunctis, qui intemperanter nimis equitatione oblectantur, ſolent contingere. Horum omnium affectuum ætiologiam, reddere non arduum opus eſſet; valida enim concuſſio potis eſt univerſam totius corporis œconomiam, tam ſolidarum, quam fluidarum partium, evertere; omnia enim viſcera à vi,

Succuſſatoris tetri, tardique Caballi,

uti ait *Lucilius*, concutiuntur, ac à ſede ſuâ naturali penè dimoventur, ſicuti & tota maſſa ſanguinea ſuſque deque perturbatur, ac in naturali ſuo motu pervertitur; hinc defluxiones, ſeu ſeri ſtagnationes in articulos, vaſorum ruptiones in Pulmonibus, Renibus, Ulcera, & Varices in cruribus, ob retardatum ſanguinis refluxum, dum in iis præcipuè, qui Equos inſtituunt, femoris & crurum muſculos intentos eſſe neceſſum eſt, ne dejiciantur. Profectò ſi perpendamus, quanto virium niſu opus ſit, cùm quis Equo currenti inſidet, vel illum ad varios motus inſtruit, cùm totum ferè corpus in actione tonicâ, & magnâ muſculorum contentione detineatur, mirum non erit, ſi prædictis affectibus teneantur Equiſones.

Martianus egregius *Hippocratis* (f) Commentator locum quendam exponens, ubi *Divinus Præceptor* ſtatuit, qualem poteſtatem habeant in noſtri corporis ſtatu permutando curſus longi, curvi, ſenſim facti, reverſivi, circulares; rationem affert elegantiſſimam, quare circularis curſus tantoperè lædat, Equiſonum exemplo allato; hæc autem ſunt illius verba. *In circulari curſu corpus vehementiùs laborat, quia dum homo in orbem currit, corporis moles, & pondus, uni tantùm parti incumbens, eam mirum in modum aggravat, unde corpus vehementer defatigatur, & ideò, hoc curſus genus omnium maximè corpus extenuare poteſt. Quam quidem veritatem confirmabunt Equiſones, quandoquidem plus laborant Equi in hac indefiniti curſus exercitatione, unius horæ ſpatio quàm duarum in recto, circulareſque eos adeò enervant, ut nullus quamvis robuſtiſſimus Equus, dimidiatæ horæ ſpatio curſum circularem tolerare valeat.* Præcipua autem eorum, qui Equis perdomandis, ac inſtruendis addicti ſunt, cu-

(a) De Ac. Aq. & loc. (b) Defin. Med. p. 81. (c) 4. Epid. n. 17. (d) l. 14. 84. (e) 7. Epid. c. finem. (f) 2. de Dix. Verſ. 456.

cura ac diligentia in hoc versatur, ut in cursu circulari, & indefinito, ut illum appellat *Hippocrates*, Equos exerceant.

Infœcundos, & ad coitum impotentes fieri assiduè Equitantes, exemplo de Scythis allato, ex *Hippocrate* superiùs dictum, quod fieri credendum, eò quia lumborum, & partium genitalium robur, ex assiduâ illâ succussatione dissolvatur. Contrarium tamen visus est sensisse (a) *Aristoteles*, qui literis prodidit, Equitantes libibinosos esse, ob continuam pudendorum incalescentiam, & confricationem; quod equidem de moderatâ equitatione, & super gradarium, & tolutarium, Equum, est intelligendum. Magna ergo sunt incommoda, quæ hujusmodi exercitationis genus consequuntur, ac præsertim super Succussatorem, & Cursualem Equum, ut (b) *Cassiodori* vocabulo utar, qui Cursuales Equos eos appellabat, quibus utebantur Tabellarii, & nos vocamus (*Cavalli da posta*) quos *Theodoricus Rex* edicto vetuit, ne ultra centum libras onerarentur, absurdum quippe existimans, *ut à quo celeritas exigitur, ponderibus opprimeretur.*

Non ibo tamen inficias, quin multa quoque commoda ex moderatâ, & leni equitatione consequantur, ut interdum remedii loco sit, ad chronicos morbos profligandos; etenim commoda equitatio ex (c) *Hippocrate* calefacit, exsiccat, extenuat, & ab *Avicenna* ad exturbandos lapillos à Renibus, & urinam ciendam commendatur. Inter recentiores *Thomas Sydenham* ad Hepatis, ac lienis obstructiones expediendas, equitationem magnis laudibus extollit. Memini me Equisonem juvenem curandum habuisse, qui cùm ab acutâ febre evasisset, moxque lienosus factus, ad Hydropem propenderet, hortatu meo, cùm ad solitum ministerium, licet imbecillis ac luridus, rediisset, unius mensis spatio integræ valetudini est restitutus.

Ad Equisonum classem, referendi Aurigæ, quibus non exiguus labor est aurigandi munus, illis enim necesse est in assiduâ & tonicâ contentione, utriusque brachii musculos habere, ac utrâque manu lora fortiter detinere, ut Equos in officio contineant, nisi enim suo munere ritè fungantur, persæpè obvenit quod scripsit *Virgilius*,

Fertur Equis Auriga, neque audit currus habenas.

Priscis temporibus ad ludos, & spectacula in magnâ æstimatione erat aurigatio, ut Principes Viri id pro honore ducerent interdum; sic *Suetonio* teste *Nero* ipse aurigare, atque etiam spectari sæpiùs voluit, quod idem facere solitus *Caligula*, nullis, nisi ex Senatorio ordine aurigantibus. Nostris quoque temporibus non desunt Nobiles Viri, quibus currus benè regere, pro oblectamento sit.

Quòd verò curationem eorum Affectuum attinet, quibus Equisones ac Tabellarii teneri solent, Lectorem non adeò morabor; prostant enim apud Practicos hujusmodi curationes; quas quilibet adire poterit, ubi tales affectus sint curandi; id potissimum advertendo, ut causa occasionalis, amoveatur. Cautiones quasdam tantummodò lubet proponere, quas equitantibus usui esse posse existimo. Ne ob nimiam equitationem, disrupto, aut laxato peritonæo, Hernia contingat, subligaculum gestandum; sic enim facilis est præservatio. Salubris nonnullorum consuetudo est, non adeò longis suppedaneis uti, ac multò magis, si quis sit hernioſus, ac illi interdum necessaria sit equitatio, brevi stapede erit utendum. Ubi suspicio aliqua esse incipiat, de vasis alicujus ruptione in Thorace, seu Renes, & Vesica laborare cœperint, hujusmodi exercitium ablegandum, nihil enim his partibus equitatione magis noxium.

Percelebris olim Equiso, ac alter *Messapus* Equûm domitor ac Institutor, fuit *Ludovicus Corbellus* Mirandulanus Civis, ut ob sui præstantiam in instruendis Equis, ad Aulam *Philippi Quarti Hispaniarum Regis* accitus fuerit. Hic tandem post multam equitationem, magnam sanguinis vim per os rejecit, ac paucos post menses, irritis omnibus medicis præsidiis,

(a) Sc. 4. Pro. 12. (b) l. 5. Ep. 5. (c) 2. de Diæt. n. 28. l. 3. Fen. 19. T. 1. Sc. 4. de Col. Bil.

diis, eò deductus eſt, ut in dies moriturus crederetur; ille neſcio quo inſtinctu, cùm omne ferè alimenti genus reſpueret, carnem ſuillam appetere ſe dixit, quâ comeſtâ, meliùs habere viſus eſt, ac eâ poſtmodùm elixâ, & præcipuè ex lactente porculo, uſus eſt, quo cibi genere ſupra annum vitam produxit.

De Bajulorum Morbis.

CAPUT XXXIV.

IN populoſis Civitatibus, maritimis præſertim, uti *Venetiis*, ob magnum hominum variis è locis confluxum, & mercium copiam, ingens viſitur Bajulorum multitudo; perneceſſarius enim eſt illorum uſus, ad apportandas, & exportandas merces è navibus onerariis. Videamus itaque quibus morbis laborare ſoleant homines iſti clitellarii, uti illos appellat (*a*) *Plautus*. Hi ergo ex magnorum ponderum ſuper humeros geſtatione, varios, perſæpè, eoſque ſatis graves morbos, patiuntur; cùm enim magnâ omnium muſculorum contentione, ac præſertim Thoracis, & Abdominis, ſpiritum, & anhelitum continere illis neceſſe ſit, non rarò vaſorum pectoris ruptiones contingunt. Bajulus etenim, cùm primò ponderi humerum ſupponit, multùm aëris inſpirat, ac poſtmodùm parùm exſpirat; quare pulmonares veſiculæ valde inflantur, ita ut vaſa pneumonica ſanguinem deferentia, & excipientia, ob compreſſionem, munere ſuo non ritè fungantur, propterea nil mirum, ſi vaſa ſanguinea nimis diſtenta facilè diſrumpantur.

Eandem ob cauſam, fracto muſculorum Thoracis tono, & Pulmonum ſtructurâ vitiatâ, Bajuli facilè aſthmatici fiunt, Pulmonibus perſæpè, ob ſpiritum diu detentum, coſtis adhærentibus, uti ex Cadaverum ſectione non ſemel obſervavi. Varices quoque prægrandes iiſdem in cruribus ſuboriri ſolent, ſanguinis nempè motu, ob femorum & crurum muſculos nimis diſtentos, ad ſuperiora retardato, unde fit, ut venarum in valvulis dilatatio contingat. Omnes præterea gibboſi temporis progreſſu fiunt, dorſi vertebris ad anteriora inflexis, & habitum in tali ſitu contrahentibus. Quamvis autem Mechanicæ regulas non calleant, Natura tamen ipſos docuit, faciliùs geſtari pondera ſuper humeros, pectore incurvo, quàm recto corpore.

Hernioſi quoque non rarò fieri ſolent Bajuli; etenim dum ſpiritum cohibent, facili negotio Peritonæum diſrumpitur, vel dilatatur. (*b*) *Hildanus* caſum refert Fabri lignarii, cui ex elevato pondere, omentum prolapſum eſt in ſcrotum, & mors die ſeptima ſubſequuta eſt. Phtiſi quoque eoſdem obnoxios eſſe tradit (*c*) *Felix Platerus*, caſum referens Lapicidæ & aliorum, qui ingentia pondera elevando, ſanguinem per os rejectarunt.

Caſum non abſimilem, & notatu dignum habemus ex (*d*) *Hippocrate* his verbis. *Qui Aſinum ex pacto elevavit, ſtatim febricitavit. 3. 4. 7. 8. ſanguis erupit, judicatus eſt, alvus erupit.* Cùm Bajulus ille ſuarum virium jactator, ſtatim febricitarit, indubium eſt, magni illius ponderis elevationem, cauſam occaſionalem febris fuiſſe; ex qua parte tamen ſanguinem effuderit, non indicat *Hippocrates*; *Valleſius* in commento putat è naribus prodiiſſe, & hoc pacto ſolutam febrem, & alvum humidiorem factam, cùm ex aphoriſtico documento, *Ubi ſanguinis fluxerit multitudo, quacunque ex parte, alvus ſoleat fieri fluidior.* In hiſtoriis epidemicis tamen (*e*) *Hippocrates* pro more habet, verbum illud addere *è naribus*. Quâcunque verò ex parte ſanguis eruperit, conſtat facilem eſſe in hiſce hominibus è pectore, è naribus & hæmorrhoidibus quoque, ſanguinis rejectionem, unde poſtea graves morbi ſubſequantur.

Tot

(*a*) In Moſtel. (*b*) Cent. 1. Obſ. 72. (*c*) Qu. Pat. Q. 5. (*d*) 4. Epid. n. 13. (*e*) 4. Aph. 27.

Tot ergo modis Bajuli ab Arte, quam exercent, malè vexantur; propterea *Medico Practico* non inutile fuerit proprios, & peculiares illorum morbos noſſe, quapropter ubi conſilium expoſcant, vel actu decumbant, ſolitâ cautione erit procedendum. Quoniam verò id genus hominibus mos eſt, pleno victu virium robori ſtudere, uti mos erat Athletis, idcircò in illorum curationibus ſanguinis miſſio primas tenebit, tum & quæ ſtomachum expurgent, nec non quæ laſſitudinem tollant, ut balnea, frictiones, ac ſimilia. Quia verò herniis obnoxii eſſe ſolent, monendi ſunt, ut ad præcautionem ſubligaculis utantur, nec miloniano auſu, ut interdum ſolent, invicem decertent, quis in magnis ponderibus geſtandis robuſtior ſit, ne iis contingat, quod illi evenit, qui ex pacto Aſinum elevavit.

In hanc rem liceat mihi Mechanicum Problema proponere, ſcilicet cur Geruli faciliùs geſtent onera ſuper alterum ex humeris curvi, & proni, quàm recti, quando recti majori robore ac ſine caſus periculo, deberent pondera ſuſtinere, eo modo, quo Columnæ & Trabes in ſitu recto ad Horizontem ingentes ſuſtinent moles; ſic Mulieres noſtrates ruſticæ ſuper caput ingentia pondera ad centenas libras, ad aliquot milliaria, ad Urbem deferunt; at iſtæ ſemper rectæ incedunt, ac ſedulò cavent, ne quicquam à perpendiculari deflectant, alioquin ſub pondere concciderent. An id fieri cenſendum, quia pondus in ſitu erecto Clæviculam, Os parvum, premeret, ac magis in medio, quàm in extremitatibus, adeò ut facilè illam poſſet confringere; in ſitu verò inflexo, & ad anteriora prono, pondus ſuper Omoplatam, Os magnum, latum & robuſtum incumbens, minùs dolorificam preſſionem inferat, nec tam facilè illam poſſit infringere, hancque ob cauſam Bajuli, ſic faciliùs, & tutius pondera geſtari advertentes, curvi incedunt? id autem veriſimile videtur, idem enim Corpus grave minùs dolorifica preſſione ſuſtinetur v. g. à totâ manu, quàm ſolo digito; ſicuti etiam pila aurea v. g. unius libræ in manus volâ majorem preſſionis ſenſum efficit, quàm pila lignea ejuſdem ponderis; quia pila aurea minoris molis, totam vim ſuam in minores partes ſubjectas exercet, quàm pila lignea. Pondus ergo ſuper Bajuli humerum in ſitu curvo adaptatum, præterquam quòd ſuper robuſtiorem partem incumbit, pluribus quoque corporis partibus innititur, quàm ſi corpus Bajuli eſſet in ſitu recto, ſive corpus grave ſit ſolidum, ut lignum, ſeu flexile, ut Tritici Sacculus, ideò meliùs toleratur, & ob hanc cauſam Bajuli, pondere impoſito, illicò ad anteriora curvantur, Clunibus ad poſteriora exporrectis, ut in directionis lineâ perſtet gravitatis centrum. *Venetiis*, ac *Ferrariæ*, obſervavi onerarios hoſce homines, ſaccos tritici, aliaque pondera, non ſuper humerum, ut noſtris mos eſt, ſed ſuper collum, & dorſi vertebras geſtare, ita ut pondus ſuper totum dorſum geſtantis incumbat, ajuntque ſic minùs ſub pondere laborare, ac premi, quàm ſi ſuper alterum ex humeris pondus ferant, quod rationi congruum eſt; adeò verum eſt Poëtæ illud, *Leve fit, quod benè fertur onus.* Mulieribus verò ſuper caput magna pondera geſtantibus, neceſſe eſt rectas incedere, nam ſi caput inflecterent, corpus grave illi ſuperincumbens, extra directionis lineam poſitum, neceſſariò caderet; facile præterea magnos caniſtros, cùm admiratione ſpectantium, ſuper caput geſtant, rectæque & agiles incedunt, quia pondus ſuper calvariam, Os rubuſtum, & concameratum, ac ſuper vertebras directè incumbens, poſitum eſt.

De Athletarum Morbis.

CAPUT XXXV.

QUamvis ob tot rerum viciſſitudines multa Veterum inſtituta obſoleverint, veluti Athletarum, & Gladiatorum Spectacula, quæ ludos, & munera vocabant, quaſi ludus, & egregium munus eſſet, hominum lanienam populis exhibere; lubuit tamen pauca quædam de Athletis, ac illorum morbis perſtringere, ut ſaltem appareat, quàm accurata eſſet antiquitùs *Medicorum* ſolertia in examinandis, & curandis Artificum morbis. Nemo in Medicinâ tam novus hoſpes eſt, nec quiſquam in Scholas Medicas pedem immiſit, ad cujus aures non inſonuerit *Hippocraticum* illud Oraculum, *Habitus Exercitatorum &c.* cujus genuina expoſitio tot ingenia diù exercuit, ac torſit, tot editis commentariis, quibus nihil adjicere, auderem, poſtquam Celeberrimus *L. Tozzius*, Archiater olim Pontificius, Aphoriſmorum *Hippocratis* ſolidam ac veram interpretationem juxta Recentiorum dogmata aggreſſus eſt.

Magna profectò antiquitùs ob ludorum frequentiam Athletarum, & Palæſtritarum erat multitudo; neque enim ſervile erat exercitium, ſed liberorum quoque & nobilium Adoleſcentum, qui à Pædotribis ad varia exercitationum genera erudiebantur; ſic apud (*a*) *Terentium*, *Parmenio* Thaidi Juvenem offerens, ajebat:

Fac periculum in literis, fac in palæſtra,
In Muſicis, quæ liberum ſcire æquum eſt,
Adoleſcentem ſolertem dabo.

Quare ſatis frequentes contingebant caſus, quibus Athletæ medicâ ope indigerent. Affectus autem quibus corripi ſolebant, erant Apoplexiæ, Syncopes cardiacæ, Catarrhi ſuffocativi, vaſorum ſanguinis in pectore ruptiones, ac frequentes repentini interitus. Horum affectuum cauſa potiſſima erat, ſumma humorum plenitudo, ac vaſorum diſtentio, ut ſanguinis motus vel inſigniter retardaretur, vel prorſus tolleretur; hinc venarum interceptiones, ut hippocraticâ phraſi utar, ſanguinis ſcilicet reſtagnatio, ac fluidorum omnium ſtaſis, ut neceſſe foret ſubitam mortem ſubſequi; quod eò frequentiùs contingebat, quia ab otio & opiparo victu pro virium robore, ad luctam & palæſtram tranſitum facerent; periculoſiùs eſt enim ex (*b*) *Hippocratis* Oraculo *tranſire ab otio ad negotium, quàm à negotio ad otium.* In vehementi quippe exercitatione valdè incaleſcit, ac rareſcit maſſa ſanguinea, ut non tam promptè fieri poſſit ſanguinis ab arteriis in venas elutriatio, ſeu non tam citò per venas remeet, veluti meat ac diſcurrit per arterias, multòque minùs ubi adſit ſumma Vaſorum plenitudo.

Qualis porrò eſſet Athletarum victus, & quàm elegans, ſatis expreſſit (*c*) *Cous Senex*, in hiſtoria *Biantis* his verbis. *Bianti pugili, cùm natura vorax eſſet, contingit ut in affectiones cholericas, bile ſurſum, & deorſum exeunte, delaberetur, ex carnis eſu, maximè verò ex porcinis carnibus crudioribus, & ex ebrietate Vini odorati, & placentis, ac dulciariis ex melle, & cucumere, & pepone, lacte, & polenta recenti.*

En quomodo ſe infarciebant Athletæ, ut euſarciam, & fortes habitus ſibi adſciſcerent; ſic *Ariſtoteles* (*d*) ſcripſit Athletas variis formis affici, eò quòd tam varios cibos conficere, & æqualiter diſtribuere nequirent; quare non immeritò (*e*) *Plato* Athletas vocabat ſomnolentos, ignavos, & vertiginoſos.

Galenus (*f*) quoque pluribus in locis Athleticam artem, multis probris oneravit, ac tum animo, tum corpori damnoſam appellavit,

(*a*) in Eunucho. (*b*) De ra. Vic. in ac. n. 24 (*c*) 5. Epid. n. 27. (*d*) 4. de gem. Ani. c. 3. & 8. Po. (*e*) 3. de Rep. (*f*) Suaſ. ad bonas artes & l. ad Thraſyb.

vit, ſuo periculo forſan edoctus, ut ex eodem habemus; annum enim agens trigeſimum, ut ipſe ait, cùm (a) *Romæ* degeret, inani forſan gloriâ pellectus, ut inter ſtrenuos palæſtritas haberetur, dum in Gymnaſio ſe exerceret, humeri luxationem paſſus eſt, ob quam graviſſimum vitæ periculum ſubiit, ut videre eſt ex curatione illi adhibitâ, & ab eodem deſcriptâ, cùm parùm abfuerit, quin nervorum diſtentione corriperetur, adeò ut illi neceſſum fuerit, totam diem, ac noctem luxatam partem calido oleo perfundere, pelle toti corpori ſubjectâ, ſuper quam nudus jacebat, cùm Caniculæ æſtus urgeret.

Quibus præſidiis Athletarum malis ſuccurrerent veteres *Medici*, nemo non novit; Venæ ſectio, eaque ſatis liberalis, potiſſimum remedium erat, non ut corpus rurſus nutriri inciperet, ſed ut motus ſanguinis reſtitueretur, qui in Vaſis pneumonicis, vel Arteriis carotidibus interceptus, potis eſſet etiam mortem inferre. Purgationes quoque valdas adhibebant, ſicuti & tenuiſſimam diætam, quoties morbus daret inducias, multaque alia remedia adminiſtrabant, tum pro curatione, tum pro præſervatione, ut qui frequenter præ manibus hujuſmodi Artifices haberent curandos.

Venereorum uſum, Athletis ſolebant Gymnaſtæ interdicere, ne illorum corpora enervarentur, imò verenda illis infibulare conſueverant; elegans eſt (b) *Martialis* Epigramma de *Menophylo Judæo*, cui, dum,

Luderet in media, populo ſpectante, palæſtra
Delapſa eſt miſero fibula, Verpus erat.

Nimia tamen à Veneris uſu temperantia, cum pleno victu, eoſdem ad nimium torporem interdum deducebat, idcircò, ut ait (c) *Plinius*, detractis fibulis, Venereorum uſum illis permittebant, quo pacto hilaritas, & priſtinum robur illis reſtituebatur; nam ex (d) *Celſo*; *Concubitus neque nimis concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus, rarus excitat, frequens diſſolvit. Sic* (e) *Hippocrates. Labor, Cibus, Potus, Somnus, Venus omnia mediocria.*

(a) Com. 1. in lib. de Artic. n. 60. (b) l. 7. (c) l. 28. c. 6. H. N. (d) l. 1. c. 1. (e) 6. in 6. Epid.

De Lepturgorum Morbis.

CAPUT XXXVI.

IN cenſu Artificum, quidam ſunt, quorum ſtudium circa ſubtiliſſima artificia exercetur, quales ſunt Aurifabri, Automatarii, qui ſcilicet horologia fabricantur, Pictores, qui in gemmis imagines pingunt, Scriptores, qualem eum fuiſſe arbitrari licet, qui *Homeri Iliada* in membrana ſcriptam, in nuce incluſit, ſi (a) *Tullio* credimus. Infortunium ergo, quod hujuſmodi Artificibus, ex ſuis opificiis, præter vitæ ſedentariæ incommoda, impendet, eſt Myopia, affectus nempè oculorum ſatis notus, cùm ſcilicet objecta viſibilia oculis propius admovere neceſſe eſt, ut poſſint perſpici; hinc videre eſt hoſce Artifices omnes ferè perſpicillis uti in operibus ſuis elaborandis. *Wedelius* (b) hujuſmodi Artificum particularem mentionem habet, quos ait debilitate viſus laborare, eò quia partes quæ magis exercentur, ſoleant magis debilitari; lubet tamen aliam rationem ab Opticæ principiis deducere.

Nihil eſſe, quod modum, quo viſio perficitur, illuſtrare poſſit, quàm Conclave obſcuratum, in quo rerum externarum imagines, in candido linteo depinguntur, mihi ſemper viſum eſt, quod primùm (c) *Platero*, mox *Fortunato Plempio* in ſuâ *Ophthalmographiâ* debemus. Etenim, ſi vitrum convexum, foramini Cameræ obſcuratæ inſertum fuerit, quò propiùs objectum foramini apponatur, neceſſe erit linteum à foramine removere, ut in ipſo imago objecti diſtinctè repræſentetur; quò verò longiùs objectum viſibile removeatur, admovendum foramini ſit linteum, alio-

(a) vid. Pli. l. 7. c. 21. (b) Path. Dog. Se. 2. c. 10. (c) l. 4. Pro. 39.

alioquin confusæ apparebunt rerum imagines, cùm solùm in puncto coitionis radiorum, tanquam à penicillo in Retinâ distinctæ, depingantur imagines. Oculum itaque, cujus sit magis commendabilis structura, ad remota, & propinqua clarè & distinctè videnda, mobilem esse necesse est, & aptum ad figuræ mutationem, ut vel retiformis tunica, vel humor crystallinus, loco facilè dimoveantur. Passim experimur, quòd quando remota non satis clarè perspicimus, eò quia radii ferè paralleli oculum subeuntes, post pupillam propiùs coëant, experimur inquam, quòd oculos, musculorum & palpebrarum ope, constringendo & arctando, objecta, quæ antea confusè tantùm videbamus, ejusmodi Oculorum figuræ mutatione clariùs videmus, ac discernimus.

Lepturgis igitur, qui circa minutissima opificia totâ die sedentes, occupati sunt, necesse est, si res tenuissimas distinctè videre ac discernere debeant, ut acie intenta, & oculos motu veluti tonico fixos detineant; proinde, etiamsi ex suâ naturâ mobiles Oculos habeant, quod ut diximus ad res tam remotas, quàm propinquas distinctè perspiciendas valdè confert, ob hujusmodi tamen contentionem, & motum tonicum, habitum quendam contrahunt, adeò ut retiformis tunica in eodem situ obfirmata, postmodùm perstet, nec ampliùs pro lubitu moveri possit, ad res remotiores clarè videndas, & hanc ob causam, hosce Artifices visus imbecillitas, quam Myopiam appellant, ferè semper comitetur.

His accedit, quòd dum Oculi perpetuò ad opus intenti & immoti perstant, humores crassescunt, & unà cum fluiditate perspicuitatem amittunt, sicque his Opificibus visus imbecillitas paulatim suboritur; propterea etiamsi ex sui naturâ oculos sortiti sint, visus alacritate præditos, Myopes & luscioſi evadunt.

Talem ergo calamitatem ex Arte suâ Lepturgi referunt, & ab elegantissimis operibus tanti usus, qualia sunt Horologia potissimùm, talem visus imbecillitatem accersunt, ut ante senium penè cœci fiant. Novi ego Mulierem Hebræam in hac Civitate, cujus præstantia in hoc potissimùm commendabatur, quòd perlas filo indere, ac tali ordine, & suo loco illas nosset disponere, ut illarum defectus, & menda, si quæ essent, non apparerent, ex quo mangonio, non vulgarem censum sibi comparavit; ast annum 40. ingressa, à nullo perspicillorum genere, opem referens, Lepturgiæ jam Vale dixit.

Quibus præsidiis, horum Artificum calamitati succurri queat, ego certè non video; neque enim ipsis, ut Artem deserant, unde lucrum, & victum captant, tam facilè quis persuadeat, neque *Medico* remedium suppetit, quo, inveterato jam affectu, oculis pristinum robur, & mobilitatem restituat. Neque enim purgationes, venæ sectiones, aliaque medica præsidia hic locum habent, quandò cætera sani sunt hi Artifices, ac satis vegeti, ut spiritus crassi, ac tenebricosi in hac re culpari nequeant, neque pharmacis plectendum sit innoxium caput.

Non inutile tamen, præter perspicillorum usum, esset, si tales operarii non semper obstipo capite, ad opera sua intenti essent, sed identidem manum de tabula, & Oculos aliorsùm diverterent, ac horas aliquot interpolatè operi suo surriperent, Oculosque objectorum diversitate recrearent. Non enim satis quis credat, quantùm ad membranarum Oculi mobilitatem, ac humorum nativam fluiditatem sartam tectam servandam conferat, variâ ac diversa objecta, propinqua, remota, directè, obliquè, & quoquomodo intueri; hoc enim pacto naturalis dispositio quam habet Oculus conservatur, ut pupilla modò corrugetur, modò dilatetur, & humor crystallinus, modò ad pupillam propiùs, cùm opus est, possit accedere, modò recedere, prout usus ac necessitas exigit, tum remota, tum proxime objecta perspiciendi; alioquin Oculo idem continget, ac cæteris partibus, quæ si in eodem situ diu detineantur, obrigescant, ac ad motum minùs aptæ reddantur. Id satis planum est, in iis qui obscuris

in

in carceribus diù fuerint detenti, ac poſtea educti; ſenſim enim luci captandæ debent aſſueſcere, cùm in tenebris pupilla diù dilatata, ac illius elatere infirmato, promptè conſtringi, uti ſolebat antea, quodammodò dediſcat.

De Morbis quibus tentari ſolent Phonaſci, Cantores, aliique hujus generis.

CAPUT XXXVII.

NUllum exercitii genus reperire eſt tam ſalubre, tam innoxium, quod intemperanter adhibitum, graves noxas non inferat, quod ſatis experiuntur Phonaſci, Cantores, Oratores Sacri, Monachi, Moniales quoque, ob continuam in Templis Pſalmodiam, Rabulæ forenſes, Præcones, Anagnoſtæ Philoſophi in Scholis, ad ravim uſque diſputantes, & quotquot alii, quibus cantus, & vocis exercitatio Artis loco eſt. Hi ergo, ut plurimùm, herniosi fieri ſolent, ſi Spadones excipias, quibus exſecti ſunt teſtes. Ob longam enim, arctatamque aëris exſpirationem pro cantus modulatione, ſeu recitatione, muſculi abdominis reſpirationis muneri inſervientes, necnon Peritonæum laxitatem contrahunt, unde Herniæ inguinales facili negotio ſuccedunt, non ſecus ac in Pueris, quibus ob nimiam vociferationem, & ploratum tumores in inguinibus apparent. Id potiſſimùm in Cantoribus, & Monachis obſervavit (*a*) *Fallopius* noſter; *Cantores*, ait ille, *qui gravem vocem faciunt, Baſſum vulgò vocant, necnon cucullati iſti Monachi, ſunt ut plurimùm herniosi, nam continuò clamitant, ad clamorem autem, & magnam vocem, concurrunt muſculi abdominis.* Hoc itidem teſtatur doctiſſimus (*b*) *Mercurialis*, qui ait Cantores noſtrates herniis obnoxios eſſe, non ſic veteres, qui vocis exercitationi operam dabant; nam illi *balneis frequentiùs utebantur, quorum beneficio, peritonæum, ſcrotum ac teſtium utriculi humectarentur, magiſque tutò extenderentur, & hoc pacto emollita non tam facilè diſcindebantur, uti nunc fieri aſſolet.* Ego certè non paucas ex Monialibus obſervavi præ cæteris Mulieribus, Herniâ laborantes, dum cantibus, non ſecus ac Monachi, nimis indulgent.

Mercurialis (*c*) in ſua Gymnaſtica advertit; *acutam vocem, capitis diſtentiones, temporum palpitationes, cerebri pulſationes, oculorum inflationes, auriumque tinnitus efficere*; quod non contingit in vocem gravem edentibus, multa enim aëris inſpiratione, & anhelitus cohibitione opus eſt, ad acutam vocem edendam, diùque ſuſpendendam, veluti quilibet in tonorum Scalari cantu experiri poteſt; ubi enim ad Scalæ ſummum perventum fuerit, muſculos omnes, tum pectoris, tum abdominis, diſtendi neceſſum eſt, unde ſanguini refluo remora injicitur; hinc oris rubor, temporum pulſationes, & ſuperiùs recenſita ſymptomata. Eandem ob cauſam gravedines, & raucedines Cantoribus & iis, qui hiſtrioniam exercent, vitium familiare eſſe conſueſcunt, expreſsâ nimirùm è glandulis ſalivalibus, plus quàm par eſt, lymphâ.

Margaritam Salicolam Scevinam, Celeberrimam Theatrorum Syrenem, Mutinæ commorantem novi, quæ poſt exantlatos cantus labores, graviſſimâ raucedine perſæpè corripi ſolet, quem affectum ſibi familiarem ait poſt diuturnos cantus. Mirum eſt autem quomodo Mulier iſthæc, quando etiam perfectâ fruitur valetudine, pro lubitu, temporis ferè momento, magnam craſſæ lymphæ copiam, ex ore eliciat; tam patulos habet ſalivales fontes, quod non niſi violentæ cantus modulationi acceptum refert. Eadem quoque mihi retulit, quòd poſtquam in Scenâ hianti ore diù cantum ſine novo aëris inſpiratu ſuſpenderit, brevi vertigine corripi ſoleat.

(*a*) T. 3. de Hernia c. 21. (*b*) l. 6. Gym. c. 5. (*c*) l. 6. c. 5.

Cùm ergo cantus, & ſermo concitatus, caput impleant, & gravitatem inferant, non immeritò *Medici* in capitis doloribus, ac variis ejuſdem affectibus ſermonem, lectionem, prorſus interdicunt, ut rem noxiam.

Nullum penè exercitii genus eſſe, ex quo totum Corpus, magis incaleſcat, quàm è vocis exercitatione, ego certè exiſtimo; video enim Oratores ſacros, poſtquam ad horam dixerint, totos multo ſudore diffluere. Pulmones autem forſan magis, quàm in curſu, laborant ob inæqualem reſpirationis tenorem in cantu, recitatione, lectione, cùm modò remiſſè, modò intentè, prout res exigit, pronunciatio exire debeat. Mirum itaque non eſt, ſi anheloſi fiant, ac interdum, aliquo Vaſe in Pectore diſrupto, ſanguinem rejiciant; uti nuper obſervavi in eloquentiſſimo Oratore S. I. qui cùm è gravi morbo evaſiſſet, necdum ſat benè convaluiſſet, auſus ſuggeſtum conſcendere, & Panegyrim recitare, copioſum ſanguinem per os effudit. Hoc idem quoque contigiſſe obſervavi Doctiſſimo Profeſſori in Patavino Lyceo, qui ad horam integram publicas Lectiones, ſuis auditoribus habere conſueverat.

In hanc rem elegantiſſima (*a*) *Plinii* Epiſtola lectu digna eſt, in qua *Plinius Paulino* libertum ſuum *Zoſimum* graviter ægrotantem, ob ſanguinem rejectum, & tabis pulmonaris ſuſpicionem, commendat. Hunc variis Artibus inſtructum deſcribit, ac præcipuè in legendo, ac recitando; eum, cum intentè, & inſtanter pronunciaret, ſanguinem rejeciſſe, ait, & hanc ob cauſam miſſum in Ægyptum, ex quo loco cum rediiſſet confirmatus, dum per continuos dies imperaret voci, tuſſiculâ veterem labem admonente, rurſum ſanguinem reddidit. Monet itaque *Paulinum*, ſe libertum hunc ſuum in illius prædia, quæ Foro Julii poſſidebat, ob aëris ſalubritatem miſſurum, rogatque, ut eam villam liberti ſui commoditati patere velit.

Auream (*b*) *Hippocratis* ſententiam, annotatione dignam hic lubet memorare. *Quicumque labores vocis ſunt, velut ſermo, aut lectio, aut cantus; omnes hi animam movent.* An per animam intelligi voluit *Hippocrates* ipſum ſanguinem, eò quòd à vocis exercitio, tota ſanguinis ſyſtaſis magnis motibus concitetur? Sanguinem autem Animæ ſedem eſſe, communis eſt opinio, imò pro animâ ipsâ, accipi ſolere ſatis perſpectum eſt.

Purpuream vomit ille animam,

ajebat (*c*) *Maro*. Sanguineam maſſam in cantu adeò incaleſcere, ex ipſorum Muſicorum confeſſione certum eſt, ut peracto Dramate, Scenâ exeuntes, Urinam cruentam interdum reddant. An verò, quod probabiliùs, pro animâ accipiendus eſt ſpiritus, quem per reſpirationem ducimus, & efflamus? Vocis enim exercitatio, ſi cum quocumque alio exercitii genere conferatur, organa ſpiritus valdè dimovet, ac agitat. Notum eſt *Plautinum* illud:

Fœtet anima uxoris meæ.

In eodem quoque Valetudinario ſunt Tibicines, & quicumque alii, qui plenis buccis tibiis canunt; ob ſpiritus enim magnam contentionem, dum tubas, ac tibias inflant, non ſolùm prædicta mala, verum etiam multò graviora ſubeunt, nempè vaſorum pectoris ruptiones, ac ſubitas ſanguinis ex ore rejectiones. Caſum miſeratione dignum in ſuis obſervationibus refert (*d*) *Diemerbrœchius*, de quodam Tibicine, qui cùm inter alios tubâ canentes excellere appeteret, diſruptâ magnâ in Pulmone Venâ, & ſanguine copioſiſſimè effluente, intra duas horas exſpiravit.

Remedia quòd attinet; ut herniam ſibi familiarem, iſti Artifices præcaveant, ac eò magis, cùm ab ea detinentur, ſubligaculo uti debent, cætera enim remedia, uti Unctiones, Cerata, & Emplaſtra, ridendæ res ſunt. Balnea ex aquâ dulci ad vocem integram ſervandam, ſeu exaſperatam emolliendam, non levem præſtabunt operam, ſicuti Therebinthina cypria, & Syrupus ex illa paratus. Balnea tamen præ cæteris præſidiis commendat (*e*) *Galenus*; ſic enim ille: *Et ſanè ita faciunt Phonaſci, qui magno vocis exercitio utuntur, cùm contendendo oblæſerint vocem*,

(*a*) l. 5. Ep. 19. (*b*) 2. de Diæta n. 26. (*c*) Æneid. l. 9. (*d*) Ob. Med. 56. (*e*) 7. de Comp. Med. 2. loc. c. 2.

vocem, sunt autem hi Citharœdi, Præcones, Tragœdiam, & Comœdiam personati repræsentantes; balneis enim multis utuntur, cibos lenes & laxantes edunt. Ubi verò labes aliqua Pectori impendat, quod ex tussicula, & corporis habitu prænosci poterit, abdicatio ab hujusmodi Arte erit suadenda.

De Agricolarum Morbis.

CAPUT XXXVIII.

O fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas.

SIc olim Poëtarum Princeps; quod forsan de prisca illa mortalium gente, quæ patria rura bobus suis exercebat, censendum est, non ita verò nostrâ hac ætate, de nostris Agricolis, quibus in alieno fundo cum perpetuis laboribus, & cum summâ egestate colluctandum est. Morbi ergo, quibus rusticana gens, in *Italiâ* saltem, ac potissimùm in Cispadanâ & Transpadanâ regione tentari solet, sunt Pleuritides, Peripneumoniæ, necnon Asthmata, Colici dolores, Erysipelata, Ophthalmiæ, Anginæ, dentium dolores & corruptiones: Ad binas causas occasionales potissimùm hosce affectus licet referre, aërem scilicet, & victus pravitatem; aëris quippe inclementiæ expositi in agricolationis operibus exercendis, modò australibus, modò septentrionalibus ventis perflati, modò pluviis, ac rore nocturno madefacti, æstivis solibus torrefacti, utut fortes, ac duro de robore nati, tam magnas mutationes tolerare nequeunt; quare modò sudore diffluentes, modò perfrigerati, victu pravo accedente, crassorum, ac glutinosorum humorum apparatum cumulant, unde malorum cohors ipsis incumbit. Sic in totâ massâ humorali, febrili effervescentiâ concitatâ, facili negotio, in Vasis pneumonicis, ad quæ fit totius sanguinis venosi confluxus, crassi ac lenti humores restagnant, ita ut, veluti pluries observavi, quotiescumque aliqua epidemica pulmonaris constitutio grassari incipiat, à rusticana gente classicum canat, ac in illa tyrannidem exerceat. Easdem ob causas, iis persæpè contingunt dolores colici, & affectio Hypochondriaca, quam ipsi appellant, *il mal del Padrone*, eò quòd talis affectio, nescio quid hystericæ passionis sapere videatur; ob alimenta enim crassa, & viscida, multa in stomacho ac intestinis pituitosi, & acidi succi fit congestio, unde intestinorum lancinatio, ac distentio ortum habent.

Cùm autem varia, ac diversa, juxta regionum diversitatem, & secundum varia anni tempora, agricolationis sint Opera; Hyeme, ac sub Veris initium morbis pectoris, fluxionibus ad oculos, Anginis laborare solent; quorum affectuum causa, ut diximus, est sanguinis lentor & crassities, propter quam pigro lapsu circulum sanguis absolvit, & facilè restagnans, inflammationes variis in locis excitat: Sanguis enim, qui hujusmodi tempore, venâ sectâ, emittitur, tam crassus est, ut ceræ apiariæ, densitate & colore, speciem referat.

Nullum porrò hominum genus esse existimo, in quibus majorem mutationem, idque brevi tempore, sanguis subeat, quàm in rusticana gente; iis enim, quibus verno tempore, sanguis densus ac glutinosus detractus est, sub æstatis initium, datâ alicujus morbi occasione, vividus ac floridus apparet; tanta est exercitationis ac laborum potestas, ut tam promptè, in contrariam crasim transeat humoralis massa, quod non sic in Urbanâ gente observatur.

Rem satis curiosam in nostratibus Agricolis, ac in Pueris præsertim, non semel observavi. Mense Martio circa Æquinoctium, Pueri, intra decennium circiter, in magnam visus hebetudinem incidunt, ac per totam diem parùm ac ferè nihil vident, sicque cœcorum ad instar palantes, & errabundi, per

campos diſcurrunt; ubi autem nox acceſſerit, ſatis commodè vident, quæ affectio ſine ullo remedio ſpontè deſinit, nam circa medium Aprilis menſem, acies oculorum priſtina reintegratur. Sæpiùs, ubi data eſt occaſio, horum Puerorum oculos obſervavi, & magnam in Pupilla dilatationem deprehendi. Affectum hunc *Medici* Mydriaſim vocant, in cujus causâ exponendâ, non ſatis conveniunt Scriptores ut apud *Sennertum*, *Riverium*, *Platerum*, videre eſt.

Non multùm à pupillæ reſolutione, morbum hunc differre tradit (*a*) *Gorræus*; mihi itaque viſum eſt, poſſe radios ſolares Martii menſis colliquationem aliquam in Cerebro, ac nervis viſoriis efficere, unde uvææ tunicæ tonus diſſolvatur, ut in ſe ipſam concidat. Pueri iſti in ſtabulis impensè calidis, ac humentibus, per totam hyemem degunt, hyeme verò ſolutâ, quod circa Æquinoctium contingit, erumpunt è latibulis, & nuda capita radiis ſolaribus exponunt, ex quo facillimè fit humorum diffuſio, unde pupillæ dilatatio, ac proinde viſus imbecillitas, ob nimiam lucem admiſſam; Sub finem Aprilis poſtmodum à ſolarium radiorum efficaciâ diſcuſſis, qui influxerant, humoribus, pupillâ reſtrictâ, ac naturali ſuæ tenſioni reſtitutâ, integra viſio ſine ullo remedio reſtituitur.

Æſtate porrò Agricolæ febribus acutis, ac ardentibus non rarò corripi ſolent, ac præcipuè, cùm illorum corpora torrere cœperit *ira veſani Leonis*; ſicuti per Autumnum, dyſentericis fluxibus tentari ſolent, quorum cauſa in horarios fructus, aliaque errata in victu commiſſa videtur referenda. Cùm per Autumnum, iis mos ſit cannabem, ac linum in aquis paluſtribus macerare, & hoc penſum fœminis præcipuè incumbat, ut falces cannabinos in lacubus ac ſtagnis, in aquâ ad Zonam uſque immerſæ, extrahant, ac abſtergant, illarum non paucæ, poſt hujuſmodi ſordidum miniſterium, acutè febricitant, & citiſſimè moriuntur, quod non tantùm ob cutis adſtrictionem, & prohibitum tranſpiratum, ſed etiam ob ſpiritus animales, à tam horridâ mephiti, quæ totam viciniam infeſtat, ad internecionem deletos, fieri credendum eſt. Profectò nunquam magis, nec ſine ratione, Urbanæ genti ſuſpecta eſt ruſticatio, quàm hujuſmodi tempore, cùm Villæ omnes tetrum odorem exſpirant, quam ſolam cauſam agnoſcit (*b*) *P. Kircher*, propter quam nonnullæ Civitates, ſæviſſimam peſtem interdum expertæ fuerint. Quàm virulenti ſint halitus, quos effundunt aquæ, ubi macerata ſit cannabis, ſatis demonſtrat *Schenchius* in ſuis Obſervationibus, (*c*) *Petrus à Caſtro*, *Simon Pauli*, & alii. Quanta ſit odorum vis, quæcumque ea ſit, ſatis norunt Mulieres hyſtericis paſſionibus obnoxiæ.

Non parùm quoque Agricolarum ſanitati officit eorundem incuria, dum ante Bovilia, & Suilia, ac proprias domos, quæ Augiæ ſtabulum revera dici poſſunt, fimum pro Agrorum ſtercoratione cumulant, ibiqui per totam æſtatem pro deliciis aſſervant; quare fieri nequit, quin fœdæ exhalationes, quæ jugiter attolluntur, aërem inquinent. Hanc ob cauſam Heſiodus agrorum ſtercorationem damnabat, ſalubritati magis, quàm fœcunditati, conſultum volens.

Notat (*d*) *P. Zacchia* Hortorum Cultores Cachexiâ, & Hydrope perſæpè laborare; cùm enim in locis humidis ob aſſiduam irrigationem, quâ horti indigent, cogantur degere, non poſſunt illorum corpora, quin multùm humiditatis combibant. Olitorem quemdam memini me curaſſe, paralyticum factum; in uno crurum abolitus prorſus erat motus, illæſo ſenſu, in altero abolitus ſenſus integro motu. Decocto Guajaci, multiſque aliis remediis poſt aliquot annos convaluit.

Hiſtoria exſtat apud (*e*) *Hippocratem*, quam lubet referre; *Qui in Dealcis horto decumbebat, capitis gravitatem, & tempus dextrum doloroſum habebat multo tempore; cum occaſione verò febris corripuit, decubuit.* In hujus hiſtoriæ expoſitione *Galenus* contra *Sabinum* excan-

(*a*) Defin. Medi. (*b*) Scrutin. Peſtiſ. Se. 1. §. 2. (*c*) l. 7. Ob. 8. De Febr. Punctiçul. Quadripar Bot. (*d*) Q. M. L. l. 5. Tit. 4. Q. 7. (*e*) 3. Epid. Æg. 3.

excandeſcit, qui putabat hippocratico textui adjectum verbum illud, *horto*, tanquam id morbi anſa exſtitiſſet; *Galenus* etenim hortorum aërem criminari viſus eſt, ob ſtercorationem, & arborum, veluti buxi, plantarumque conſimilium pravos halitus.

Qui etiam circa Prata habitant, iiſdem morbis tentari ſolent; Prata enim inſalubrem aërem ob eaſdem cauſas ut plurimùm reddunt; hinc apud (*a*) *Juriſconſultos*, *l. Pratum §. de rer. & verb. Signif.* contra vicinum, qui agrum reſtibilem pratenſem velit efficere, intentari poteſt actio. Quare Pratorum Cultores, & fœniſecæ gravia patiuntur incommoda.

At Agrorum Cultoribus, quorum tanta eſt neceſſitas, quibus præſidiis ſuccurret Ars Medica? Noſtratibus Agricolis cautiones medicas ad præſervationem proponere, ridiculum penè videtur, quoniam de hac re, nunquam vel rarò *Medicos* conſulunt, ac ſi quis aliquid proponat, non obſervantur. Solummodò animadverſiones aliquas in illorum curatione ſervandas proponam, quotieſcumque ex prædictis affectibus, ad Urbem delati, in Noſocomiis decumbant, ſeu cùm interdum, ſi ſint opulentiores, *Medicum* accerſunt. Prima cautio itaque in Pleuritide, aliiſque pectoris morbis ſit, ne tam liberaliter detrahatur ſanguis, ut fit in Urbana gente; illorum enim corpora ab aſſiduis laboribus attrita facilè exſolvuntur; his accedit quòd ſanguinis ſyſtaſis tota ferè gelatinoſa ſit, & partibus volatilibus efficta; ſanguine propterea nimis largè detracto, vires concidunt, nec ſufficiunt ad morbum per anacatharſim exantlandum. Haud ſum neſcius, non deeſſe, qui ſentiant audentiùs ſecandam venam, ubi ſanguis tam denſus appareat, ad motum illi, ut ajunt, conciliandum, quod equidem facilè dictu eſt, ſed quot cautionibus opus ſit, ut per venæ ſectionem à parte, in quam ſanguis influxit, dimoveatur, videant apud Doctiſſimum (*b*) *Bellinum*; Certum quidem eſt, ſanguinem per ſuos ductus ſpontè, & vi ſuæ gravitatis, non moveri, ſed ab impetum faciente ſpiritu, mediante cordis motu, urgeri; quare labefactatis ſpiritibus, tantùm abeſt, ut ſanguini motus concilietur, quin potiùs illi ſufflamen addatur.

Quærit (*c*) *Ballonius*, cur Servorum, & Servarum corpora, dura alioquin, compacta, & ſolida, nec tam lubricæ valetudinis, uti corpora liberorum, cùm ægrotant, purgationibus, & venæ ſectionibus magis obruantur, quàm corpora, quæ ſunt apertiora, ac molliora; varias rationes affert, quarum potiſſima eſt, quòd illorum corpora denſa ſint, ac à duris viſceribus diſtenta, adeòque non tam facilè purgantibus auſcultent, neque multùm utilitatis ex phlebotomia referant, quod idem ad Agricolas transferri poterit. *Hippocrates* (*d*) quoque Conſtitutionem quandam deſcribit, in quâ famulæ, quæ Anginâ corripiebantur, peribant, non ſic Virgines liberæ. Non ergo ſolùm ex habitudine corporum, ſed ex conditione quoque Vitæ, ac Artium, conſiderandi ſunt morbi, & curatio inſtituenda.

Non pauca igitur errata in gentium id genus curatione, hanc ob cauſam committi video, eò quia ob virium robur, credentur magna remedia faciliùs tolerare poſſe, quàm urbanam gentem. Ego certè, nec ſine commiſeratione, paſſim video miſeros Agricolas ad publica Noſocomia delatos, & *Medicis* junioribus è Scholâ nuper egreſſis commiſſos, validis Catharticis, & repetitis phlebotomiis penitùs exhauriri, nec quicquam attendi inaſſuetudinem, quam habent ad magna remedia, neque virium imbecillitatem ob exantlatos labores; hinc eſt, quòd ex his complures in Stabulis ſuis malint occumbere, quàm in Noſocomiis, Venis cruore exhauſtis, ac ventre pharmacis exinanito, huic Vitæ extremum Vale dicere. Peractâ meſſe in Agro Romano quotannis ægrotantium meſſorum turbâ implentur Urbis Noſocomia; nec ſatis liquet, num plures Meſſorum vitas, falce ſua Libitina demetat, an Chirurgi phlebotomo.

Profectò mihi non ſemel admirari contigit,

(*a*) Zach. l. cit. n. 14. (*b*) de Sang. miſſ. Prop. 64. (*c*) l. 1. Eph. p. 96. (*d*) 7. in 6. Epid.

git, quomodo ex his non pauci acutis morbis laborantes evaſerint, non dicam ſine remedii ullius ope, quod haud quaquam miror, ſed cum diætâ ſatis lautâ, & opiparâ; ut ut enim pauperes ſint Agricolæ, ubi tamen eorum aliquis ægrotat, proximi accurrunt, ova ac pullos deferentes, ex quibus fercula componunt, quo pacto vim morbi vel eludunt, vel ab ærumnosâ vitâ, quam ducunt, citiùs ſe expediunt; unde apud nos vulgare dictum effluxit, ruſticanam gentem benè paſtam, ac ſaturam in Orci familiam tranſire, urbanam verò fame, ac inedia inter *Medicorum* cruciatus miſerè occumbere.

Ubi verò è morbo cœperint convaleſcere, ad ſolitam diætam redeunt, Allia nempè & Cæpas, quas pro bellariis, & victu analeptico avidè ſumunt. Medicamenti autem vicem acria iſthæc alimenta ſubire facilè crediderim; ſiquidem cum illorum ſtomachus, ac tota maſſa ſanguinea ad acorem vergat, Autumno præſertim, poſt jam exactos Æſtatis labores, Cæpæ & Allia, non ſecus ac remedia antiſcorbutica, apta erunt ad gluten illud diſſolvendum, ac aciditatem temperandam. Ego multos ex his novi, qui Allii, & Cæparum uſu, cum vino generoſo mediâ hyeme, Quartanas febres fugarunt.

Galenus (*a*) hiſtoriam refert de quodam Ruſtico, colico dolore correpto, qui ſibi medelam hanc paravit; cinxit ſe benè, mox allium cum pane comedit, & in conſueto opere totâ die ſe exercuit, quo pacto à colico dolore ſolutus eſt. *Itaque*, (verba ſunt *Galeni*) *ipſe certè id Agreſtium Theriacem appellem, ac ſi quis vel Thracas, vel Gallos, vel denique, qui frigidam regionem incolunt, veſci Alliis vetuerit, non leviter iis hominibus nocuerit.* Aliud remedium ad colicam ſedandam habent noſtrates Agricolæ; folia Chamæpytii accipiunt, contundunt, & cum Ovorum vitellis cataplaſma conficiunt, quod Ventri apponunt.

Satis curioſam Hiſtoriam habemus apud (*b*) *Hippocratem*, cujus ſunt hæc ipſa verba. *Figuræ magis allevantes, velut qui ſarmenta manu nectebat, & obtorquebat, præ doloribus decumbens, correpta paxilli ſumma parte ſe ipſum infixa inhærebat, meliùs habuit.* Putat *Galenus* in commento (cùm *Hippocrates* partem dolentem non expreſſerit) dolorem in manu fuiſſe; cenſet *Valleſius*, colico dorore ægrum laboraſſe, & ligneo palo appoſito, ubi dolor magis ſæviebat, & quaſi conto perforabat, partem compreſſiſſe; tales enim dolores non parùm ſublevari ait, *compreſſione forti, corporis jactatione, & mutatione figuræ*, quod ipſum in Ventris doloribus docet Natura, nimirùm ut manu, vel pugno partem, quæ dolet, comprimamus; ſic enim partis diſtentio, & in ſublime elevatio prohibetur. Eodem modo (*c*) *Hippocrates* in Mulierum hyſtericis affectibus, compreſſionem manu factam laudabat, ut intra ſuos fines Uterus coërceretur, quod remedii genus mihi non rarò ſaluberrimum compertum eſt, ac multo magis, quàm tota hyſtericorum remediorum ſuppellex.

Summatim ergo, ut ea quæ fuſiùs pro Agricolarum curatione dici poſſent, contrahamus; quantum uſu, ac ratione licuit deprehendere, illorum corpora laboribus infracta, victuque pravo nutrita, tam largis & repetitis ſanguinis miſſionibus, & purgationibus non ſunt exhaurienda. Vomitoria faciliùs tolerant; Cucurbitulæ ſcarificatæ in continuis febribus, ſeu ob illorum magnam huic remedio confidentiam, ſeu ob quid aliud nobis ignotum, perſæpè mira præſtant; ſi quid ex alexipharmacis ipſis offerendum, ex familia volatilium deſumatur, Naturæ morem gerendo, proni enim ſunt ad ſudorem, æſtate non ſolùm, ſed etiam hyeme; in Viris enim exercitatis ſudores facilè prodire ſolent. Ubi verò luctari cum morbo deſierint, & convaleſcere incipiant, ad pauperes ſuos lares reditus illis permittendus, nec non ſolita familiaris diæta iiſdem permittenda. Non immeritò ſanè *Herodicum Medicum* irridebat (*d*) *Plato*, quòd Artificibus Diæteticæ regulas vellet præſcribere.

Sic

(*a*) 12. Met. c. 8. (*b*) 3. in 6. Epid. (*c*) 2. de Morb. Mul. n. 82. (*d*) 3. de Repub.

Sic ergo compendiariâ curatione, id hominum genus regendum existimo, alioquin ob proli-xam & variam remediorum supellectilem, sensim tabescit rusticana gens, *ægrescitque medendo.*

De Piscatorum Morbis.

CAPUT XXXIX.

QUemadmodum Agricolæ Terram arando, ac serendo, populis frugum ubertate victum suppeditant, ita Piscatores maria, & flumina sulcando piscium capturâ, ad rem cibariam, & mensarum delicias non parùm conferunt. Non sufficeret enim Continens ad tantam hominum multitudinem alendam, nisi Æquor piscium copia succenturiaret; hinc est, quòd Civitates & Portus maritimi in caritate Annonæ minus patiantur, quàm Urbes & Regiones Mediterraneæ. Populos quosdam esse, quos Ichthyophagos vocant, qui scilicet ex solis piscibus victitant, quales sunt Maris Rubri Accolæ, qui supra petras Solis calore ferventes pisces assant, & panem conficiunt. Medicina igitur, quæ, ut ait *Hippocrates*, omnibus succurrit, non minorem Piscatorum, quàm Agricolarum curam habere debet, quotiescunque ex morbis, quod non rarò fit, malè habeant. Sicubi ergo *Medico* occurrat Piscatorem aliquem curæ suæ commissum habere, secum ipse diligenter expendat, quàm laboriosa, quàm difficilis sit Ars ista, quàm graves ventorum injurias tolerare sit necesse, hyeme frigora vehementissima, æstate summos æstus, quali ciborum genere utatur, quàm irregulare vitæ genus degat, ut dum cæteri Artifices diurnis laboribus fuerint defatigati, domos suas adeant, & in stratis faciles noctes cum somno virium instauratore traducant; at Piscatoribus nox ut plurimùm operosa est, & insomnis. Sic *Apostoli* cum Servatore nostro conquerebantur, quod totâ nocte laborantes, nihil cœpissent. Miseranda itaque istorum Artificum est conditio, qui cùm persæpè alios lares non habeant, quàm solam naviculam, Nosocomia cùm ægrotant adire coguntur, quibus exacta & vera curatio institui nequit, nisi constet *Medico*, quale nam sit Artis genus, in quo se exerceant.

Piscatoribus madidæ semper sunt vestes, unde iis morbis obnoxii sunt, qui ex læso transpiratu oboriuntur, uti acutæ febres, morbi pectoris, pleuritides, peripneumoniæ, tusses, dyspnœæ, & similes morbi; ut plurimùm pisculento victu utuntur, eoque viliori, cùm pisces Nobiliores Principum mensis serventur, ut de Rhombo illo, de quo *Juvenalis* Satyra 4. quare iis habitus sunt cachectici, qui ad hydropem terminantur; *imbecilliora cibaria, brevem vitam habent* dictum est (*a*) *Hippocratis* h. e. ut egregiè *Vallesius* in commento, non multùm conducunt ad vitam longam producendam; rectè propterea scripsit (*b*) *Levinius Lemnius*, esum piscium, eò quòd citissimè putrescant, plus panis exigere. Iisdem, cum in locis humidis semper degant, in cruribus ulcera fiunt sanatu difficilia; Scire tamen oportet ulcera eorum, qui in aquis fluvialibus, & locis palustribus piscationem exercent, longè differre ab ulceribus, quæ maritimi Piscatores pati solent, illorum enim ulcera sordida sunt, in gangrænas facilè degenerantia, horum verò sicca & squallida, uti advertit *Hippocrates* in lib. de humidorum usu n. 7. qui pro hujusmodi ulcerum curatione fomentum aquæ marinæ proponit. Locum hunc egregiè exponit *Martianus*, cùm enim parùm rationi congruum videatur, ulceribus siccis & squallidis aquam marinam adhibere, quæ mordacitate sua irritandi, fluxionemque augendi vim habeat, id rectè tamen *Hippocratem* præscripsisse ait, siquidem, cùm Piscatorum in maritimis locis degentium ulcera sint prædura ac sicca, irritatione inductâ, ad suppurationem perduci possint, sine qua ulcera sanare est impossibile,

(*a*) 5. in 6. Epid. tex. 20. (*b*) De Occ. Nat. mir. l. 2. c. 21.

le, hoc idem obſervat (a) *Galenus*. Secus verò curanda illorum ulcera, qui in fluminibus lociſque paludoſis piſcatum exercent; hujuſmodi enim ulceribus ſordidis exſiccantia, ſine mordacitate convenient, etenim ex (b) *Hippocrate*, *Ulcus ſiccum ſano propius, humidum verò non ſano*. Alvi adſtrictione non levi laborare ſolent maritimi Piſcatores, licet ſint multò edaciores, quàm qui degunt in terra, ut obſervat (c) *Helmontius*, cujus cauſam refert, in aërem ſalinis halitibus imprægnatum, qui appetentiam acuat, ac ſimul alvum duriorem reddat, nec non in fluctuationem, quæ Aërem continuò recentet, à quo fermentationi ſanguinis calcar addatur. Sic Clyſteres ex aquâ marinâ, non parùm quidem ad ſecernendum ſollicitant, ſed ſiccitatem poſt ſe relinquunt. Locus eſt inſignis apud (d) *Hippocratem*, ubi ait *mentiri homines de ſalſis aquis per imperitiam, in eo quòd per alvum ſecedere, eamque ſolvere putantur, maximè enim contrariæ ſunt ad alvi egeſtiones* ac *ſeceſſum*; hinc videant, qui in alvi adſtrictione Clyſteres acres, & multo ſale refertos præſcribunt, quantùm à *Divini Præceptoris* veſtigiis devient. Piſcatoribus itaque, quibus alvus ſit adſtricta convenient potiùs Clyſteres emollientes, & oleoſi, per os blanda lenientia, & eccoprotica.

Torpori, & ſtupefactioni brachiorum, ac pedum, aliquando obnoxios Piſcatores eſſe palam eſt, ſi fortè in retibus adſit inter alios Piſces Torpedo, habet enim mare animalia ſua venenata, non ſecus ac terra, quæ (e) *Plinius* refert, idque non ſolùm contactu, ſed etiam aura venenatâ, quæ per ſetam, aut haſtam brachio Piſcatoris communicetur, uti ſcripſit *Dioſcorides*, *Plinius*, *Mathiolus* atque alii; ſed ab experimentis multis habitis à *Stephano Lorencino* conſtat, id non efficere niſi per corporalem contactum, neque in omnibus ſui partibus, ſed ſolumodò per quoſdam falcatos muſculos. De torpedinis ſtupefaciente facultate, ac remediis ſatis fusè egit *Sennertus*.

(a) De ſimp. med. fac. l. 1. c. 7. (b) De Ulc. (c) Blaſ. hum. n. 36. (d) De Aër. aquis & loc. n. 16. (e) H. N. Lib. 9. cap. 88.

De Morbis Caſtrenſibus.

CAPUT XXXX.

Militaris Diſciplina, quæ ſatis antiquam cum Literis litem habet de diginitate ac præſtantiâ, & quænam ſit aptior ad nominis immortalitatem comparandam, hoc habet, in quo à reliquis Artibus differt, quòd cæteræ ad Vitam, quâ nihil pretioſiùs, ſuſtentandam, hæc ad illam prodigendam videtur inſtituta. Profectò noſtrâ hac ætate, nullum calamitoſius vitæ genus excogitare licet, quàm illud, quod milites, gregarii ſaltem, ducunt, tum in acie, ac Arcium oppugnationibus, tum in hybernis quoque, ſive ob neglectam militarem diſciplinam, cùm non eâ diligentiâ, ut olim, bonæ Militum valetudini conſulatur; miſerabili enim Militiæ, quæ à ferro, & igne, ab expeditione aliquâ ſuperſtes fuerit, ſæpenumerò malorum incumbit Cohors, raròque evenit, ut à malignâ aliquâ Epidemiâ Exercitus non decimentur. Hinc celebres, ſeu potiùs infames, ſunt Febres Caſtrenſes, aliique morbi exitiales, & contagioſi, qualis fuit Febris Ungarica, quæ primò caput extulit anno 1566. in Panonicâ expeditione *Maximiliani II. Imperatoris* contra *Solymanum*, quam Febrem (a) *Sennertus* ritè deſcribit, & militarem, ſeu Caſtrenſem appellat, utpote in Caſtris à pravis alimentis, & aquis corruptis enatam, quibus alias tamen cauſas adjunctas fuiſſe idem teſtatur, ſcilicet vigilias, ingentes labores, pluvias, æſtus, frigora, inopinos terrores, ac mille alia incom-

(a) l. 4. c. 14 de Feb.

commoda, quæ non norunt, niſi qui ea experti fuerint.

Nihil tamen æquè morborum phalanges in Caſtra invehere poſſe crediderim, quàm Caſtrorum ſordes & neglectam munditiem. Divino edicto olim *Iſraëlitis* interdicebatur, ne intra Caſtra alvinas fæces auderent deponere, ſed extra ipſa; imò in Terrâ facto foramine, in illo alvum exonerarent, mox fæces operirent, quem in finem, quilibet Miles paxillum ad latus acuminatum, geſtare tenebatur pro neceſſario hoc munere, quod ipſum apud *Turcas*, quorum Militia corporis munditiei magis ſtudet, ritè obſervari accipio. Hæc autem ſunt (a) *Deuteronomii* verba: *Habebis locum extra Caſtra, ad quem egredieris ad requiſita naturæ, & habebis paxillum cum armis tuis, cùmque ſederis per circuitum, & egeſta operies, quo relevatus es; Deus enim ambulat in medio Caſtrorum.* Ego quidem in Caſtris Medicinam me nunquam feciſſe fateor, ab iis tamen *Medicis*, qui magnos Exercitus comitati ſunt, accepi, tam gravem mephitim in Caſtris interdum per æſtatem perſentiri, ut nullum antrum Charonæum graviùs fœteat; mirum itaque non eſt, ſi peculiares, & inobſervati in Caſtris morbi emergant, qui peculiari nomine ſint donati, & particulares curationes mereantur. Non defuere propterea Doctiſſimi Viri, qui in id, ex profeſſo incubuerint, ut *Raymundus Mindererus*, qui Tractatum edidit de Militari Medicina, necnon *Henricus Screta*, qui egregiè ſcripſit de Febre maligna Caſtrenſi, & Doctiſſimus *L. Antonius Porcius* de Militis in Caſtris Sanitate Tuenda.

Ego quidem in Caſtris longè diverſam eſſe Medicinæ faciem, ab ea, quæ in Civitatibus viſitur, & exlegem eſſe cenſebam, ut cum quadam temeritate eſſent rapienda remedia. Sicuti enim Caſtrenſis vita brevis eſſe conſuevit, ita inibi Artem medendi, non adeò longam eſſe debere exiſtimabam, ſed expeditam, & ſicuti occaſio eſt præceps, ita experimenta eſſe periculoſa, ſicque *Medicum*, etiamſi velit, ob inopinos caſus, & frequentem Caſtrorum mutationem, præſtare ſe non poſſe opportuna facientem, neque Ægros ipſos. Verùm à Clariſſimo Viro *D. Georgio, Errico Barnſtorff*, Sereniſſimæ *Ducis Hannoverenſis* Archiatro, dum Mutinæ degeret, accepi, Medicinam in Caſtris non adeò rudem eſſe, neque tam irregularem, ut vulgò creditur, cùm Principes, ac Exercituum Ductores, tum ſibi, tum ſuis copiis peritos *Medicos* cum magnâ pharmaceuticâ ſupellectile, magniſque ſtipendiis conductos, adeſſe velint, ſicuti in Trojano bello *Machaonem Medicum*, ac celebrem Chirurgum inter Græcos fuiſſe legimus. Ab hoc igitur Doctiſſimo Viro, qui in Hungariâ quinque numeroſiſſimis Caſtris, cum Brunſvicenſibus, & Luneburgenſibus copiis interfuit, multa ſcitu digna intellexi, quæ hic referam, ut hoc penſum meum pro militaris diſciplinæ beneficio, ſi non proprio, ſaltem alieno Marte, abſolvam.

Ad duo potiſſimùm capita (exceptis vulneribus, quæ ſunt Militiæ præmia) morbos Caſtrenſes refert Vir Clariſſimus, Febrem ſcilicet malignam, & Dyſenteriam; reliquos autem morbos, horum duorum tanquam prodromos, vel pediſſequas ſtatuit. Febrium malignarum cauſam proximam, & immediatam miaſmati virulento, in maſsâ ſanguineâ concepto, & radicato acceptam refert, cauſam verò occaſionalem, Caſtris in eadem ſtatione diu manentibus, hominum, & animalium cadaveribus, necnon illorum excrementis non obrutis, quæ omnia pravis halitibus aërem inquinare valeant, & in Vitæ penetralia malignas particulas invehere. Malignitatem hanc in Acido impuro volatili ſummèque activo, & tam humorum, quàm ſpirituum, mediante fermentatione, deſtructivo, conſtituit. Malignas has febres, circa finem Æſtatis, ut plurimùm excitari ait, quas poſtea comitantur cephalalgiæ, deliria, convulſiones, fluxus colliquativi, ceu cauſam effectus. Ex ejuſdem obſervatione, Febres hæ malignæ Caſtra deſerunt, ac receptui canunt, ſimul ac frigus nocturnum invaleſcere incipiat; Sole ſiquidem recedente, magis conſtringitur

(a) c. 23.

Aëris textura, & fœtidæ exhalationes intra propriam mineram ſe recondunt, unde fœtore hoſtili, & activitate Acidi ſalaris, ceſſantibus, ceſſat quoque malignitas.

In Aëre igitur corrupto, ac inquinato, malignitatis ſeminium illud hoſpitari ait, quod Febrem Caſtrenſem gignat ac nutriat, adeò ut ſi ullus morbus ſit, cui verè τὸ Θεῖον *Hippocratis* conveniat, maximè Caſtrenſibus Febribus debeatur, quod etiam de remediis, quæ iiſdem adhibentur, affirmandum. Morbos autem, in quibus Veteres, divinum aliquid agnoſcebant, Aëri geneſim ſuam debere, ex ejuſdem (*a*) *Hippocratis* teſtimonio ſatis liquet, qui morborum principium ex Cœlo, Aëre ſcilicet, deducit, & Auctorem, & Dominum eorum, quæ noſtris corporibus accidunt, Aërem appellat, quamvis (*b*) *Helmontius*, *Divinum illud* pro fermenti admirandâ proprietate, interpretandum velit. Notat Vir Clariſſ. (*c*) *Hippocratem* in libro de Morbis, principium morbi ex Cœlo appellaſſe ἀνεπιτήδειαν, & in libro (*d*) de veteri Medicina, eodem vocabulo quoque humorem acidum, dulci oppoſitum vocaſſe, unde contagium ex Aëre ſuſceptum, per acidum volatile ſatis commodè videtur exponi poſſe.

Symptomata, quæ Febres has caſtrenſes prænunciant, ſunt perturbatio quædam, ac ſui diſplicentia, quam ægri perſentiunt, mox una, vel altera horripilatio, manifeſtum miaſmatis virulenti indicium. Symptomata verò Febrem hanc comitantia ſunt vigiliæ, deliria, magnus æſtus, anxietates circa præcordia, ſomnolentia oppreſſiva, capitis dolores, ac perſæpè ſudores, uſque ad morbi ſtatum.

Ad bonum, vel malum morbi eventum prænunciandum, ſudoris præſentiam vel carentiam attentè conſiderandam inquit; ſiquidem, ſi cum pulſu magno ſudor, licet à principio, obſervetur, penè certam ſalutis ſpem, licet prædicere, quamvis magnis ſymptomatibus vexentur ægri, ſicuti plurimos abſque ſudore, licet mitius degere viderentur, inopinatò exſtinctos vidiſſe ait; neque adeò referre, ſi in diebus judicatoriis non appareant, cùm etiam boni ſudores ab (*e*) *Hippocrate* dicantur, qui efficiunt, ut faciliùs feratur morbus.

Quoad harum Febrium curationem, funeſtam ut plurimùm Venæ ſectionem ſibi obſervatam teſtatur, & ab illa religiosè abſtinuiſſe; quare poſt unam, vel alteram horripilationem, antequam miaſma virulentum vitæ penetralia altiùs ſubiret, ſtatim alexipharmacum aliquod volatile exhibebat, veluti Tincturam bezoardicam *Wedelii*, cum ſpiritu Cornu Cervi rectificati, cæteris verò diebus Cardiacum aliud magis temperatum, uti pulverem Contrayervæ, Cornu Cervi, Salis viperini, ſingulis ſex horis, donec largus proflueret ſudor, quo fluente, mitiùs agebat, remedii doſim, & frequentiam ſenſim diminuendo; quo tempore, niſi maxima urgeret neceſſitas, alvum non ſollicitabat, cùm ab alvo ſolutâ, ſudorem, & tranſpiratum ſiſti videret; quem tranſpiratum, decocto avenæ cum radicibus Scorzoneræ, raſurâ Cornu Cervi, & ſimilibus promovebat. Satis feliciter Veſicantium uſum ſibi ceſſiſſe ait, in tribus potiſſimùm caſibus, ſcilicet in ſomnolentiâ, capitis doloribus, & ſub cute latitantibus peticulis, brachiis & femoribus, illa apponendo.

Eâdem penè methodo caſtrenſes Dyſenterias curandas putat, eadem bezoardica, bis vel ter in ipſo principio, opiatis in parvâ doſi permixta, propinando, ut coërcito humorum ad alvum impetu, laxatiſque partium nervoſarum fibris, ſudori fores liberius paterent, eodem tempore Corpus ſtragulis benè contegendo, & cruſtam panis ſpiritu Vini calido imprægnatam, Umbilico apponendo. Habito autem juxta votum ſudore, ſi Corpus purgatione aliquâ indigeret, pulverem laxativum ex Rhab. Corall. rub. præp. Cornu C. uti in juſculo propinabat, quo bis, vel ter repetito, malum ſæpè ſuperatum vidit, exhibito poſtea, ſi opus eſſet, medicamento aliquo ſtomachico, ad appetentiam ſuſcitandam.

Ad

(*a*) De flat. n. 4. (*b*) In Ingn. Hoſp. (*c*) l. 4. n. 26. (*d*) n. ultim. (*e*) Prænot. n. 5.

Ad tormina verò ſedanda, nervina carminativa, opiatis ſociata valdè commendat, qualis eſt mixtura polychreſta, à Clariſſ. *Wedelio* in Opiologiâ deſcripta, & Sacculi paregorici ex floribus Chamæmeli, ſeminibus lini, furfure, & Sale facti. Si verò diutius Cruoris fluxus perduret, uſum ſalutarem præſtare ait abſorbentia & ſtyptica; ſic hujuſmodi remediis, è Caſtris Venæ ſectione ablegatâ, caſtrenſes morbos faciliùs expugnari deprehendit.

Quoad unitatis ſolutæ morbos, Vulnera ſcilicet, quod ſæpè evenit, rem notatu dignam obſervavit Vir Clariſſ. ineſſe iis neſcio quid caſtrenſe, ac malignum, quamvis Vulnera eſſent leviſſima, nec mali quicquam de illis liceret ſuſpicari; obſervavit enim in diuturnis Arcium obſidionibus, vulnera omnia cum contuſione, veluti Sclopetorum, ac præſertim in capite, utut leviuſcula, curatu eſſe difficillima, ac licet ſummâ diligentiâ tractata, cum ſummo tamen Chirurgorum dedecore perſæpè lethalia fuiſſe, ſuperveniente nimirum inflammatione, ac poſtmodùm gangrænâ, ut locus interdum ſuſpicioni fuerit, hoſtes obſeſſos veneno plumbeas glandes armaſſe. Verùm à deſertoribus habitâ notitiâ, idem fatum quoque ex ſuſceptis vulneribus, obſeſſos ſubiiſſe, de malignitate per aerem vulneribus communicatâ, dubitari cœptum, ideòque bezoardica terrea & abſorbentia, cum cephalicis vulnerariis præſcribendo, feliciores vulnerum inſtituebantur curationes, non omiſsâ interim vulneratæ parti, remediorum ejuſdem indolis applicatione, vulneribus injiciendo per ſiphunculum decoctionem Abſinthii, Scorzoneræ, rutæ, cum melle mixtam, ſive digeſtivo Oleum Hypericonis, Balſamum peruvianum & ſimilia commiſcendo.

Rem oppidò curioſam ab eodem Clariſſ. Viro, rerum omnium obſervatore accuratiſſimo accepi, quam eſſe ait ſatis frequens in caſtris malum, quod non ſolùm gregarios milites, ſed etiam nobiles & generoſos Viros invadat, nimirùm improviſum quoddam ac ardens Patriam, ac ſuos inviſendi deſiderium, germanâ linguâ (das Heimvvehe) dictum, quod ominoſum, ut plurimùm eſſe conſuevit. Tali enim deſiderio correpti, aut morbo aliquo, aut cæde intereunt, vixque, ut idem ait, ex centum unus evadit, adeò ut in caſtrenſe proverbium ceſſerit: *Qui Patriam quærit, Mortem invenit.*

Noviſſe præterea ſe inquit, non ultimæ claſſis Viros, aliàs ſatis magnanimos, ad ſolam alicujus expeditionis denunciationem, non aliter ac fulmine tactos, futuræ mortis ideam, in mente ſubitò ſibi fabricaſſe, ac tanta certitudine ex imminenti conflictu mortem ſecuturam prænunciaſſe, ut die ad pugnam antecedente, Amicis extremum Vale non ſolùm dixerint, ſed bona ſua diſtribuendo, corporis ſui ſepulturam, illis ſeriò commendarint, ſicque eos poſtmodùm in pugnâ cecidiſſe.

Hunc animi morbum, ob altiùs impreſſum pavoris ſigillum, & triſtiſſimam mortis imaginem menti occurſantem, curari ait, Charactere alio quodam contrario, ſcilicet fiduciæ pentaculo, tempeſtivè tamen, & priuſquam morbus altiores agat radices; & hoc pacto per appenſum ſigillum, ſpiritus antea veluti ligatos ſolvi, ac mortis imaginem aboleri.

Id autem naturaliter contingere, nequaquam vero propter vim aliquam hujuſmodi pentaculis inſitam, credendum eſt, ut, ſicuti imaginationis vis, & concepta mortis imago, milites in tantam animi dejectionem perducit, ſic ejuſdem imaginationis poteſtas per creditam, licèt ex ſe nullam, Sigillorum dynamim impreſſam, pavoris & mortis imaginem è mente eliminet. Multa de Amuletis, & Periactis apud varios Scriptores exſtant, qui tamen ut plurimùm nullam phyſicam virtutem iiſdem impertiunt, niſi eam quàm credulæ mentis paſſiva deceptio illis indulſerit. Adeò verum eſt, quod ſcripſit *Seneca*, *Quædam nonniſi decepta ſanari.* In hanc rem ſuccurrit, quod apud (a) *Carteſium* de vi imaginationis olim legi; eam enim eſſe dixit,

(a) Ep. 23.

dixit, ut ipſius imaginationis abductio maximum ſit ægritudinis remedium. *Etenim*, ait ille, *ſi quis animo compoſito ſpectet continuò tragœdias, attamen mœror aliquis contrahetur, illius animus ad ſuſpiria aſſueſcet, Cor & Fibræ contracturam patientur, unde ſanguinis circulatio ſegnior evadet, & obſtructiones in Hepate, ac Liene generabuntur: ex adverſo, ſi quis variis ægritudinibus vexetur, & animum, quantùm poſſit ab illis abducat, objecta læta, ac mentem exhilarantia cogitando, ad bonam valetudinem ſibi viam ſternet.*

Rem haud minùs curioſam, mihi enarravit idem Vir doctiſſimus; ſibi nempè obſervatum, poſt commiſſum aliquod prælium, quòd Cadavera in ſolo ſtrata, ac veſtibus, uti mos eſt, denudata, omnia ferè pudenda habeant turgida ac diſtenta tanquam ad pugnam veneream parata, ſic in fœminis quoque interemptis, muliebria rigida, ac tentigine quâdam contracta, admiratum eſſe. An id fieri credendum, quòd Milites ad pugnam prodeuntes, magno furore ac rabie perciti, omnes ſpiritus, ac ſanguinem (uti proprium eſt iræ ac furoris) è corporis penetralibus, ad extima propellant, ut hoſtem ſibi obvium proſternant, ideòque in pugnâ proſtrati, ac cæſi, ſicuti vultu, licet mortui, adhuc furorem & minas ſpirant, ſic genitalia, ob ſpiritus inibi captivos detentos, poſt mortem convulſa retineant? Longè profectò diverſam faciem eſſe eorum, qui ex morbo aliquo, ſive acuto, ſive chronico, ſuis in ſtragulis occumbunt, ab iis qui violenta morte intereunt, multoque magis, qui Martis Victimæ in acie mactantur, ſatis perſpectum eſt. De Milite Romano in Cannenſi prælio narrat (*a*) *Valerius Maximus*, qui cùm mutilus ad retinenda arma inutiles manus haberet, ſpoliare ſe conantis *Numidæ* cervicem complexus, os, naribus & auribus corroſis, deforme reddidit, inque plenæ ultionis morſibus exſpiravit.

Iſthæc mihi communicata referre lubuit, iis non ſolùm, ut reor, quibus medicinam in Caſtris facere volupe ſit, uſui futura, ſed iis quoque, qui in Civitatibus, & Oppidis medicæ praxi addicti ſint: etenim, bellicâ tempeſtate Provincias & regna vexante, cùm perſæpe contingat, ut militares copiæ ab æſtivis expeditionibus in proximas Civitates & Oppida ad hybernandum ſe recipiant, facilè hujuſmodi occaſione, morbi Caſtrenſes curandi occurrunt. Annis elapſis, cum Militiæ Germanæ hiſce in regionibus hyberna Caſtra ſtatuiſſent, Febres, & Dyſenterias, quales apud Auctores leguntur, mihi obſervare contigit, multoſque præclaros Viros ſcio interiiſſe, quibus à *Medicis* militaris medicinæ, & genii caſtrenſium morborum ignaris, adminiſtrata ſunt intempeſtiva remedia, ut Venæ ſectiones & valida purgantia, potiſſimâ indicatione miaſma illud virulentum & efferum perdomandi, & per cutis ſpiracula eliminandi, vel neglectâ, vel ignotâ. Experientia itaque rerum magiſtra, in curandis hujuſce indolis morbis, tali methodo procedendum oſtendit. Quotieſcunque igitur ſe ſe offerat occaſio, conſulendi citati Scriptores, *Mindererus*, & *Screta*, ac D.L. *Antonius Porcius*. Penes (*b*) *Helmontium* quoque Febris cujuſdam fit mentio, quæ totam ſuam tragœdiam, ſine ullo caloris ſenſu peragit, quam Febrem Caſtrenſem appellat, de cujus Febris ingenio, & more quædam leguntur ſcripta apud (*c*) *Regnerum Graaff*, *Cornelium Bontekoe*, *Ettmullerum*, & alios. Omnes itaque, (*d*) qui hac de re ſcripſere, unanimi ferè conſenſu, obſervavi horum affectuum cauſam in acidum volatile, corroſivum, efferum, realgarinum referre, ideòque hujuſmodi venenum invertendum, infringendum, ac potiſſimùm Salium volatilium uſu, per glandulas cutaneas abigendum.

(*a*) l. 3. c. 2. (*b*) De Feb. cap. 1. (*c*) de Suc. Panc. (*d*) Diatri. de Feb. T. p. c. 17. de Feb.

DE

DE
LITERATORUM MORBIS
DISSERTATIO.

Diatribæ huic meæ de Morbis Artificum, Diſſertationem hanc de p. n. affectibus, quibus premi ſolent Literarum Profeſſores, adnectere non improprium duxi, his enim idem obvenit, quod Mechanicis Artificibus, ut unde bona multa, inde non pauca mala proveniant. Perpaucos nimirum exiſtimo eos eſſe, qui ſolius amore Virtutis Literis operam dare velint, nec animo præſumant honores, dignitates, & magnos quæſtus, quos honorarii titulo decorant, adeò verum eſt, quod dixit (*a*) *Ariſtophanes* ſublatâ è Mundo paupertate & Pluto, omnia everſum iri, nullumque Sapientiæ, & cæterarum artium cultorem fore; hæc ſunt illius carmina, dum Paupertatem ſic loquentem in Scenam inducit:

ἐι γὰρ ὁ πλοῦτος βλέψειε πάλιν, διανεμεῖ ὅτ' ἴσον ἑαυτὸν,
ὅτε τέχνην ἄν ἀνθρώπων, ὅτε σοφίαν μελετᾶν
ὐδεὶς, ἀμφοῖν δ' ὑμῖν τούτοιν ἀφανισθέντοιν, ἐθελήσει
τὶς χαλκεύειν, ἢ ναυπηγεῖν, ἢ ῥάπτειν, ἢ τροχοποιεῖν,
ἢ σκυτοτομεῖν, ἢ πλινθουργεῖν, ἢ πλύνειν, ἢ σκυτοδεψεῖν,
ἢ γῆς ἀρότροις ῥήξας δάπεδον, καρπὸν δηοῦς θερίσασθαι;
ἢν ἐξῇ ζῆν ἀργοῖς ὑμῖν, τούτων πάντων ἀμελοῦσιν.

quæ carmina latinè ſic reddidit Andreas Divus Juſtinopolitanus:

Si enim Plutus videbit iterum, dividetque æqualem ſe ipſum,
Neque artem hominum, neque ſapientiam exercebit
Nullus; ambobus autem nobis his deſtructis, volet
Quis æris eſſe Faber? vel naves facere? vel ſuere, vel rotas facere?
Vela coria incidere? vel facere muros, vel lavare, vel pelles tingere?
Vel terræ aratris rumpens campum, fructum Cereris metere?
Si liceat vivere otioſis nobis, hæc omnia negligentibus.

Ut plurimùm ergo qui ingenio valent, ſi egeſtas premat, ac ſpes affulgeat divitias comparandi, literarum ſtudio totos ſe dedunt, ſibique ſplendidum cenſum parant, necnon multam exiſtimationem apud Nobiles Viros, quibus poſtea ad Literatorum fores pulſandum, ut conſilia expoſcant. Verùm Literarum cultura licet uberem opum, & gloriæ meſſem reddat, tribulos quoque, ac improbam malorum ſegetem, ſuis Cultoribus non rarò progerminat. Literati ergo homines, qui, ut ait (*b*) *Ficinus*, *quantùm mente, & cerebro negotioſi ſunt, tantùm corpore otioſi ſunt*, omnes ferè vitæ ſedentariæ incommoda, demptis *Medicis Clinicis*, ſubeunt. Nihil notiùs, quàm Hominem ſedendo, Sapientem fieri; totâ ergo die ac nocte ſedentes, inter literarum oblectamenta, corporis damna non ſentiunt, donec non intellectæ morborum cauſæ, ſenſim obrepentes eos lectis affixerint. Jam ſuperiùs innuimus, quas noxas inferat Sellularia vita, quare circa id, non ultra immorabor.

Vitæ quoque Statariæ incommoda, non rarò experiuntur Literarum Profeſſores, multos enim ex iis, paſſim viſere eſt, qui, ut ſedentariæ vitæ, quæ tam malè audit, evitent damna, *in contraria currunt*, dum ad multas horas, ac totos fere dies, ſtant erecti

(*a*) In Plut. Act. 4. (*b*) de Stud. Vaſ. tu. c. 3.

ci libros evolvendo, quod non minùs, imò forsan magis noxium, quàm si ad opus suum sedendo incumberent.

In universum porrò, Literati omnes stomachi imbecillitate laborare solent. *At imbecilles stomacho, quo in numero magna pars urbanorum, omnesque penè literarum cupidi &c.* ajebat (*a*) *Celsus*. Nullus enim ferè est, qui seriò literarum studio det operam, ac de stomachi languore non conqueratur; dum enim Cerebrum concoquit ea, quæ sciendi libido, & Literarum orexis ingerit, non nisi malè potest concoquere Ventriculus ea, quæ fuerint ingesta alimenta, distractis nempè spiritibus animalibus, & circa intellectuale opus occupatis, vel iisdem spiritibus non adeò pleno influxu, uti opus esset, ad stomachum delatis, propter fibrarum nervearum, ac totius nervosi systematis in altioribus studiis validam contentionem. Quantùm enim ad Viscerum omnium naturales functiones ritè obeundas conferat, si non succi nervei, de quo adhuc non satis constat, saltem spirituum animalium influxus, ex partium paralysi laborantium contabescentia, satis liquet; quamvis enim ob perennem arterioli sanguinis affluxum, vitali succo fruantur, attamen humore illo, seu quidquid sit illud, quod per nervos ad eas defertur, orbatæ, gracilescunt.

Hinc ergo cruditates, flatuum ingens copia, corporis totius pallor, & macies, partibus geniali succo defraudatis, summatim omnia damna, quæ cacochyliam consequuntur ortum ducunt. Sic Studiosi paulatim, licet Joviali temperamento præditi, saturnini, ac melancholici fiunt; sic dici solet, melancholicos esse ingeniosos; at forte aptius, ingeniosos fieri melancholicos, spirituosiori nempe sanguinis parte, circa mentis opera ablumpta, magis verò fœculentâ ac terrestri intus relictâ.

Non ibo tamen inficias, quin ad id multùm conferat corporis temperies, ad melancholiam paulisper vergens, cum moderatâ cæterorum humorum mixturâ. Varias quidem causas, affert (*b*) *Ficinus* in libro, quem in Studiosorum gratiam conscripsit, quare Literati melancholici sint, vel fiant, quarum alias ex Astronomiâ, cui potissimùm erat addictus, deducit, alias ex naturali philosophiâ; quæ omnes ad vehementem vitalium spirituum motum, & dissipationem referuntur, unde sanguis ater efficitur. Melancholicis ergo passionibus obnoxii sunt, ut plurimùm literarum Professores, eòque magis, si à primordiis tale temperamentum sortiti fuerint; sic habitu graciles, luridi, plumbei, morosi, ac solitariæ vitæ cupidi, observantur, qui verè Literati sunt.

Oculorum imbecillitati præterea obnoxii paulatim redduntur; legentes siquidem, & scribentes, intento obtutu non possunt, quin Visionis læsionem persentiant, quod malum fovent, dum literas minutas scribunt, quod familiare est iis, qui prompti sunt ingenii. Curiosum certè esset, si veritati congrueret, id quod proponit (*c*) *Aristoteles*, quare, qui luscioli cognominantur, literas minutas scribere consueverint; mirum est, inquit, *ut qui obtusi sint oculis, rem faciant, quam eorum facere interest, qui acumine valeant oculorum;* varias hujus rationes affert, sicuti & (*d*) *Plempius*, qui ait, se aliquandò dubitasse, quin hæc affectatio, quædam esse posset, ut sani, & vegeti visus esse viderentur. Verùm ego non paucos *Myopes* novi, qui satis amplis literis scribere soleant. In dubium tamen est, quòd qui minutiùs scribere consuescant, sibi curtiorem visum reddant, & *Myopiam* sibi paulatim adsciscant; sic etenim Oculus assuescit, ad proxima solùm videnda, ac retina ex tali assuefactione, in situ à pupillâ magis remoto obfirmatur, atque obdurescit; adeò, ut mobilitas illa, quam oculo impertita est Natura, aboleatur.

Affectu quoque *Myopiæ* contrario interdum laborant, qui scriptioni, ac lectioni nimis addicti sunt, adeò ut temporis progressu, objecta ab oculo longè remota, tenere iis necesse sit, quod vitium Senibus familiare est; etenim cum incurvi, ac proni scribant ac legant, facilè humor crystallinus ad pupillam prolabitur, eamque obturat, ac cœcitatem inducit.

(*a*) l. 1. c. 2. (*b*) l. 1. c. 3. (*c*) Se 31. Prob 8 & 15. (*d*) lib. 4. Ophthal. c. 42.

inducit. Hanc esse causam, quare in Equis, aliisque animalibus frequentius visionis noxæ contingant, ait (a) *F. Platerus*, cùm enim prona incedant, oculi humores ad anteriora sensim feruntur, ibique subsistunt.

Præterea Literarum Studiosi, cùm legendo, & scribendo, capite, ac pectore inclinato libris incumbant, Ventriculum, & Pancreas comprimunt, ex qua compressione stomachus oblæditur, & succi pancreatici, per suos ductus cursus inhibetur, unde postea Viscerum naturalium œconomia perturbatur; hanc succi pancreatici interceptionem, ob talem corporis situm advertit (b) *Dolæus*, in hypochondriacis affectibus valdè noxiam. Nephritis quoque & Arthritis, quæ Vitæ sedentariæ perdisequæ sunt, Literatorum morbis comites se jungunt; perrarò autem, quis arthriticus est, quin fiat nephriticus, non tam, quòd in Arthriticis lecto, seu sellæ affixis lumbi ac renes, ob assiduum decubitum, & sessionem graviter farigentur, quàm quod utriusque affectus eadem sit materialis causa. *Erasmus* (c) in quadam Epistolâ ad amicum suum arthriticum, postquam multùm de suo Tortore, calculo nempè, quem gestabat in renibus, conquestus esset, scripsit, se & amicum illum esse affines, imò cognatos, duarum quippe Sororum Maritos, ac illius Uxorem sibi intimè jungi, absque ullâ adulterii suspicione.

Nulli porrò præ cæteris Literarum Professoribus, studiorum laboribus magis atteruntur, quàm qui Operum editionem in publicum moliuntur, nominisque sui immortalitatem, in animo habent insculptam; de iis tamen loquor, qui verè sapiunt, nam compluplures sunt, qui scribendi cacoëthe detenti, rerum malè consarcinatarum editionem, ac abortus potiùs, quàm maturos fœtus properant, non secus ac Poëtæ quidam, qui centum carmina compingunt, stantes *pede in uno*, ut ait *Horatius*. Viri ergo sapientes, qui nominis sui famæ & existimationi in longum tempus prospiciunt, diurnis ac nocturnis laboribus se conficiunt, ut aliquandò pereant, antequam pariant. Non tam verò malè plectuntur in studiis, qui solùm scire contenti sunt, quod alii sciverint, & scripserint, optimumque censent, *aliena frui insania*, ut scripsit *Plinius* de iis, qui novas Ædes nunquam fabricari velint, sed ab aliis exstructas lubentiùs emere, & incolere.

Quoniam *Plinii* facta est mentio, hic dictum illius memorabile ad rem nostram spectans, quod multorum ingenia hactenus exercuit, ac torsit, præterire nefas ducerem; sic ergo (d) *Plinius*: *Atque etiam Morbus est aliquis per sapientiam mori.* Qualis sit morbus iste, de quo intellexerit *Plinius*, tot sententiæ, quot capita. Varias doctorum hominum opiniones recensuit Celeberrimus (e) *Gaspar à Rejes* in Jucundarum Quæstionum campo, ubi *Mercati*, *Mercurialis*, *Io. Pinedæ*, *Salmasii*, *Dalechampii*, *P. Ludovici della Cerda*, aliorumque ingeniosissimas expositiones refert, ut apud eundem videre est, cum nonnulli intelligendum velint, *Plinii* locum de morte in senili ætate, cujus propriâ est prudentia, ut *Mercatus*, alii de Quartanâ Febre, quæ sapientiâ, ac quâdam veluti intelligentiâ, statis diebus, & horis aggrediatur, ut *Io. Pineda*; alii in verbo mendum, ob Scriptorum incuriam, esse putent, & pro verbo illo, *per sapientiam mori*, reponendum aliud, *per desipientiam mori*, *ut Mercurialis* de Phrenitide; alii de divinandi facultate, quam nonnulli animam agentes interdùm acquirunt, futura quædam post suum obitum prænunciantes, ut *P. della Cerda*; alii tandem ut modo citatus *Gaspar à Rejes*, de Paraphrenitide, diaphragmate vulnerato, vel percusso, eo quòd Veteres in hac corporis parte, Prudentiæ sedem collocarent.

Tot Clarissimorum Virorum suffragiis, meum, qualiscumque sit, calculum addere liceat; *Plinium* scilicet tot periculis, tot casibus, tot morbis, quibus Vita nostra continuò

(a) Tom. 1. Prax. Med. c. 7. (b) Encycl. Med. l. 3. de Morb. Abd. c. 11. (c) Vid. Beveov. de Ren. Cal. (d) lib. 7. H. N. c. 50. (e) Quæs. 100.

nuò petitur, adnumerare quoque voluiſſe, cauſam occaſionalem, ob quam Mors perſæpè contingat, Studium nempè Sapientiæ, quæ ſuos Cultores, ad properam mortem non rarò perducit, ita ut in morborum Claſſe, morbus ſit aliquis, quem *Medici* non adverterint, ſcilicet *per Sapientiam mori.*

Non poſſum quin in hanc rem auream *Platonis* ſententiam recenſeam, quâ mirificè explicatur, quomodo literarum ſtudium, varias ægritudines accerſat. Statuens ergo, (*a*) Vir ille Divino ingenio excellens, Hominis pulchritudinem, ac ſanitatem in commoderatione quadam, ac proportione inter Animam, & Corpus, ſic ſcripſit. *Quando Anima Corpore admodùm potentior eſt, exſultatque in eo, atquo effertur, totum ipſum intrinſecùs quatiens languoribus implet. Quando etiam ad dicendum, inveſtigandumque collectis in unum viribus vehementer incumbit, liquefacit prorſus corpus, & labefactat; Denique cùm ad dicendum, diſſerendumque privatim, & publicè ambitioſa quadam concertatione contendit, inflammat Corpus, atque reſolvit; nonnunquam etiam deſtillationes, fluxuſque commovens, Medicorum plurimos decipit, cogitque illos contrarias cauſas judicare.* En quomodo Literati, qui

Ingentes animos anguſto in pectore verſant,

dum intemperanter ſtudiis incumbunt, Corpora ſua, ad ſuſtinendas Animæ ac ſpirituum motiones inepta, morboſa efficiunt. Tam arcta verò lege conſortii fœderantur ad invicem Anima, & Corpus, ut omnia tam bona, quàm mala unius in alterum viciſſim corrivent, ac veluti, ex corporis nimia exercitatione, Anima ad mentis functiones langueſcit, ac torpet, ſic ob nimiam Animæ contentionem, circa Sapientiæ ſtudium, corpus marceſcat neceſſe eſt, abſumptis nempe ſpiritibus, communi ſcilicet Inſtrumento ad materiales, & ſpirituales operationes ritè obeundas. *Labor articulis, carnibus cibus, ſomnus viſceribus; Animæ deambulatio, cogitatio hominibus*; Sic (*b*) *Artis Magiſter.* Omittam hic referre, quæ in hujus loci commento ſcripſerit *Galenus*, ac literis prodiderit *Valleſius. Cogitatio* igitur, ex *Hippocrate*, cum Animæ ſit propria exercitatio, atque in hoc toti ſint Literarum ſtudioſi, ſcilicet, ut cogitent ac meditentur (quandò noſtrâ hac ætate non deſint, qui totam Animæ eſſentiam in cogitatione conſtituant) fieri nequit, quin Corpus à ſuâ Rectrice deſtitutum, exorbitet, ac multas ærumnas non ſentiat, deſtillationes, ut ait *Plato*, membrorum torporem, atrophiam, ac præproperam Senectam.

Hæc in univerſum patiuntur Literarum Profeſſores; ex iis tamen quidam ſunt, qui peculiaribus morbis vexari ſolent, uti Concionatores, Philoſophi continuo in ſcholis diſputantes, Advocati in Foro, ac præcipuè Patavini Profeſſores in Lyceo, qui ubi ab hyemis principio uſque ad finem veris, ab Exedris declamarint ad ravim uſque, ut ſtudioſam Juventutem inſtruant, tandem anxii & anheloſi palam faciunt, quàm graves noxas pectori inferat talis exercitatio, & quotcunque alii, qui circa vocis exercitium detineri ſolent. Hi enim Deſtillationibus, & Vaſorum in pectore ruptionibus, non rarò ſunt obnoxii. Politici verò, Judices, & qui Principum miniſterio ſunt addicti, ſtudiis, magnis laboribus, ac vigiliis attriti, inter hypochondriacos primas tenent, & in maraſmum paulatim prolabuntur. *Petri Xylandri*, Regis Catholici in Brabantiæ Curiâ Conſiliarii, elegantiſſima Epiſtola legitur, Operi *Fortunati Plempii* de Togatorum Valetudine tuendâ præfixa, ubi Magnus ille Juris Conſultus malorum ſuorum Iliadem, ac ærumnoſam vitam è Togâ contractam deſcribit. Ego equidem quotquot novi, tum in Romanâ Curiâ, tum aliis in locis, ac in Aulis Principum, celebres Juriſconſultos, ac Miniſtros, omnes obſervavi, mille morborum generibus malè mulctatos, & Profeſſionem, cui ſe addixerant, diris ejurantes.

Multò mitiùs verò cum *Medicis* res agitur, Clinicis tamen, & lecticulariis; quorum ſtudium præcipuè eſt, circa medicam praxim, & quotidianam Ægrorum viſitationem; hi-

(*a*) In Timæo. p. 495. (*b*) 5. in 6. Epid.

hi enim non tot morbis conflictantur, ac si aliquando ægrotant, non sedentariæ, aut statariæ vitæ, ut J. C. sed cursuali, causam acceptam referunt. Non semel profectò mirari subiit, quomodo grassantibus gravibus epidemiis, malignarum Febrium, Pleuritidum, aliorumque popularium affectuum, *Medici Clinici*, quodam veluti Artis privilegio, impunè incedant; quod non tam illorum cautelæ adscribendum putem, quàm magnæ exercitationi, & animi hilaritati, dum benè nummati lares suos repetunt. Ego certè nunquam *Medicos* observo, tam malè se habere, quàm ubi nemo malè se habet, quod præcipuè verum deprehendi hisce quinque annis elapsis, in quibus saluberrimæ constitutiones visæ sunt, & nihil Epidemicum apparuit. Non semper tamen impunè evadunt; etenim ob assiduos labores, & scalarum adscensum, multos ex his hernioſos factos novi. Similiter cùm dysenterici fluxus vagantur, aliquando & ipsi dysenterici fiunt, quod forte ipsis evenit, ob sessionem longam, coram ægro, ac miasma per os, vel aliam partem susceptum; quare satis cautè se gerunt, qui in dysentericorum curatione stantes, se expediunt, & sessionem suspectam habent.

Haud minùs malam morborum segetem, ex studiis suis referunt Poëtæ, Philologi, Theologi, Scriptores omnes, & cæteri Literati, circa mentis officia occupati. Poëtæ præsertim ob phantasticas Idæas, quas die, ac nocte in mente versant, attoniti sunt, morosi, graciles, uti illorum imagines ostendunt. *Areoſtus* noster, ut ipse in Satyris fatetur, valde gracilem habitum præferebat, ac si vultum illius depictum spectemus, Eremicolæ effigiem strigosam refert; idem ajunt de aliis Poëtis celebrioribus. *Ludovicum Caſtelvetrum*, Philologum satis celebrem, adeò gracilem fuisse ajunt, ut *Hannibal Carus* illius æmulus, nomine strigosæ Capræ illum subsannaret.

Eos porrò, qui ingenio magis præstant, ac uti ingeniorum Monstra prædicantur, quasi fato quodam, & fortunæ malignitate e vivis sublatos legimus. *Jo. Picus*, Ingeniorum Phœnix, vix sextum lustrum egressus, immaturam mortem *Florentiæ* subiit, magno Reipub. literariæ damno, quamvis de illius morte varius fuerit rumor; creditum tamen est, id illi ob perpetuos labores, & nocturnas vigilias contigisse, ut mirum sit, quomodò superfuerit illi tempus ad scribendum, cum tot Auctores legerit, veluti ex illius Operibus, quæ exstant, videre est.

Mathematici porrò quibus animum à sensibus, & corporis ferè commercio sejunctum esse necessum est, ut res abstrusissimas, & à materialitate remotas contemplentur, ac demonstrent, omnes ferè stupidi sunt, ignavi, veternosi, ac in humanis rebus semper hospites. Partes itaque omnes, ac totum corpus necesse est, veluti situ quodam ac torpore languere, non secus ac perpetuis tenebris damnatum. Dum enim mens ad hujusmodi studia intenta est, tota lux animalis in centro concluſa est, neque ad exteriora illuminanda diffunditur. In Profeſſoribus id genus locum profectò habet illud (a) *Hippocratis* Oraculum: *Lux Orco, tenebræ Jovi;* dum enim spirituum lumen in penitioribus partibus Cerebri volutatur, exteriora tenebris obsideri, ac torpere necesse est.

Verùm cùm tanti pro Reipublicæ bono interſit sapientes ac literatos homines benè valere, æquum est ut Literatorum valetudo sarta tecta, quantùm fieri possit, servetur, ac quoties à suo statu decidat, restituatur. Primo itaque consulendi erunt Auctores, qui in illorum gratiam scripsere, uti *Plutarchus* de præceptis salubribus, *Marsilius Ficinus* de Studioſorum Valetudine tuendâ, qui liber apud nos satis obvius est, nec non *Fortunatus Plempius*, in laudato Opere de Togatorum Valetudine tuendâ: apud hos auctores elegantes medicamentorum formæ descriptæ leguntur, tum pro curatione, tum pro præservatione à morbis, quibus exerceri solent. Regimen in sex rerum non naturalium usu, ut ajunt *Medici*, primas tenebit. Studeant primò, ut in Aëre puro, ac salubri degant,

(a) 1. de Diæta n. 5.

procul à ſtagnis, ac paludibus, ac Ventis Auſtralibus; ſiquidem hoc pacto puriores erunt Spiritus Animales, intellectualium operationum potiſſima inſtrumenta. Mirari profectò nunquam ſatis potui, quare *Plato* non procul Athenis Villam Academicam delegerit parùm ſalubrem, imò peſtilentem habitam; id forſan idem conſilium illi fuerit, ac *D. Bernardo Abbati* Clarevalenſi, qui loca inſalubria pro more habuit deligere, in quibus ſua Monaſteria exſtrueret, ut ſic Monachos ſuos valetudinarios haberet, ideòque magis obſequentes, ac voluptatum illecebris minus obnoxios. Quæcumque fuerit mens *Platonis*, indubium eſt à craſſo aëre obtundi, ac obnubilari Spiritus, iiſque in locis feliciora ingenia clareſcere, ubi aër ſincerior, ac magis temperatus, qualis eſt Neapolitanus, & antiquitùs *Athenis*: ſicuti ex adverſo in *Bœotiâ*, ob aëris craſſitiem Incolæ malè audiebant.

Ruſticari propterea, & aurâ liberiore gaudere, ac vario Vitæ genere uti, modò ruri eſſe, modò in Urbe, ipſis ſalutare eſt, frequentiam, & ſolitudinem ad invicem temperando, *illa enim noſtri, hæc hominum deſiderium facit*. Cavere quoque debent à validis Ventorum afflatibus, Auſtri, & Boreæ, ab hyberno frigore corpus, ac præcipuè caput muniendo.

Jam uſus obtinuit, ut Capillamenta ex alienis Capillis contexta, tanquam capitis Vaginæ, paſſim adhibeantur à quocumque hominum genere, tam Senibus, quàm Juvenibus, alioqui benè comatis. Experientiâ compertum eſt, ſalutare munimentum capitis eſſe, huiuſmodi capillatos galeros, quibus, vel ob ſenium, vel quamcunque aliam cauſam, crinibus nuda ſit calvaria; multiſque, qui fluxionibus ad fauces, ac dentes vexarentur, ſuaſor fui, ut hujuſmodi capillamentis, caput armarent, quo præſidii genere, multos vidi ab hujuſmodi fluxionibus ſanatos, qui alioquin prorſus edentuli facti fuiſſent. Neque id novum inventum eſt; nam apud antiquos mentio fit *Petaſi*, *Galeri*, *Galericuli*, qui pilei erant ex pelle, quibus ita erant crines conſuti, ut veram, non adſcititiam comam æmularentur; hujuſmodi operculo utebantur tum Viri, tum fœminæ, vel ut calvitium, vel canitiem celarent, ut elegantiores in publicum prodirent. Sic (*a*) *Juvenalis* de *Meſſallinâ Claudii Uxore*:

Et nigrum flavo crinem abſcondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar.

Et (*b*) *Martialis* de quodam calvo:

Hædina tibi pelle contegenti
Nudæ tempora, verticemque calvæ
Feſtivè tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixit, Caput eſſe calceatum.

Uſum ergo talium capillamentorum, noſtra hac ætate valdè familiarem, Literarum Profeſſoribus ſatis commodum, ac ſalutarem pro Capitis munimento ab Aëris injuriis, ac præſertim hyeme, exiſtimo, paucoſque jam video, ex omni Literatorum genere (ſi Religioſos Viros demas, quibus id ex Ordinis ſui inſtituto vetitum eſt) qui per Urbem non incedant benè capillati, ac, uti lepidè ait (*c*) *Plautus*, aliquantum ruffi, criſpi, & cincinnati. His addendum, quòd ubi Literarum Cultores, ut ut ſenes, ac ſilicernio proximi, ſe comptos, nitidos, abrasâ barbâ, & cute curatâ, benè comatos in Speculo intuentur, in ſinu ſuo non parùm gaudent, ac vitam hilariorem degunt, ſibi de longævitate blandientes. Priſcis temporibus Literarum Profeſſores, Philoſophi præſertim, de barbâ valdè promiſſâ, ac de nudâ calvariâ, quaſi Sapientiæ documentis gloriabantur. Nunc mutatis vicibus, nullum ferè in ſecularibus Literarum Profeſſoribus viſitur Barbæ, aut canitiei veſtigium, tam culti, ac nitidi in publicum prodeunt. Succurrit in hanc rem celebre dictum illud *Ægyptii Sacerdotis* cum (*d*) *Solone* verba facientis: *O Solon, Solon, vos Græci ſemper juvenes eſtis, nec quiſquam è Græcia ſenex eſt.*

Experientiæ tamen, quæ tale capillitium Literatorum valetudini, ubi ad ſenium vergant, valdè commodum, & ſalutare oſtendit, ratio quoque concinit. Etenim ſi Naturæ

(*a*) Sat. 6. (*b*) lib. 12. Epig. 45. (*c*) in Captivis. (*d*) Plat. in Tim.

turæ providentiâ, Juvenum capita denſo crine munita ſunt, imò ab Uteri clauſtris, fœtus ipſi in mundanam Scenam prodire non ſolent, niſi capillati, necnon ſi Juvenes ætatis vigore præfervidi, comarum pondere non gravantur, ſed benè ſe habent, cur Senes, quibus nativus calor fatiſcit, adſcititio capillorum munimine, nudæ calvariæ non conſulant potiùs, quàm pileis, vel coriaceis, vel ſericeis? Refert (a) *Plempius*, *Marſilium Ficinum*, Philoſophum Platonicum, in pileolorum uſu valdè moroſum fuiſſe, ut pluries in die, prout Ventus flaret, vel aura calidior, vel frigidior eſſet, hoſce pileos permutaret, quod profectò noxium: quare capillamenta iſthæc magis ſunt ex uſu, ut quæ in Templis, & coram Principibus geſtare liceat.

Quod victum ſpectat; *Hippocratis* præceptum pro Oraculo habendum: *Sanitatis ſtudium eſſe, non repleri cibis.* A ſatietate igitur, inſuperque à ciborum varietate, cavere debent, ut quæ cacochyliam, & turbas in Ventre ciere ſoleant, ſiquidem, ut ait (b) *Horatius:*

cùm ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita.

Ventriculi ergo magna cuſtodia habenda, ne à functionibus ſuis aberret, ac totum corpus plectatur. Ad roborandum ſtomachum, laudat *Ficinus* Cinnamomum, & rerum aromaticarum uſum; noſtra hac ætate inter literatorum cupedias Cocholata, ſtomachi & ſpirituum ſolatium; ac profectò cum ſtudioſorum natura melancholica ſit, ſive nativa, ſive adſcititia, ac multo acido abundet, hujuſmodi potiones balſamicæ, & ſpirituoſæ acorem, tum ſtomachi, tum ſanguinis curare poterunt, & ad meliorem craſim perducere.

Quoad potum, Vinum cæteris potionibus præferendum; meracum laudatur, ſed modicum. Scio multos è Literatis ſuorum *Medicorum* conſilio, ut poſſent liberaliter ſe proluere, Vina alba, tenuia in uſu habere, quo pacto putant ſibi licere, ſine noxa bibere quantùm lubeat, quod certè non adeò tutum, ut putant. Vina hæc tenuia, æſtate præcipuè, aciditatem quandam adſciſcunt, quâ nihil perniciosiùs, ubi luxuriet acidum. *Præſtat*, ajebat (c) *Crato*, eos, qui Ventriculo debili ſunt, *potiùs parum Vini Ungarici, vel Malvatici bibere, quàm tenuia vina copioſa haurire.* De hujuſmodi Vinis ſcripſit quoque (d) *Helmontius*, quòd parùm Vini, multùm aceti contineat. Literarum itaque Cultoribus, Arthritide, Colica, Affectione hypochondriaca vexari ſolitis, qui affectus ex acido morboſo geneſim ſuam ducunt, neutiquam acidorum uſum, ſed ea, quæ illud infringant, convenire ſatis perſpectum eſt.

Quoad cæterarum rerum regimen; ut ſedentariæ, ac ſtatariæ Vitæ incommoda declinent, moderatâ corporis exercitatione, quotidie erit utendum, ſi tamen aër purus ac ſerenus ſit, & Venti ſileant; molles etiam frictiones, ad tranſpirationem tum ſervandam, tum promovendam, in uſum frequentiorem revocandæ; lavacrum quoque aquæ dulcis, æſtate præſertim, quo tempore atra bilis literatos infeſtat, valdè ſalutare eſſet; ſic enim humorum acrimonia temperatur, & ſquallida Viſcera remolleſcunt. Tempus Balneationi magis opportunum erit veſpertinis horis, deinde cibum ſumere & cubitum ire, hic enim apud antiquos mos erat ac ordo. Sic *Homerus:*

Ut lavit, ſumpſitque cibum, dat membra ſopori.

Quoad tempus vacandi ſtudiis magis commodum, matutinum præcipuè commendari ſolet, non ita verò nocturnum, ac præſertim poſt Cœnam. *Monſtrum eſt*, inquit (e) *Ficinus*, *ad multam noctem frequentiùs vigilare, unde etiam poſt Solis ortum dormire cogaris*, & in hoc ait errare Studioſos permultos; varias autem rationes affert, quarum alias ex Planetarum poſitu, & configuratione, alias à motu Elementorum deducit, dum Aër, So-

(a) De Tog. Val. in c. 3. (b) l. 2. Sa. 2. (c) l. 2. Conſ. 27. (d) In Volup. Viven. (e) de Stud. Val. tu. l. 1. c. 7.

le occidente, crassescit, nec non ab ipsis humoribus, dum noctu prævalet melancholia, ab ordine Universi, cùm dies labori, nox quieti sit destinata, adeo ut hisce omnibus literati ad lucernam lucubrantes contrariis motibus repugnent.

Verùm in hac re attendenda est cujusque consuetudo; cavendum tamen ex (a) *Celsi* monito, ne id post cibum ingestum fiat, sed peractâ coctione. Eminentissimus *Cardinalis Sfortia Pallavicinus*, Vir doctissimus, totam diem literarum studio sine cibo largiebatur, mox cœnâ modicâ sumptâ, ac studiorum curâ ablegata, somno, & virium reparationi noctem totam impendebat.

Non desunt tamen, qui nocturnum tempus diurno præferant & secretiores seceſſus, & amica noctis silentia, studiis magis opportuna existiment. (b) *Euripidem* Tragœdiarum Scriptorem tradit *Gellius*, solitum in speluncam quandam tetram, & horridam in Insula Salamine descendere, quotiescunque Tragœdiam aliquam meditaretur. (c) *Demosthenes* quoque magnus ille Orator, in locum ex quo nulla exaudiri vox poterat, & à quo nihil prospici posset, se recipiebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ubi autem lucubrandum sit, non in angustis Cellis, & Musæolis id agendum, uti solent nonnulli, hyeme præsertim, ne à frigore infestentur, sed amplo conclavi, modò Corpus vestibus benè sit munitum; fumus enim Lucernæ, nec non halitus è corpore, ac per os jugiter exspirantes, angustum spatium citò replent, & aërem respirationi minùs idoneum, imò noxium reddunt, caput simul gravando, multòque magis, si candelis sebaceis utantur, quæ suo nidore, & fumidâ exhalatione stomachum, & cerebri anteriores ventriculos inficiant, quod maximè cavendum monet *Plempius* in Opere laudatissimo, de Togatorum Valetudine tuendâ. Oraculum illud (d) *Hippocratis*, quo laudatur *Somnus in frigore cooperto*, in hac quoque re locum meritò habet; sicuti enim, ex doctissimi *Valesii* interpretatione, salubrior est somnus in amplo conclavi, sed corpore stragulis benè contecto, ob purioris Aëris inspiratum, sic Studiosis Viris conducibilius esse crediderim, si in amplo potiùs, quàm angusto Musæo, seu Hypocausto, ad studia incumbant, rigenti licèt hyeme, sed cooperti, ut ait *Hippocrates*.

Cùm verò ex superiùs recensitis morbis decumbunt, ut nephritide, colicâ, arthriticis doloribus, qui sunt studiosorum Cruces, ad ea remedia confugiendum, quæ hujusmodi affectibus sunt magis propria, & quorum apud Scriptores magna est supellex, cùm remediorum formulis Tractatum hunc meum infarcire mihi non fuerit animus.

Quia verò Literati, ut plurimùm morositatem familiarem habent, ac *Medicos* persæpè interpellant, urgentque ut remedia ipsis præscribant, ac præcipuè purgationes, & sanguinis missiones, idcircò in hac re non parvi momenti, proferam, quæ experientia, & observatione salutaria deprehendi. Mihi ergo compertum, Literatos homines multò faciliùs purgationes etiam validas, ac repetitas tolerare, quàm sanguinis missionem, licet parcam, atque huic observationi non parùm congruit ratio; Etenim cùm illorum stomachus, ob noctes insomnes, ob spirituum ad alias partes abductionem, ob studiorum intemperantiam, acidis cruditatibus scateat, cathartica medicamenta, licet valentiora, ab acido illo luxuriante enervantur, quæ si nimis blanda sint, turbas potiùs cient, nihilque educent; circumspectum tamen *Medicum*, qui habitum, vires, morbum ægrotantis perpendat, hæc omnia exposcunt. Id quoque in Pueris observamus, qui ob acidi sibi familiaris exsuperantiam, valida purgantia persæpè eludunt. Nihil est autem, quòd Catharticorum vim alkalicam magis infringat, quàm quæ ex acidorum familiâ sunt desumpta. Venæ sectio autem, ut ut parca, illorum vires atterit, ac spiritus ob vigilias & studiorum labores evanidos, facilè exsolvit. *P. Gassendum*, Philosophum Celeberrimum, ob pluries repetitam Phlebotomiam, ut mos est apud

(a) l. 1. c. 2. (b) l. 15. c. 20. (c) Quinti. l. x. Inst. de mod. scrib. (d) 4. in 6. Ep. t. 13.

apud Gallos, periiſſe, in ejuſdem vitâ legimus.

Obſervatione dignum eſt, Religioſorum Ordinum Literatos Homines, macilentos, valetudinarios, familiares habere purgationes, & vomitiones ex pulvere Cornacchini, Calice emetico, & ſimilibus, non ſine euphoriâ; horrere autem, cùm de Venæ ſectione agitur, ut qui ſatis norint, illud, quod magis illos infeſtat, ſaburram humorum eſſe, in ſtomacho ſtabulantem, ac vitale robur, quod ineſt ſanguini, languidum eſſe, ac effœtum.

Incumbant ergo ad Sapientiæ Studium Literarum Profeſſores, ſed cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec tam ſedulo circa animi cultum occupati ſint, ut corporis curam negligant, ſed bigæ medium quaſi libramentum, ſuſtineant, adeò ut Anima, & Corpus fideli contubernio, veluti Hoſpes, & Hoſpitator, mutua officia ſibi præſtent, neque ad invicem ſe conterant.

Scitè quidem ac lepidè *Democritum* dicere ſolitum (a) *Plutarchus* tradit, *quòd ſi Corpus, & Anima diſceptarent ad invicem de damno dato, dubium fore, quis ſit damnoſior, Hoſpes, an Hoſpitator.* Ac profectò inter utroſque perrarò juſta reperitur moderatio; etenim ſi corporis robori nimis ſtudeamus, illud ſaginando, humo affigimus *divinæ particulam auræ;* ſi ingenio excolendo ac ornando toti ſimus, corpus contabeſcit; rectè igitur monebat *Plato*, ne corpus abſque animo, & animum abſque corpore exerceamus. Locum hunc claudam lepidâ narratione *Plutarchi* ex libro de Præceptis ſalubribus, quem in Studioſorum, & Politicorum gratiam ſe conſcripſiſſe profeſſus eſt, *Atqui*, ait ille, *Bos conſervo ſuo Camelo, qui parte oneris ſublevare eum nolebat; Tu verò, inquit, & omnia hæc mea brevi portabis, quod mortuo eo contigit. Haud aliter accidit animo, qui dum paululùm laxare, & remittere abnuit corpus, quod id requirit, mox febre aliqua, aut vertigine ingruente, dimiſſis libris, diſputationibus, & ſtudiis, unà cum illo ægrotare, & laborare compellitur.*

(a) De Præcep. Salub.

DIATRIBÆ DE ARTIFICUM MORBIS SUPPLEMENTUM.

LECTORI BENEVOLO.

I*Stud quod modò habes Libro meo de Morbis Artificum, Mutinæ olim impreſſo, additamentum, ſiquid in eo eſt, quod oblectet, Patavino Typographo hoc ipſum debes, Lector Benevole; hic enim cum perſæpè audiret à ſtudioſa Juventute, aliiſque Doctis Viris, interdum etiam per literas Librum hunc meum expeti, & exquiri, neque apud me, nec uſpiam, cunctis exemplaribus diſtractis, reperiri, pluries à me petiit, ut novi aliquid Operi edito de eadem materia adjicerem, non exiguum enim operæ pretium, ut dici ſolet, me facturum ajebat, ſi Libro meo ſuis Typis recuſo, aliquid fuiſſet adjectum, quod emptores alliceret. Illius petitioni ſatisfacturum pollicitus ſum, ſi à publicis occupationibus, & quod magis refert, à malis, quibus*

bus ob improſperam valetudinem perſæpè conflictor, otium ullum daretur. Sed cum in illius Bibliopolium pedem immittere non poſſem, quin memoriæ meæ refricaret, quod fueram pollicitus, decrevi tandem illum voti ſui compotem facere, ac ſimul datam fidem meam abſolvere. Hiſce igitur æſtivis vacationibus, omnibus iis ſepoſitis, quæ præ manibus habebam, ad exquirendos novos Artifices, illorum tabernas luſtrando, animum adjeci. Hanc itaque Diatribam de Morbis Artificum conſcripſi, cui addidi Diſſertationem de Virginum Veſtalium Valetudine Tuenda; magis quidem è re fuiſſet de illarum morbis differere; aſt id cùm plus temporis atque attenſionis exigat, ſi otium dabitur, alias forſitan exſequar. Tu interim Lector Benevole hiſce meis laboribus fruere, & Vale.

DE TYPOGRAPHORUM MORBIS.

CAPUT PRIMUM.

ARte Typographicâ veteres caruiſſe, cùm omnia per notarios, & amanuenſes peragerentur, ſatis conſtat. Ars enim hujuſmodi Seculi decimi quarti fuit inventum, de quo quis dubitare poſſit, num plus damni quàm utilitatis Mundo intulerit. Certum eſt, cùm primò Ars iſta Mundo innotuit, ac in uſu eſſe cœpit, multis hominum millibus ademptum fuiſſe commodum captandi lucri, & familias ſuas alendi; Monachis quoque detrimento fuiſſe, qui poſt Sacra Miniſteria, tempus in conſcribendis exemplaribus, nec ſine quæſtu aliquo, honeſtâ occupatione impendebant. In *Turcico Imperio* locum adhuc non obtinuit Ars iſta, imò ut in ſuis Epiſtolis, refert *Cornelius Magnus* Parmenſis celebris per Orientem peregrinator, cùm de hac Arte introducendâ Conſtantinopoli in Divano ageretur, idque per civitatem evulgatum fuiſſet, parùm abfuiſſe quin popularis tumultus excitaretur. Multa pro utrâque parte afferri poſſent, legendus *Trajanus Bocalinus*, in ſuis Parnaſſi Novitatibus, qui refert Artis Typographicæ inventorem, Parnaſſum magno faſtu ingreſſum, ut intra illum literatorum cœtum exciperetur, aſt tanquam bonarum artium corruptorem turpiter inde ejectum. Sed hæc miſſa faciamus, & ſicuti muneris noſtri eſt, de morbis, quibus Typographi in opere ſuo ſunt obnoxii, diſquiramus.

Duplex itaque eſt illorum genus, unum eorum, qui ferè ſemper ſedendo characteres metallicos, ex ſuis loculis ſeligunt, & verba componunt, ſeu eoſdem characteres, cùm uſum amplius non habent, diſgregant, & in ſuis loculamentis reponunt, idque præcipuum eſt illorum opus. Aliud verò genus eſt illorum, qui prælo addicti ſemper ſtant, & ambabis manibus inſtrumento quodam ex alutâ conflato, & pilis impleto, atramento characteres diſpoſitos imbuunt, alter verò, dexterâ manu præli ſuperiorem partem movet, ac fortiter premit, ſicque temporis momento in chartâ apparet impreſſum totum id, quod in characteribus ſimul compactis deliteſcebat, ſicque rurſus eodem modo reperunt laborem hunc, donec totum opus juxta præſcriptum numerum fuerit abſolutum. Ingenioſum certè opus, ſi doctis Viris tantùm Libros ſuppeditaret, non iis qui ſcombros vendunt. Primum itaque genus, vitæ ſedentariæ addictum eſt, & conſectariè morbis illis, qui ſedentariam vitam conſequuntur, obnoxium eſt. Alterum vitæ ſtatariæ, & nimis laborioſæ; nam in hujuſmodi opere totum ferè corpus exercetur, unde hujuſmodi Operarii non poſſunt, quin laſſitu-

ſitudines, & magnas defatigationes perſentiant, ac ubi ad gravem ætatem pervenerint, illis neceſſe ſit hujuſmodi operi valedicere. Iis qui ſedendo manus exercent, alia incumbit calamitas, quod dum oculos in characteres illos atri coloris ſemper habent intentos, viſus imbecillitatem paulatim contrahunt; unde iis, quibus bona oculorum conſtitutio non eſt, lumina hebeſcunt, cum ſuffuſionibus, & aliis oculorum morbis. Novi ego duos fratres Typographos, oculos, ex ſuâ naturâ magnos & prominulos habentes, quibus neceſſe fuit artem deſerere, ne cœci omninò fierent. Memini, quòd cùm aliquandò ad quatuor circiter horas, apud Typographum ſediſſem, pro cujuſdam mei Operis correctione, poſtea è Typographiâ egreſſum oberrantes in oculo, atque etiam per noctem in phantaſiâ habuiſſe imagines illarum machinularum, quas fortiter eram intuitus. Ex continuo itaque, & fixo intuitu, in atros illos characteres, ſeu componendo, ſeu compoſitos diſſolvendo, tonus membranarum & fibrarum oculi valdè labefactatur, pupillæ præcipuè, unde mirùm non eſt, ſi oculorum morbos patiantur. Ipſimet Typographi referunt, quod ubi totâ die ad opus ſuum incubuerint, è tabernis egreſſi, ſibi videantur, noctu etiam, eoſdem characteres in imaginatione impreſſos, ad multas horas obverſari, donec ab aliarum rerum ſpeciebus, illorum imagines deleantur.

Præter hoſce oculorum morbos, aliæ quoque iis calamitates ſuperveniunt, uti febres continuæ, pleuritides, peripneumoniæ, & alii pectoris morbi; cùm enim Typographis neceſſe ſit, hyemali tempore totâ die in locis benè clauſis, & in hypocauſtis degere, ſi operari velint, & chartas impreſſas exſiccare; ubi poſtea ab hiſce locis tepentibus, ad aërem externum frigidum exeant, facili negotio iis contingunt cutis conſtipationes, & improviſa perſpiratus læſio, unde præſtò ſunt ſupra memorati affectus. Maximè verò hiſce morbis obnoxii ſunt, qui ad torcular exercentur, cùm enim ad opus hujuſmodi magno brachiorum, & totius corporis molimine opus ſit, iſti non rarò ſudore aliquo perfuſi, è Typographiâ pedem emittunt, ſicque morbis obviam procedunt.

Hiſce Artificibus Reipublicæ literariæ miniſtris, quamnam opem afferre poſſit Ars Medica, ſeu quod præſervativum proponi poſſit non video, niſi ipſos monendo, ut ſibi in hujuſmodi opere temperent, & aliquod diei horas labori ſuffurentur, & cùm hyeme è Typographiâ exeunt, benè palliolati domos ſuas repetant. Iis qui ad tabulas componendo aſſident, bonum erit, conſpicillis uti, ut oculorum tonus minùs fatiſcat, adſpectum etiam aliò avertere, eoſdem leviter manu confricare, ad ſpiritus torpentes excitandos, aquâ Euphragiæ, Violariæ, & aliis ſimilibus, eos abluere. Cæterùm cùm ab acutis morbis corripiuntur, ſuis & propriis remediis illis erit ſuccurrendum. Ad feliciorem tamen curationem obtinendam, bonum ſemper erit, *ſi Medicus* ſciat, quam artem exercere ſit ſolitus, quem curandum ſuſcepit.

De Scribarum, & Notariorum Morbis.

CAPUT II.

LOngè majorem apud Veteres fuiſſe Scribarum, & Notariorum numerum, quàm noſtris temporibus, ob Artis Typographicæ inventum, ſatis conſtat, multos tamen in ſingulis Civitatibus, & Oppidis eſſe, qui ex ſolâ ſcriptione ſe, & familias ſuas ſuſtentant, norunt omnes. Scribas, & Notarios ſervos fuiſſe ut plurimùm, ſeu libertos, ſatis fusè oſtendit *Roſinus*. Notariorum autem nomine haudquaquam hic intelligi velim eos, qui noſtris temporibus Codicillos, & Teſtamenta condunt, quos Notarios vocamus, ſed eos qui per parvas quaſdam notas, artem callerent celeriter ſcribendi, quos propterea Notarios appel-

appellabant. Sic *Plinius*, ut in ejuſdem vitâ refert *Plinius Nepos*, pro more habebat quotieſcunque iter faceret, *ad latus Notarium habere cum Libro, & pugillaribus, cujus manus hyeme manicis muniebantur, ut ne Cœli quidem aſperitas, ullum ſtudiis tempus eriperet.* Hiſce temporibus Ordinis Civilis ſunt hujuſmodi Scribæ, quos in Curiâ apud Magiſtratus, in Officinis Mercatorum, & in Aulis Principum, ad rationaria conſcribenda pretio conductos videmus; quibus itaque morbis obnoxii ſint, hujuſmodi Operarii perveſtigemus. Tria ſunt unde ſcribis iſtis morboſi affectus proveniunt, primùm continua ſeſſio, ſecundùm manus perpetua, & eodem ſemper tenore motio, tertiùm mentis attentio, ne Libros erroribus conſpurcent, ſeu dominis ſuis damno ſint in addendo, ſubducendo, aliiſque Arithmeticæ operationibus. Quos morbos ſecum afferat continua ſeſſio, facilè eſt cognoſcere, viſcerum enim obſtructiones, uti Hepatis, Lienis, Stomachi cruditates, crurum torporem, aliquam reflui ſanguinis remoram, & malos habitus; ſummatim beneficiis carent, quæ à motu moderato obtinentur, non enim etiam ſi velint, vacat ipſis exerceri, cum pretio conducti ſint, illiſque neceſſe ſit, totâ die ſcriptioni incumbere. Neceſſitas porrò calamo chartam exarandi, non levem in manu, & toto brachio infert defatigationem, ob aſſiduam muſculorum, & tendinum ferè tonicam tenſionem, unde fit, quòd temporis progreſſu dexteræ robur fatiſcat. Novi ego hominem profeſſione Notarium, qui adhuc vivit, hic toto vitæ ſuæ tempore aſſiduus fuit in ſcriptione, ex quâ non parùm lucri illi accedebat; hic primò quidem conqueri cœpit de magnâ laſſitudine totius brachii, quæ nullo remedio potuit tolli, tandem à Paralyſi abſolutâ, totum brachium dexterum occupatum eſt. Ut damnum repararet læva manu, ad ſcribendum cœpit aſſueſcere, ſed poſt aliquod tempus ipſa quoque eodem morbo correpta eſt. Quod verò hiſce Operariis crucem figit, eſt fortis & aſſidua animi intentio, in hoc enim opere cerebrum totum, nervos, fibras, in magnâ contentione eſſe neceſſe eſt, & exinde atoniam ſubſequi; Hinc cephalalgiæ, gravedines, raucedines, fluxiones in oculos, ob fixum in chartam obtutum, quales effectus magis premunt ratiocinatores, & calculi magiſtros, ut vocant, quales ſunt qui apud Mercatores operam ſuam locarint. In hoc cenſu quoque reponendi, qui à Secretis ſunt Principum, quorum genio placere non ultima laus eſt; in conſcribendis enim literis, in magna animi tortura perſæpè ſunt, non ſolùm præ literarum multitudine, ſed quia vel Principis mentem non aſſequantur, vel quia Principibus pro arte ſit ad duos fines nolle intelligi, hinc fit, ut qui huic muneri ſe addixerit, non rarò diris Artem ſuam, & Aulam ſimul devoveat.

At quæ præſidia iis, qui aſſiduâ ſcriptione, tam gravia mala ſibi accerſunt, præſcribet Ars Medica? Primò quidem ad reſarciendum damnum, quod vita ſedentaria inferre poſſit, proderunt corporis exercitia, moderatè tamen, feſtis diebus, ubi ſacris rebus in Templis fuerit indultum; frictiones quoque frequentes, erunt ex uſu. Frictio contrarias habet vires, nam ut ajebat (*a*) *Celſus: Frictione ſi vehemens ſit, duratur corpus, ſi lenis mollitur, ſi multa minuitur, ſi modica impletur*, quod tamen deſumpſit ab (*b*) *Hippocrate*. Si obſtructionis incipientis ſigna in viſceribus exſtent, non alienum erit, identidem corpus ſolvente aliquo expurgare, & univerſales purgationes Vere & Autumno inſtituere. Ad laſſitudinem verò brachii & manus dexteræ, eædem frictiones, ſed molliores, ex oleo amygdalarum dulcium, cui ad partis robur commiſceri poterit, modicum aquæ vitæ, conferre poterunt. Hyeme cavendum, ne ex frigore nimio manus torpeant, idcircò bonis chirothecis armandæ ſunt. Ad Caput præſervandum à malis, quæ illi perſæpe incumbunt, laudantur omnia Cephalica, ea præcipuè quæ ſale volatili prædita ſunt, ut ſpiritus ſalis Ammoniaci, qui ſolo odore potens

(*a*) Lib. 2. c. 14. (*b*) de Chir. offic. n. 11.

tens est torporem excutere. Particulares etiam capitis purgationes instituendæ, Pillulæ Joannis Cratonis identidem sumptæ commendantur, masticatoria quoque & ptarmica adhibenda, quæ sternutamentum ciendo, humores serosos è glandulis Cerebri excutiant; inter masticatoria, Nicotianæ usus moderatus egregiam præstabit operam. Alvus quantùm fieri possit facilis & lubrica servanda, mollioribus cibis, & si non respondeat, clysteribus sollicitanda, nam ut ex (a) *Hippocrate: Ventris torpor, universorum confusio, vasorum immunditia Cerebri consumptio.*

(a) 3. in 6. Epid.

De Morbis eorum, qui apud Aromatarios, varia Plantarum semina Saccharo condiunt.

CAPUT III.

AD Mensarum delicias, & alios quoque usus, saccharo condiri solent, varia Plantarum semina, uti Amygdalæ, Pistacea, Pineæ, Fœniculi, Coriandri, Santonici semina, & recentes quoque fructus, res equidem, iis quibus parantur pergratæ, non ita verò iis qui illas parant, nam ex hujusmodi ministerio non levia sunt mala, quæ referunt. A laquearis suspendunt amplum Craterem ex Orichalco, cui subdunt inconvenienti distantiâ catinum carbonibus accensis plenum, postea rebus condiendis in cratere positis, è vase superposito in debitâ distantiâ, saccharum liquidum guttatim per epistomium defluit. Duo ergo ministri, uti fieri solet *Venetiis*, ubi huic operi multùm incumbitur, cui aliis in locis unus tantum sufficit, craterem illum circumagitant, quo pacto candidâ crustâ operiuntur ea, quæ in cratere sunt posita. In hoc opere Ministri, non possunt quin totâ facie super illum craterem, calorem, & spiritus exhalantes, & si per totum diem in hoc opere exerceri velint, facili negotio magnas labes contrahent, uti cephalalgias, oculorum dolores, atque etiam graves anhelitus.

Tria sunt, quæ Operarios maximè infestant, Carbones accensi, Crater excalefactus, ac demum Saccharum ipsum. Carbo ignis est productum, parentis lucidissimi proles nigerrima, cujus naturam licet potiùs admirari, quàm velle cognoscere. *Quid in Carbonibus*, ajebat (a) *Divus Augustinus* in Libro de Civitate Dei; *Nonne miranda est & tanta infirmitas, ut ictu levissimo frangantur, pressu facillimo conterantur, & tanta firmitas, ut nullo humore corrumpantur, nulla ætate vincantur, usque adeò, ut eos substernere soleant qui limites figunt, ad litigatorem convincendum*, sed admiranda magis est illius pestifera vis, quâ temporis ferè momento hominem necat, nisi illi exitus liber pateat. Quâ vi id efficiat, cùm prunæ ardentes in loco etiam concluso, id non agant, inter res abditas adhuc est, hujusque potestatis suffocativæ, multa sunt exempla. Quàm graviter à fumo Carbonum afflictus fuerit, *Helmontius*, ipsemet refert in Jure duumviratus; ait enim, quod dum esset mediâ hyeme in clauso cubiculo scripturiens, ob testam allatam carbonum, tam graviter percussum, ut vix è Musæo exire potuerit, & paulò post in terram semimortuum cecidisse. Accusat idem *Helmontius* gas quoddam sylvestre in carbone latens, quod suscitatur à sulphure quodam inflammabili inibi concentrato. Crater ille, in quo sunt semina, Cupri retinet vitium, Orichalcum enim conflatur ex cupro, & lapide calaminari. Vas itaque istud excandefactum, suum acorem exspirat, qui ab Operariis excipitur; accedit tandem saccharum liquatum, quod seminibus superaffunditur, & halitus suos corrosivos exhalat, qui eò magis sunt acriores, quò saccharum, quod ad condituram adhibetur, candidum est, & aquâ calcis repurgatum, nisi enim ea quæ condiuntur summum candorem præferrent, convivis in fine mensæ jam

(a) Lib. 21. cap. 4.

saturis, stomachùm potiùs, quàm appetentiæ incitamentum facerent. Omnia hæc itaque conspirant, ad graves noxas Operario inferendas, Cerebro, Oculis, & Pectori potissimùm, Caput enim graviter dolet, oculi ab ignis halitibus, tanquam spiculis punguntur ut rubescant, ac interdum inflammentur, anhelitus quoque læditur, ob inspiratum aërem acribus particulis saturatum. Ut aliquæ cautiones hujusmodi Operariis proponantur, primò curare debent, ut quantùm licet tale opus fiat in aperto loco, ad faciliorem hujusmodi vaporum diffusionem, operis interruptio ad aliquot horas ad aërem recentem hauriendum laudatur, quo tempore faciem aquâ abluere debent, & poscâ fauces abstergere. Ad Carbonum malignitatem emendandam, lubet remedium proponere, quod in usu est apud omnes ferè Artifices, ubi per hyemem carbonibus accensis in suis Officinis uti necesse sit; frustum enim ferri inter carbones reponunt, sic enim Carbonum virulentiam corrigi existimant; forsan dici posset Spiritus illos malignos carbonis in ferream substantiam vim suam exercere, sive ferrum ipsum eosdem absorbere.

De Textorum, & Textricum Morbis.

CAPUT IV.

QUanti usus imò necessitatis sit ars textoria, vel ex hoc dignosci potest, quod mortalium nemo, nisi aliquo opere textili nuditatem suam operiat; nec est, quod de naturâ conqueramur, quæ avibus pennas, cuique animali pilosum integumentum concesserit, solum autem hominem, nudum reliquerit; homo enim ingenium habet, & manus, quibus varia & diversa vestium genera sibi contexat, non ad operimentum solùm, sed ornatum quoque ac decorem. Ars texendi olim muliebre, ut plurimùm erat ministerium, ut etiam Nobiles Matronæ, ab hujusmodi opere non abhorrerent; sic *Penelope*, Marito absente, telam texendo, & redordiendo Procos eludebat. Apud (a) *Virgilium* legimus, *Æneam* in funere *Pallantis* occisi, binas Chlamydes auro distinctas eduxisse:

Quas illi læta laborum,
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas discreverat auro.

nunc ad solas manus plebejas textricum & textorum, ars ista hæc deducta est, multumque est, si Nobiles Mulieres super telas acu pingere didicerint. Duplicem fuisse texendi rationem, tradit *Octavius Ferrarius* in Opero suo Eruditissimo de Re Vestiariâ, unam antiquissimam, in qua Mulieres stantes texebant sursum versus, & in altitudinem, alteram qua sedentes & deorsum, hancque ait fuisse Ægyptiorum inventum, qui tramam trudebant in inferiorem partem, sive ad pectus trahebant; modò sedentes quidem mulieres texunt, sed talis sessio est, ut etiam quodammodò videantur stantes. Opus hujusmodi certè laboriosum est, totum enim corpus exercetur, ambæ manus, brachia, pedes, dorsum, ut nulla pars sit, quæ huic Operi eodem tempore non allaboret. Rusticanæ mulieres hyemali tempore, quo vacant ab agrorum culturâ, in stabulis suis telas ex filo cannabino, aut lineo conficiunt, & puellæ præsertim antequam nubant, quibus ars texendi pro dote est, turpe enim habetur, si rustica mulier artem hanc non calleat. Cùm ergo laboriosa sit ars ista, sua habet incommoda, & præsertim mulieribus, nam si gravidæ sint, facilè abortiunt, & fœtum excutiunt, unde postea multa mala superveniunt. Habitiores itaque, & robustas esse oportet textrices, quæ arti huic unicè se addixerint, alioquin ex nimio labore fatiscunt, & in grandiori ætate, artem hanc deserere coguntur. Ab hac tamen præter lucrum, id beneficii referunt, quod menstruæ purgationes,

(a) Æneid. lib. 12.

tiones, iis ſuo tempore faciles ſint; perrarò enim evenit, ut textrici mulieri ſupprimantur, imò interdum, iis in nimiâ copia profluunt, ſi eo tempore texturæ, plus quam decet incumbant; quare cùm juvenculæ mecum interdum conqueruntur, quòd iis non benè, nec ſuo tempore floreant menſes, illas moneo, ut textrices, & operoſas Mulieres potiùs quàm *Medicos* conſulant. Cum vix ab aſſumpto cibo, mulieres quæſtus avidæ in textrinam redeant, damna non levia ſtomacho & coctioni inferunt, ex motu enim illo nimis valido, & pectinis ad pectus adductione, perturbatur fermentatio; & chylus imperfectus cogitur ſubire lacteas, & cruditatibus maſſam ſanguineam implere. Textores quoque pannificio præſertim addicti, niſi robuſti ſint & lacertoſi, graviter affligi ſolent, laſſitudine præſertim brachiorum, dorſi, & pedum laborant. In pannificio etenim propter magnam panni latitudinem, duo ſunt homines, ad idem opus intenti, unus dexterâ manu naviculam, cum tramâ ad alterum tranſmittit, & alter ſiniſtrâ manu eandem remittit, ambo poſtea magnâ vi pectinem ad pectus eodem tempore contrahunt. Panni textoribus aliud malum, quod Textribus, quæ telas ex lino, cannabe, ſerico texunt, non advenit, ex materiâ quam tractant, ſolet accedere, lana nempè oleo imbuta, quæ ſemper pravum odorem ſpirat; ſic illorum corpora malè olent, ac interdum etiam fœtet anima, oculi enim rubent, uti evenit in omnibus, qui lanam oleo imbutam tractant.

Præſidium itaque ad mala antevertenda eſſet tam viris, quàm mulieribus in opere tam arduo moderatio; illud enim vulgatum *ne quid nimis*, nimis mihi placet; molles frictiones ad laſſitudinem tollendam, ex oleo amygdalarum dulcium, brachiis, femoribus, & cruribus, erunt ex uſu. Pannificibus, quantùm fieri poteſt, corporis mundities procuranda, feſtis ſaltem diebus, puras veſtes induendo, lavacro odorato ex vino ablutis manibus, brachiis, & cruribus.

In textrinis ubi pannificio incumbitur, quidam operarii ſunt, qui pannos jam factos magnis, ac ponderoſis forcipibus, totâ die attondent, quod miniſterium certè laborioſum eſt, brachiis præſertim, & manibus, quare ipſorum quoque ratio habenda, & iiſdem præſidiis ſuccurrendum.

De Morbis, quibus obnoxii ſunt Fabri Ærarii.

CAPUT V.

INter metalla, quæ hominum ſagacitas è terræ viſceribus novit eruere, ferrum atque æs præcipuum habent uſum, longè magis, quàm Argentum, atque Aurum; unde Mexicani, quibus pro Ferro atque Ære, Aurum & Argentum natura conceſſerat, Europæis ferro armatis & pugnantibus invidebant. Cùm ergo magnus ſit Æris uſus, à priſcis etiam temporibus, uti videre eſt apud *Athenæum*, qui ait *Platonem* & *Lycurgum* ſtatuiſſe in ſuis Rebuspublicis, ex omnibus metallis ſolum Æs & Ferrum ſufficere, ſic ut monetæ apud Veteres ex ſolo Ære eſſent percuſſæ, unde Ærarii nomen: De morbis, quibus Fabri ærarii ſunt obnoxii, in hoc capite erit ſermo, de iis tamen loquendo, qui intra Civitates, in ſuis tabernis circa Æs exercentur, non autem de iis, qui in Fodinis Æs eruunt, de quibus in primo capite; ubi de metallorum foſſoribus facta eſt mentio. In ſingulis itaque Civitatibus hujuſmodi Operarii, ac *Venetiis* in unum vicum collecti ſunt omnes, qui totâ die malleationi Æris incumbunt, ad ductilitatem obtinendam, ut varia exinde vaſorum genera conficiant, unde tam ingens ſtrepitus exſurgit, ut ſoli Operarii inibi tabernas & domicilia habeant, locum enim illum adeò infeſtum, omnes effugiunt. Obſervare ergo eſt hujuſmodi Artifices, ſuper parva ſtrata humi ut plurimùm ſedentes & incurvos,

vos, totâ die malleis primò ligneis, poſt ferreis, Æs novum percutiendo ad ductilitatem, quæ expetitur redigere. Primò igitur ex continuo illo ſtrepitu, aures malè affici, & totum etiam caput, neceſſum eſt, unde ſimiles artifices ſurdaſtri fiunt, & ubi in hoc opere conſenuerint, omninò ſurdi; auris enim tympanum ex continuâ illâ percuſſione, naturalem ſuam tenſionem amittit, & aëris interni repercuſſio ad latera, omnia auditus organa infirmat ac pervertit; idem itaque ipſis evenit, quod Nili accolis in Ægypto, qui ex nimio ſtrepitu cadentis aquæ omnes ſurdi ſunt. Iidem quoque gibboſi evadunt, ex continuâ illâ in operando curvitate. Idem ipſum pariter iis evenit, qui Aurum in tenuiſſimas bracteas malleando deducunt.

Præter noxas hujuſmodi Aurium & Capitis, graves quoque pulmonum & ſtomachi affectus illis incumbunt; nam dum malleis Æs tundunt, halitus quidam viroſi ex Ære percuſſo elevantur, & per os ſubeunt ſtomachum, ac pulmones, ut ipſimet Artifices fatentur. Ex Ære multa medicamenta parari ſolent, uti flos Æris, ſquamma Æris, viride Æris, quæ vim emeticam & corroſivam poſſident. Hanc ergo vim erodendi, exſiccandi, ſentiunt ipſi Artifices, dum per inſpiratum aërem hauriunt. Ab iis ſciſcitatus ſum, num ab hujuſmodi halitibus in oculis noxam ullam perſentiant, nec quidquam oculos affici reſponderunt, quod conforme eſt illi, quod dixit *Macrobius*, qui ſcripſit in fodinis Æris, foſſores oculos ſaneſcere, ſi lippitudine laborent, ſic & xerocollyria ex Ære parari ſolent.

Quibus remediis hujuſmodi noxis obviam iri poſſit, ego non video, aures goſſypio obturari poſſent, ut minus à ſtrepitu concutiantur partes internæ, & oleo amygdalarum dulcium illiniri poſſent, à continuo illo ſtrepitu infractæ & concuſſæ. Ad corrigendam xiryaſim, quæ pulmones afficit, ob hauſtum aëris metallicis halitibus ſaturati, proderunt emulſiones ex amygdalis, ſeminibus melonum, cucurbitæ in aquâ violarum, hordei, & ſimilibus, ſerum vaccinum quoque & ferculæ ex lacte commendantur. Si verò Artifex ex ſuâ naturâ ſiccus ſit, aridus, & pulmonis affectibus obnoxius, nullum ſecurius remedium eſt, quàm ut artem deſerat & alteri ſe addicat, peſſimum enim eſt lucrum, quod ad citam mortem deducit. Sicubi ergo aliquis Ærarius artifex ex aliquo morbo acuto, uti febre, decumbat, non inutile erit *Medico* curanti noſſe, in quâ arte ſit exercitus; cùm enim perſæpè in acutis febribus aurium ſonitus percipiantur, *Medicum* non ſic terreri oportet, atque hinc malum omen deducere, cùm ex *Hippocrate* funeſti ſint hujuſmodi ſonitus, mirum enim non eſt, ſi in hujuſmodi Artifice, aures hebetiores ſint, & in acutâ febre ſoni graviores excitentur; ſic ad pulmonum affectus reſpicere oportet, ne à febris acutie ſiccitas intendatur, ſed plurimâ humectatione, emulſionibus eoſdem reſtaurare.

De Lignariorum Morbis.

CAPUT VI.

POſt fruges nihil hominibus magis utile natura produxit, quàm arbores ac ſylvas, imò ut rectè (*a*) *Plinius*: *Hinc primum alimentum, harum fronde mollior ſpecus, libro veſtis*, poſtea invento ferræ uſu, arbores in tabulas ſecari cœptæ, ſic & conſtrui domus, & mille alia ad humanos uſus. Lugdunum in Galliâ totum ligneum olim fuiſſe cenſendum eſt, nam eam Urbem unicâ nocte arſiſſe refert *Seneca*, ut ruſtici, qui mane Civitatem adibant caſum hunc ignorantes, cùm ei valdè proximi eſſent, nec eam oculis adſpicerent, ſtupidi mirarentur, quid factum eſſet de Lugduno, unde *Seneca* humanos caſus

(*a*) In Præf. lib. 12.

ſus miſerans exclamavit *diu Sylva, momento cinis.* Noſtris etiam temporibus, in Septentrionali plagâ, Urbes ſunt totæ ligneæ, uti *Moſca*, in quâ magnæ Tabernæ ſunt, in quibus proſtant domus venales allaboratæ, quales eſſe debent, magnæ, parvæ, mediocres ad genium emptoris, ut quis paucis diebus habere poſſit domum in deſignato ſitu paratam.

Ars lignaria, licet in genere unica ſit, in varias tamen diſpeſcitur, cùm alii ſint, qui ſolas Rhedas, & Currus, alii qui ſolas dolia & Tinas, alii qui ſolas Naves fabricentur. Quidam ſunt, qui ſcalpro ſolùm pro ſpeculis & pictis Tabulis, ornatus elegantes, poſtea deaurandos efficiunt. In univerſum Ars iſta laborioſa eſt, & ſuos Artifices fatigat; graviùs tamen afficit eos, qui ferræ uſu arbores in tabulas ſecant, laborioſum enim eſt opus hujuſmodi, arbores enim quadratas ſuper duo ligna collocant, & Operarius unus pedibus ſupra trabem ſtans, alter infra, magnâ ferrâ ſecundum lineas, rubricâ deſignatas trabem ſecant. Opificium iſtud eleganter *Hippocrates* in primo de diætâ his verbis deſcripſit. *Quemadmodum fabri lignarii lignum ſerra diſſecant, & alter quidem trahit, alter protrudit, idem ſanè facientes, & qui deorſum premit, ſuperiorem trahit, neque alias admitteret deorſum ire, ſi verò violenter cogant, toto opere aberrabunt.* Qui ſupra trabem eſt, magis laborat, quàm qui infra, ſerram enim ſatis gravem ſurſum trahere debet, qui verò infra operatur, non leve incommodum patitur ex continuo ſcobis deſcenſu in oculos & os quoque, unde oculorum rubor, & dolor ſubſequitur, illi enim fere ſemper connivere neceſſe eſt.

(a) Ænei lib. 11.

Ii quoque qui ad Tornum exercentur, ac præcipuè ſi lignum ſit ex Buxo, Oleâ, Therebinto, & aliis ſimilibus, non levem in opere ſuo laborem experiuntur, (a) nam manus & brachia in aſſiduâ contentione habere illis neceſſe eſt, ut ſcalprum detineant, quo paulatim abradant, quod volunt ad deſignatum opus, pede dextro continuò laborandum, ut lignum contornandum volvatur, ac revolvatur. Oculos quoque ad opus intentos habere oportet, qui ex illâ circumvolutione ligni, noxam aliquam contrahunt, ſpiritibus & humoribus in motum vertiginoſum concitis. Ex materiâ, quam tractant Fabri lignarii, nullam ferè noxam patiuntur, niſi aliquandò ex ligno cupreſſi, cùm quidam ſint, qui illius gravem odorem, ſine capitis dolore ferre non poſſunt.

Fabris lignariis remedia ad cautionem non habeo, niſi moderationem in nimio labore, ne lucro nimis intenti, morbos ſibi comparent, ac poſtea inviti ab opere ſuo exercendo, ad multos dies vacare teneantur; Frictiones molles ex oleo, uti omnibus operariis ex nimio labore defatigatis erunt ſalubres. Oculorum quoque habenda eſt ratio, ut quantùm fieri poſſit minùs patiantur operis intermiſſione, & ſi dolore ac rubore teneantur, rebus temperatis, ut aquâ hordei, violarum, lacte muliebri abluantur, ſi verò acutis morbis aliâ ex causâ corripiantur, eædem cautiones adhibendæ circa magnorum remediorum adminiſtrationem, ut in aliis Operariis, quibus ex nimio labore vires ſint magis exhauſtæ.

De Morbis eorum, qui Novaculas, & Phlebotomos ad cotem acuunt.

CAPUT VII.

PAucas eſſe artes exiſtimo tam innoxias, quæ ſuis Artificibus labem aliquam non affricent. Quis unquam credidiſſet, iis qui ad parvam molam ex cote Novaculas Barbitonſorum arma, & Phlebotomos, Chirurgis ad venam ſecandam inſervientes exacuunt, aciem oculorum obtundi? Aſt id verum eſſe experientia comprobat, neque id mirum eſſe debet, nam cùm hujuſmodi Operariis, neceſſe ſit oculos ſemper habere intentos ac de-

fixos in molam illam, quæ magnâ velocitate circumagitur, fieri nequit, quin oculorum frangatur tonus, & progreſſu temporis hebeſcat viſio, uti omnibus Lepturgis evenit. Vertiginoſis etiam affectibus, cùm totâ die, operati fuerint, infeſtari ſolent, ac ii præcipuè, qui non tam firmo capite fuerint, ut etiam poſt opus ſibi videantur in mente molam circumactam adſpicere. Ab hac causâ externâ, & occaſionali probabile eſt, in motum cieri humores oculi, aqueum præcipuè, qui naturâ ſuâ mobilis eſt, nec non ſpiritus animales in orbem circumrotari, ſicque naturalem oculi œconomiam perverti. In hac Civitate, quidam in hac Arte ſatis peritus eſt, in acuendis Novaculis & Lanceolis, unde lucrum non leve illi advenit; licet continuato per totum diem opere, oculorum ruborem, & ophthalmias interdum graves pati ſolet, nec hujus infortunii aliam cauſam, quàm Artem ſuam culpat; alios poſtea Artifices hujuſmodi interrogavi, qui ferè omnes de oculorum morbis conqueruntur. Non exiguus quoque labor iiſdem eſt, dum dextro pede efficiunt, ut rota major lignea in orbem circumagatur, quæ parvam molam in eundem motum ducat, aſt ab hoc incommodo cavere poſſunt, ac nonnulli etiam cavent, dum machinam hujuſmodi à pueris in gyrum adduci jubent, manibus tamen & brachiis ad opus intentis, laſſitudinem non parvam contrahunt, oculi tamen ii ſunt, qui magis lædun-tur; quo præſidii genere, iis ſuccurri poſſit, aliud non video, niſi temperantiam, & ad horas aliquot ab hujuſmodi opere vacare, nec tanti lucrum facere, quanti ſanitatem; ea quæ ſuperiùs diximus lepturgis conferre, h. e. qui circa res minutas viſum exercent, hiſce quoque erunt adminiſtranda, ne cum tædio legentium eadem ſæpius repetantur.

De Morbis Laterariorum.

CAPUT VIII.

PRimæ ætatis homines, non habuiſſe domos arte factas,

Cum frigida parvas
Præberet ſpelunca domos, ignemque laremque
Et pecus & dominos communi clauderet umbra,

ſatis credibile eſt; poſtmodum verò ad commodiorem habitationem, *Mapalia* ex harundinibus, & ſtramentis facta, mox caſas ex ſaxis, & tophis, totam materiam ſuppeditante naturâ, fuiſſe conſtructas, quales in locis montanis etiamnum videre eſt, noſtris temporibus, ex ſolis ſaxis congeſtas, & luto glutinatas, atque latis ſilicibus contectas. Quoniam verò in locis planis & campeſtribus, ſaxa non aderant, lateres ex luto conficere, eos ad Solis radios exſiccare, in fornacibus excoquere didicerunt, ſicque lateritiæ domus, melioris formæ, & firmitudinis apparuere. Cùm ergo inter Artifices laterarii quoque numerentur, ac neceſſarium ſit illorum opus ad veteres domos reparandas, & novas conſtruendas, quales morbos ex hujuſmodi opere ſibi accerſant, perveſtigemus. Non eſt quòd hic quomodo lateres fiant & coquantur in fornacibus exponam. Opus enim hujuſmodi cuique ſatis obvium eſt, dum extra Civitatum pomœria paſſim, aliiſque in locis facilè ſit obſervare, ſimiles Operarios. Hoc opus præ cæteris valdè laborioſum eſt & ſervile, ſub quo gemebant olim *Iſraëlitæ* in *Ægypto*, lateribus conficiendis addicti, pro ſolamine allia, & cæpas habentes. Cùm ad Solis radios neceſſe ſit amplis in Areis, ex luto ritè ſubacto lateres conficere, eoſque benè exſiccare, ac tandem in fornacibus reponere, ut lapideſcant, fieri non poteſt, quin illorum corpora maximè durentur, & ſicca fiant. Ad morbos itaque acutos, valdè diſpoſiti ſunt tales operarii, febres nempè malignas, non rarò flammatorias, cùm enim omnibus aëris injuriis ſint expoſiti, uti matutinis frigidam auram captare, meridianis à ſolis radiis exuri, veſpertinis horis mitiorem aërem experiri, ac perſæpè pluviis madeſcere, agreſti victu accedente,

cedente, ex pane secundario cum alliis, cæpis, vino, ut plurimùm vapido, mirum non est, si gravissimis morbis corripi soleant, potiùs mirari licet, quomodo tam durum opus, ad plures menses sustinere possint. Febres itaque hujusmodi Artificum, delirium ferè semper habent adjunctum, à quibus si evadant, ad morbos chronicos facilè transeunt, uti ad quartanas, malos habitus, interdum etiam ad hydropem. Similes Operarii, sunt ut plurimùm ex rusticanâ gente, quare ubi febre corripiantur, ad tuguria sua se conferunt, solo naturæ negotio commisso, seu ad Nosocomia deferuntur, in quibus solitis remediis, purgatione, sanguinis missione, ut reliqui, curantur, ignotâ *Medicis* horum Artificum conditione, qui exhausti sunt, & à diuturno labore exsoluti.

Hisce miseris Operariis, optimum remedium esset balneum aquæ dulcis in ipso principio, ubi febrire incipiunt, squallida enim sunt illorum corpora, humectata enim cute, ac poris apertis, patesceret via febrili incandescentiæ, ast nostris temporibus exolevit balneorum usus, qui priscis *Medicis* tam familiaris erat. Magno usui *Romæ* olim erant balnea, ubi enim totâ die, Operarii sese exercuissent, vespertinis horis balnea publica adibant, in quibus parvo lavabantur, ac in iis sordes contractas, & lassitudinem simul deponebant, quo modo à morbis minùs infestabantur, quàm nostrorum temporum Artifices. Nemo erat cujuscunque sortis, sexus, ætatis, qui balneorum usum non haberet. Matronæ pariter & puellæ, balnea adibant in primis nascentis Ecclesiæ temporibus, ut constat ex Epistolâ D. *Hieronymi* ad *Eustochium*, ubi illam admonet, ut si Virginem puellam, in balneo lavari conveniat, ad munditiem corporis, & sanitatis quoque gratiam, illam admonet, ne puella virgo nudam se videat, forsan enim in obscuro loco clausis fenestris, seu per noctem lavacrum hujusmodi, Virginibus faciendum volebat, nam balneorum fabrica à prisco usu, in magnum luxum degeneraverat. In hanc rem legi meretur (a) *Seneca*, ubi *Villam Scipionis* describit, qui voluntario exsilio, post Africam subactam, Linternum se recepit, ubi in balneolo *Carthaginis horror abluebat corpus laboribus rusticis fessum, non quotidie lavabatur, nam ut ajunt, qui priscos mores Urbis tradiderunt, brachia, & crura quotidie abluebant, quæ scilicet sordes opere collegerant, cæterùm toti nundinis lavabantur.* Laterariis itaque, qui in luto semper hærent, uti proverbio dici solet, valde salubris esset balnei usus, tum ad sanitatis tutelam, tum ad morbum tollendum; sed quoniam Christiana Religio animorum potiùs, quàm corporum sanitati intenta, passa est paulatim obsolescere balneorum usum, tam salutari præsidio in omnibus penè morbis, nostrorum temporum destituta est Ars Medica.

(a) Epist. 89.

De Putearíorum Morbis.

CAPUT IX.

QUemadmodum laterariis ad Solis, & ignis præsentiam exerceri ac torreri necesse est, ita Putearíis procul à Sole, & igne vim frigoris, & nimiæ humiditatis, puteos fodiendo, experiri, vel in media æstate; hyeme etenim, ac vere, quo tempore terra prægnans est aquæ, putearíorum operam nemo exquirit. Cùm ergo ad novos puteos fodiendos, seu veteres expurgandos, ac altiùs venarum aquas perscrutandas, commodum tempus sit æstas, dum Procyon furit, & stella vesani Leonis, nemo non videt, quanti periculi plenum opus sit talis operatio, à calido enim ad frigidum, & à frigido ad calidum, à sicco ad humidum, & ab humido ad siccum, fit transitus. Ex longâ itaque morâ in loco frigido, & aquarum madore, quæ hinc inde confluunt, perfacilè est

eſt ſtipari cutem, ac perſpiratum graviter lædi, unde poſtea acutæ, & malè moratæ febres ſuboriuntur. Accedit præterea alia cauſa, unde malignæ febres emergant, tetra nempè exhalatio, quæ ex puteis exſpirat, præcipuè in collibus, & montanis locis, ubi ſulphura, nitra, & alia mineralia ſunt, quæ putearii ſpiritus & humores corrumpant. In locis campeſtribus, & planis, non ita læduntur, in iis tamen ſemper putor aliquis percipitur, ex quo puteis nomen eſt inditum. Hanc itaque ob cauſam, ſpiritus animales, quorum indoles ætherea eſt, & aurâ puriori gaudent, inſigniter vitiari neceſſe eſt. In putearium cenſu veniunt, qui ciſternas à ſordibus collectis repurgant, quas inibi aquæ pluviales, quæ è tectis, per euripos, & canaliculos in illas influentes relinquunt, quale opus Venetiis potiſſimum ſatis commune eſt, æſtate præſertim; dum ergo haſce ciſternas verrunt & purgant, nec tam cito id poſſit fieri, non poſſunt, quin labem contrahant, ſicut putearii.

Hac occaſione memorare lubet Puteos in Agro Mutinenſi, ex quibus petroleum illud celebre obtinetur candidum & purum, cùm nullibi in totâ Europa ſimile quidpiam habeatur. In Appennini jugis exſtat Mons Feſtinus dictus, ad viginti millia paſſuum ab Urbe diſtans, in cujus ſummo parva planities viſitur, in quâ hinc inde varii ſunt Putei, tum veteres, tum novi, ex quibus Petroleum colligitur, quod exſtat in fundo aquis innatans: Putei iſti profundiſſimi ſunt, nec niſi ſcalpro, & malleo facti, cùm totus ille Mons ſiliceus ſit, unde ab incolis Oleum ſaxi appellatur. Cùm ergo novus conſtruitur, Putearii maximè ab illo odore infeſtantur, quali odore circumquaque totus aër eſt oppletus, nam memini, cum eo loci conceſſiſſem, ut Puteos illos inviſerem, me ad milliaris unius diſtantiam, Petrolei odorem perſenſiſſe. Interdum evenit, ut dum Putearius ſcalpit, venas quaſdam Petrolei perrumpat, unde Petrolei copia largius emanet, tunc altâ voce clamat, ut quàm citiſſimè per funem educatur, ne inibi ſuffocetur, ac interdum vix educi potuit, ſed anhelitum ægrè ducens; referunt etiam quoſdam ex his Operariis, ex largiori vena Petrolei diffusâ, ſuffocatos miſere periiſſe. De Petroleo Montis Feſtini Typis olim tradidi Epiſtolam, ad Illuſtriſſimum D. Felicem Abbatem Viali Patavini Horti Præfectum, ac eodem tempore recudi curavi Libellum de Petroleo Montis Zibinii, quem Libellum Franciſci Areoſti manuſcriptum, *Oligerus Jacobæus* in Bibliothecâ Regia Haffnienſi repererat, & Haffniæ imprimendum curavit; Petroleum enim Montis Zibinii parva foſſione obtinetur, nam in quadam profundâ valle, parva ſcrobs viſitur, ubi Petroleum ſuper aquam innatat, ſed Petroleum iſtud rubrum eſt, neque comparandum Montis Feſtini Petroleo, quod candidiſſimum eſt, nec tam ingrati odoris. Exſtat Mutinæ, aliud Putearium genus, qui non æſtate, ſed mediâ hyeme Puteos effodiunt; ſed longè diverſos ab aliis Puteis, nam ex his obtinentur fontes aquæ vivæ puriſſimæ, atque nitidiſſimæ, de quorum Fontium admirandâ ſcaturigine Tractatum Phyſico-Hydroſtaticum edidi, quem Patavino Typographo recudendum tradidi, cùm nulla prioris editionis exemplaria uſpiam reperire ſit, & à rerum naturalium curioſis exquiratur. Longum eſſet, modum tradere, quo Putei iſti conſtruantur, ſatis ſit noſſe, varia ſtrata modò terræ cretaceæ, modò paludoſæ, alternatim reperiri, quibus tranſactis, exſtat ſtratum ſabuloſum, glareâ minutâ refertum, ad quod ubi devenerint Putearii, pro operis metâ & complemento habent, inibi enim percipitur aquæ fluentis murmur. Magnâ & longâ Terebrâ igitur, putei lateribus inſiſtentes, ſtratum illud glareoſum ad duas vel tres ulnas perforant, quo facto, tanto impetu aqua erumpit, ut Operarius lateribus Terebræ inſidens, per funem vix educi poſſit, ut aqua erumpens illum non pertingat; temporis itaque ferè momento, Puteus aquâ impletur, quæ poſtea perenniter ſupra terram defluat. Multa equidem curioſa, in horum Puteorum foſſione obſervantur ſcitu digna, uti arbores magnæ in illâ profundi-

tate,

tate, oſſa magna, & alia quæ in Opere meo recenſui.

Opus hujuſmodi valdè laborioſum, & ſordidum eſt, cùm enim ad integrum ferè menſem in hiſce puteis Operarios immorari oporteat, hyemali tempore, ut dixi, cùm per Æſtatem ob fumoſas exhalationes, & intenſum frigus, Opus hujuſmodi aggredi renuant, hyeme verò inibi degant, tanquam in hypocauſto, ob multùm calorem concentratum, ſine ullâ exhalatione, cum accenſis luminibus, quæ per Æſtatem à fumoſâ exhalatione exſtinguuntur, dum quotidie, tum propter foſſionem, tum propter calorem inibi hoſpitantem, toti ſudore perfuſi educuntur, non poſſunt quin graves noxas contrahant & ea incommoda, quæ ex perſpiratu læſo oboriuntur, ſentiant. Putearii in univerſum perſæpe ſolent decumbere, ex morbis pectoris, deſtillationibus, aliiſque morbis; cachectici ut plurimùm ſunt, ob victum pravum, quo per inopiam utuntur, luridi adſpectus, atque ubi ad 40. aut 50. annum devenerint, huic arti, atque etiam vitæ extremum valedicunt, hæc eſt miſera horum Artificum conditio.

Quomodo curandi ſint Operarii iſti, cùm ægrotant, ſive acutus, ſive lentus ſit morbus, quivis *Medicus* qui modicè ſapiat & norit, quamnam artem exercere ſint ſoliti, facilè dignoſcet, perſpiratum nempè corporis, ob longiorem moram in locis humidis, ac putidis graviter læſum, propriis remediis reſtituendum, vitioſos ſuccos corrigendos & purgandos, naturæ fractas vires refocillandas; convenire propterea in principio frequentes frictiones univerſo corpori, cum unctione *Aetii*, cucurbitulas ſiccas, lavacra cruribus & brachiis ex vino generoſo, in quo incocta fuerint folia Salviæ, Lavendulæ, flores roris marini, & ſimilia, cucurbitulas etiam ſcarificatas dorſo appoſitas, quod remedium exercitis hominibus familiare eſt, parcè mittendum ſanguinem ex venâ, ſeu aperiendas venas hæmoroïdales, appoſitis hirudinibus, leniter quoque ac per epicraſim, ut dici ſolet inſtituendam purgationem, ne vires exſolvantur, vehemens enim purgatio ex (a) *Hippocratis* decreto parum ſalutaris eſt, *qui pravo utuntur victu.*

(a) 2. Apho. Aphor 36.

De Nautarum, & Remigum Morbis.

CAPUT X.

SI Ars ulla eſt, quæ ad publicam felicitatem, & mutuum commercium ſervandum multùm conducat, ea maximè Navigatoria eſt, quæ Ortum Occaſui junxit, Aquilonem Auſtro, & bona, quæ huic & illi Regioni Natura fecerat propria, Navigatio fecit communia. Ars iſta mehercle antiquiſſima tanti habita eſt, ut illius inventores, divinis penè honoribus celebrarentur; ſic *Argonautæ*, qui in *Colchos* uſque navigarunt, inter Heroës connumerati, & Navis Argo à Poëtis in Cœlum tranſlata. Quid ſi vidiſſent, uti paſſim noſtris temporibus, à metis herculeis claſſes armatas Navigationem in Peruvianas uſque Regiones ſuſcipere? Ars iſta certè jam ſummum perfectionis attigit, planeque oſtendit fabuloſum non eſſe, ut olim creditum, reperiri homines, qui adverſa nobis habeant veſtigia. Exquiramus ergo, ut noſtri muneris eſt, quas noxas patiantur Nautæ, cæterique operarii, ſeu potiùs quinam ſint morbi, quibus non pateant illorum corpora. Hic tamen, non de Morbis Navigantium, qui Mercaturæ gratiâ ſeu ad alios fines navibus ſe committunt, ac in iis otioſi nihil operantes degunt, loqui mens eſt, ſed de Nautis, qui diu noctuque in continuo ſunt opere. Quocumque igitur acutorum morborum genere, ut uno verbo me expediam, premuntur Nautæ, Remiges aliique operarii; tale eſt enim illorum vivendi genus, tot ærumnæ quas patiuntur, in hoc inſtabili &

infido elemento, utcumque acutos morbos in illis inveniat, quo rabiem ſuam depaſcatur, chronici quoque morbi eoſdem infeſtant, ſed non tam diù, ut ſolent terreſtres Artifices, navis enim locus aptus non eſt, ad alendos chronicos morbos. Ante Magnetis uſum, valdè laborioſam fuiſſe hanc Artem fas eſt credere, nam illis neceſſe erat, per noctem ſub dio oculos ad Cynoſuram habere intentos, ut ſcirent qua eundem eſſet; ſic apud *Virgilium Palinurus* ille Trojanæ Claſſis rector, dum hærebat clavo affixus, *oculoſque ſub aſtra tenebat*, letheo ſopore perfuſus in mare cecidit; nunc autem reperto magnetis uſu, Navis Gubernator ab Aëris nocturni malitiâ nil metuens, ad Verſoriam in ſuâ cellulâ intentus inter denſiores noctis tenebras, Navim regit, ac ad eam partem, quam in mente habet dirigit, in mari medio, ut in terrâ nemo in cœca noctis caligine, tam rectè ambularet.

Nautæ igitur, Maris, ac Ventorum, Cœlique injuriis, & mille incommodis, quæ ſecum affert Navigatio, expoſiti, morbis acutis, ut dixi, facilè ſunt obnoxii, febribus præſertim malignis, & inflammatoriis, quæ eos diu ægrotare non patiuntur, citò enim judicantur ſeu bonâ, ſeu malâ criſi, neque locum hic habent præceptiones medicæ, imò ut ait Celſus, *cum quadam temeritate, ſunt rapienda remedia*, non ſecus ac fieri ſolet, in gravi aliquâ tempeſtate. Solent Naucleri variam remediorum ſuppellectilem ſecum deferre, & *Medicos* etiam habere pro illorum adminiſtratione. Theriacalja itaque, Bezoartica, præ cæteris erunt ex uſu, ad pravos humores ex intimis partibus, ad ambitum corporis extrudendos, & per ſudorem etiam exantlandos. Neque verò doſi mediocri talia remedia præſcribenda, ſed longè majori, quàm quòd fieri ſoleat in iis, qui in terrâ ægrotant; cùm enim victus, quo utuntur Enhydrobii, longè differat ab eo, quo uti ſolent terræ incolæ, non niſi peſſimæ indolis morbi ſuboriri poſſunt. *Thomas Bartholinus* (*a*) apud *Bonetum* in Medicina Septentrionali aſſerit, medicamenta in mari verſantibus, tertiâ parte validiora eſſe præſcribenda, ſi votis reſpondere debeant, quod non ſolùm de purgantibus, ſed Diaphoreticis, Diureticis & quibuſcumque aliis vult intelligendum. Apud (*b*) *Joannem de Vigo Jul. II. Pont. Max. Chirurgum*, caput particulare exſtat de febribus, quæ Navigantes infeſtant, ubi & ipſe ſuadet, generoſiora remedia eſſe adhibenda, cùm ſupponere liceat, in hujuſmodi febricitantibus, ob victum craſſum, ſalitas carnes, panem nauticum ſemiroſum, aquam ſemiputridam, tales eſſe humores, ut vulgaria remedia facile eludant, nam malo nodo, malus cuneus. Licèt autem *Bartholinus*, & *Joannes de Vigo* de iis navigantibus intelligant, qui ad particulares ſuos fines, mari ſe commiſerint, hæc cautio tamen, multò magis conveniet, Nautis aliiſque operariis, qui in mari vitam traducunt.

Longè graviùs præ cæteris afficitur infelix Remigum turba, quæ longo ordine catenata, ſupra ſua ſedilia procellis, ventis, pluviis, expoſita, toto corporis niſu contra vim maris, & Ventorum ſolis remis interdum navim agere cogitur, niſi gravem verberum tempeſtatem, ſupra ſua capita velit ingruere. Hi enim acutis morbis correpti, operi ſuo pœnali citò eximuntur, in Libitinæ cenſum traducti. Mirum eſt profectò, quomodo Remiges non pauci, licet nocturnis diurniſque laboribus confecti, pingues & colorati adſpiciantur; rationem hujus adfert (*c*) *Franciſcus Comes de Verulamio*, ait id fieri, *quod ſeſſilis vita, ſtomachum aliquo modo ſupportet, quem ſtataria, & crebri inceſſus penſilem faciunt; unde exercitia deligere prolongandæ vitæ conducit, quæ artus magis, quàm ſtomachum, aut abdomen movent, ut ſedentes remigent, aut ſerram reciprocent.*

Non rarò evenit, ut morbus aliquis Epidemicus, Naves invadat, ſive is extrinſecus advenerit, ſive ob pravum communem victum, ac præcipuè ob aquas corruptas, ſive ob variam ac diverſam Navigantium multitudinem, qui inaſſueti pelago ſe commiſerint,

(*a*) Tom. 1. l. 8. p. 4. Se. 2. §. 9. (*b*) l. 9. c. 4. de Addi. (*c*) In Syl. Syl. Cent. 8. Exp. 738.

rint, ac ob frequentem terrorem in magnis tempestatibus, malignas & pestilentes febres conceperint, unde ex diffuso seminio, cæteri eodem quoque morbo concidant. In simili casu, nullum est effugium, omnes enim, ut dici solet, in eâdem sunt navi, ac necesse est morientes homines sibi ad latus intueri, & commune sepulcrum ante oculos adspectare. Hic prudenti homini, nil aliud agendum, quàm totum salutis negotium non fato, sed rerum omnium Arbitro committere, theriacalia tamen medicamenta, quæ secum quisque defert, ad longam navigationem, non erunt omittenda.

Alii quoque affectus communes, si non tam periculosi, satis tamen molesti, Nautas & Navigantes infestant: Magnâ alvi adstrictione laborant, quicunque maria peragrant, cujus rei causa potissima, in victum crassum, prædurum, in panem nauticum, quem *Plinius* ad alvi fluxus commendat, ad carnes fumo duratas, salitas, referenda. Aëri marino & fluctuationi stypticitatis causam acceptam refert (*a*) *Helmontius*; cùm enim navigantes in mari duplo edaciores sint, quàm in terrâ degentes, ac minùs dejiciant, necessariò, ait ille, corpora multùm difflari per insensibilem transpiratum, sicque alvum densari, nam ex *Hippocrate cutis raritas, ventris densitas.* Hanc alvi segnitiem tolerare satiùs existimo, quàm illam remediis purgantibus per os susceptis, quæ nonnisi alicujus energiæ deberent esse, & alvum densiorem facerent, curare velle, quando clysterium usum naves non agnoscunt, nec aptam materiam habent. Contumacibus vigiliis obnoxii sunt Nautæ; cum enim illorum vigilantiæ, omnium, qui in Navi sunt concredita sit salus, vix tempus suppetit, quo somnum captent, nisi interdum in malacià, cui neque dormientes fidunt, & obversantem in animo habent. Pruriginosos quoque corporis affectus, per totum corpus patiuntur, ob sordes in cute collectas, ex insensibili perspiratu, locus enim in quo degunt opportunus non est, ut corporis munditiei studeant, ac iis interdum tantùm aquæ non suppetit, ut manus ac faciem lavent, multò minùs induvia, hanc ob causam ab insolenti pediculorum exercitu obsidentur. Cimicum porrò in Navibus, tanta est copia, ut ab illorum morsibus cavere non possint; tam gravis quoque odor, ex hisce animalculis emanat, ut nauseam ac vomitum, non secus ac nautea faciat. Remigibus, qui ut plurimùm nudis pedibus incedunt, ulcera in cruribus fiunt, quæ squallida & sicca sunt, utpote ab humore salsuginoso producta, qualia fieri diximus maritimis Piscatoribus; talis ergo curatio erit adhibenda, qualem diximus præfatis piscatoribus convenire. Gravissimis quoque cephalalgiis vexari solent, ac præsertim, cùm ad Indias Orientales sive Occidentales, navigationes suscipiant; cùm enim à temperatis Zonis ad Torridam provehuntur, ubi aliud Cœlum, alia Sydera, alias etiam umbras, modò dextras, modò sinistras euntes videre necesse sit, cùm lineam æquinoctialem prætergrediuntur, magno capitis dolore cruciantur, unà cum totius corporis atque animi perturbatione.

Nautæ igitur, & omnes illius operarii, nescio quo sub sydere nati, ad toleranda maris incommoda rarò solent senescere; sicuti qui merent in castris. Hæc pauca de Nautarum morbis, ac remediis pro hujusmodi artificum solamine dixisse sit satis. In hanc rem legendus doctissimi *Glauberi* liber, qui *Consolatio Navigantium inscribitur.*

(*a*) Blasium. n. 36.

De Venatorum Morbis.

CAPUT XI.

VEnationem artem antiquissimam esse, ab ipsis Mundi primordiis repertam, post primi Parentis lapsum, ex Sacrorum Codicum testimonio satis constat, memora-

tur enim *Lamech* magnus Venator, & multarum artium inſtitutor, qui *Cain* jaculo, inſcius tamen, occidit. Primis illis temporibus, & forſan etiam ante agrorum culturam, & frugum ſationem, venatum in uſu fuiſſe, pro faciliori victu, cùm in multâ ruditate, & agreſti vitâ degerent homines; conditis verò Oppidis, ac Civitatibus, in quibus ſocialem & civilem vitam traducerent, ad oblectamentum traductam eſſe venandi artem, & ſtudium, ſatis perſpectum eſt. Noſtrâ hac ætate non ita patet cuique venandi libertas, ut priſcis illis temporibus. Principes & Nobiles Viri, loca quædam feris ſylveſtribus atque avibus tanquam aſylum conceſſere, ut inibi à venantium plebe ſecuræ degerent, ut ſibi ſolis pro lubitu venari liceret. Inſtitutum meum quod attinet, hic mihi mens eſt de iis venatoribus ſermonem habere, qui ex hac arte ad ſe, ſuaſque familias alendas, quæſtum aucupantur. Habent Principes inter numeroſas ſervorum familias Venatores, & Aucupes, quorum unicum munus eſt feras, aves capere, & capturam ad dominos ſuos deferre pro menſarum deliciis. Sunt etiam alii homines liberi, qui hoc Studio, toto anno ad venationem incumbunt, ac ad publica Civitatum Macella, prædas ſuas deferendo, ab hominibus otioſis, rebus inſolitis veſcendi cupidis, non exiguum lucrum capiunt, quâ in re certè laudandi ſunt, ac ſi interdum multo pretio merces ſuas divendunt, haud quaquam culpandi; incredibile eſt enim, quantùm laboris impendant, quantùm ſudoris & vigiliarum iis conſtent, ea quæ ceperint, illis enim perſæpè evenit, quod totâ die laborantes nihil capiant, & quod pejus eſt, ut dum feras captare ſatagunt, ipſi à ferinis morbis capiantur. De iis itaque potiſſimùm mihi erit ſermo, ii enim ob artem quam exercent, ſæpius ægrotant. Ab hoc tamen infortunio Principes & Nobiles Viri, qui frequentiùs huic Studio ſe addixerint, interdum cavere non poſſunt. Non pauca exſtant apud Scriptores exempla Principum Virorum, qui à feris occiſi fuerint, ſive ex nimio labore graviſſimis morbis correpti obierint. Mirum eſt ſanè, quomodo venatio cujuſcunque conditionis homines oblectet, ut nec æſtum, nec algorem, nec defatigationem ſentiant, rerum domeſticarum omninò oblivi, pernoctantes etiam ſub dio, ut Uxores ſolas cubare ſinant, unde eleganter *Horatius*: *Manet ſub Jove Frigido Venator, teneræ conjugis immemor.*

Abſit tamen, quòd venationis Studium, hic improbare intendam, ex ſui naturâ enim ſalutare eſt, & ad multos morbos chronicos remedii loco, ad præſervationem quoque, à graviſſimis morbis, cùm ex *Rhaſis* quoque teſtimonio, in peſtilenti conſtitutione, Venatores à peſte immunes ſe præſervarint. Cæterùm venatio exercitationis genus eſt, quod non unam tantum corporis partem, ſed omnes ſimul exercet, ut ex (*a*) *Galeno*: Venatori enim neceſſe eſt, deambulare, currere, ſaltare, modò erectum, modò curvum ſtare, vociferari etiam, ſummatim omnes corporis partes exerceri, idque modò veſpertinis horis, modò per noctem, modò per hyemem, ſub Cœlo pluvio ventis perflato, corpus malè plecti & defatigari neceſſe eſt, ſicque ad varias ægritudines diſponi, quod potiſſimùm iis evenit, quibus ars venatoria in quæſtu eſt, cùm nullum illis toto anno, feriandi tempus ſit conceſſum, tam per æſtatem latrante Sirio, quàm per hyemem, cùm nix alta jacet, quo tempore, ut ait *Virgilius*, tunc licet,

Gruibus pedicas, & retia ponere Cervis,
Auritoſque ſequi Lepores, & figere Damas,

Venatio antiquitùs magis laborioſa erat, quàm noſtris hiſce temporibus, Venatorem enim oportebat eſſe armatum arcu, pharetrâ, venabulis, quæ magno erant impedimento, & magnis opus erat lacertis, ad arcum tendendum, modò ſclopetis, ut plurimùm res agitur, non ſolùm in Venatione, & Aucupio, ſed etiam in piſcatu, cùm neque piſces in aquis degentes, à pulveris pyrii vi fulmineâ ſint ſecuri.

Cùm itaque Venatio certum moderamen habere

(*a*) 2. de Tuen. Val.

habere non possit, in iis qui se huic arti addixere, ut in illa non secus ac alii Artifices urbani alimentum suscipiant, variis morborum generibus conflictari solent, juxta anni tempora, ut plurimùm tamen acutis morbis, sic per æstatem, febribus ardentibus, cholerâ siccâ, dysenteriis corripi consueverunt, bilioſis humoribus à solaribus radiis ad summam acredinem exaltatis, nec non à sitis & inediæ tolerantiâ, aliisque erroribus. Hyeme verò ob frigoris vehementiam, & facilem pororum cutis constipationem, post aliquot sudatiunculas, in morbos pectoris incidunt, uti pleuritides, peripneumonias. Cephalalgiis quoque graviſſimis malè plectuntur, caput enim illud est, quod præ cæteris corporis partibus caloris & frigoris injuriis magis est expositum. Herniis etiam interdum obnoxii sunt, ob saltus & motus inconditos, dum feras sectantur.

Qualis curatio hisce morbis sit adhibenda, cuique perito *Medico Practico* satis est perspectum. Cui ergo contigerit hujusmodi venatorum curam suscipere, præ oculis potissimùm habenda erit hæc animadversio, quòd vires in hujusmodi ægrotantibus debiles sint ab exhaustu, non autem ab humorum pravæ naturæ copiâ, adeò ut in usu magnorum remediorum cautè sit procedendum, non enim tam facilè sustinent repetitas phlebotomias, neque validas purgationes, longè enim differunt exerciti in venatione, ab habitu exercitatorum, de quibus *Hippocrates*; venatus enim non est hujusmodi exercitatio, quæ corpus augeat, sed potiùs exsolvat, ut suis etiam canibus venaticis similes reddantur; idcircò *Galenus* Venatores ajebat, oportere esse duros & rigidos, neque pariter nimiâ diætâ esse macerandos, ne vires magis atterantur; necesse est enim, ut qui huic arti se dederint, robustæ sint constitutionis, alioquin citò fatiscunt, & variis morbis corripiuntur. Locus insignis est apud (a) *Hippocratem* his verbis: *Eunuchus ex venatione & discursu, hydropicus factus est*; Ars certè venatoria propria non est Eunuchorum & Spadonum, sed eorum qui sint duro de robore nati. Cautè itaque sunt tractandi, ac potissimùm ad humorum attemperationem est incumbendum, diaphoresi ad cutem illos disponendo, cùm enim sudationem habeant familiarem, ubi ex acuto morbo decumbunt, promptiùs iis succurretur per remedia diaphoretica, quàm alterius generis. Antiquiores in usu habebant, Balnea, sed nostrâ hac ætate illorum usus obsolevit; si tamen febris à suscepto frigore, & pororum cutis constipatione ortum habuerit, balneum aquæ dulcis, in usum revocari posset. Ubi verò acutus morbus in chronicum migrarit, & præsertim in febres, seu quartanas, seu alterius generis, neglectis remediis, quæ ad obstructiones tollendas in usu esse solent, neglecto etiam Chinæ Chinæ usu, ablegandi sunt Venatores ad solitum suum ministerium, quod moderatè exercitum, illis remedio esse poterit, ut unde salutem amiserant, eam feliciter redimant.

Quod de feras insectantibus diximus, hoc idem de Aucupibus dictum volo, hi enim licèt minùs patiantur, totos dies per agros & nemora vagantes, aves quæritando, ex nimio labore, & lassitudine, sudatione interdum, vespertinis horis postea interruptâ, febres tertianas & quartanas, per autumnum sibi comparant, quo tempore avium captura felicior & uberior esse consuevit; sicuti enim qui Octobris Mense retibus utuntur, ad Alaudas & Qualeas captandas (quod aucupii genus apud nos familiare est, dum Aucupes matutinis horis Qualeas, quæ in harundinetum se condiderint, blandè sollicitant, ut in nassam se recondant) non rarò acutis morbis, affici solent. Gravius autem periclitantur, qui ad aves aquaticas captandas incumbunt, ut in Vallibus ac in Stagnis, rigenti hyeme, dies ac noctes in parvis cymbis degant, non pauci enim ex iis, ob tetros halitus, & cœlum humidum, malignas febres & malos habitus, ac persæpè hydropisim contrahunt.

(a) 7. Opid. n. 52.

De Saponariorum Morbis.

CAPUT XII.

SAponem apud Veteres in uſu fuiſſe ad veſtes laneas, & lineas emaculandas, ex Scriptorum monumentis ſatis conſtat. Hoc Inventum *Gallorum*, quæ Natio elegantiæ & nitori ſemper ſtuduit, *Plinius* (*a*) in *Hiſtoriâ Naturali* fuiſſe tradit, hæc ſunt illius verba. *Gallorum hoc inventum rutilandis capillis ex ſevo & cinere. Optimus fagino & caprino, duobus modis, ſpiſſus ac liquidus, uterque apud Germanos majore in uſu viris, quàm fœminis.* *Galenus* de *ſimplicibus Medicamentis*, aliiſque in locis ſaponis mentionem habet, quem ait componi ex calce, lixivio, ac ſevo hircino, vel bubulo, vel caprino, vimque ſordes abſtergendi habere. Ex quibus verbis ſatis liquet, inter ſaponem Veterum, & noſtrorum temporum magnam eſſe cognationem; Veteres enim lixivio ex calce & cineribus, ſevum variorum animalium permiſcebant, noſtrâ hac ætate ſolum oleum. Sapo Venetus, præ cæteris maximè commendatur, & magnâ in copiâ ad longinquas Regiones defertur. Longum eſſet modum referre, quo Venetiis fiat Sapo, certè opus iſtud artificioſum eſt, plus quàm quis credat, nec minùs laborioſum. Tria ſunt, ergo ex quibus Sapo componitur, calx viva, cinis, & oleum; calcem habent ex vicinis Montibus recentem, & melioris notæ, cinerem valdè longè petunt, vel ex *Hiſpaniâ*, vel *Alexandriâ Ægypti*, præferunt tamen Operarii eum cinerem, qui ab Hiſpaniâ in globos congeſtus Venetias defertur. Ex quibus verò plantis parentur iſti cineres, ne ſcire potui, facilè tamen crediderim, ex iis fieri, quæ in oris maritimis naſcantur. Primò itaque calcem aquâ communi diluunt, ac bene ſubigunt, interdum etiam aquâ marinâ in defectu aquæ dulcis, huic calci ſic dilutæ, cinerem ſub molâ prius contritum miſcent, novam aquam addendo, ſi opus ſit, eo modo, ut tota maſſa ſit granuloſa, & aliquam ſoliditatem habeat. Hanc in foveas quaſdam, ad id opus factas reponunt, ſupra quam aquam conjiciunt, quæ paulatim ex hac mixtura, acres particulas combibens, per quoſdam canales deſcendit in alias foveas, ſicque repetunt operationem, eandem aquam prædictæ mixturæ reaffundendo, donec aquam fortem, acrem obtineant, aquæ ſtygiæ ad inſtar. Ubi ergo aquam iſtam, quantùm ſibi neceſſe eſt, pararint, Operarii certam illius portionem in amplis cadis æneis reponunt, ſpatium relinquendo vacuum, in prædicto cado. Magno igitur igne ſubdito, aquam illam excoquunt per diem integrum, cui poſtea oleum olivarum remiſcent, ea proportione, ut oleum ad aquam fortem ſe habeat ut unum, cum dimidio ad octo, ſi oleum recens & perfectum, ſi vetus aliquando plus, igne poſtea lentiori ſinunt ebullire hanc novam mixturam, & ſingulis ſex horis, exitum in alios cados, non tamen totâ ex parte permittunt, & priori cado rurſus novam aquam fortem affundunt, ſicque operationem repetendo, ſingulis ſex horis attentè obſervant, quandò materia incipiat craſſeſcere, illam enim è ſuis vaſis extrahunt, & ſuper areas effundunt in loco aperto, quo pacto tota maſſa concreſcit, ac ſerrâ in varia fruſta diſſecatur. Hæc eſt ſaponis Veneti ſatis celebris, per Europam fabrica.

Operarii ex materiâ quam tractant nullum ſentiunt incommodum, licet enim per inſpirationem aërem hauriant acribus illis particulis ſaturatum, quibus oppletum eſt illorum ergaſterium, nullum in Pectore, nec aliâ parte experiuntur incommodum, ſani enim, & robuſti & benè colorati degunt in hujuſmodi officinis; ſolùm qui ſine calceamentis incedunt, iis excoriantur pedes, & aliæ partes, ſi fortè illas aqua fortis pertingat. Totum incom-

(*a*) Lib. 28. cap. 12.

incommodum, quod hiſce Operariis contingit ex nimio labore, diu noctuque, ac nimio calore, ob ignem ferè perpetuum in hiſce officinis provenit, ex quibus interdum iis neceſſe eſt, pedem efferre ad aërem frigidum, & recentem captandum. Cùm ergo iſti Operarii æſtivis veſtibus, vel mediâ hyeme induti, aëri frigido ſe exponunt, facili negotio magnis conſtipationibus correpti, in acutas febres, & pectoris morbos, uti pleuritides, peripneumonias incidunt. His accedunt errores in diætâ, nam ex ſuis officinis aridi, & exuſti, tabernas vinarias adeunt, ubi multo mero ſe invitant & proluunt. In hoc opificio, nullam aliam iis ſuggerere poſſum cautionem, quàm juſtam laboris moderationem in ſuis officinis, & cùm ex loco adeò calido, plus quàm hypocauſtum illis exire neceſſe eſt, hyeme præſertim, veſtibus benè palliolati, & capite benè obtecto. Cùm autem acutis febribus actu tenentur, promptâ, & repetita ſanguinis miſſione iis ſuccurrendum, iiſque remediis, quibus curantur febres ardentes.

Ex hoc Saponis opificio, ſatis commodè explicari poteſt, qualis ſit natura Medicamentorum, quæ dicuntur habere vim ſaponariam, h. e. abſterſivam ſordium humani corporis; vis enim hujuſmodi potiſſimùm conſiſtit in partibus alkalicis, & lixivialibus, ſed oleoſæ ſubſtantiæ mixturâ temperatis; ſicuti enim in Sapone, aquæ forti oleum permiſcetur, ad caſtigandum illius acrimoniam ne lædat, & arrodat, ita etiam in Medicamentis vi ſaponariâ præditis, ſapiens natura permixtam voluit oleoſam materiam, pro attemperatione, ut mitius operarentur. Herba Saponaria dicta, quia macerata ritu Saponis ſpumam præfert, tale temperamentum particularum acrium, & pinguium habere dicitur, ac vi pollere inquinamenta gallici morbi abſtergendi, ſive ſola, ſive cum aliis ejuſdem naturæ remediis decocta; ſic Guajacum potiſſimùm celticæ luis alexipharmacum, non parvam poſſidet acrimoniam, nec modicam continet oleoſitatem. Oleum itaque illud eſt, quod ſuâ lenitate nimiam acrimoniam temperat, & ſpicula infringit, rectè propterea dicitur, utramque acrimoniam corrigere, tam alkalinam & lixivialem, quàm acidam. *Hippocrates* (a) in affectione cholericâ, præ cæteris remediis oleum commendat. *Propina*, inquit ille, *oleum ut quieſcat, & ut venter ſubducatur.* Non minùs quoque eam temperat acrimoniam, quæ pendet ab acido, cujus rei exemplum habemus in ſulphure, in quo magna latet aciditas, quæ tamen non percipitur, ſed obſcuratur ab illo pingui, inflammabili, quod ineſt ſulphuri. Oleum ergo, Olivæ productum, nullâ cum re bellum gerit, ſed omnibus bonitatem ſuam largè diffuſivam communicat, bonum enim non eſt, ut dici ſolet, quod diffundi non vult.

(a) 4 Acut.

DE

DE VIRGINUM VESTALIUM VALETUDINE TUENDA

DISSERTATIO.

SI Monachos, alioſque religioſos cœtus, quos habent ſingulæ Civitates, ſacram in terris militiam dicimus, Monialium quoque vitam ſuis in Clauſtris, ſpeciem quandam militiæ licebit dicere, quæ ſtativis veluti in caſtris firmo pede, adverſus hoſtes humani generis, fortiter pugnare novit, & vincere. Militiam hujuſmodi nullæ gentes nec ethnici, nec judaici cultus novere unquam, nec cogitarunt quidem, utpote ſolius fœcunditatis amantes, & ſtudioſæ; ſoli enim Chriſtianæ Religioni, cujus caput eſt Chriſtus, unus è Virgine Parente natus, flos ipſe Virginum, ſervanda erat hæc gloria, & Ornamentum. Habuit quidem olim Roma Virgines, quas ſacras, & à ſuâ Deâ *Veſtales* vocabant, quæ nimirùm Veſtæ ſacra curarent, illius ignis æterni cuſtodes. Quatuor ab initio, ac demum ad ſenarium numerum auctæ degebant *in Phano Deæ*, à cujus aditu nemo arcebatur interdiu, ſed ibi pernoctare, fas erat viro nemini. En umbra quidem noſtrarum Virginum, ſed quantùm illæ noſtris diſſimiles; iis præſcripta erant pudicitiæ tempora, nam poſt exactos annos triginta, in miniſterio *Veſtæ*, ignes perpetuos ſervandi, licebat nubere, atque ut ait, *Prudentius*, *transferre emeritas ad fulcra jugalia rugas.* Noſtrarum verò Virginum, dicam potiùs Viraginum, ſingulis in Urbibus numeroſæ ſunt legiones, quæ Virginitatem, quam *Deo* voverunt, perpetuam, & illibatam præſtant. Sicuti autem Virorum militiæ, cùm ad expeditionem aliquam proficiſcitur, ſuos *Medicos* habere mos eſt, cùm magni interſit milites benè valere, & ritè curari, ita æquum eſt Monialibus præſtò eſſe doctos, & peritos *Medicos*, qui illarum incolumitati quantùm licet proſpiciant. Mens quidem erat de Morbis Monialium, & curatione diſſerere, ſed ſatiùs duxi, Diſſertationem hanc, de illarum tuendâ Valetudine præmittere, longè glorioſius eſſe exiſtimans à morbis præſervare, quàm eoſdem curare.

Medicus itaque huic miniſterio addictus, quem peritum, prudentem, honeſtiſque moribus præditum eſſe oportet, primum, debet advertere, qualis ſit conditio aëris, in quo poſitum ſit Monaſterium, nam ſi in loco ſalubri, non magnum negotium illi erit, Monialium valetudinem tueri, non ita verò ſi in loco inſalubri fuerit; aër enim in quo degimus, & quem inſpiramus magnam habet in noſtris corporibus poteſtatem, perſæpè enim evenit, ut Monaſteria in gratiam amplitudinis hortorum, & Monialium oblectamentum, ſint quidem benè ſtructa, ſed malè poſita, nempè prope muros, & foveas Civitatis, ad quæ loca omnes ſordes confluunt. Sic apud muros quotannis majorem ægrotantium numerum, & graviores eſſe morbos obſervare eſt, quàm in locis interioribus, qualis obſervatio eſt *Hippocratis* in Libris Epid. in hiſtoriâ illius, qui decumbebat propè muros, hoc idem quoque in hiſce Monaſteriis obſervavi, nam ſi in frequentioribus locis Civitatis fuerint, licet ſine hortis, & ſpatioſis ambulacris, feliciori fruuntur valetudine, quàm ea, quæ hujuſmodi habent delicias, ſed parùm ſalubres. *Medicum* ergo attentum

eſſe

esse oportet, ut ea quæ aërem inquinare possunt, quantùm licet avertat, Moniales monendo, ut ab iis ventis caveant, qui ab eâ parte, ubi sunt foveæ, spirant, ac ne ingentes fimi acervos, in hortis suis congerant, sed potiùs curent exteriùs emi, neque recentes, sed veteres, ne dum hortos saturare volunt, aërem pravis halitibus inquinent; quam ob causam, *Hesiodus*, uti jam superiùs diximus, cùm de Morbis Agricolarum ageretur, stercorationem agrorum damnabat, consultum magis volens salubritati, quàm fertilitati. A deambulatione in suis hortis, matutinis, & vespertinis horis cavere debent, ne illarum graventur capita, summatim totius Monasterii mundities procuranda, ut aër quantùm licet purus servetur.

In omnibus ferè Monasteriis observavi quatuor, vel quinque sues nutriri solere, ut sallamenta, pernas, lucanicas, laridos, multaque alia conficiant; quæ animalia, licet intra quædam septa contineantur, fieri tamen nequit, quin aëris puritati multùm officiant, dum etenim suillia identidem purgare necesse est, per æstatem præcipuè, non parva mephitis totum Monasterium infestat, neque suaderi possunt, ut consuetudinem hanc abjiciant, licet si expensi ratio habeatur, in alendis his animalibus, non tam magnum sit emolumentum, ut ipsæ putant; quando igitur iis sic placet, quantâ possunt diligentiâ efficiant, ut quàm minimè aëris puritas lædatur.

Quoad alimenta humano generi communia, panis primas tenet, hac de re non habeo quod dicam, omnia etenim Monasteria optimo pane, ac ut plurimùm recenti utuntur, ab iisdem benè laborato, ut nihil sit, quod hac in re desideretur, non ita verò de potu, h. e. vino; vina etenim Monialium, ut plurimùm sunt de illorum naturâ, quæ ad æstatem malè se habent, ubi enim Procyonis, & vesani Leonis calores persenserint, evanida fiunt, & pendula. Infortunium hoc illis quotannis contingere observavi, nam cùm à principio multâ aquâ fuerint diluta, tum ut minùs lædant, tum ut cuncta dolia, quæ exstant, impleantur, non possunt postea æstatis fervorem diu sustinere. Aliud quoque malum accedit, ut quàm primùm ex uvis immaturis vina recentia conficiant, acria, & acidula, quæ ubi ad paucos dies ebullierint, in usum veniunt, unde stomachi dolores, & flatulentiæ ortum habent. Ad incommodum istud vitandum, hujusmodi tempore, vina sibi parent ex passulis, & aquâ purâ ad solem excoctâ, passulæ enim vinum concentratum dicuntur; sive si vinum hujusmodi non placeat, vinum vetus à suis affinibus, & amicis sibi procurent, vinum enim recens, qualecunque sit, stomacho semper infensum est, atque ubi vini veteris copia haberi possit, à novo abstinendum; *Nemo vinum vetus habens, statim vult novum*, ajebat *Servator noster* apud *Lucam*. Monere item soleo Monasterii Rectricem, ut pro communi usu vina recentia, sed non multâ aquâ diluta percolari jubeat, sicque percolata in doliis ad usum reponat; vinum enim ritè percolatum, ac à tartaro & fæcibus depuratum, id proprietatis habet, ut in doliis nunquam efferveſcat, ubi cætera vina ad menses integros in doliis solent ebullire. Habent id etiam vina percolata, ut nunquam marceant, & pendula fiant, sed solùm ob nimios æstus aceſcant. Consultiùs tamen fore crediderim, tum pro Monialium valetudine, tum pro re Monasterii, si ii quibus demandata est cura cellæ vinariæ, meraciora vina pararent, suo tempore pro æstivis mensibus, quæ postea limphâ diluerent, cùm iis uterentur, uti multis in locis fieri assolet; sic enim securiùs Moniales valerent, & Pharmacopolæ Monasterii peculatum minus exhaurirent. Scio equidem in quibusdam Monasteriis, ad vina præservanda ne vappeſcant, alumen, ad portionem quandam pro quâlibet vini mensurâ solere misceri, sed cum vina hujusmodi vim adstringendi, & obstruendi possideant, pro bonâ valetudine commendare nequeo.

Quoad cætera alimenta, cùm varia sint Monialium instituta, aliæ pisculentam vitam degant, aliæ carnibus utantur, & omnibus cibis, qui secularibus etiam in usum

veniunt, cùmque diverſæ ſint ætates, habitudines, temperamenta, non niſi generalia documenta poſſunt præſcribi, in omnibus tamen tanquam regula Polycleti primas tenebit, juſta moderatio. Iis quæ carnibus abſtinent, ac ſolis piſcibus, ac oleribus veſcuntur, lubrica ſolet eſſe valetudo; *Imbecilliora cibaria brevem vitam habent*, ſcripſit *Hippocrates*, h. e. alimenta parùm vitalia, & facilè corruptibilia. Panem oportere ad piſces, & olera quadruplum eſſe, ajebat M. *Ficinus* de Studioſorum valetudine tuenda. Legumina omnia flatuoſa ſunt, & ſuccos non niſi melancholicos præſtant, qui bonæ valetudini, ex ſuâ naturâ adverſi ſunt. De leguminibus locus eſt apud *Hippocratem* in Libro de ratione victûs in acutis, ubi ait omnia legumina eſſe flatuoſa, cruda, elixa, frixa, non ita vero viridia. Rationem reddit *Martianus*, quare Legumina macerata, & viridia ſint minus noxia, quàm ſicca, cùm vulgaris opinio ſit, legumina viridia pejoris eſſe notæ, quàm ſicca, quia nempè ubicunque ſiccum prævalet humido, materia flatuum generatur, nequaquam verò ubi humidum, prævalet ſicco, quod in leguminibus viridibus, & maceratis contingit. Ut ergo minùs lædant legumina, oportebit, ut quantùm fieri poſſit ſint macerata aquæ lixivialis beneficio. Solent ulteriùs præter flatulentiam, ſomnos valdè turbulentos efficere, & aphrodiſiacas idæas mente excitare, unde in Adagium ceſſit *pythagoricum* illud, *A fabis abſtineto*. Hanc ob cauſam D. *Hieronymus* Monachos ſuos corpora jejuniis caſtigantes, ut caſtimoniam ſervarent, monebat ut quantùm poſſent à leguminum eſu abſtinerent, ac oleribus potiùs uterentur, quod idem repetit in Epiſtolâ ad *Furiam* de viduitate ſervandâ, & in aliâ Epiſtolâ ad *Demetriadem* de ſervandâ virginitate.

Si verò ſint ex iis, quæ non tam ſeveræ diſciplinæ ſe addixerint, ſed carnibus utantur, laudantur primò vervecinæ, ut quæ facilè perſpirent, ex obſervatione *Sanctorii* noſtri, in Lib. de ſtat. Med. poſtmodum vitulinæ, & quas habemus ex gallinaceo genere, columbis, avibus montanis, ſi ipſis ex ære proprio ſuppetat commoditas. Carnes bubulæ, ſuillæ, leporinæ, coctu difficiles ſunt & craſſos ſuccos generant. Mutinæ exſtat Monaſterium inſigne Virginum, quas *Saleſianas* à D. *Franciſco de ſales* vocant, quod ex munificentiâ Sereniſſimæ *Duciſſæ Lauræ* fuit fabrefactum, & multis latifundiis dotatum, quæ Moniales nullâ aliâ utuntur carne, quàm vitulinâ, in hunc finem, ut quantùm poſſunt benè valeant, & cum animi hilaritate *Deo* ſerviant. Bonum eſt autem Monialibus ſanguinem ſpirituoſum eſſe, & per ſua vaſa, fluxilem ſemper quidem, ea præſertim ætate, quâ talem eſſe oportet.

Non ſum neſcius inſtitutis ſuis, & legibus obſtrictas eſſe, ut frequentibus jejuniis corpora ſua caſtigent, ſed in hac re, quoque locum habet celebre illud μηδὲν ἄγαν, h. e. nequid nimis; perſæpe enim Monialium multæ, ſeverioris diſciplinæ ſtudioſæ, ſe ipſas conficiunt, & in ipſo juventæ flore ſanguine & viribus exhauſtæ, non ſolùm valetudinariæ, ſed etiam morboſæ fiunt, atque moroſæ cæteris Monialibus, & *Medicis*, à quibus prompta remedia exigunt. Hic referre lubet, quæ de Virginum jejuniis refert D. *Hieronymus* in laudatâ Epiſtolâ ad *Demetriadem*. *Sic debes jejunare, ut non palpites, & reſpirare vix poſſis, & comitum tuarum vel porteris, vel traharis manibus, ſed ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in pſalmis, nec in vigiliis ſolito quid minus facias; Jejunium non perfecta virtus, ſed cæterarum virtutum fundamentum eſt, & ſanctificatio, atque pudicitia. Parcus cibus, venter ſemper eſuriens triduanis jejuniis præfertur.*

Nihil porrò eſt, quod bonam Monialium valetudinem magis infirmet, quàm quòd ſi eo beneficio gaudere non poſſint, quod ex ſomno juſto & naturali obtinetur. Etenim cùm Monialibus, ut plurimùm mos ſit, ſomnum in amplo & longo conclavi, quod dormitorium vocant, capere, unaquæque in ſuo cubili, quamvis juſtum tempus illis ex Monaſterii inſtituto ſit deſtinatum, nequeunt tamen per totum illud tempus ſomno indul-

indulgere; ſiquidem cùm omnes ſimul eodem in loco concluſæ ſint, ex iis aliæ tuſſiant, aliæ ſuſpirent, aliæ altùm ſtertant, aliæ ſomnient, & obloquantur, graves patiuntur interdum vigilias, & cùm matutinis horis ſuavius dormiunt, ad ſonum campanæ ſurgendum è lecto, & Templum adeundum. Præter vigilias aliud quoque accedit incommodum, quòd non admodum bonus odor iis in locis, ubi tot Virgines ſimul dormiunt perſentiatur, in quem, ſiquis manè pedem immittat, nares ſibi percelli ſentiat, quod Moniales, licet aſſuetæ ingratum habent, qualem odorem vocant *dormiticio*. *Hippocrates* in Libris Epidemiorum ſomnum laudabat in frigore cooperto, in amplo ſcilicet conclavi, ſed ſtragulis eſſe benè coopertum, ne ſomnus à frigore perturbetur, aër enim, qui per os inſpiratur, purgatior eſt, quâ de re alibi diximus.

Longè placidiorem ſomnum capiunt hæ Moniales, quæ ſingulæ ſuam cellulam habent, hyeme præſertim, placidius enim dormiunt, & permiſſum illis tempus ad quietem implent, non ita verò æſtate. Aliud quoque incommodum vitare non poſſunt, nimirum quin aërem inquinatum ab halitibus, qui jugiter à corpore exſpirant, per os, nares reſorbeant. Ad hujuſmodi incommodum quantùm licet vitandum, iis ſuaſor ſum, ut dormitorii valvas, non ſolùm æſtate, ſed etiam hyeme modicè apertas relinquant, ad aërem recentandum, ut inter internum, & externum aliquod ſit commercium; ſi quæ verò ſint, quæ ſibi non ſatis noctu ſomnum captaſſe videantur, æſtate præſertim, quo tempore breviores ſunt noctes, ſomno diurno, ad aliquam horam ſupplendum ante cibum ex *Celſi* monitu. *Longis diebus meridiari potius ante cibum, utile eſt, ſin minus poſt eum hyeme potiſſimum totis noctibus conquieſcere.*

At ſi non tam facilè eſt, ſacris hiſce Virginibus iis beneficiis gaudere, quæ præſtat ſomnus, perfacilè quidem eſſet ea conſequi, quæ laudabilis corporis exercitatio conferre poſſet. Si qualis ſit Monialium vita, contemplemur, eam ut plurimùm ſedentariam eſſe deprehendemus, dum in ſuis Ergaſteriis inter Artes Minervæ delicatiores, vel acu pingendo, ſive quid aliud ſimile efficiendo, ſive in Templis canendo, meditando, majorem diei partem traducunt, atque hoc eſt, quod illas, nec diu, nec benè valere ſinit. At dicent ipſæ, canere & pſallere exercitii genus eſſe, cui non erant aſſuetæ, cùm propriis in domibus, apud ſuos Parentes degerent. Non negarim equidem, quin cantus & pſalmodia inter exercitia locum habeant, ſed dico hæc non ſufficere, niſi totum corpus quoque convenienti motu exerceatur. Verum exercitium appellabat *Plato*, in quo motus ſit in ſeipſo & ex ſemetipſo: Lectio ſola & cantus pulmones exercent, non totum corpus. Urgebunt ipſæ ſingulis diebus, matutinis horis, antemeridianis, veſpertinis quoque etiam per noctem, toto corpore exerceri ad Campanas in motum ciendas, quod non tam leve exercitii genus eſt, ut totum corpus non incaleſcat, ac interdum ſudore non diffluat. Hujuſmodi exercitationem improbare non audeo, niſi totam vicinam cogerent, ad multa mala illis imprecanda. Memini me non ſemel curaſſe juvenculas Moniales, graviſſimis deſtillationibus detentas, cùm mediâ hyeme noctu etiam ad multas horas, in turris ſummitate, ad ſonum campanæ totis viribus incumberent, ad aliquem diem feſtum prænunciandum, ac præſertim ubi aliqua puella ſit velanda. Ego certè non ſatis admiror, quomodo cunctis Monialibus in omnibus ferè Civitatibus tam gratum ſit hoc aurium tormentum. Non deſunt alia exercitia, in quibus totum corpus, & ſingulæ partes corporis exerceantur, veluti manus, pedes, quale eſt opus textorium, at nullam textrinam in Monaſteriis mihi unquam videre obtigit, ſi quid autem eſt, quod ab obſtructionibus naturalium viſcerum præſervet, ac ſi adſint eas facilè expediat, maximè eſt ars texendi, ubi totum corpus in exercitio eſt, nunquam certè robuſtiores & coloratiores ſolent eſſe mulieres, quàm textrices. *Mulierem fortem quis inveniet, quæſivit linum, & lanam, & operata eſt conſilio manuum ſuarum,*

rum, ſic ex *Sacris Literis* habemus. Olim quidem Virginibus Monialibus licebat identidem è ſuis Monaſteriis pedem efferre, nunquam tamen ſolis, ac ad ſolennes ſupplicationes per Civitatem, ut ſolent alii religioſi cœtus, longo ordine procedere, quod iis ſanè non modico erat beneficio, ad juſtam corporis exercitationem; at quoniam *Bonifacio VIII.* P. M. ſatius viſum eſt, eas eſſe ſuis in Monaſteriis concluſas, ut Cœlo potiùs, quàm Mundo ſpectaculo eſſent, modò neceſſe eſt, ut aliis laborioſis operibus ſuppleant, nec quæ magis laborioſa ſunt, ſervis ſuis, quas conſervas vocant, ac ut plurimùm de ruſticanâ gente, relinquant, ne poſtea, ubi illas vident robuſtas, & benè coloratas, illarum felicitati invideant. In quibuſdam Civitatibus, obſervavi, Monaſteria quædam eſſe quæ ſervas non habeant, ſed Moniales omnes ejuſdem eſſe ſortis, quæ ſibi, quæ neceſſaria ſunt procurent. Præſtat igitur Virgines Veſtales operoſas eſſe, non ſolis manibus circa opera levidenſis texturæ, ſed toto corpore, ſi illis cordi eſt bona valetudo. Sic ea quæ à *Medicis* de excretis, & retentis paſſim dicuntur, à moderato corporis exercitio, tanquam fructus à radice promanant; ubi enim ea quæ excernenda erant fuerint excreta, natura facilius retinet, quod ad corporis alimoniam eſt neceſſarium.

Si verò ad ſanitatis tutelam, adeò conferunt moderatæ corporis motiones, non minùs quoque conferet compoſitos eſſe animi motus; tanta ſiquidem lege conſortii ſociantur anima & corpus, ut ad invicem bona, & mala ſibi communicent. Quam graves turbas in humanis corporibus, ac præſertim in maſsâ ſanguineâ excitent animi pathemata, veluti ira, timor, gaudium, aliæque paſſiones ſi modum excedant, ſatis olim oſtendit Doctiſſimus *Chambræus* in Libro, quem de paſſionum characteribus inſcripſit; ubi notas, & colores deſcribit, quos quæque paſſio in ipſo vultu depingit, unde quis poſſit conjicere, quàm graves motus intus efficiant, in fœmineo præſertim ſexu. Non ſemel mihi obſervare obtigit, ob ſubitam animi paſſionem, in Mulieribus, temporis ferè momento, tantam ad interna contractionem fieri, ut ea ſupprimerentur, quæ in pleno erant fluore. Caveant ergo quantùm poſſunt Sacræ Virgines, ab animi paſſionibus, ira præſertim, & quam properè anguem, ut dici ſolet, in ovo ſuffocent. Nolim tamen, ut apathiam ſibi procurent, ut olim quidam *Philoſophi*, hoc enim generoſas Virgines dedecet, habent ſiquidem ſuum uſum paſſiones, ſi quis rectè illis uti velit. Satis ſit, ſi illas regere didicerint.

Animum rege, qui niſi ſervit
Imperat, hunc frenis, hunc tu compeſce catena.

Quoniam verò, quærere quis poſſet, num pro tuendâ Monialium valetudine, ſatis ſint ſola præcepta, & recta vivendi ratio, an etiam in uſum revocari poſſint remedia, reſponderem, quòd cùm ſanitas multam habeat latitudinem, poſſint etiam ſuis temporibus ad præſervationem uſurpari medicamenta. *Quibus convenit venæ ſectio, vel purgatio, hos vere purgare, vel venam ſecare oportet*, ajebat *Hippocrates*.

Notanda eſt autem particula illa disjunctiva, non enim præcipit *Hippocrates*, ut ſemper duo hæc magna remedia, ut apud nonnullos mos eſt, in uſum veniant, qui piaculum putant venam ſecare, niſi aliquod purgans fuerit præmiſſum; ſunt enim quædam, quibus convenit ſola venæ ſectio, ubi nimirum plenior ſit habitus, aliæ quibus ſola purgatio, cùm ad cacochymiam vergunt, ſunt etiam quibus utrumque convenit. Non ſolùm autem vere, ſed etiam autumno, inſtitui poterunt hujuſmodi remedia, ac præſertim purgationes, ad ea errata corrigenda, quæ æſtate commiſſa fuerint, in eſu voluptuoſo fructuum, qui ſub Ora, & Opora matureſcunt.

Paucas haſce *cautiones Medicas*, cùm alia permulta dici poſſent, Virginibus Veſtalibus lubuit proponere, pro illarum bonâ valetudine, ut alacriùs perſtent in eo quod tam generosè ſuſceperunt Inſtituto. Grande meherclè eſt opus, duro cuique martyrio comparandum, Virginem puellam, ad perpetuam caſtitatem cuſtodiendam voto ſe obſtringere, nam uti eleganter D. *Hieronymus: Contra naturam, imò ultra naturam eſt, non exercere quod nata ſit, interficere in ſe radicem ſuam, & ſola Virginitatis poma decerpere.*

BER-

BERNARDINI RAMAZZINI,
Medicinæ Professoris Primarii, &c.

DE PRINCIPUM VALETUDINE TUENDA, COMMENTATIO

SERENISSIMO PRINCIPI FRANCISCO ESTENSI

DICATA.

PRINCEPS SERENISSIME,

CUM duobus ab hinc annis mihi Mutinæ commoranti datum fuerit, ut SERENISSIMÆ CELSITUDINI TUÆ humillima Obsequia mea coram præstarem, atque ut eodem tempore generosam Tuam Indolem, qua Glorioſiſſimum, tum Pace, tum Bello, Avum Tuum FRANCISCUM PRIMUM planè refers, admirari possem, magna me incessit cupido, ut aliquo literario munere Nomini Tuo primus omnium litarem. Ægrè quidem tuli, quòd nihil paratum haberem, neque ob improsperam Valetudinem, quæ lateri meo comes individua hæret, quidquam tam citò moliri possem, quod Te dignum censerem. Hæsit tamen menti meæ Votum istud, nec levi sollicitudine torqueri me sensi, quòd argumentum non suppeteret quale optabam, quod nimirùm non minus novitatis, quàm utilitatis contineret, & Principibus ad Populorum regimen natis magis proprium esset, quàm cæteris. Favit tandem votis meis Fortuna, dum enim libros meos, ut fieri solet, excuterem, occurrit liber Marsilii Ficini de Studiosorum Sanitate tuenda, tum mihi sub manibus nasci visum est argumentum, quod quærebam; hoc est ut Tractatum de Principum Valetudine tuenda conscriberem. Profectò si rectè advertamus, nullius hominum generis magis lubrica est Valetudo, quàm Principum, ac eorum præcipuè, apud quos summa est potestas, varias quidem ob causas, sed potissimùm ob vitam minùs sobriè traductam; illis enim inter delicias, & opiparas mensas enutritis, non tam facilè est, uti privatis hominibus, eam vitæ sobrietatem, ac tenorem servare, qui sanitatem cum longævitate pollicetur. Quot servi pro piscatu, pro venatu, & peregrinis aucupiis, quàm ingens Coquorum turba, diu noctuque insudet, ut cibaria elementa per omnia quæsita coquat, atque inexplicabilibus mixturis condiat, ut mensæ regali pompa instructæ appareant, nemo non novit. Quis autem in tanta Epularum varietate, elegantia, ac inter tot languentis appetitus incitamenta, ac præcipuè ubi magnus aliquis Princeps hospitio sit excipiendus, uti persæpè in Aula Estenſi evenit, quæ omnium hospitalissima est, quis inquam sobrietatis tam severus sit custos, ut sibi temperet, ne de singulis aliquid delibet? Non minùs autem obstructionum nutricula est, ciborum in modica licet quantitate assumptorum diversitas, quàm cibi simplicis saturatio; fieri enim nequit, ut edulia diversæ non solùm, sed contrariæ indolis, in unam formam coëant, & ingentes turbas in stomacho non excitent. Hinc nihil frequentiùs, quàm videre Principes, licet antea boni habitus, aut Valetudinarios degere,

aut præproperè, ob vitam nimis lautam, & minùs quàm par eſt exercitatam occumbere; ſic peculiares quoſdam morbos in Aulis hoſpitium ſibi delegiſſe intuemur, uti Colicam, Nephritidem, Podagram præcipuè, cui volupe eſt auratis ſub tectis, & in cubilibus, purpura inſtratis molliter cubare. Habes quidem, PRINCEPS SERENISSIME, præ oculis magnum Temperantiæ, & omnium Virtutum Exemplar, SERENISSIMUM ſcilicet PARENTEM TUUM, cujus Vita morum Cenſura eſt, ad quem, tanquam ad ſpeculum TE componas, ex hoc tamen meo labore aliquot documenta accipere poteris, ut Valetudinem tuam ſobriè degendo Tute poſſis regere. Non ideò tamen ſuaſor tibi ſum, ut tam arctis legibus TE addicas, uti olim Ludovicus Cornarius Patritius Venetus; neque enim hac ætate nondum pubeſcente, Corporis habitum, quo TE Natura inſtruxit, tam elegantem, ac decorum genio ſuo fraudare debes, nimis parce vivendo; neque enim TIBI grandiori facto, natoque ad publicum bonum, ſemper liceret capiundi Cibi momenta eligere, ſatis ſit ſi mediocritatem quandam ſerves, ac præcipuè illud Comici, Ne quid nimis, ne quid minùs. *Sicuti autem tua intereſt inculpata Valetudine gaudere, quando* non eſt vivere vita, ſed valere, *atque omnia mortalitatis noſtræ ſtadia percurrere, ita quoque Subditorum plurimùm intereſt Principem habere ſanum, robuſtum uſque ad ultimum ſenium, ut ſucceſſorem provectioris ætatis relinquat. Meum hoc igitur, qualecumque munus, quod CELSITUDINI TUÆ in Obſequium ſiſtere audeo, ea benignitate, quæ Ateſtino generi propria, & gentilitia eſt, excipe, Teque novum Mœcenatem, qualem omnes ſperant, exhibe; ſic enim meo exemplo in ſinum tuum convolabunt Literatorum Opera Tuum Nomen auſpicantia; agedum ergo, ac eorum Principum, qui egregium & magnificum putant Scientiarum, bonarumque Artium Cultores favore proſequi, Ordinem*

Ingredere, & Votis jam nunc aſſueſce vocari,

CELSITUDINIS TUÆ SERENISSIMÆ

Patavii Kal. Septemb. 1710.

Humillimus, Addictiſſimus, & Obſervantiſſimus
Servus & Cultor

BERNARDINUS RAMAZZINI.

LE-

LECTORI BENEVOLO S.

QUam sortem apud Medicos habiturus sit meus hic Liber, ex ipso Bibliopola, cui illum imprimendum tradideram, cognovi; is enim cùm aliàs propriis sumptibus mea scripta Typis tradere soleret, modo se de hoc Opere meo idem facturum pernegavit, causatus talem esse Libri titulum, ut ad sui emptionem paucos possit allicere, cùm Medici libentiùs Libros de curandis morbis, quàm de tuenda valetudine emere soleant, & perpauci sint, qui ad Aulas Principum se unquam accersiri posse existiment. Quamvis facilè ita eventurum, uti prædixit Bibliopola, cognoscerem, volui tamen Librum hunc meum prodire, & publici juris fieri, parùm sollicitus, si non multos hujus Operis lectores nactus fuero, memor nempè Horatiani illius carminis,

. . neque te ut miretur turba labores,
Contentus paucis lectoribus . . .

Unica ratio scribendi mihi fuit ut prodessem, non ut plausus emerem. Non semel conditionis Principum misertus sum, qui cùm ex aliquo gravi morbo decumbunt, magis periclitantur, quàm cæteri homines, dum à Medicorum multitudine, etiam si velint, cavere non possunt. Si quis enim Princeps graviter ægrotans, uni tantùm Medico fidere se vellet, Aula tota reclamaret, quin ipsemet Archiater Principem suum precibus fatigaret, ut quos haberet Civitas experientia Clariores Medicos, & exteros quoque in subsidium sineret accersiri. Rem igitur non inutilem, neque Principibus ingratam facturum me credidi, si in illorum gratiam Tractatum conscriberem, ex quo ea commoda obtinerent, quæ pars Medicinæ, Præservatrix dicta, pollicetur, ne tam crebrò Curatricis molestias cogantur experiri. Tu interim, qui mea hæc legere non gravaberis, si quid boni merit, illis fruere, & Vale.

DE PRINCIPUM VALETUDINE TUENDA, COMMENTATIO,

CAPUT PRIMUM.

Ad publicam felicitatem plurimùm conferre bonam Principis Valetudinem; ideòque peculiari diligentia custodiendam.

SI inter ea, quæ in hac humana societate, ad publicum bonum sunt instituta, maximè optabile est bonum Principem habere, non minùs quoque votis expetere licebit, eundem bona, & inculpata Valetudine, cum Vitæ longævitate gaudere; quemadmodum enim (si tamen interdum licet magnis parva componere)

nere) dum Paterfamilias, qui in propria Domo Princeps, & Dominus eſt, rectè valeat, ut rebus ſuis vacare poſſit, rei domeſticæ negotium ritè procedit, & cenſus augetur, aſt ubi adverſa Valetudine premitur, œconomica adminiſtratio peſſum it, ac patrimonium licet amplum fuerit, paulatim ad tenuitatem redigitur, ita prorsùs ſi bonus Princeps ſecunda fruatur Valetudine, ſubditi in officio perſtant, & politicum Regimen imperturbatum ſervatur, ſi verò lubrica, & inconſtans fuerit Principis Valetudo, diù ſtare non poterit publica felicitas, perditi enim homines novarum rerum cupidi, hinc anſam captare ſolent, publicam quietem ſeditionibus, & bellis civilibus evertendi; quale infortunium olim experta eſt *Gallia*, ſub *Carolo IX.* qui ob vitam valetudinariam, cui erat addictus, magnis calamitatibus floridiſſimum Regnum ſuum afflictum, & convulſum adſpicere coactus eſt. Sic *Rheutam Scotorum Regem Septimum*, variis morbis conflictatum, ac ſemper lecto affixum, cùm à Nepote regnandi cupido periculum aliquod ſibi impendere agnoſceret, à Regno ſe abdicaſſe, ex hiſtoriarum monumentis habemus. Non deeſſent exempla, quibus oſtendi poſſet, cum ſtatu Principis valetudinario, publicam felicitatem conſtare non poſſe, cùm ætas quælibet caſus hujuſmodi habeat, verùm res ipſa loquitur, quando non ſolùm in politicis, ſed phyſicis rebus, idem prorsùs evenire facilè poterit cognoſci. Laboret, uti non rarò fit, corporis noſtri pars aliqua princeps uti cor, aut cerebrum, affectu aliquo, licèt non gravi, naturalem totius corporis œconomiam aliqua ex parte lædi neceſſe eſt. Si imbecillis ſtomachus ſit, nec ritè ingeſtos cibos concoquat, ſingulæ partes totius corporis noxam perſentiſcunt, ſi verò firmus, & robuſtus ſit, univerſum corpus robur, & firmitudinem ſuam retinet. Rectè propterea in hanc rem Q. *Serenus* antiquus Scriptor, qui de Re Medica Carminibus elegantèr ſcripſit, de ſtomacho hos habet verſus:

Qui ſtomachum Regem totius corporis eſſe
Contendunt, vera niti ratione videntur,
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra.

At ſi hoc in noſtris corporibus evenire obſervamus, non eſt quòd miremur, ſi in Civili corpore, idem quoque aliquando eveniat; adeò refert, eum qui cæteris præſit rectè valere, quam ob cauſam *Plato* in Libro de Republica, *Socratem* induxit, ex *Æſculapii* inſtituto vetantem, ne qui ex natura ſua valetudinarii eſſent, ad publica negotia adminiſtranda accederent. Cùm itaque ſatis conſtet, languente Principe, languere quoque Leges, & publicam felicitatem, magna commendatione digna eſt Eccleſiæ conſuetudo, Summum rerum omnium Rectorem pro Chriſtianorum Principum incolumitate, in ſacris ſolemnibus deprecandi, & publica vota quoque ſuſcipiendi, ſi eoſdem graviter, ex aliquo morbo decumbere contingat. Id ipſum quoque agere Ethnici pro more habuere. Sic *Magno Pompejo* in Campania febre laborante, totam *Italiam* pro illius ſalute ſuis numinibus ſacrificia inſtituiſſe legimus. Admiratione quoque olim fuit Populi Romani pietas erga *Germanicum*, quem à *Tiberio* adoptatum, pro ſucceſſore habiturum ſperabant; cùm enim illum *Antiochiæ* ex gravi morbo periclitari nunciatum eſſet, ac propterea tota Civitas in magno luctû, & mœrore verſaretur, evulgata fama convaluiſſe *Germanicum*, ut in ejuſmodi gaudium effuſus eſt Populus, ut per Urbem conclamaret: *Salva Roma, Salva Patria, Salvus eſt Germanicus, & in Capitolium cum luminibus, & victimis plebs concurreret, convulſis Templi foribus, ne* (ut tradit Scriptor) *geſtientes vota reddere morarentur.* Verùm certo nuncio paulò poſt accepto mortuum *Germanicum*, pietas in furorem converſa eſt, lapidata enim fuere templa, ſubverſæ aræ, lares quibuſdam familiares, in publicum abjecti. Tanti erat apud ipſos *Germanici* Vita, & Valetudo, ſpe concepta publicæ felicitatis, ob egregias animi virtutes, quæ in illo præcellebant, ſi poſt *Tiberii* exceſſum Imperii habenas aliquando ſuſcepiſſet.

Cùm ergo ad Populorum proſperitatem ma-

magnum habeat momentum, prospera Principis Valetudo, æquum sanè est, ut magna illius habeatur cura, & studium; munus autem hujusmodi nonnisi Medicæ Artis esse poterit, cui ad benè merendum de humano genere semper intentæ satis esse non debuit Regulas, & præcepta in universum tradidisse pro tuenda Hominum Valetudine, juxta ætatum, temporum, & locorum naturam, quam spartam exornavit *Galenus* libris sex de sanitate tuenda editis, quem postea multi alii Scriptores sunt imitati, nisi etiam quarundam Personarum, quæ ad publicum bonum videntur natæ, incolumitati studeret prospicere. Sic *Marsilius Ficinus* Vir Celeberrimus elegantissimum Libellum, *de Studiosorum Sanitate tuenda* conscripsit, cujus exemplo postea *Fortunatus Plempius* in Lovanienſi Universitate Professor Egregius Opus elegantissimum edidit *de Togatorum Valetudine servanda.* At si Literarum studiosos,

Qui Juris nodos Legumque ænigmata solvant,

benè valere optabile est, ac si ob utilitatem, quam humanæ Reipublicæ præstant digni fuere habiti, ut in sui gratiam peculiares Tractatus à Doctissimis Viris conscriberentur, eò magis Principes Legum Custodes, & publicæ felicitatis Columen, ab Arte Medica Obsequium istud, seu tributum videntur exigere, ut pro illorum valetudine, quantùm licet tutanda, particularem curam, & operam impendat.

CAPUT II.

Qualis debeat esse Medicus, cui verè Archiatri nomen conveniat, quidve in Principis Persona desideretur.

SI Principibus magno decori est, & laudi Aulam habere Clarioribus Viris, quos in diverso facultatum genere fama commendet, potiùs quàm statuis, & Imaginibus ornatam, & instructam, veluti *Jurisconsultis*, *Philosophis*, *Mathematicis*, *Historicis*, *Poëtis*, aliisque Literarum cultoribus, iisdem non solùm decorum erit, sed necessarium, habere Medicos, fama, doctrina, & experientia celebriores, quorum Opera, tum in secunda, tum in adversa valetudine utantur. Habuêre sanè priscis temporibus Reges, & Imperatores, magni nominis, & auctoritatis Medicos, uti *Alexander Magnus*, *Philippum Acarnum*, *Cæsar Augustus*, *Antonium Musam*, & sic deinceps alii Cæsares, & Reges, barbaris quibusdam seculis exceptis; non habent tamen nostrorum temporum Principes, quòd hac in re invideant Principum priscæ ætatis Fortunæ, unico enim seculo adeò exculta est Ars Medica, tum in Theoricis, tum Practicis, ut si ipsis Medicinæ Parentibus daretur reviviscere, non parùm admirarentur, quomodo Ars ista tam longo seculorum fluxu, quasi iners, & otiosa steterit, ac postea tam brevi tempore summum ferè gloriæ apicem visa fuerit attigisse. Quamvis igitur Medicorum præstantis doctrinæ, & experientiæ suppetat copia, pro determinando tamen Archiatro aliquo, opus est delectu; oportet enim in eo Medico, qui in Aula benè merêri, & dignitatem suam integram servare velit, prærogativas quasdam eminere, quas non tam facilè sit in cæteris reperire.

Ad Archiatri munus, itaque ritè obeundum, idonei esse non possunt, qui Medicinæ Elementis, primoribus labris, ut dici solet, delibatis, Laurea donati, in Pagos, & Oppida concedunt, ibique ad aliquot annos, alienis periculis praxim aliquam medendi addiscant, mox in aliqua populosa Urbe clinicam exerceant, donec apud doctos, & indoctos boni practici nomen sibi comparent. Hujusce enim ordinis Medici in Theoricis semper hospites esse consueverunt, novarum rerum quæ in Medica facultate jugiter eveniunt prorsus ignari, nec alios Scriptores versant, quàm qui de re pharmaceutica

tractant, ut magnam remediorum supellectilem promptam, & in numerato, ut dici solent, habeant. Medicum verò, qui Principum Valetudini præesse debet, necesse est, ut in loco Studiis apto, hoc est in aliqua celebri Universitate, cursus suos tum in Philosophia, tum in Medicina ex asse absolverit, ac antequam medicæ praxi se devoveat, in Museo Docti, & Eruditi alicujus Medici, Scriptores tum veteres, tum novos evolvat, ac norit quos Auctores legere debeat, quos omittere, ne tempus inutiliter conterat, atque hoc pacto sese instruat, ut solent juvenes Doctores in Jure creati, qui in Jurisconsultorum Bibliothecis versandis Libris operam impendunt, antequam ad Forum pro agendis causis accedant. Ad erudiendum Medicum, ut dignus sit, qui sive in publicis Lyceis professorium munus exerceat, sive in Aulis Principum Archiatri dignitatem ritè sustineat, non parùm confert in juvenili ætate peregrinatio, non tam curiositate quadam varias Provincias, & Regna invisendi, atque hominum mores observandi, quàm ut peregrinando, Doctiores, & Celebriores Medicos cujuscumque loci conveniat, & alloquatur, ut ab iis varium medendi modum, & quæ usitatiora in morbis apud ipsos sunt remedia accipiat, sicque variis mercibus onustus Patriam repetat. Mirum est, quantum prudentiæ, quæ in Medico primum expetitur, ac in eo præsertim qui Archiatri dignitate sit decoratus, sibi comparare possit, is, qui peregrinationem hujusmodi suscipiat; sic Ulysses, *qui mores hominum multorum vidit & Urbes*, prudentis titulum sibi adsciviisse dicitur. Mos hujusmodi nunquam satis laudandus, Germanis valdè familiaris est, qui postquam ab Academiis demissi fuerint, prius quàm Medicæ Praxi seriò se dedant, varias peregrinationes, ac præsertim per Italiam nostram capessunt; ut quos in re Medica, vel fama, vel scripta commendent, invisant, ex quibus documenta aliqua, quæ Artis sint decerpant. Exstat in hanc rem Elegantissimus Libellus, *Thomæ Bartholini*, quem ad *Gasparum Filium*, dum Italiam peragraret, de Medica peregrinatione conscripsit, in quo illum admonet, quomodo gerere se debeat, quæ Lycea, quas Urbes adire, quos Medicos salutare aliosque etiam in omni Scientiarum genere Eruditos Viros extra Medicam facultatem, quos inter Celeberrimum D. *Antonium Maliabequium* Hetruriæ Decus recenset. Qui ergo talia fundamenta jecerit, ac postea Medicæ Praxi in Urbe aliqua populosa, ubi periti exstent Medici, practicæ medicinali ad aliquot annos sedulam impendat operam, supra vulgarium Medicorum sortem assurget, ut aliquando ad Principis Aulam possit accersiri. Singularis itaque doctrina requiritur in Medico, qui verè aptus sit ad regendam Principis sui bonam valetudinem, non minor enim virtus est, sanitatem ab iis, quæ clanculum, vel apertè, è statu suo, illam evertere possunt, sartam tectam tueri, quàm eandem amissam restaurare, sicuti non minor militaris Disciplinæ peritia in eo exigitur, qui prudentia, ac attentione, arcem ab hostilibus insidiis norit servare, quam in eo, qui ab hostibus captam valeat redimere. Si verò præter recensitas dotes, alia accedant ornamenta, ut in Geometricis, Astronomicis, & Physica experimentali, lucro apponendum, nam si non meliorem Medicum, doctiorem tamen, & Principi gratiorem facient. Summatim quanti momenti sit, Principis valetudinem Medico magni nominis, & experientia claro demandatam esse, Leges ipsæ satis ostendunt, nam in Codice Lib. 9. Tit. *de Profess. & Med.* Cap. 11. cavebatur ne quis in Archiatrum eligeretur, nisi communi meliorum judicio fuisset comprobatus, optimo sane consilio, ne vulgares Medici per ambitum, & malis Artibus, Archiatri locum occuparent.

In Medico Fortunæ favorem desiderari volunt nonnulli, eòque magis in iis, qui Principibus suis operam præstare debeant, quam vulgi opinionem fovent populares quidam Medici, qui doctioribus, & magis eruditis notam hanc appingunt, ac ut pro more habet pessimum laudantium genus, peritiam commendant, & extollunt, sed quæ Fortunam

nam comitem non habeat; qua in re ignorantiam ſuam, & malignitatem produnt, ſatis enim fortunatus eſt, qui prudens eſt, & ex Artis præceptis operatur. Cœcam hanc vulgi perſuaſionem rident Viri omnes docti, ac præſertim Vir Doctiſſimus *Joannes Crato* trium Imperatorum Medicus, qui in Epiſtola ſua nuncupatoria hæc habet verba. *Fateamur*, inquit ille, *cum Hippocrate rem ſe habere, ut hi ſoli fortunatè facere videantur, qui ſciunt, & contra infortunatè qui ignorant. Fortuna enim uti, eſt rectè facere, hoc verò qui ſciunt faciunt. Non uti Fortuna, neque aſſequi hoc quod velis, eſt id facere, minimeque rectè quod facis. Inſcius verò atque indoctus quomodo quæſo fortunatè aliquid ad finem perducet? Qui igitur curationes ſuas fortunatas eſſe cupiunt, ii Artem ſequantur neceſſe eſt, & ſucceſſus à Deo petant.* Hæc *Crato:* Si quis tamen in hoc negotio, quod ægrum, & Medicum intercedit, Fortunæ locum aliquem concedendum velit, illum potiùs penes ægrum, quàm Medicum reperiri crediderim; æger enim verè fortunatus eſt, qui peritum Artificem inciderit, non ſecus quàm qui mari committere ſe velit, peritum Nautam nactus fuerit; mirum eſt enim quomodo qui navigaturus eſt, ſatagat peritum Nautam, quàm Fortunatum reperire, qui autem æger decumbat credere ſe velit Medico, quem vulgus fortunatum potiùs, quàm peritum deprædicet.

Atque hæc quidem ſunt, quæ in Medico deſiderantur, ad Principum Valetudinem regendam apto, quædam tamen ſunt etiam, quæ in Principis perſona deſiderabilia ſunt, ſi ab eo, quem in ſuum Archiatrum accivit, & cujus fidei, ac prudentiæ ſe concredidit, velit aſſequi quod maximè optandum eſt, ſanitatis ſcilicet tutelam. Neceſſe itaque eſt ut Princeps facilem ſe præſtet, & aures patienter commodet monitis, quæ ſubinde pro re nata ſuggerit Medicus. Lubet hic ex formula ſatis prolixa, qua *Gothorum Reges*, ut ex *Caſſiodoro* Varia. Lib. 6. poſtquam in Italia rerum potiri, barbariem exuere cœperunt, Archiatros ſuos creare conſueverunt, pauca verba referre. *Indulge te Palatio noſtro, habeto fiduciam ingrediendi, quæ magnis ſolent pretiis comparari, nam licet alii ſubjecto jure ſerviant, tu rerum domino ſtudio præſtanti obſerva; fas tibi nos fatigare jejuniis, contra noſtrum ſentire deſiderium, & in locum beneficii dictare, quod nos ad gaudia ſalutis excruciet, talem tibi denique licentiam noſtri eſſe cognoſcis, qualem nos habere non probamur in cæteros.* En quantùm Auctoritatis olim Reges Medicis ſuis largiebantur, Sanitatis ſuæ ſolliciti; hinc diſcant noſtrorum temporum Principes, quales gerere ſe debeant cum Medicis, quos non ut mancipia conſiderare debent, ſed, ut ita dicam, tanquam familiares, ſeponant enim oportet aliquid de ſua gravitate, ſi quotidianis ferè colloquiis cum iis agere debeant in ſecunda valetudine, ne poſtea cogantur in adverſa duris illorum præceptis intempeſtivè obſequi. Si enim Medicus ad Principem non facilem habeat acceſſum, ac in illo comitatem aliquam non reperiat, nec auſit hiſcere, niſi cùm ab illo de re aliqua fuerit, quæſitus, quamvis quædam obſervet, de quibus illum admonere debeat, nihil audebit proferre, ac illa in ſinu ſuo tacitus recondet. Mirùm eſt autem, quantùm animi, ad id quod Artis eſt ritè peragendum ſuſcipiat, & notas quaſcumque tum bonas, tum malas obſervandas, ſi norit ſibi licere apertè loqui, & monita ſua uti ſalubria benignè excipi, non ſolùm in adverſa, ſed firmiori valetudine. Non vulgari tamen prudentia illi opus eſt, ac præcipuè cavere debet, ne dum à Principe, in æſtimatione haberi ſe videt, ac magna liberalitate tractari, eò deveniat, ut illi ſe credat neceſſarium, qualem *Philippus de Comines* refert fuiſſe *Jacobum de Gotties Ludovici XI.* Galliarum Regis Archiatrum, qui ſuo Regi, quem mortis pavidiſſimum eſſe noverat, non ſolùm ſe neceſſarium credidit, ſed apertè illi proteſtabatur, quòd ſi unquam ab Aula fuiſſet dimiſſus, de illius ſalute actum eſſe, ideò ut Scriptor tradit, verbis aſperrimis Regem ſuum ſolitum increpare, non ſecus, ac Servum ſuum, & quò majorem liberalitatem experiretur, dum quolibet menſe decem mil-

libus aureorum donaretur, eò fuisse duriorem, & Tyrannidem quandam in Dominum exercuisse, illi enim persuaserat, ut sine opera sua, nec octiduum quidem posset vivere. *Liberalitas Servum fidelem facit*, ait Comicus, aliquando tamen etiam petulantem reddit, & sortis suæ nunquam contentum. Elegans sanè est illud dictum, quo *Antigonus Rex*, ut ex *Plutarcho* in Apophthegmatibus legitur, Medici sui avaritiam sugillavit, cùm enim in prælio vulnus Rex suscepisset, fracta clavicula, ac Medicus dum vulneri mederetur, quotidie munus exposceret, ac à Regia liberalitate referret, tandem Rex ad illum conversus, pete ait, *quod vis, dum clavim habes.* Multùm equidem hujusce generis Medici, de sua auctoritate, & existimatione sibi detrahunt, nimis crebrò à Principe suo, munera, & beneficia exposcendo, præter enim, quòd naturam suam divitiis inhiantem produnt, fortunæ suæ non rarò damno sunt, nam plura forsan acciperent, si Regiam liberalitatem non frustrarentur, aptè quidem in hanc rem *Horatius:*

Coram Rege suo de paupertate tacentes
Plus poscente ferent, distat sumas ne pudenter,
An rapias . . . . . .

Medicus itaque ad merendum in Aula, tanquam in Castris destinatus, sciat oportet, duplex sibi munus incumbere, unum, quòd Principi suo, quotiescumque ex aliquo morbo decumbat, sedulam præstet operam, ut illum promptis remediis sanitati restituat, alterum, quòd dum Princeps bona fruitur valetudine, illius custodiæ maximè invigilet, quòd in cæteris Medicis non ita usuvenit, qui ubi ægris curandis operam suam locarint, ac illos è morbo exemerint, paucis quibusdam documentis relictis pro redintegranda valetudine, sostro accepto abeant, qui verò Archiatri ministerio est auctoratus, & quotidie ad Principem salutandum, & solita obsequia præstanda pergere tenetur, attentè observare debet, qualis sit in Principe valetudinis status licet integræ, quod ex adspectu, voce, & hilaritate conjiciet, ac unam diem cum alia conferre, quandoquidem sanitas multam habet latitudinem, ac ut ajunt Philosophi, susscipit magis, & minus, ut observare possit, num in eodem statu perstet, num crescat, an decrescat; sicuti enim creditur culpa vacare Medicus, si prædixerit qualis sit futurus morbi eventus, bonus, vel malus, ità non solùm culpa vacabit, sed laudem promerebitur, si prævideat, ac præmoneat, valetudinem in lubrico esse, & ad statum morbosum sensim vergere. Quoniam autem hic tantùm agitur de Principum sanitate tuenda, Archiatri præcipuum munus erit, corporis habitum in Principe suo diligenter observare, num firmus sit, num ex natura sua, & à primordiis robustus, an imbecillis sit, qualis ejusdem structura, num densa, an rara, quale illius temperamentum, quantùm accedat, vel recedat à medio illo, ac optimo, quod tanquam *Polycleti* regulam fingunt Medici, quæ sit ad actiones promptitudo, quibus animi motibus sit magis obnoxius. Non exigui quoque momenti erit perspectum habere, num à Parentibus sanis, ac robustis ortum duxerit, & num Avi, & Atavi gentilitiis quibusdam morbis laborarint, quales morbi ad integra secula interdum delitescunt, ac postea veluti per traducem in Nepotibus post longum tempus regerminant,

Multa Pater, Materque valent infundere Natis:
Transit & in seri Jura Nepotis Avus.

Omnia hæc itaque attentè animadvertere expedit, curanti enim Medico lucem non exiguam fœnerabunt, ad sanitatem in statu naturali servandam, & ea prævidenda, & antevertenda, quæ eandem labefactare, sive è statû naturali possint evertere. Plurimùm autem interest Medici totis viribus incumbere, ad Principis sui sospitatem custodiendam, nisi experiri velit, quantùm curarum, & sollicitudinis sibi sit subeundum, si contingat eundem habere in lecto decumbentem, vel ex aliquo acuto morbo periclitantem, sive ex chronica ægritudine, uti inter torturas podagricæ, seu nephriticæ passionis, gementem & ejulantem, ut Medico necesse sit assiduas querimonias, de Artis Medicæ inanitate,

nitate, ac interdum etiam non bona verba audire.

Principis itaque, ſi illi cordi eſt ſanitas, qua cuique homini nihil eſt pretioſius, erit ut monitori ſuo identidem auſcultet, ac illi non minùs in Præſervatrice, quàm in Curatrice fidem adhibere velit. Si enim bona valetudo miſerrimo cuique adeò cara eſt, uti videmus, quantò carior debet eſſe Principi, cui ſupra tot Populos poſito, ac inter bonorum omnium affluentiam degenti, venerationem, & obſequia, tanquam Numini omnes præſtant, ut illi præter ſanitatem nil aliud ſit optandum. Nulli certè mortalium, quàm Principi quadrat, id quod *Pindarus* in Olympiis, ſanitatem laudans cecinit, cum ſcilicet, qui ſanus, extremum ſenium pertingat fama illuſtris, & divitiis affluens, nequaquam ſollicitum eſſe debere, ut ſit Deus,

ὑιῶν Φερένικι παρισαμένων ὑγίεντα δ' ἔιτις ὅλβον
ἄρδει, ἑξαρκέων κτεάτεσσι, καὶ
εὐλογίαν προσιθεὶς, μὴ ματεύσῃ Θεὸς γενέσθαι.

Græcos verſus hic lubet apponere, quos *Aloyſius Adimarus* Poëta Florentinus percelebris eleganter Tuſca Poëſi ſic expreſſit:

Che quel che ſano i giorni eſtremi vede
E con richezze oneſtamente riede
Cinto di fama à ſaettar l' oblio
Non brami più, ne cerchi eſſerun Dio.

CAPUT III.

Aëris Naturam, & ſupra Viventium corpora poteſtatem, nulli ætati magis innotuiſſe, quàm noſtræ, rectum propterea illius regimen pro Sanitatis tutela inſtituendum.

EA eſt hominis conditio, ut poſtquam ab aquis uteri emerſerit, novem menſium ſpatio enhydrobius, ac ſemel tantùm Aërem in quo degimus hauſerit, illius uſu poſtea toto vitæ tempore carere non poſſit, tantæ ſcilicet eſt neceſſitatis, inſpirationis & exſpirationis reciprocatio, ut ſine alimento ad aliquot dies vita protrahi poſſit, ſine Aëre verò nonniſi ad pauca momenta vita ſubſiſtat. De Aëris natura, & admirandis illius proprietatibus, pauca habemus à veteribus Philoſophis, longè plura, & oculata fide certiora à rerum naturalium ſcrutatoribus habet hæc ætas noſtra. Quàm contractilis, & diſtractilis ſit Aër, palam facit *Machina Boyliana* ubi Aër tanquam in carcere concluſus, per quandam veluti torturam cogitur fateri qualis reverà ille ſit, quod idem pariter demonſtrat *Sclopus Pneumaticus*, in quo Aër compreſſus, magna vi, & magno cum ſtrepitu erumpit, ut Pyrii pulveris vim exæquet. Ad explorandas Aëris proprietates varias, & alterationes, reperta ſunt multa inſtrumenta, uti *Thermometri*, *Barometri*, *Hygrometri*, *Anemometri*, ac poſtremo à Clariſſimo Viro *Chriſtiano Wolfio* edita eſt *Aërometria*, opus ſanè elegantiſſimum, in quo ea, quæ de Aëre deſiderari poſſunt uberrimè continentur. Ut autem ad propoſitionem meum accedam, quid ad corporum ſanitatem Aër conferat videamus; Aëris, qui nos circumambit præcipuus uſus à Medicis creditus eſt, ut per inſpirationem, æſtuantem in præcordiis ſanguinem temperaret, qua opinione valere juſſa, pro certò habetur, Aërem particulis nitroſis ſaturatum, pulmonum miniſterio follium adinſtar, veſtalem ignem in ſanguinis maſſa hoſpitantem acuere potiùs, quàm ſufflaminare. Fermentationis quoque, in noſtris corporibus, & in omnibus fluidis ſubſtantiis, Aërem principium, & auctorem eſſe, experimentis comprobari poteſt; ſi tempore vindemiæ muſtum ab uva recens expreſſum, in phiala vitrea conditum, ac Orificio ſpumante concluſo, ne quidquam Aëris ſubire poſſit, poſt plures menſes idem muſtum cum eodem ſapore reperitur; mirùm itaque non eſt, ſi ſupra noſtra corpora tantùm poteſtatis habeat Aër nobis incumbens, dum per os viſcerum penetralia ſubit, & ſanguini remiſcetur, ac dum

exteriùs per cutis poros in venas irrepit. Rectè propterea Hippocrates in Libro de Flatibus, *Aërem eorum, quæ corporibus noſtris accidunt Auctorem & Dominum appellavit.* Profectò ſi alterationes, quas in humanis corporibus Aër valet efficere, conferamus cum iis quas alimenta, & aliæ res non naturales poſſunt inferre, longè plures, & fortiores ſunt eæ, quæ ab Aëre nobis proveniunt, quàm quæ à cæteris rebus; Aër enim intus, & in cute continuò nos afficit.

Cùm modò frigoribus premimur modò ſolvimur æſtu,
Aëre non certo, corpora languor habet.

Cautum itaque hac in re eſſe oportet Archiatrum, cui Principis ſui valetudo demandata eſt; idcircò diligenter debet advertere Domini ſui temperamentum qualecunque ſit, cùm ſanitas in qualibet tempetatura, niſi à mediocritate enormiter excedat, poſſit ſubſiſtere, ut illius Aëris in quo Princeps ut plurimùm degit temperamento accommodetur, ac illud foveat. Laudatur equidem ab omnibus Aër ſincerior; utpote qui aptus ſit ad ſanguinis fermentationem, & circulum promovendum, ac ſpiritus vegetiores generandos. Aliquandò tamen evenit, ut quidam ratione ſui temperamenti feliciùs degant in Aëre craſſiori, quàm tenuiori, ideòque interdum neceſſe ſit valetudinarios, è locis ubi Aër eſt ſalubris, & nitidus, ad loca ubi Aër eſt nebuloſus, & craſſus tranſmigrare, *peſſimum enim eſt Cœlum, quod ægrum facit*, ut ait *Celſus*, & optimum dici poteſt, quod ſanum reddit. Sicuti enim *naturarum aliæ quidem ad Hyemem, aliæ verò ad Æſtatem benè maleve ſe habent*, ita pariter de naturis hominum licet dicere, quòd aliæ ad Aërem craſſum, aliæ ad tenuem benè malève ſe habeant. Solent propterea Principes variis in locis habere Palatia in Oppidis ſuæ ditionis, modò in campeſtri loco, modò in ſublimi, ad quæ ſe conferant juxta varia, ac diverſa anni tempora, & prout expediat ſanitatem ad meliorem ſtatum redigere. Quare Romani Pontifices duo in Urbe habent magna Palatia, *Quirinale*, & *Vaticanum*, quæ pro ſitus diverſitate, diverſam habent Aëris temperiem, ſic in Vaticano pro more habent hyemare, in Quirinali Æſtatem traducere. Obſervare mihi contigit, quòd ut plurimùm præſertim in Italia noſtra Principum Palatia poſita ſint in locis Civitatis minùs ſalubribus, longè à Foro, & Populi frequentia, quòd factum crediderim, quia, qui primi illa poſuere, ad voluptatem potiùs, & commoditatem, propter ſitus, & hortorum amplitudinem, quàm ad ſalubritatem animum intenderint. Prope Urbium pomœria, & foſſas, in quas omnes ſordes confluunt, Aërem nebuloſum eſſe ſatis conſtat, ideòque morbis magis obnoxios eſſe Cives inibi habitantes, prohibita inſenſibili tranſpiratione, quæ à nulla re magis læditur, quàm ab Aëre impuris halitibus ſaturato, uti in ſua Statica *Sanctorius* domonſtrat; Aër enim circumambiens, cutis, & glandularum poros obſtruit, per inſpirationem verò, ſanguinis, & viſcerum Craſim labefactat. Obſervatione dignus eſt locus *Hippocratis* in primo Epidemiorum in Hiſtoria *Philiſci*. *Philiſcus*, ait ille, *habitabat propè murum, & decubuit, prima die febris acuta, &c.* In hunc locum egregiè *Mercurialis* in hujuſce Hiſtoriæ interpretatione citat, *Hippocratem* non fortuitò appoſuiſſe locum ubi æger decumbebat, ut Medici attentiores ſint ad curandos eos, qui in hujuſmodi locis habitent, tanquam ex maligniori-bus febribus corripi ſoliti. Hoc idem repetit *Hippocrates* in Hiſtoria octava Eraſini. *Eraſinum, qui habitabat ad Bootæ torrentem, febris magna corripuit poſt cœnam, &c.* Annis ab hinc quinque, mihi Mutinæ per Æſtatem, & Autumnum commoranti obſervare contigit Conſtitutionem Epidemicam malignarum febrium, de genere tertianarum intermittentium, quæ multos, quæ circa murorum ambitum domos habebant ſuſtulerunt, nullo ferè ex iis, qui in partibus Civitatis interioribus domicilia haberent, hujuſmodi febribus laborante. Magni momenti igitur eſt degere, in Aëre puriori, & à nebulis remoto, ut ſanitas felicior habeatur, in Aëre enim puro, & minùs de terrena fœce participante, inſenſibilis tranſpiratus, ad ſanitatem adeò neceſſarius

ceſſarius facilior eſt, quàm in Aëre craſſiori, & nebuloſo, qui adiapneuſtiam comitem habet, ubi purus, & ſerenus liberiorem facit perſpiratum, & promptiora ad omnes functiones corpora. Solent Principes non procul à ſuis Palatiis habere Hippodromos, & Equilia ædium adinſtar magnificè conſtructa, in quibus longo ordine centenos Equos generoſæ indolis benè cultos, & pexos videre eſt, tali pompa, & luxu, ut hinc metiri liceat, qualis ſit Principis magnificentia, quale fuit olim *Regis Latini* ſtabulum, quod deſcripſit *Virgilius*, ubi Equi

Stabant tercentum nitidi in præſepibus altis;

ex equino itaque ſtercore, ac ſtramentis, ſolent ſtabularii montes fimi ingentes acervare, non procul à ſtabulis, qui inibi ad menſes relicti, ubi putreſcere incipiunt, cùm poſtea extra Urbem exportantur, talem mephitim exſpirant, ut Aulam non ſolum, ſed viciniam totam inficiant; conſultiùs itaque eſſet, quotidie purgamenta hujuſmodi aliò deferre, quàm ſinere, ut identidem camarina illa commota inquinetur Aër, & memorata incommoda ſubſequantur.

Paradoxum alicui hoc videbitur, ſi ad Judicium Barometri recurramus, quòd ſerenus Aër flante Borea magis premat, quàm pluvioſus, & auſtralis, qua in re halucinatus eſt *Borellus*, in Libro de Moribus naturalibus à gravitate pendentibus, qui vi ratiocinii potiùs, quàm experientiæ credidit Aëre pluvioſo altiùs attolli Mercurium in fiſtula, deprimi verò reſtituta ſerenitate, quale Problema multorum exercuit ingenia, ut hujus phænomeni vera habeatur ratio, qua de re mihi cum D. *Schelhamero* Profeſſore Kilonienſi fuit controverſia; pro cujus Problematis ſolutione Epiſtolam hoc anno edidi ad Celeberrimum Virum D. *Lucam Scrœckium*, A. N. C. Præſidem conſcriptam; Aërem itaque nebuloſum, & auſtralem, perſpiratum diminuere crediderim, non tam quòd cutis poros infarciat, quàm quòd atmoſphæra, utpote levior minùs premat, tum intus, tum in cute, ſicque laxentur fibræ corporis, ubi ſereno Aëre, & ſpirante Borea, atmoſphæra magis premit, & in officio continet fibras, quæ ſuo nixu promovent ſanguinis circuitum, qui ad facilem tranſpiratum magnum habet momentum ſuo appulſu; ſic ratio reddi poteſt, cur *Auſtri caput gravent, ſurditatem, ac languorem inducant, caliginem viſui offundant*, ut ex *Hippocrate*, quia minor eſt atmoſphæræ preſſio, & conſequenter fibrarum laxitas, ſegnior ſanguinis per ſua vaſa fluxus, ac difficilior perſpiratus, quæ mala tolluntur, ſi gravior fiat atmoſphæra, ſubſequente Aëris ſerenitate. Quantæ ſit neceſſitatis non ſolùm ad valetudinem tuendam, ſed & vitam ſuſtentandam, juſta & moderata Aëris preſſio, ſatis demonſtrat Machina pneumatica, in qua extracto Aëre animalia moriuntur, & liquida quæque in tumorem attolluntur. Hanc ob cauſam in editiſſimis montibus, ubi minor eſt Aëris preſſio, propter breviorem Aëris columnam incumbentem, difficilior eſt reſpiratio inflatis pulmonum veſiculis.

Rectè ſanè illud to thion *Hippocratis* adeò celebre, ad Aërem referendum quidem Interpretes volunt, divini enim aliquid, & nobis ignoti illi ineſt, ut quamvis circa illius naturam expendendam, tot Philoſophi laborarint, adhuc tamen ſuperſit quod illorum ingenia exerceat. Cautum itaque in hac re, & obſervatorem eſſe oportet Medicum, cui Principis valetudinis tuendæ cura incumbit, ut quantum licet Aëris naturam, in quo ille ut plurimùm degit, exploratam habeat, eamque temperamento accommodet, & qualis corporis ſit ſtructura, denſa, vel rara, ut conveniens ſit tranſpiratus, diligenter obſervet, cujus utilitatem primus omnium annotavit *Hippocrates* in Libro de Alimento, hiſce verbis. *Qui probè perſpirant, debiliores, & ſaniores ſunt, & à morbis facilè reconvaleſcunt. Qui malè perſpirant, priuſquàm ægrotent fortiores ſunt, ubi autem ægrotarint difficiliùs à morbis reconvaleſcunt.* Obſervatione profectò digna ſunt *Hippocratis* verba, cum ait, eos, qui bono perſpiratu gaudent, ſaniores eſſe, ſed debiliores, & ratio eſt, quia in facili tranſpiratu è glandulis per ductus excretorios

cretorios in cutem hiantes, non solùm superfluitates tertiæ coctionis, sed etiam particulæ alimentales unà exhalant, & idcircò debiliores sunt, quàm qui minùs probè perspirant, & à morbis faciliùs convalescunt; ubi altera ex parte quibus densior est cutis, robustiores sunt vires, sed sanitas magis perclitatur. Athletæ propterea virium robori consultum magis, quàm sanitati volentes, ut in Palæstra virium suarum magnum specimen præberent, in balneis à calidario, in frigidarium exsiliebant, in hunc finem, ut sanguis, & spiritus à balneo tepido ad cutem, & lacertos evocati, vi frigidæ inibi sisterentur, & occlusis poris validior esset fibrarum, & musculorum virtus. Cùm ergo præstet Principem saniorem esse, licet debiliorem, quàm robustiorem, & morbis minùs obnoxium, cùm illi sufficiant vires ad naturales actiones obeundas, nihilque sit quod promptiùs perspiratum temporis momento offendat, quàm Aëris frigus intempestivum, præsertim si à calido loco ad frigidum fiat transitus, attentum propterea oportet esse Medicum, in mutatione temporum quæ potissimum pariunt morbos, ut Principem suum præmoneat, ne tam facilè frigido Aëri, & pluvioso se committat, ne subita fiat pororum cutis constipatio, qua nihil promptiùs est, ad sanitatem evertendam; cùm itaque venatum procedunt Principes, per Autumnum & Hyemem, monendi sunt, ut in placido Aëris statu id agant, nec flante Borea, aut ingruentibus pluviis; ab Austris quoque cavendum, qui & ipsi perspiratum lædunt, laxitatem, ut diximus, fibrarum inducendo. Ut autem hac in re Medici Principes habeant præceptis suis magis obsecundantes, optimum erit iis suadere, ut in suo Cimeliarcho habeant *Barometros*, *Hygrometros*, *Anemometros*, aliaque hujusmodi instrumenta, ut oculari fide agnoscant, quid faciant in atmosphæra subitæ temporum mutationes, quomodo ex improviso in *Torricelliana fistula* Mercurius decidat, & pluvias præmoneat, qua ratione ad boreales flatus, ejusdem Mercurii exaltatio proximam serenitatem denunciet. Longè quidem sensibilior esset atmosphæræ pressio, ac illius mutatio, si experimentum fieret in *Barometro* non ex Mercurio, sed ex aqua, qualem se habuisse refert Clarissimus *Boyle*. Hyemali tempore suadendi, ut à matutino frigore maximè caveant, sed in suis cubilibus placidè cubent, quòd ab iis obtinere non admodum arduum erit, æstate verò invitandi essent, ut ad Solis ortum exsurgerent, ad auram leniorem captandam, & sanguinis æstum sufflaminandum, quod non ita facilè impetrari solet, dum ut plurimùm Principes lychnobii esse consueverunt, noctû operosam vitam agentes, interdiu verò somno indulgentes.

Plurimùm igitur refert ad valetudinem custodiendam Aëris regimen, nam sicuti Aër ignis anima dicitur, cùm ignis sine Aëre vivere non possit, ita Aër si purus est, ac sincerus, & nitrosis particulis saturatus, vitalis caloris, qui in sanguine hospitatur, vita, & anima est, impurus autem, & inquinatus, ejusdem mors, & exstinctio.

Non pauci quoque momenti erit ad tutandam Principis Valetudinem, observare, cùm incipiunt populariter vagari quidam morbi, num affectus hujusmodi ab aliquo Aëris vitio ortum ducant, an ab alimentis corruptis, uti frugibus, vinis; nam in primô casu, Medici erit Principem hortari, ut ad salubriorem locum se transferat, in altero verò, Aër suspectus esse non debet. Observatione quoque dignum est, quòd si constitutio aliqua variolosa inter pueros caput efferat, morbosum aliquod in Aëre suspicari liceat, ut plurimùm enim post variolas morbi Epidemici, uti febres malignæ, dysenteriæ solent succedere, ut mihi pluries observare contigit. Hæc itaque generalia sunt præcepta, quæ hâc in re excogitare mihi datum est, habita ratione tamen ad ætatem, temperamentum, anni tempus, regionum consuetudinem, quæ in omni subjectô sunt consideranda: cæterùm consulenda erit experientia, & Aër qualiscumque sit præferendus, si salutaris fuerit compertus; nam ut superiùs dictum, *pessimum est Cœlum quod ægrum fecit*. D. *Petrus Damianus* Raven-

Ravennas Eccleſiaſticus Scriptor, ut ipſemet refert, cùm Romæ degeret apud Romanum Pontificem *Nicolaum II.* ſed ferè ſemper valetudinarius, & febriculoſus, Pontificem precari cœpit, ut ſibi permitteret *Ravennam* adire, aſt ille, cui percarum erat habere præſentem Virum, Sanctitate non minùs, quàm Doctrina percelebrem, ſupplicantis precibus cùm nollet annuere, affirmans Romano Cœlo longè inſalubriorum eſſe *Ravennæ* Aërem, ubi etiam aquarum ſalubrium penuria, laboraretur, D. *Petrus* Dimiſſione deſperata, de Romana Urbe febribus obnoxia luſit his verſibus.

Roma vorax hominum, domat ardua colla virorum,
Roma ferax febrium, necis eſt uberrima frugum,
Romanæ febres ſtabili ſunt jure fideles,
Quem ſemel invadunt, vix à vivente recedunt.

CAPUT IV.

Non benè inter ſe convenire Principum menſas, & bonam valetudinem; victu parco & ſimplici facilè obtineri ſanitatem cum longævitate; quid ſit cibi attritio in ſtomacho apud Galenum *exponitur; neminem in ſeipſo etiamſi caveat determinare poſſe juſtam cibi menſuram.*

INter ſanitatis ſtudia, non immeritò *Hippocrates* primum locum tenere voluit monitum illud *non ſatiari cibis*, nulla facta mentione de cibi parcitate; nam ſi hæc duo extrema conferantur, ſæpiſſimè in ciborum ſatietate peccatur, perrarò in parcitate, imò ſi ſanitas, utpote perfectio & virtus corporis, mediocritatem, & veluti quoddam æquilibrium tenere debet, vergit tamen potiùs, & inclinat ad parcitatem. Quales ſint quotidianæ Principum menſæ, quibus tam ingens ſervorum turba militat, non eſt quòd deſcribam, non enim in abdito ſunt, ſed facilè patent eas proſpicere volenti, ut etiam ſolùm ſufficeret eos ſpectare, qui longo ordine varii generis dapes ad menſas Principum deferunt, & referunt. *Hygæam*, & *Panaceam*, binas ſorores, *Æſculapii* filias, finxere Veteres, primam quæ cuſtodiendæ ſanitati, alteram quæ revocandæ præeſſet. Profectò ſi ad obſervandas Principum menſas, Hygæa accederet, facilè crederem ad hujuſmodi ſpectaculum, & tam grandes apparatus, quàm citiſſimè abituram, & Panaceæ ſorori renunciaturam, non eſſe ſibi cum regalibus menſis rem ullam, ſed illa potiùs, cui ſanitatis reſtauratio eſt demandata, ad munus ſuum exercendum ſeſe accingeret. Verùm omiſſis fabulis, quibus utebantur *Mythologi*, ut myſteria quædam ignaræ plebi obvelarent, fateri neceſſe eſt, ad intemperantiam in victu, tanquam ad ſcopulum naufragium facere Principum valetudinem, quare hac in re attentum oportet eſſe Medicum, ut dextrè, & arrepto tempore Principem admoneat eorum, quæ ſanitati injuriam inferre valeant, ac è ſtatu ſuo dejicere.

Quoniam igitur nulla in re magis, quàm in nimia ciborum copia, propter magna incitamenta, quibus inſtructæ ſunt quotidianæ Principum menſæ, quod non evenit in aliis Viris Nobilibus, licet opulentis, nimia ſaturatio quantùm fieri poterit cavenda eſt, tanquam omnium malorum fons & origo, & licèt alimenta ſint boni ſucci, majorem forſan inferunt noxam, nam, ut dici ſolet, optimi corruptio peſſima, cùmque id ſæpiſſimè contingat, nec ſpatium detur ſtomacho, ut per abſtinentiam cruditates concoquat, cacochylia præſtò eſt, & indè cacochymia, ac mala nutritio. Augetur quoque malum, quò major erit ciborum varietas, & conditura, quæ uno eodemque fermento ventriculi, non poſſunt uniformiter confici, multò minùs in aliis corporis officinis convenienti mixtura in unicam redigi formam; ſic vi-

tiato ſanguine, functiones omnes læduntur, nam uti ajebat *Hippocrates* Libro de Flatibus, *A ſanguinis perverſione totius corporis perverſiones.* Idem prorsùs evenit in multiplici ciborum diverſitate, quod in aquis magnorum fluminum ſcripſit idem *Hippocrates*, quas pro communi uſu improbavit, illas eleganti vocabulo diſſidentes vocitans; cùm enim magna flumina nonniſi ex variis fluminibus in unum confluentibus fiant, eaque per diverſas regiones diſcurrentia, varios ac diverſos minerales ſuccos combibant, magnorum fluminum aquæ non poſſunt conſtare, niſi ex particulis, quæ inter ſe diſſideant, ideòque parum aptis ad humanos uſus; ita ſanguis ex tot monſtruoſis particulis diverſæ indolis conflatus, nunquam ad perfectam mixtionem poterit pertingere ſine tumultu, ut ſit idoneus ad partium alimoniam, & functiones obeundas; in hanc rem egregiè ſanè *Horatius:*

. . . . . *nam cum ſimul aſſis*
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita . . . . . .

hanc ob cauſam forſitan gravi paſſione ventriculi laboravit M. *Aurelius Imperator*, quam cibi attritionem in ſtomacho appellavit *Galenus* ad curationem accitus. Hiſtoriam ſatis elegantem, quam ipſemet *Galenus* de Præcogn. ad *Poſthumum* tradit, lubet afferre: poſt cibum aſſumptum angore ſtomachi premebatur Imperator, ut pulſus frequens & parvus appareret, adeò ut annotationis febrilis principium crederetur, à duobus qui curationi aderant: *Galenus* nocturno tempore vocatus, explorato pulſu, liberè pronunciavit coram Medicis qui aderant, Imperatorem nullatenùs febrire, ſed ſimplicem eſſe cibi in ventriculo attritionem, quam ob cauſam ab Imperatore quæſitus quid agendum eſſet, hiſce verbis reſpondit. *Si quiſpiam alius eſſet, qui hoc morbo laboraret, bibendum ipſi dediſſem, quemadmodum ſolitus ſum, vinum pipere inſperſum; Vobis autem Regibus, quibus tutiſſima remedia Medici admovere conſueverunt, lanæ manipulum nardino pigmento calido intinctum, oſtio ventriculi imponere ſufficiet. Galeni* ingenuam libertatem admirans *Imperator*, Medicis dimiſſis, vinum ſabinum pipere inſperſum bibit, & ſanitati eſt reſtitutus.

Elegans in hanc rem eſt apud *Macrobium* Diſputatio ſuper cœnam, uti mos erat apud Antiquos & Literatos homines ad animum exhilarandum variis quæſtionibus, inter *Dyſarium*, & *Euſtachium*, quorum primus pro ciborum ſimplicitate diſſeruit, alter uti gulæ Patronus, pro alimentorum varietate in ſympoſiis declamavit, ingeniosè ſanè uterque, ſed validioribus argumentis *Dyſarius*, inter quæ magni ponderis eſt illud, quòd cum febrientibus Medicorum nemo cibi varietatem offerre auſit, ſed alimento quàm ſimpliciſſimo utatur, quòd ſi ad ſanitatem recuperandam multùm confert cibi ſimplicitas, cur non etiam conferet ad eandem conſervandam. His adjici poteſt, quòd ſtomachi fermentum tantarum virium eſſe nequit; ut tot ac tam diverſæ naturæ ingeſta cibaria diſſolvat, quin unum citiùs, alterum tardiùs concoquat, aliud verò nullo modo; ea prorsùs ratione, qua videmus quædam menſtrua, uti aquas fortes metalla quædam diſſolvere, & alia intacta relinquere. Hoc idem quoque de vinorum diverſitate ſentiendum, quæ ex variis regionibus deferri ſolent, ad ornandas, & exhilarandas Principum menſas; obſervatum eſt enim diverſa vinorum genera epota, quamvis non in magna quantitate, ſubitam ebrietatem induxiſſe, tumultuantur enim intus aſſumpta, non ſecus ac loca, & nationes undè fuerunt deducta; non levem quoque noxam experimur, cùm ab uno vini genere, & unius loci ad aliud, licet in eodem loco natum, fit tranſitus, quod pariter annotavit *Hippocrates*, nam ad aliquot dies noxam aliquam perſentimus, antequam ſtomachus illi aſſuefcat.

Multiplex itaque, ac deformis cibi, ac potus varietas, ea eſt potiſſimum, quæ Principum ſanitati bellum indicit. Siquid enim admirandi, & portentoſi in genere Animalium, Piſcium, Terræ, Maris, uſpiam apparet, illicò alicujus Principis menſæ deſtinatur, & dono

dono mittitur; ſic magnus ille Rhombus, & admirandæ magnitudinis, qui in Adriaco captus eſt, & cymbam onerabat, Piſcatorum nemo inter ſuas capturas numerare auſus eſt, *Domitiano* itaque miſſus eſt, ad cujus ſpectaculum in concilium vocati ſunt Proceres, quorum alii ajebant, Piſcem illum capi voluiſſe, ut Principis menſam decoraret, alii peregrinam hanc belvam grande omen eſſe magni, & clari Triumphi, alii requiri ad fabricandam patinam novum *Prometheum*, ad quem Rhombum alludens *Juvenalis* cecinit:

Quidquid conſpicuum pulchrumque ex æquore toto eſt,
Res fiſci eſt ubicumque natat; donabitur ergo.

hac in re equidem fuit magna Cæſarum intemperantia in cœnis, quibus varia indebant nomina, quales fuerunt cœnæ *Auguſti*, & *Vitellii*, nomine dodecatheos appellatæ, in quarum una *Auguſtus*, & convivæ, Deorum, Dearumque habitu diſcubuere, ac inter ipſos *Auguſtus* pro *Apolline* ornatus eſt viſus, quòd convivium licet in ſecretiori Palatii parte factum, vulgus latere non potuit, nam cùm eo tempore magna charitate annonæ Urbs laboraret, acclamatum eſt, frumentum omne Deos abliguriſſe; ridenda ſanè convivia, in quibus ubi ſub veſtibus Deorum, tot diverſis ciborum generibus ventrem infarcirent, cùm ambroſia, & nectare tantummodò victitarent Dii, imò interdum una potione tantùm eſſent contenti. Sic de ſupremo Deorum *Martialis* luſit,

Jupiter ambroſia ſatur eſt, nunc nectare vivit.

ab hujuſmodi autem vanitate, longè profectò abſunt noſtra hac ætate Principum menſæ; attamen cum ſingulari apparatu inſtructæ ferè ſemper appareant, ac perſæpè in publico conſpectu, non adeò facilè eſt, ut quis licet ſobrius ſibi temperet; quin ex epularum novitate aliquid delibando, ſanitati injuriam aliquam inferat.

Temperet igitur ſibi Princeps à ſatietate ciborum non minùs, quàm à multiplici varietate, & æquo animo patiatur Medici ad Principis ſui ſalutem excubantis moroſitatem, ſi in feliciori valetudinis ſtatu aliquid moneat, quod guſtus jucunditati non benè ſapere videatur; non omninò placet vulgatum illud Celſi: *Sanus homo, qui & benè valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe de betlegibus, ac neque Medico, neque iatralipta egere;* largiamur id verum eſſe in privatis hominibus, at non in Principe, cujus bona valetudo publicæ felicitatis magum eſt præſidium, adverſa verò multas ærumnas comites habet. Id unum autem ad parcitatem, & ſimplicitatem victus ſervandam, deberet ſufficere, quòd ſaniores, & longævores eſſe ſoleant, qui frugalem, & ſobriam vitam ducunt, quàm qui lautam. Cujus rei argumentum eſſe poſſunt veteres *Eremicolæ*, qui herbarum radicibus, & palmarum fructibus victitantes, vitam ad integrum ſeculum producebant, veluti de *Paulo Eremita*, & *Antonio Abbate* refert *Divus Hieronymus*. Hujuſmodi quoque exemplum viderunt poſteriora hæc ſecula in Clariſſimo Viro *Ludovico Cornario*, Patritio Veneto, qui cùm à vita nimis lauta, idem ſibi fatum, quòd fratres ſuos in primævo ætatis flore ſuſtulerat, imminere adverteret, ad ſobriam vitam tranſeundo, fortis, ſanus, integer corporis & animi viribus, pancraticè, ut dici ſolet, vixit, ut nonageſimum ſextum annum agens, elegantiſſimum libellum conſcripſerit *De vitæ ſobriæ commodis*, dignum ſanè, qui commentariis illuſtretur, quòd, ſi quid otii mihi dabitur, forſitan exſequi in animo eſt.

Qualia porrò, ad id, quod expetitur debeant eſſe cibaria, qua menſura, qua hora, quo ordine ſint aſſumenda, neminem fore crediderim, qui certis poſſit definire legibus, tam varia ſunt alimenta, tam varia temperamenta, corporum habitus, diverſæ Regiones, & conſuetudines, & quædam idioſyncraſiæ, ut vocant, ſpecificæ quædam proprietates, ut experientia potiùs, quàm Scriptores ſint conſulendi. Ad cujuſque igitur ſtomachum eſt provocandum, ille enim æquiſſimus eſt Judex; ea idcircò alimenta quæ facilè coquuntur, quæ promptam habent diadoſim,

& corpus benè nutriunt, illa cæteris ſunt præferenda. Signum itaque bonitatis cibi, ſaltem in genere erit bonitas coctionis, & prompta nutritio, In hanc rem animadverſione digna ſunt *Lucretii* Carmina,

Nec multùm refert quo victu corpus alatur,
Dummodò quòd capias concoctum didere poſſis
Artubus, & ſtomachi humectum ſervare tenorem.

Plurima apud Scriptores de re cibaria exſtant monumenta, quare ſolùm ea pertingam, quæ ad rem meam faciunt, & quæ ad Principum Valetudinem tuendam mihi videbuntur magis accommoda; ſed hac de re in ſequenti Capite. Primum itaque ad tuendam valetudinem cavendum erit à ſatietate, quæ obſtructionum parens eſt, & morborum nutrix, ſicuti etiam ab altero extremo, à nimia ciborum parcitate, ne corpus debito alimento fraudetur; non ideò tamen velim, ut alimenta capiantur in pondere, numero, & menſura, ſed ea moderatione, ut ſtomachus gravamen, & diſtentionem non ſentiat, ſed perſæpè inter illecebras, & gratos ſapores, quibus guſtus percellitur, gravitatem non advertimus, niſi poſtquam è menſa ſurrexerimus. Hanc difficultatem juſta menſura cibos capiundi, doctè non minùs, quàm eleganter adnotavit D. *Auguſtinus* Libro IV. contra *Julianum* his verbis. *Jam verò cùm ad uſum ventum fuerit neceſſariæ voluptatis, per quam reficimus corpus, quis verbis explicet; quemadmodum nos modum neceſſitatis ſentire non ſinat, & ipſum limitem procurandæ ſalutis, ſi qua adſint delectabilia rapiendo abſcondat, & tranſeat putantibus nobis ſatis non eſſe, quod ſatis eſt, dum libenter ejus provocationibus ducimur, exiſtimantibus nos adhuc agere negotium valetudinis, cum agamus potiùs voluptatis; ita neſcit cupiditas ubi finiatur neceſſitas.*

CAPUT V.

Cibaria, quæ ad bonam Valetudinem ſunt minùs apta, Principibus magis uſui eſſe; de cibis primæ, & ſecundæ menſæ quædam adnotantur; quid ſit apud Hippocratem, *carnes eſſe leves ad ſtateram, quid apud* Ariſtotelem *vinum ethicum.*

QUòd vulgò dici conſuevit, nimirùm quòd perſæpè meliora videamus, & deteriora ſequamur, id in conviviis omnibus, & potiſſimum in Principum menſis magis uſuvenit; cibaria etenim quæ aptiora ſunt ad valetudinem tuendam, & utiliores ſuccos præſtant, ferè neglectui ſunt, & alia exotica, & peregrina, ac difficilis coctionis, ſeu pravi ſucci magis appetuntur, & exquiruntur. Panis cibus omnium communis, ſi quaſdam ferinas gentes in extremo Septentrione excipias, quas *Ichthyophagos* vocant, qui piſcibus victitant, in Principum menſis locum quidem primum habet, & ultimum, nam quamvis ſit *tener, & niveus, mollique ſiligine factus*, parùm de illo deguſtant Principes, & quandoque ſolùm mollior illius pars ad extergendos inunctos digitos inſervit. Hoc tamen in omnibus conviviis lautè, & opiparè inſtructis, in quibus abundent opſonia, exiguum panis abſumitur, ſic quando *Servator noſter* quatuor ferè hominum millia ſeptem panibus hordeaceis, & quinque piſcibus ſaturavit, illius Diſcipuli de panis fragmentis duodecim collegerunt cophinos, nulla de piſcibus mentione facta.

In menſis itaque Principum, levem habent gratiam *dona laboratæ Cereris*, non ita Bacchi Pomonæ, & venatricis Deæ munera. Panis igitur ex laudabili tritico benè fermentatus, ſubactus, ac ritè coctus, firmum & vitale alimentum præſtat magis, quàm quodcumque aliud cibi genus, ita ut eo ſolo, & aqua poſſint vivere homines:

Satis eſt populis fluviuſque, Cereſque,

ajebat *Lucanus*. Sic *Juvenalis* quoque *panem, & circenſes*, ubi enim populi frugibus, & ſpectaculis abundant, uti olim populus Romanus, felicem vitam degunt. Sic vidimus hoc anno, quanta calamitate tota penè preſſa fuerit

fuerit Europa, ob annonæ caritatem, quàm algidiſſima hyemis conſtitutio, cui nullam aliam ſimilem priora ſecula viderunt, invexit, frugibus radicitus exuſtis. Hinc nulla cura bonos Principes magis fatigavit, quàm, ut quolibet pretio fruges aliundè exquirerent, quibus ſubditos ſuos, tanquam filios paſcerent.

Locus egregius exſtat apud *Hippocratem* in primo Epid. *Imbecilliora cibaria brevem vitam habent;* locum hunc ſubobſcurum egregiè interpretatur *Valleſius*, ut uno quidem modo pro debilioribus cibis intelligendi ſint ii, qui ſint facilis coctionis, quia facultati commutanti parùm reſiſtant, & hujuſmodi cibos brevem vitam habere, quia parùm maneant in corpore, cùm uti ex Aphoriſmo, *Eorum, quæ velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones*, altera verò interpretatione, quòd imbecilliora cibaria, brevem vitam habeant, nimirùm quòd paucum alimentum præſtando brevitatem quoque vitæ præſtent. Panem itaque laudatiſſimum ſuccum humanis corporibus ſuggerere, qui ob ſimilitudinem partibus apponatur, & firmiter adhæreat, ac propterea ad ſanitatem, & longævitatem multùm conferat, conſentiunt omnes. His licet adjicere panem benè coctum, qualis eſt nauticus, corruptioni non eſſe tam facilè obnoxium, ſicuti cætera alimenta, veluti carnes, piſces, & fructus. Panis ad longum tempus aſſervatus non putreſcit, & vim nutriendi retinet; panis ergo, quem primum, & communem hominum victum, & etiam apud primos parentes in uſu fuiſſe deducunt nonnulli ex illo Eccleſiaſtici: *Initium vitæ hominis, aqua, panis, veſtimentum*, cæteris alimentis præferendus eſt, & intermiſcendus, quare non immeritò *Verulamius* panem ciborum firmamentum appellabat. Salubre conſilium itaque fuerit Principibus, ut pane veſcantur ritè parato, illum benè permanſum, & ſalivali fermento imbutum cibis intermiſcendo, cum aliqua quidem proportione ad reliqua edulia, non ea tamen, quam excogitavit M. *Ficinus* de Studioſorum Sanitate tuenda, Libro ſecundo. *Panis*, ajebat ille, *eſto duplus ad potum, triplus ad carnes, quadruplus ad piſces*, ingeniosè quidem, ſed hujuſmodi legibus arctari non decet eum, qui benè valeat, & ſuæ ſpontis ſit, quales ſunt Principes. *Auguſtus* perfuſum frigida panem, pro potione in ſiti ſumere ſolebat; idem panis unciam cum paucis uvæ duracinæ acinis quandoque edebat, quippe veſcebatur ante cœnam quocumque tempore, & loco, quod ſtomachus deſideraret, Auctore *Suetonio*.

Quantùm autem partium ſpirituoſarum contineat panis benè fermentatus, norunt Chymici, qui ex illo ſpiritus acido volatiles educunt, egregium balſamum ad ſtomachi fermentum habetatum renovandum, qua de re legi meretur *Etmullerus*. Hanc ob cauſam inter alimenta nihil eſt, quod ſtomacho penè ſit magis familiare, ut in ſanitatis ſtatu, neminem capiat panis faſtidium, imò in ſtatu morboſo, pro argumento proximæ ſanitatis accipiatur, ſi æger incipiat panem appetere. Obſervatione dignum eſt, quòd ſi quidam ſunt vini abſtemii, & alii propter quandam Idioſyncraſiam, à quibuſdam cibis ſummè abhorreant, uti à caſeo, pomis, ovis, aliiſque rebus, nullus ferè obſervatus fuerit, panis abſtemius, præter puellam quandam cujus meminit *Bruyerinus*, quæ in *Gallia Belgica* cùm ſexdecim annorum eſſet, nunquam panem deguſtavit, imò ſi illius momentum in ſero lactis, quo maximè delectabatur, poſitum fuiſſet, illicò nauſea tentaretur. Neque ratione, & auctoritate caret, eorum, qui pauco pane, & multa carne veſcuntur, fætere animam; caro enim utpote ex ſua natura corruptioni obnoxia, nonniſi ſuccos ejuſdem indolis poteſt ſuggere, ſi nimius ſit illius eſus; refert *Bruyerinus*, Libro IV. de Re cibaria, ſe noviſſe literatum hominem, cui hoc peculiare fuit, multis carnibus, pauciſſimo autem pane veſci, ideòque fætidiſſimum oris halitum illi contigiſſe; revera nullus odor gratior eſt præ cæteris alimentis, qui ſpiritus recreet, quàm panis odor è furno recenter extracti.

Carnium uſum quod ſpectat, non rarò à Principibus, hac in re graviter peccatur,

dum carnes animalium domeſticorum reſpuunt, & ferinas, ac ſylveſtres magis appetunt, quæ non ſolùm à natura humana alienæ ſunt, ſed difficilis coctionis, quales carnes ſunt *Cervorum*, *Damarum*, & caro *Apri*, quod à *Satyrico* ſuorum temporum luxum ſugillante, dicitur *animal propter convivia natum*. Obſervatione dignum eſt, quod tradit *Hippocrates* ſecundo de Diæta, ubi damnat carnes *graves in ore*, *& ad ſtateram*; P. *Martianus* locum hunc obſcurum explicans, ait carnes omnes, quarum gravitas in ore percipitur, & ad ſtateram manifeſta, hoc eſt, quæ data paritate molis, aliis gravior eſt, duræ coctionis eſſe, & ſtomacho ponderoſas, in quo cenſu referuntur carnes bubulæ, ſuillæ, atque etiam leporinæ, hoc idem dicendum de piſcibus marinis durioris, & denſæ carnis, & de avibus aquaticis, quæ fortiores ſtomachos exigunt, & corpora magis exercitata, quod in Principibus non evenit, qui in otio potiùs, quàm labore ævum traducunt. His addendum carnes hujuſmodi ad ſtateram graves ex obſervatione *Sanctorii* in Statica, difficilioris eſſe perſpiratus, quàm carnes leviores, quales ſunt carnes vervecinæ. Quare alimenta hujuſmodi, licet coquorum mangonio guſtui ſapiant, craſſiores ſuccos ſuggerunt, in vaſis ſanguiferis, & viſceribus infarctum, & obſtructiones generant. Solent quidem hujuſmodi carnes duriores, ad aliquot dies aſſervari, ut teneriores fiant, ac per æſtatem in conditoriis nivium teneri, ad macerationem, & putrefactionem ferè, quod non adeò laudandum, nam perſæpè proximæ corruptioni multùm de ſpiritu vitali illis decedit, ideò ab *Hippocrate*, ſecundo de Diæta, probantur magis carnes recentiores, utpote ſalubriores. Ad teneritudinem verò ipſis conciliandam, carnes hujuſmodi duriores flagellandæ, ac perdomandæ, fractis enim illarum fibris molliores fiunt, & ſtomachico fermento minùs rebelles.

Utiliores quoque ſunt carnes volatilium, quæ liberiore Cœlo, & naturalibus paſcuis ſuis fruuntur, quàm altiles, & cortales, ut vocant, quæ quidem pinguiores ſunt, ſed minùs ſalubres, utpote minùs exercitatæ; ſummatim carnes omnes laudantur, quæ facilè perſpirant, quales ſunt vervecis, ex Obſervatione Celeberrimi *Sanctorii*, & carnes omnes, quæ uti ajebat *Hippocrates*, ad ſtateram leves ſunt, ut quæ multùm aëreæ ſubſtantiæ contineant, quòd ob faciliorem perſpiratum Principibus præſertim, quibus corporis exercitatio, non adeò familiaris eſt, valdè conducit. Neceſſarium itaque foret, Principes, quibus magno cultu, & apparatu ex variis carnium generibus inſtructæ ſunt menſæ, ſive à ſuis Medicis, ſive ab ipſa experientia edoctos eſſe, quæ carnes ſtomachum magis gravent, quæ coctu faciliores ſint, & alvo magis ſecedant, quod itidem de piſcibus dicendum, cùm quibuſdam anni temporibus piſculentos dies agunt, ne poſtea jam ſaturi, cùm ad frigidas menſas fit tranſitus (ſic enim Veteres ſecundas vocabant) ad nova gulæ irritamenta aqualiculum nimis onerent:

Poſtquam exempta fames, & amor compreſſus edendi
Fit ſtrepitus, menſæ ſuccedunt dona ſecundæ.

ſic præſtò ſunt, qui magna celeritate aliò aſportent, quidquid culinam redolet, & longo ordine inferant, quæ laſſatæ voluptati ſolamen aliquod apta ſint adferre, quare temporis momento, nova metamorphoſi apparet menſa inſtructior, quàm antea. Mos hujuſmodi in Italia, rerum omnium, quæ ad luxum ſpectant feraciſſima, in Aulis Principum, perantiquus eſt. Menſæ Syracuſanæ, & Italicæ præ cæteris lautiores celebrabantur, ut etiam adagii loco eſſent, quoties lautam menſam quis vellet innuere; ſic *Plato* in Epiſtola ad propinquos *Dionis*, negat ſibi felicem illam vitam in Siculis, Italiciſque menſis, ac reliquis voluptatibus ſitam nunquam placuiſſe. *Athenæus* quoque in dipnoſophiſtis inter opiparas menſas, & omni deliciarum genere refertas Italicas refert.

Ad menſas itaque ſecundas, in quibus videre eſt miro, & eleganti ordine diſpoſita varia bellariorum, & cupediarum genera, acetaria, holera, fructus quoſcumque peregrinos, ab Alcinoi hortis, ſi licet, uſque dedu-

deductos, atque omnia, quæ coquorum ingenioſa manus figurare didicerit, periclitatur temperantia, & conſectariè bona valetudo. Quoniam autem à pinguioribus in prima menſa infractus eſt appetitus, ut plurimùm in ſecunda ad illum acuendum, ab acidis ſubſidium quæritur. Lactuca ex variis acidis, & ſalſis quoque parata primum locum mereri ſolet, more Veterum, apud privatos tamen homines, & vulgarem gentem noſtra hac ætate prima menſa in uſu eſſe conſuevit, de hac *Martialis:*

Claudere quæ cœnas Lactuca ſolebat avorum,
Dic mihi cur noſtras inchoet illa dapes.

De fructibus hoc adnotare licet, quod Principes nunquam fructus edant in tota ſua maturatione, & integritate, nam ad illorum menſas, quæ ſolùm raritate, & pretio æſtimantur, fructus apponi ſolent aut præcoces, aut ſerotini, præcoces acerbiores ſunt, & crudos ſuccos generant, ſerotini fatui ſunt, nullius gratiæ, & bonitatis. De ficubus, hæc habet verba *Hippocrates*, in ſecundo de Diæta: *Primæ ficus peſſimæ.* Dominum ſuum itaque admoneat oportet Medicus, ut ab immodico fructuum fugacium eſu ſibi temperet, quales ſunt ii, quos horreos vocant, & naſcuntur ſub Ora, & Opora; Oram autem, & Oporam Græci vocabant tempus illud, in cujus medio oritur Canicula, quod quadraginta dierum eſt, de quo *Galenus* pluribus in locis, ut in ſecundo de Alim. Facult. & tertio Aphor. 14. fructus enim hujuſcemodi corruptioni facilè ſunt obnoxii, & bilioſas diarrhœas per æſtatem inducunt, unde *Galenus* in Libro de Vitio, & Bonorum ſuccorum, ob illorum uſum immoderatum ſe bis ægrotaſſe ingenuè fatetur. Abſit tamen ut illorum uſum improbare audeam, quos nimirùm ad ſitis, & æſtuantis ſtomachi ſolamen natura genuit, ſi nive ſeu aqua perfrigerati aſſumantur, eo tempore, quo

Procyonfurit
Et Stella veſani Leonis
Sole dies referente ſiccos.

Quoniam autem nivis, qua carere menſas Principum monſtrum eſſet, facta eſt mentio, non improbatur moderatus illius uſus, ſed abuſus, tanquam ſummè noxius damnatur. Profectò potiones illas, & ſorbitiones ex acido citri, limonum cum ſaccharo ad congelationem uſque, quas ingenioſa ſitis commenta eſt, nemo ſanæ mentis unquam laudarit, dum ad illarum deſcenſum horreſcunt viſcera, & occaleſcit ſtomachus, & paulò poſt moleſtior fit ſitis. *Nix ſitim facit*, ajebat *Rhaſis*, Libro vigeſimo primo Tract. quinto, quod efficit, dum palati poros, & fontium ſalivalium, undè ſeroſus latex jugiter emanat, occludit. Veteres in conviviis pro more habuiſſe frigidam, & calidam aquam potare ſatis notum eſt, ut ex *Martiali:*

Calidam poſcis aquam, ſed nondum frigida venit;

imò quòd mirum eſt, aquam calidam in deliciis habebant, qualis luxuriæ ſpecies noſtra ætate obſolevit; priſcos homines aqua gelida, & calida uſos fuiſſe facilè crediderim, ut noxam, quam frigidæ potus induceret calidæ potione eluerent, & emendarent. Hanc tamen conſuetudinem calidam potandi, non adeò laudabat *Martialis*, ſic enim ille:

Poſſideat Lybicas meſſes, Hermumque, Tagumque,
Et potet calidam, qui mihi laudat aquam.

Equidem ſi rectior eſſet nivis uſus, atque ut Juriſtæ ſolent dicere, cum moderamine inculpatæ tutelæ, pro ſingulari beneficio à Divina bonitate, ad repellendam æſtuantis aëris violentiam, nix eſſet accipienda, in locis præſertim calidioribus, ut in Sicilia, Regno Neapolitano, ac tota ferè Italia, tum pro ſanis, tum pro ægris corporibus. Ubi enim, uti aliquando evenit, cùm per hyemem, vel paucæ nives, vel nullæ è Cœlo delapſæ fuerint, ac propterea nivalis annonæ caritate laboretur, annus ille pro nefaſto habetur, nec Obſervatione caret, quod in hujuſmodi caſu longè plures, & graviores morbi vagati fuerint, quàm cæteris temporibus. Perantiquum fuiſſe nivis uſum, etiam apud *Judæos*, habemus, ex Proverbiorum Libro: *Sicut frigus nivis in die meſſis, ita legatus fidelis, ei, qui miſerit eum animam requieſcere facit.* Judæis

dæis autem nivem ſuppeditabat *Mons Libanus*, quem *Tacitus* Hiſtor. Libro 5. præcipuum Montium in ea Regione eſſe ait, *& mirum dictu tantos inter ardores opacum fidumque nivibus*, ac in tanta copia, ut *Jordanem Amnem* alat, & fundat. Sicuti autem non modica ſunt bona, quæ ex nive proveniunt, ſi quis benè utatur, ita non pauca, & vulgaria ſunt mala, quæ ab immoderato illius uſus promanant, quæ recenſuit *Hippocrates* 5. Aph. 18. & 24.

Magna itaque cautione opus eſt in re, quæ tam ſuaviter guſtum percellit, perdifficile eſt enim, ut quis ſibi temperet, ubi ſiti urgetur, & gelidas potiones habeat in promptu, ne illas affatim hauriat, quod ſanè periculoſum eſt, præſertim ſi corpus antea fuerit excalefactum, cum exempla non deſint illorum, qui poſt gelidæ potionis hauſtum, ſyncope correpti fuerint, & non ſecus, ac epoto veneno repentè interierint; attamen tam gravis noxa vitari, aut ſaltem corrigi poteſt, ſi ſorbillatim potiones hujuſmodi gelidæ aſſumantur, dum enim in ore pauliſper detinentur, ac lentè per œſophagum deſcendunt, multùm de ſuo rigore deponunt, & ſtomachus in anteceſſum per communicationem refrigerium perſentiſcit, quam cautionem valdè commendat *Tſchirnhauſus* in ſuo eleganti Libro *Medicinæ Mentis & Corporis*; ubi refert, pluries auſum fuiſſe à vario corporis exercitio adhuc æſtuantem, aquis artificio congelatis ſe reficere, abſque ullo quòd ob id ſenſerit incommodo, eò quòd ob nimiam qua palatum afficit frigiditatem, nonniſi pauxillum ſingulis vicibus aſſumeret, ubi ex adverſo ait ſe quoſdam vidiſſe, in ſimili ſtatu cereviſiam avidiùs, & copioſiùs inglutientes, in graviſſimos morbos fuiſſe collapſos, à quibus vix liberari potuerint.

Nihil porrò eſt, quod Principum valetudini, vel clanculum, vel apertè ſit magis hoſtile, quàm vini potus, ſi immoderatior ſit illius uſus, neque ſolùm valetudini, ſed etiam famæ & exiſtimationi. Satis nota ſunt magnorum Virorum exempla, quibus bibacitas probro fuit, & rerum geſtarum gloriam obumbravit, uti *Alexandro Magno*, cujus in vino intemperantiam, ut cohiberet *Androcides* Vir ſapientia clarus, referente *Plinio* Libro 14. Cap. 5. ſic illi ſcripſit: *Vinum potaturus Rex, memento te bibere ſanguinem terræ. Catoni* quoque *Cenſorio* Viro objiciebatur ebrietas; vitium hujuſmodi latere non poteſt, eòque minùs in Principibus, adeò ut facilè in vulgus dimanet, & ſcommatibus interdum derideatur, ſic *Tiberius Nero*, *Biberius Mero* vocitari conſueverat. Vinum equidem ſi moderatè potetur, magnas præſtat utilitates ad corporis vires confirmandas, ſed eodem nihil pernicioſiùs, ſi modus abſit, naturam enim ignis habet, quò nihil eſt utilius, & eòdem nihil nocentius. Magnates & Principes Viros podagra, & nephritide cognatis affectibus, & hæreditario jure à Parentibus in filios transferri ſolitos, ſæpiſſimè infeſtari nemo non novit; quare *Lucianus* in ſua *Tragopodagra* longam ſeriem Heroum, quos Poëtæ celebrant podagra laborantium recenſet. Quantùm virium utrique affectui generando, & alendo habeat vinum largè hauſtum, ipſamet experientia ſatis palam facit, dum tartaro ſuo, cujus prægnans eſt, articulis duram & lapideam materiam affigit. Ut ergo Principes hoſpites tàm infeſtos ab Aula arceant, vino quidem utantur, modicæ naturæ, ſive lymphato, cavendo à vinis meracis, & quæ magis commendantur. Laudatur vinum vetus defæcatum *edentulum*, ut ipſum vocat *Plautus* in Pœnulo, quod non mordeat, in planitie potiùs, quàm in collibus natum, minùs enim tartari in ſinu ſuo recondit, ſummatim vinum modeſtum atque ethicum, hoc eſt boni moris; liceat mihi hoc uti vocabulo, quo uſus eſt *Ariſtoteles* in Rhetoricis οἶνος ὁ ἠθικὸς. *Theophraſtus* 6. de Cauſis Plant. ait, *id vini genus celeriùs purgari, & conſiſtere, quod ſit tenuius, & quaſi vitii mixtura immune*; *Gaza*, & *Hermolaus Barbarus* de Vino benè morato intelligunt, non deſunt tamen, qui οἶνον illud ἠθικὸν de Vino percolato intelligendum velint ἀπὸ τῦ ἠθεῖν: Vina itaque ſint, ſive ex ſua natura morata, ac tenuia, ſive ſacco percolata, ac ut ita dicam caſtrata, nam

ſacco,

ſacco, ut ait *Plinius*, *Vini franguntur vires.* De vino percolato hoc adnotare licet, quod in dolio repoſitum non ebullit, ut reliqua vina, quæ in ſuis vaſis ad menſes integros magno ſtrepitu ebulliunt, ac præcipuè ſi meraca ſint, nam in percolatione vina multum fæcis, & tartareæ materiæ ſacci parietibus hærentis relinquunt, quæ in cauſa ſunt, ut vina non percolata ad aliquod tempus effervеſcant, nec conquieſcant, niſi poſtquam facta fuerit conveniens per ſuperiora deſpumatio, & craſſiorum partium in fundum præcipitatio. Id habent etiam notatu dignum vina percolata, quòd elutriatione non indigeant, nec per æſtatem pendula fiant, neque dolii parietibus tartaream materiam affigant; quare pro tartaro, cujus in re Medica tantus eſt uſus, obtinendo, nunquam aperiuntur dolia, in quibus aſſervatum fuerit vinum percolatum. Ulteriùs hac gaudent prærogativa, quod non exſpectandum, ut veteraſcant, poſt enim duos vel tres menſes in potu uſui eſſe poterunt. Hujuſmodi vinum igitur ex optimis uvis non in collibus, ſed in planitie, non adeò tamen ab iis diſtante paratum, aptius erit ad menſas Principum pro Valetudine tuenda, & pro podagricis, ac pro nephriticis affectibus, quantùm licet, arcendis. Nolo itaque Principum menſas carere vino, ſed habeant vina, quæ ſanitati inſidias non ſtruant, ſed vitales ſpiritus blandè, & ſine noxa reficiant. Non deſunt Regum, & Imperatorum exempla, qui hac in re ſobrietatis, ac temperantiæ egregium ſpecimen reliquere; *Julius Cæſar*, *Suetonio* teſte, vini parciſſimus fuit, *Auguſtus* quoque eodem referente, in Caſtris apud Mutinam nonniſi ter ſupra cœnam bibebat; è quibus *Suetonii* verbis, vini Mutinenſis agri præſtantiam licet deducere, quamvis enim *Auguſtus* ſuæ valetudinis ſtudioſus fuerit, attamen ter tantum ſuper cœnam bibiſſe magnum fuiſſet ſobrietatis exemplum; quare fas eſt credere vini generoſitatem, quod Mutinenſes colles gignunt cognoviſſe, ac propterea tam ſingulari temperantia, illo uſum in cœna fuiſſe. Mehercle vina Saxolenſia, Floriana, Spetiana, Hetruriæ vinis celebrioribus nullatenùs concedunt. Neque unicum eſt hoc beneficium Mutinæ à Deo conceſſum, ea enim Civitas præter optima vina, & aëris ſalubritatem, habet etiam optimas aquas, & quod præcipuum eſt, & ad veram felicitatem viam ſternit, habuit ſemper, & habitura eſt optimos Principes.

CAPUT VI.

Nemini magis, quàm Principi pro conſervanda valetudine neceſſariam eſſe quotidianam corporis exercitationem.

SI verum eſt quod ſcripſit *Hippocrates* Libro 3. de Diæta, eam eſſe exercitationis vim, ut in commoderatione quadam inter labores, & alimenta ſanitatem poſitam eſſe voluerit, *conſiderandum eſt*, ait ille, *utrum cibus ſuperet labores, aut labores cibos, aut moderatè inter ſe habeant, utrum enim tandem ſuperetur morbi fiunt, ab æqualitate autem inter ipſa mota, ſanitas adeſt:* Igitur ſicuti quotidiana alimenta ad vitam & ſanitatem ſervandam, ſunt neceſſaria, ita etiam quotidianum exercitium ad ſanitatis cuſtodiam erit æquè neceſſarium, ut inter hæc duo proportione ſublata, ſanitatem corruere neceſſe ſit. Si enim modicus ſit cibus, & immodicus labor, atteruntur vires; ac ſi multum ſit alimentum, ac pauca exercitatio, cumulantur excrementa, & ſenſim nobis non ſentientibus, magni fiunt morborum apparatus. Recta itaque victus ratio, & moderatum exercitium, mutuò ſe debent excipere, ut ſanitas conſiſtat; præceſſiſſe tamen alimenta, & inchoatam coctionem æquum eſt, nam ut ex *Hippocrate* in Aphoriſmis, *ubi fames laborandum non eſt.* Apud Perſas exercitium, & victus ita colebatur, ut turpè putaretur ſpuere, nares emungere,

gere, uti refert *Xenophon* in Pædia Cyri Libro 1. certissimo apud ipsos intemperantiæ in victu argumento, quod nostra quoque tempora ejusdem labis coarguit, dum non solùm frequenter exspuere, & nares emungere pro sanitatis studio habemus, sed Nicotianæ fumo, masticatione, & pulvere, nares & fauces continuò provocamus, ad congestas impuritates excernendas, quæ non cumularentur, si vitam magis frugalem, & minùs desidiosam ageremus. Natura equidem commodis nostris satis intenta, alibi, quàm in facie, aptis emissariis nos instruxit, ad excrementa, tum crassa, tum tenuia egerenda, sed nos organa odoratus, & gustus ad fœda ministeria traduximus. Contra hujusmodi *Hippocratis* præceptum à Principibus frequentissimè peccari satis patet, undè fit, ut non rarò hanc ob causam, à sanitatis statu facilè decidant.

Corporis itaque exercitatio pro sanitatis studio, si ulli necessaria est, maximè Principibus, quibus ob lautiores cibos, & multi nutrimenti, necesse foret, ut ita dicam, cibos à laboribus superari, ut æqualitas illa, & proportio, quàm *Hippocrates* optabat, obtineri posset. Varia sunt exercitationum genera, illud tamen exercitium præferendum, quod à principio intrinseco ortum ducit. *Omnium verò motuum optimus ille est*, ajebat *Plato* in Timæo, *qui in semet ex seipso fit. Nam & mentis, & totius ipsius motioni cognatissimus est. Qui verò ab alio fit deterior.* Vehi curru, navi, sella gestari, fricari corpus, sunt quidem motiones corporis, sed à principio extrinseco, nec tales sunt, ut ex iis ea beneficia consequantur, quæ à motu musculari obtinentur, uti ex deambulatione, cursu, & quacumque alia spontanea corporis motione; ex convenienti enim corporis exercitatione, sopitus calor excitatur, circulus sanguinis promovetur, alimenti in singulas partes æqualior est diadosis, ac liberalior est perspiratus, atque obstructiones in visceribus, & vasis sanguineis si quæ sunt expediuntur. *Disruptum est lien, ambula*, ajebat *Plautus* in Curculione. Rectè sanè, ac eleganter in hanc rem *Celsus* Libro 1. Cap. 2. *Ignavia maturam senectutem, labor longam adolescentiam reddit.* Summatim humanum corpus, uti de fama *Virgilius:*

Mobilitate viget, vires acquirit eundo.

Princeps itaque cui cara sit valetudo, non minùs cogitet de cibo quotidie sumendo, quàm de quotidiana exercitatione: laudatur deambulatio matutina ante cibum, sub dio magis, quàm sub tecto, cœlo tamen sereno, nec à ventis perflato, sive vespertina ante cœnam; *labores cibos præcedant*, ajebat *Hippocrates.*

Quædam sunt exercitationum genera, quæ Principibus magis sunt propria, uti venatus, equitatio, saltatio, ex quibus multa beneficia obtinerent, si frequentiùs iis uterentur. Venationis studium antiquitùs, ab ipsa juventute Principibus satis familiare fuit, ut iliis pudori esset, nisi arcum tendere, feras insectari, sagittas ad scopum collimare exactè nossent, atque hac in re cæteris præcellerent. Sic *Achillem* legimus à *Thetide Chironi* traditum, qui illum in venationis studio instruxit, ut feras consectari in silvis, & in præruptis montium jugis cum apris, & fortioribus belluis concurrere assueverit, quo pacto fortis, & egregius bellator, ad bellum Trojanum est quæsitus; venatio enim est rudimentum quoddam ad militarem disciplinam, in qua instructum esse decet Principem. Cùm ergo venatus multa habeat commoda, magnoque sit oblectamento, id præcipuè momenti habet, quod ad sanitatem multùm conferat, sive enim equitando, sive pedestri itinere per loca aspera & prærupta feras scrutando, corpus variis motibus exerceri necesse est, & incalescere, ut quæ aliquam gravitatem capiti, stomacho, ac visceribus inferebant, facilè per transpiratum difflentur.

Præter beneficia, quæ à venatione pro tuenda Valetudine referunt, non modicam laudem quoque à *Poëtis*, & *Scriptoribus* promereri consueverunt propter dexteritatem, & sagittandi peritiam, uti *Æneas* à *Virgilio*, cum septem Cervos in Lybico littore pro septem Navibus suis, sagittis occidit, *Domitianus* a *Martiali* ob Feras occisas, *Gratianus* ab *Ausonio*

ſonio ob Leonem interemptum. Hac in re digna eſt, quod legatur Epiſtola *Sidonii Apollinaris*, in qua *Theodoricum Gothorum Regem*, venandi & ſagittandi peritiſſimum deſcribit; ait enim illum venatione nunciata, proceſſiſſe arcu lateri innexo citra gravitatis regiæ offenſam, & muliebre credidiſſe, arcum ab alio tenſum accipere, inſinuatis enim è regione capitibus, arcum magna vi intendebat, mox ſpicula capiebat, implebat, expellebat, ut ipſius Scriptoris verba referam, *quod cupias percuti, prior admonet, eligis quid feriat, quod elegeris ferit, etſi ab alterutro errandum eſt, rariùs fallitur figentis ictus, quam deſtinantis obtutus.*

Equitatio quoque exercitationis genus eſt Principibus valdè conveniens, imò neceſſarium, niſi enim dedicerit, Equum promptè conſcendere, illique aptè inſidere, ac freno regere, non parùm periclitabitur; Equi enim adulari neſciunt, nec Principes à cæteris diſtinguunt, pauci nimirum ſunt *Bucephali*. Mirùm ſanè quantum gratiæ, ac favoris apud Populos ſibi adſciſcat Princeps, forti & ſpumanti Equo decorè inſidens, cùm in publicum procedit. Statuæ equeſtres, priſcis, & noſtris quoque temporibus magnis Viris, in Foris, & publicis viis ſtatui conſueverunt. Motus autem Corporis per equitationem, quæ ſemper habet aliquam concuſſionem adnexam, magnæ eſt utilitatis, craſſos humores ſtagnantes, è loco dimovendo, eoſque ſimul excernendo. Curavi olim Equiſonem Mutinenſem, qui cùm acuta febre laboraſſet, ob intemperantiam, & nimiam aquæ potionem, factus eſt lienoſus & turgido ventre, adeò ut de hydrope timeretur, nec ullo remedio venter detumeſceret, ſuaſor illi fui, ut ad ſolitum munus, Equos domandi rediret, quo pacto perfectè convaluit, & adhuc vivit. Ad valetudinem ergo ſervandam Principibus commoda erit frequens equitatio, quàm in morbis Chronicis maximè commendat *Thomas Sydenham*, quòd ſi hoc exercitii genus remedium curativum eſt, erit quoque præſervativum à morbis, nam ex *Hippocrate* in Libris Epidemiorum, *quæ facta tollunt, ante facta fieri prohibent.* Olim certè equitatio Principibus magis familiaris erat, ſicuti modò apud Perſarum Reges, ſolenne eſt Legatos equitando audire; nunc autem mos inolevit, ut ſuper regales currus in publicum procedant, ſeu in Rhedis ſedentes aurigare pro more habeant.

Equitatio tamen habet etiam ſua incommoda, ubi enim adſit aliqua diſpoſitio podagrica, aut nephritica, & veſicæ affectio, non parùm noxia eſt, quare *Hippocrates* in Libro de Aëre, Aquis, & Locis, ajebat *Scythas* Iſchiadi obnoxios eſſe, quod ſuper Equos quotidianam agerent vitam; infœcundos quoque homines, ex nimia equitatione fieri, ibidem aſſerit *Hippocrates*, ex nimia ſcilicet renum, & vaſorum ſpermaticorum concuſſione, ut etiam hanc ob cauſam oriantur aliquando Gonorrhœæ. Si tamen equitatio moderata ſit, & placida ſuper Equos gradarios, quorum copia Principibus non deeſt, non parùm conducit ad corporis ſalubritatem; eſt enim, ut ait *Galenus* 2. de Valetudine tuenda Cap. 8. exercitatio mixta ex geſtatione, & opera, qui enim Equo inſidet, muſculos intentos, & in quodam motu tonico exercitos habeat oportet; quare equitatio ex ſui natura, apta eſt ad calorem nativum augendum, & ad excrementorum inanitionem promovendam, ſtomachi quoque robur non parùm confirmat, ſenſuum inſtrumenta repurgat, & acutiora reddit, quare in ſurditate, in capitis dolore à *Tralliano* commendatur.

Creditur quoque equitatio plurimùm valere ad crura craſſefacienda, quàm ob cauſam refert *Suetonius Germanico*, cui graciliora crura objiciebantur, Medicos ſuaſiſſe, ut equitationi indulgeret, cujus rei rationem eſſe crediderim, eò quòd crura in equitatione ſuper ſtapedes multum operentur, etenim qui ſæpè equitare ſolent, muſculos, & fibras crurum intentos habeant neceſſe eſt, ideoque ſanguis, quem ſuggerunt arteriæ, inibi detineatur, nec tam facilè per venas reflùat, ſicque partes illæ uberiùs alantur, atque in mole augeſcant; qualis ratio quoque militat in

cæteris partibus, quæ magis exercentur, quod ſatis patet in Piſtoribus, quibus amplæ, & craſſæ ſunt manus; *exercitium* enim, ut ait Avicenna, *membrum magnificat*. Niſi itaque princeps noxam ullam præſenſerit in renibus, & articulis, commodæ & placidæ equitationi in gratiam ſanitatis indulgeat, & aſſueſcat, ut ſi ad aliquam militarem expeditionem ſuſcipiendam aliquando cogatur, ad hujuſmodi exercitium aliquam habeat aſſuetudinem.

Eſt, & alia exercitatio Principibus ſatis conveniens, atque utilis ad inſtitutum noſtrum, licet ab ipſis ad ſimplex oblectamentum ſuſcepta, ſaltatio ſcilicet, & Choreas agere, cùm enim exercitatio hujuſmodi alternationem habeat, corpus, & vires non valdè fatigat, & eadem affert beneficia, quæ à cæteris exercitationibus obtinentur, nimirùm caloris, & ſpirituum exſuſcitatio, corporis excuſſio, artuum ad varios motus agilitas, & promptitudo. Solenne eſt Principes in puerili ætate ad ſaltationem, & Choreas inſtruere, ut grandiores facti, publicè ſui corporis elegantiam, & majeſtatem præ ſe ferant, adeò ut Principi, hujuſce Exercitii ignaro, turpe ſit & indecorum, neſcire ad harmonicos concentus pedes movere. Hanc ob cauſam, uti memorat *Herodotus*, *Hippoclides Athenienſis*, *Agariſtiæ Cliſthenis* Sycioniorum Tyranni filiæ matrimonio excidit, cùm ignavè, & ſcurriliter ſaltaviſſet. *Scipio* ſaltatione maximè oblectabatur, in provectiori etiam ætate, nam, ut refert *Seneca* de Tranquillitate Animi, *triumphale illud, & militare corpus movit ad numeros, non molliter ſe infringens, ſed ut illi antiqui Viri ſolebant, inter luſum, ac feſta tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum etiam ſi ab hoſtibus ſuis ſpectarentur*. Commoda, & utilitates non referam, quæ tradit *Lucianus* de Saltatione adverſus *Cratonem*, qui Exercitium iſtud tanquam effæminatum, & viro indignum calumniabatur; beneficium certè quod ex illo refertur, non parùm confert ad animi hilaritatem, & corporis quoque ſalubritatem. His addere licet, quòd Saltatio Principem inſtruere poſſit, ad arma tractanda, & in acie fortiter pugnandum. De *Epaminonda* Thebanorum Duce legitur, ſaltatione delectatum fuiſſe, exiſtimante hoc pacto corporis agilitatem conciliari, ut quando pugnandum ſit, eò promptiores ſint homines. *Merionem Cretenſem* Trojano bello, mira dexteritate, & concinnitate corporis in acie pugnantem, hancque ob cauſam Græcis, & Trojanis notum *Homerus* celebravit, Saltatorem illum appellans. Equitatio itaque, & ſaltatio in quocunque Principe rudimenta ſunt ad bellicas artes, in quibus inſtructos eſſe oportet, qui ad imperandum ſunt nati.

Geſtatio in Sella, præ laudatis exercitationibus, non multas habet vires, attamen laudabilior ſemper eſt qualiſcumque corporis motio, quàm ſimplex ſeſſio, aut ſtatio, quæ vires potiùs fatigat, quàm roboret, dum in ſtatione muſculi crurum, & fœmorum in motu tonico perſtant, quam ob cauſam varices in cruribus interdum oriuntur, undè *Juvenalis*, *Varicoſus fiet Haruſpex*, cùm Haruſpices diu ſtare circa extiſpicia pro more haberent. Navigatio interdum utilis erit, & ſalubrior eſſe creditur in mari propè littus, ob ſiccas exhalationes, quàm in fluviis, & ſtagnis. *Navigatio in mari propè littus, inambulatio propè mare ſatis commoda*, Proverbium Græcum erat, quod in Sympoſiis refert *Plutarchus*. Deambulationem præ cæteris exercitationibus valdè commendat *Hippocrates* 2. de Diæta, præſertim matutinam, & aliquam etiam à cœna ſumpta. *Phædrus* apud *Platonem* ex ſententia *Acumeni Medici* inambulationem in loco aprico extra Urbem iis præferebat, quæ fiunt intra Urbis pomœria, forſan quoniam inibi purior ſit aër.

Ludus parvæ pilæ apud Veteres ſatis uſitatus, à *Galeno* pluribus in locis commendatur, cujus uſus quoque noſtra ætate ſatis familiaris eſt; quare *Romanos Cæſares* non puduiſſe publicè ſe etiam exercere pila, & folliculo, Scriptorum monumenta teſtantur; ſic *Veſpaſianus*, qui proſpera uſque ad ſenectam valetudine uſus eſt, ſæpè ſe exercebat in Sphæriſterio, teſte *Suetonio*. *Antoninus* quoque *Imperator*,

perator, ut ex *Eutropio* habemus, inter palæstritas non rarò visus est. *Gustavus Odolphus* egregius ille bellator, cui vincere ludus erat, post relatas victorias adhuc calens à cæde, spectantibus exercitus sui Primoribus, folle ludebat, ut refert *Catarinus ab Avila*. Quantùm itaque conferant moderatæ corporis exercitationes, ad prosperam valetudinem tuendam, cùm ad vitam quoque valetudinariam diu producendam multùm possint, exemplo esse poterit *Herodicus* ille Artis Gymnasticæ repertor, qui licet pro exemplari valetudinarii hominis traduceretur, attamen lineæ vitam ad seculum usque hoc pacto produxit.

Inter exercitationis genera, non immeritò recensetur venereorum usus, legitimus tamen, quem *Tiberius Clinopalem* vocabat, verùm hac in re non mediocri temperantia opus est, hoc enim exercitium, si modum excedat, corporis vires atterit, & animæ ipsius systasim concutit; si tamen modus adhibeatur, non prorsus inutilis est, spiritus enim excitat, & alacriores efficit. Egregriè sanè in hanc rem *Celsus: Concubitus neque nimis pertimescendus, neque nimis concupiscendus, frequens corpus dissolvit, rarus excitat.* Cùm ergo eos, quibus cæteris imperare sors dedit, nihil magis dedeceat, quam cœlibatum profiteri, nihilque subditis sit optabilius, quàm Aulam videre liberis plenam, bonum Principem, ubi justam ætatem adeptus fuerit, pro suscipiendo prole decebit esse uxoratum, sed pro valetudine conservanda, non valdè uxorium. Dictum elegantissimum *Lycurgi* hic placet apponere, quòd Principibus magis, quàm cuiquam videtur congruere; quæsitus Vir ille Sapientissimus, cur in suis legibus sanxisset, ne Maritus perpetuò cum Uxore cubaret, sed ad certa quædam intervalla, sejuncti degerent, respondit se tres ob causas id statuisse, primam, ut viri alacriores essent, non semper uxoris lateribus hærentes, secundam, ut amor, inter conjuges interdum sopitus reviviscceret, tertiam, ut filii robustiores essent, & vivaciores. Promovet quoque venereorum usus circularem sanguinis motum, & vasorum ampliationem, si moderationem conjunctam habeat; norant id quoque antiquæ mulieres, quæ pro more habebant virgini, antequam thalamum ingrederetur, ut cum viro concumberet, filo collum metiri, manè autem eodem filo collum remetiri, ac si illud non sufficeret, ad totum collum complectendum, gestientes proclamabant, ex Virgine mulierem factam; ad quam consuetudinem alludens *Catullus* in Nuptiis *Thetidis*, & *Pellæi* sic lusit:

Non illam Nutrix orienti luce revisens,
Hesterno poterit collum circumdare filo.

CAPUT VII.

Regulam inversam Somni, & Vigiliarum, Principum Aulis valdè familiarem, ad tuendam Valetudinem minimè aptam esse.

LUbricam esse Principum Valetudinem, ac persæpè illos ægrotare mirùm non est, quando, non in unum tantùm, sed in omnia penè præcepta, quæ ad servandam sanitatem conducunt, ab iis graviter peccetur; mirùm est, inquam, cur non, & sæpiùs, & graviùs ægrotent, adeò à communi vivendi ritu deviant, ut à cæteris sic distingui illis proprium videatur, quemadmodum Planetis naturale est in contrarium niti motu oppositio illi, quo stellarum multitudo constanti ordine movetur ob ortu in occasum. Huc quadrat illud *Ovidii*, qui finxit in secundo Metamorphoseon Solem de seipso ita loquentem:

Nitor in adversum, nec me qui cætera vincit
Impetus, & rapido contrarius evehor orbi.

Si in malo rerum non naturalium usu ullus error ab iis committitur, maximè in somno,

& vigilia; ut plurimùm enim dormiunt Principes, cùm totus mundus vigilat ad opera intentus, vigilant autem, cùm non ſolùm homines, ſed cuncta animalia in terris, & piſces quoque in mari ſomno indulgent. Ex hac regula inverſa, nocte vigilandi, & die ſomnum captandi, quæ nullam proportionem habet cum naturæ legibus, num quicquam boni inferri poſſit, iiſdem Principibus judicandum relinquo; ſatis enim liquet naturali ordine noctem quieti, & ſomno deſtinatam eſſe, diem verò vigiliis, & operibus. Dum volumus ſomnum captare, lucem quantùm poſſumus arcemus, lux enim ex ſui natura ſpiritus ad ſenſus externos allicit, & vigilias infert, tenebræ ſomnum conciliant, qui ſpiritus ad interiora prolectat. Huc ſpectat Oraculum illud *Hippocratis* in primo de Diæta, *Lux Orco*, *tenebræ Jovi*, *lux Jovi*, *tenebræ Orco*. Non ineptè propterea ab *Heſiodo* in Theogonia Somnus noctis filius dicitur, & Nox Microcoſmi, Vigilia verò Dies. *Noctu dormiendum*, *interdiu vigilandum*, ajebat *Hippocrates* in Libro Prognoſt. in cujus loci expoſitione *Galenus* hæc habet verba. *Temporibus Hippocratis non aliud fuit ex natura*, *aliud ex conſuetudine*, *nunc verò Divites è contrario agunt*, *tum in quibuſdam aliis*, *tum ſomno*, *interdiu dormientes*, *noctu vigilantes*. Hanc conſuetudinem invertendi tempus ſomni, & vigiliarum, acriter increpabat *Seneca*: *Antipodas in Urbe habemus*, ait ille; Morem hunc itaque perantiquum eſſe conſtat, qui ſemper damnabitur, & ſemper retinebitur.

Apud Græcos, Ægyptios, Romanos, Magnatibus morem fuiſſe noctes majori ex parte inſomnes traducere, cum amicis cœnando, ex Poëtis, & Scriptorum monumentis compertum habemus; mos enim illis erat cum domeſticis modicè pranſitare, vel matutinis horis jentaculum aliquod ſumere, mox cum amicis lautè cœnare, in Tricliniis diſcumbendo, qualem morem *Judæi* quoque à Romanis, quibus parebant, per aſſentationem recepere, unde *Chriſtus Servator noſter* in ultima cœna cum *Diſcipulis*, in Triclinio diſcubuit, quamvis Pictores antiquitatis ignari, quibus quidlibet audendi ſemper fuit poteſtas, illum ſedentem in capite menſæ ſoleant depingere, non enim in ſinu *Chriſti* potuiſſet *Joannes* ſomnum captare, neque *Maria Magdalena*, dum *Chriſtus* in Bethania cœnavit apud *Lazarum*, ſtans retrò potuiſſet illius pedes lavare, niſi diſcubuiſſet, uti ex antiquo marmore Patavii invento oſtendit *Fulvius Urſinus*, in Libro de Triclinio, atque *Octavius Ferrarius* in Opere Eruditiſſimo de Re Veſtiaria. Forma autem Triclinii, apud laudatos Auctores viſitur delineata; erant enim tres lecti, quorum unus erat in fronte, reliqui duo ad latera, ad plures convivas excipiendos idonei, ſpatio medio miniſtris relicto, undè *Horatius*:

Sæpè tribus lectis videas cœnare quaternos.

Lectum etiam unicum in ſuis ædibus ritè & decorè paratum, in quo cum magno luxu, & pompa cœnitarent, habebant. Veteres enim in ſtratis diſcumbentes, ad noctes integras cœnas traducebant, à Sole uſque ad Solem interdum, mimos, pantomimos, citharœdos, & phonaſcos habebant, ut poſtquam epulis corpus ſaturaſſent, animos quoque hujuſmodi illecebris paſcerent, interdum quoque literatos homines habebant, quos de rebus ſublimioribus diſſerentes audirent, ſic *Æneas* poſtquam apud *Didonem* regio apparatu, coram Aulæ Proceribus cœnaſſet, ſurrexit crinitus *Jopas*, qui cœpit canere:

. . . *errantem Lunam*, *Soliſque labores*,
Undè hominum genus & pecudes, *undè imber & ignes.*

Hoc idem legitur apud *Lucanum*, cùm *Julius Cæſar*, victo *Pompejo*, à *Cleopatra* magna pompa & luxu exceptus eſt; poſt cœnam etenim remotis epulis, ut longis colloquiis noctem produceret, *Achoream* compellavit, ut Ægypti res abſtruſiores, ſacra & gentis mores proferret. Cùm autem priſcis temporibus, paucas poſt horas à Solis occaſu, vel ante etiam uti *Domitianus*, *Suetonio* teſte, qui non ultra Solis occaſum cœnabat, convivia ſua celebrarent, & poſt epulas noctis reliquum cantu ſymphoniiſque, & eruditis

tis colloquiis tranſigerent, in iis ſi longiores noctes fuiſſent, penè abſolutum erat coctionis opus antequam ſommo ſe traderent, quare à præpoſtero ſomni & vigiliarum uſu, à morbis minùs plectebantur, quam qui noſtra ætate hujuſmodi vitæ genere delectantur. Principes enim multùm nocturni temporis impendunt in multis occupationibus, quæ ad regimen ſpectant, conſcribendis literis, audiendis iis, qui ſupplices libellos porrigunt, aliiſque negotiis expediendis, deinde non rarò media nocte exacta, cibum capiunt, ac paulò poſt cubitum concedunt, quo pacto noctis reliquum, & meliorem diei partem, matutinas ſcilicet horas, quo tempore à Solari lumine vitales ſpiritus recreantur, irrequieti, & cum ſomnis turbulentis abſumunt, unde poſtea nonniſi cum torpore, & vitiata coctione evigilant.

Quoniam autem conſuetudinem hanc noctu vigilandi, ac interdiu dormiendi ab Aulis ablegare ferè impoſſibile eſt, aliqua moderatione ſaltem hac in re utantur Principes, maturiùs cibum capiant, parcior ſit cœna, & aliquod tempus inter cœnam, & ſomnum ſit interjectum. Aliquam deambulationem à cœna commendat *Hippocrates* in primo de Diæta, plurimùm enim confert ad flatulentias excutiendas ab aſſumpto cibo enatas. *Auguſtus* è convivio nonnunquam digrediebatur, convivas epulantes relinquens, paucis ferculis cœnam claudebat, mox acroamata, & hiſtriones, aut triviales ex circo ludos interponebat, ac frequentiſſimè aretalogos. Modus etiam adhibendus circa tempus ſomni, & vigiliarum, ſicuti enim ſanitas, uti ſuperiùs ex *Hippocrate* eſt dictum, in commoderatione inter cibum, & labores poſita eſt, ita etiam inter ſomnum, & vigilias. Satis erit ſi ſomnus ad vigilias ſubtriplam habeat proportionem, octo ſcilicet horarum ſpatium:

Septem horas dormiſſe ſat eſt, juvenique ſenique.

Verſiculus eſt, qui legitur apud Auctorem Libri de Medicina mentis & corporis. Non ineptè *Plutarchus* ſomnum publicano ſimilem faciebat, ſicuti enim publicanus dimidium vectigalis ſuffuratur, ita ſomnus dimidium penè vitæ ſurripit; idcircò quò plus dormimus, minùs vivimus, etenim ſi tempus illud quo ægrotamus, inter vitæ ſpatia non eſt computandum, ſed illud quo valemus, ita neque tempus illud, quo dormimus, ſed quo vigilamus. Magna tamen ſunt beneficia, quæ nobis ex ſomno proveniunt, ſi modus adſit; legenda eſt Oratio, quam apud *Ovidium* habet *Iris Junonis* nuncia ad ſomnum in Cimmerio ſpecu altum dormientem:

Somne quies rerum, placidiſſime ſomne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparaſque labori.

Sæpè mecum ipſe quæſivi, cur tantæ neceſſitatis ſit ſomnus, ut ſine illo vita nequeat ſubſiſtere, vel ſaltem miſerrima, qualis Mecænati contigit, qui per triennium perpetuas vigilias ſuſtinuit, donec tandem tabe conſumptus periit, & *Nizolio Ciceroniano*, qui ut refert *Heurnius* in Libro de Morb. Cap. ad decennium uſque inſomnis vitam produxit, ſed nihil potuit occurrere, quod animum veritatis avidum, ſatis expleret; etenim ſi quis dicat ſomnum maximè neceſſarium eſſe, ad reparanda quotidiana ſpirituum diſpendia, quæ contingunt ob diurnas vigilias, & animales operationes, regeram ego longè plus eſſe, quod noctu per ſomnum inſenſibiliter digeritur, ac difflatur, quàm quòd abſumitur, dum vigilamus, & corpus exercemus, ex Obſervatione Doctiſſimi *Sanctorii* in ſua Medicina Statica. Si dicatur in ſomno ciborum coctionem perfici ob caloris, & ſpirituum ad interna retractionem, & ſuccum nutritium partibus promptiùs apponi, ut animalia quædam per ſomnum pingueſcant, quæ non fiunt in vigilia ob caloris, & ſpirituum ad externa expanſionem; quanquam vera ſint hæc omnia, cauſam tamen non oſtendunt, quare ſomnus tantæ ſit neceſſitatis, ut ſi quis cætera ſanus, ob caſum aliquem fortuitum duos, vel tres dies ſine ſomno tranſigat, adeò imbecillem ſe perſentiat, ut vix

ſtare

ſtare poſſit, quamvis alimenta optimi ſucci, & vina generoſa ad refocillandas vires illi non defuerint. Quid hoc rei eſt igitur, quod damna, quæ ex ſomni carentia contingunt, nulla alia re penſari valeant, niſi ſomno ipſo? Num id fieri credendum eſt, quia in diuturnis vigiliis frangatur tonus fibrarum, quæ ex jugi ſpirituum influxu tenſæ permanent, ubi in ſomno laxantur, & quieſcunt, & in media quadam ſtatione conſiſtunt? Etenim dum vigilamus, ſive ſedeamus, ſive ambulemus, nervi, & fibræ muſculares in continua ferè tenſione, ac operatione ſunt, licet aliqua intercedat alternatio, in ſomno autem omnes ex æquo feriantur; ſic videmus cuncta animalia, cùm dormiunt in ſitu recurvo, ut Boves, Canes, Feles, & omnia quadrupedia jacere. Pueri quoque ferè omnes hoc habent, ut in lecto ſemper inflexa teneant crura, provecti quoque ætate aliqua corporis inflexione ſomnum capeſſunt, neque enim dormirent, ſi extenſa prorsùs crura, & brachia in motu tonico ſervarent. At iſthæc miſſa faciamus, & aliis felicioris ingenii perſcrutanda relinquamus.

Pro coronide hujus Capitis lubet *Hippocratis* Oraculum apponere, quod ad rem noſtram, documentum ſalutare continet, ſed propter verborum obſcuritatem aliqua indiget expoſitione. *Somnus in frigore cooperto*, ſic Divinus Præceptor 4. in 6. Epid. Varias hæc *Hippocratis* ſententia è Græco in Latinum tranſlata habet interpretationes, ut ex *Galeno*, & *Valleſio* in commento citati loci videre eſt, vera tamen, & germana interpretatio, quæ ſalubre documentum pro ſomno captando exhibet, eſt, quod bonum ſit dormire in loco potiùs frigido, quàm calido, ut reſpiratio ſit facilior, nam in ſomno cùm fiat retractio caloris ad interna, & præcordiorum intendatur caliditas, ſatiùs erit inſpirare auram frigidiorem, ſed corpore pannis benè obtecto, ne à frigoris morſu ſomnus interturbetur. In hunc ſenſum quoque dictum iſtud *Hippocratis* interpretatur *Paulus Heredia*; hoc idem viſus eſt ſenſiſſe *Cornelius Celſus*, ſeu potiùs ab *Hippocrate* documentum mutuatus eſt, dum ſomnum in conclavi quàm maximo laudavit. Non ſatis benè itaque ſibi conſulunt, qui ne à frigore hyemali infeſtentur, in anguſtis cubiculis dormiunt, ut ſolent apud nos *Moniales*, & quorundam Ordinum Religioſi Viri, qui in parvis cellulis ſomnum capiunt, & halitus ſuos, ab ore & toto corpore exſpirant, reſorbent. Quàm gravem odorem exhalent cellulæ hujuſmodi norunt Medici, cùm in illas pedes immittunt ad ægros manè inviſendos. Principes igitur, quibus omnia commoda ſuppetunt, dormiant, ut monet *Hippocrates*, *in frigore cooperto*.

CAPUT VIII.

Excretionum naturalium, quæ reliquiæ ſunt coctionum in noſtris corporibus, rationem habendam, ut ritè fiant, ac ne ulla alteri impedimento ſit.

SI quemadmodum Coquinariæ beneficio repertum eſt, quomodo cibaria, quæ ad vitam ſuſtentandam ſunt neceſſaria, ita parari poſſint, ut non ſolùm palato magis ſapiant, ſed etiam ut in ſtomacho promptiùs conficiantur, ita Chymicæ Artis ſolertia fieri poſſet, ut quod in cibis ſucci nutritii eſt, & apti, ut in ultimum partium alimentum cedat, in quandam veluti quintam eſſentiam redigeretur, ut ſi quid impuri eſſet, per ſimplicem tranſpiratum difflaretur, nec opus eſſet, ut tanta excrementorum moles, in ventre colligeretur, quæ nos cogeret ad quotidianam egeſtionem, ſi hoc inquam obtineri poſſet, non ideò tamen crediderim, feliciorem fore talem hominis ſtatum, immò ſuppoſita partium, qua conformati ſumus, ſtructura, infirmior eſſet, & minùs decorus corporis habitus, continuam enim à ſtomachi fermento, quod feriari nequit, eroſionem cum animi mo-

morositate perciperemus, uti experimur vacuo prorsùs stomacho, nam uti ex veteri Adagio, fames, & mora bilem in nasum conciunt, nec levis foret molestia, quam confluxus bilis, & succi pancreatici parerent. Difficilior propterea esset respiratio, intestina enim à ciborum reliquiis distenta, viscerum sunt substerniculum, undè est quod iis, qui die naturali unica tantum comestione utuntur, videantur pendere viscera, uti ajebat *Hippocrates* de Rat. Vic. in Ac. n. 16. Sic idem *Hippocrates* in Libro de Art. n. 51. in fracturis costarum inediam damnabat, *moderata enim ventris repletio, costarum fit directio*, ajebat ille: Necessaria est itaque, propter partium crassiorum à chylo secretionem, excrementorum in intestinis acervatio, & ad tempus retentio. Neque verò solùm ad bonam corporis valetudinem, partes ad imum ventrem spectantes, turgescentiam quandam, & crassitudinem habere bonum est, sed etiam ad totius corporis venustatem, & elegantiam multum confert; non levis enim est turpitudo ventris depressio, qualis in hypochondriacis, & scorbuticis visitur. Adeò verum est quod scripsit D. *Augustinus* in Lib. 22. de Civ. Dei Cap. 24. nimirùm quod, *nihil creatum videmus in hoc corpore utilitatis causa, quod non habeat etiam decoris locum. Plus autem nobis id appareret, si numeros mensurarum, quibus inter se cuncta connexa sunt, & coaptata, nossemus.*

Non est igitur, quod homo hac in re à cæteris animantibus optet distingui, sed sola ratione, ac temperantia, quæ si adsit, non solùm alvi excretiones, sed aliarum quoque partium, ritè & commodè fient juxta naturæ leges. Quomodo autem in statu bonæ valetudinis fiant in nostris corporibus naturales tum secretiones, tum excretiones, exponere instituti mei non est, id egit ex asse Doctissimus *Terenzonius* in *Pisano Lyceo* Medicinæ Professor, in nuperis suis Exercitationibus, sed solùm mihi mens est cautiones aliquot tradere pro Sanitate tuenda, præsertim Principum. Cùm verò tanti sit momenti, in statu corporis ægro, alvi & vesicæ excrementa diligenter observare, non solùm ad morbi naturam dignoscendam, sed ad prognosim, & curationem instituendam, in statu quoque integræ sanitatis idem agere bonum esset. Verùm hæc animadversio, dum benè valemus, ut plurimùm negligitur, at in Principe, cujus incolumitas maximè est optabilis, hujusmodi consideratio non est contemnenda. Oportet ergo Medicum, qui Principis Valetudini regendæ præest, illius naturam perspectam habere, etiam in statu integræ sanitatis, num alvum habeat ad solutionem, aut ad strictionem propensum, & ad assumpta respondeat, ut immoderantias possit temperare. Ut plurimùm Principes ob ciborum multiplicem diversitatem, nec tam facilem illorum coctionem, habere solent facilem, ubi enim minùs perfecta est coctio, solutior est venter; aliquando tamen ratione temperamenti, & quorundam ciborum usu, est adstrictior, undè non parva incommoda succedunt. *Ventris stupor, omnium confusio, immunditia vasorum, cerebri consumptio*, ajebat *Hippocrates* 3. in 6. Epid. quod licet *Galenus* in loci hujus expositione intelligendum velit de vitiata ventriculi coctione, attamen æquè benè, ut ait *Vallesius* de Intestinorum expultrice læsa poterit intelligi.

Si ergo contingat alvum plus quàm par sit laxiorem esse, cibis potiùs, quàm medicamentis agendum, ea nempè exhibendo, quæ facultate aliqua adstrictoria, ac stomachi, & intestinorum fibras roborandi vi polleant, veluti panis ritè coctus, carnes assæ, fercula ex oryza, mala cydonia, pyra, cavendo à vino dulciori, & bellariis. Aliquando ex particulari aliqua constitutione, uti ex venarum angustia solutior est alvus, qualis Observatio est Doctissimi *Ballonii* in suis Ephemeridibus, eò quia chylus non tam facilè subeat venas mesaraicas, ajebat ille, juxta suorum temporum hypothesim, at verius per venas lacteas abdominis, quam ob causam, ait ille, mulieres, ut plurimùm laxiores habere ventres, nam cùm multis cibis se obruant, ac sine ordine, & vitam desidem agant, ob vasorum conniventiam facilè effluent, quod in homi-

nibus, qui habent vasa ampliora, & vitam ducunt magis operosam, non ita evenit. Si itaque signa appareant, quæ venarum angustiam indicent, parciori cibo erit utendum, & qui vim aliquam habeat calorem innatum vegetandi, & ora vasorum ampliandi, sicuti corpus modicè exercere opportunum erit. Si verò adstrictior sit alvus, alimentis pariter agendum est, quæ alvum meliorem reddant, qualia sunt carnes teneriores, sed elixæ, veluti, vervecis, vituli, hædi, pullorum, pisces quoque, fercula ex herbis cum passulis, prunis, & similibus.

Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ
Sume, solent duri solvere ventris onus.

Cavendum à clysterium emollientium usu, nisi summa cogat necessitas, licet enim ex lacte, herbarum decoctis parentur, attamen frequens illorum usus intestinorum fibras frangit, & effœminat, ac non rarò tormina in ventre excitat, præterquam, quòd corpus in malam consuetudinem trahitur. Novi olim Romæ purpuratum Principem, qui cum alvi adstrictione laboraret, servum habebat, qui alternis diebus emollientem clysterem sibi inderet, non tamen semper cum utilitate, cum interdum in ventre excitarentur non leves turbæ, quo remedii genere propter consuetudinem uti coactus est ad multos annos, donec vixit; multò magis cavendum à laxantibus, & eccoproticis per os assumptis, aliquam enim semper in stomacho perturbationem pariunt. Laudant nonnulli in alvi adstrictione cassiam ad aliquod drachmas, at cassia non tam innoxia est, ut illius usus non sit suspectus, flatuosa enim est, & stomacho parùm amica; idcircò à *Ballonio* Medico Experientissimo, cassia cacostomachos vocabatur, immò idem *Ballonius* 2. Epid. in renum & veficæ affectibus, sive purgato, sive impurgato corpore, cassiæ usum omninò improbat, & virositatem quandam in illa agnoscit. Hanc pariter damnat *Fallopius* noster de Med. Purg. Cap. de Cassia, *Joannes Beverovicius* in Libro de Ren. & Vef. Cal. *Ludovicus Nonius* in Epistola ad eundem *Beverovicium*, & complures alii. Cùm autem persæpè Principes, sive ex hæreditaria dispositione, sive ob errata in victu, renum affectibus laborare soleant, Medicus pro alvo laxanda, in persona Principis suspectam debet habere cassiam, sed potiùs talem diætam instituere, quæ ventris duritiem emolliat.

Non minùs quoque advertere oportebit, quales sint excretiones secundæ coctionis, atque etiam tertiæ, persæpè enim proportionem inter se debitam non servant; mictio plurima, parvam significat dejectionem, ut ex *Hippocrate* 4. Aphor. conversa enim materia fluidiori ad vias urinæ, mirùm non est, si sicciores fiant alvi fæces, & parvæ sint dejectiones; copiosæ autem fiunt mictiones, sive ex usu ciborum calidiorum, & vini meracioris usu, sive ex particulari temperatura calida, & sicca, qui enim talem habitum sortiti sunt, epiphlebi esse solent, hoc est venarum latitudinem habere, ideòque plurimùm mingere, cùm per lactearum amplitudinem copiosus humor abripiatur, & sanguini permixtus, tandem ad renes deferatur; sic etiam ex eodem *Hippocrate* 3. in 6. Epid. *cutis raritas ventris densitas*, hoc est multus perspiratus alvum duriorem efficit, subducta scilicet ventri humiditate, quæ fæces alvinas molliores reddit, & ad excretionem promptiores. Medici pensum itaque erit incumbere quantùm licet, ut per hæc tria principalia corporis emissaria, impuritates ritè, & juxta naturæ leges expurgentur, qnod obtinebitur, temperantia in victu, & recto rerum non naturalium usu.

CA-

CAPUT IX.

Ex nulla re magis, quàm Animi affectibus periclitari Principum Valetudinem, nihilque esse, cui minùs succurrere possit Ars Medica.

IN classe rerum, quas Medici non naturales vocant, quæ medium sunt quiddam inter ea, quæ sunt secundum naturam, & præter naturam, locum postremum tenent animi pathemata, sed primum forsan sibi vindicant, quatenùs præ cæteris plurimùm habent virium, ad bonam valetudinem evertendam, & graves morbos inferendos. Quantùm polleant animi affectiones, & quàm grandem tempestatem temporis momento in massa sanguinea concitent, ex signis, & notis, quas in externis corporis partibus, ac in facie potissimùm depingunt, facilè est deprehendere, qua de re egregiè scripsit *Cambræus* in Libro de Pass. Carac. sic in ira, quæ præ cæteris passionibus vehementior est, fit primò aliqua sanguinis ad interiora retractio, sed paulò post majori impetu ad corporis externa protrusio; sic ubi quis ira fuerit correptus, facies, & oculi rubore suffunduntur, os amarescit, spumant labia, pulsus frequentes, & magni fiunt, verba interrupta, motus irrequieti multaque alia apparent, quæ hominis non sani, sed furentis, *Oreste* ipse diceret; Anima enim sensitiva, ubi satis virium esse agnoscit ad objectum, quod sibi odiosum, & infestum concipit, propulsandum, collectis viribus, spiritus, & sanguinem ad externa protrudit, cordis ministerio, quod ex spirituum animalium confluxu, tanta vi, ac tam crebrò systoles suas explicat, ut sanguis per arterias ad partes delatus, nec à venis tam promptè resorptus, non possit, quin cutim rubore perfundat, ubi in timore, dum videt non esse sibi tantùm roboris, ut longè à se quod hostile est repellat, contraria eveniunt, fibris enim per totum contractis, impeditur sanguinis motus, seu ejusdem sanguinis per arterias ad suum principium fit retractio, quando inter varios sanguinis motus, retrogradum etiam nonnulli admittunt; lege enim consortii, & mechanica necessitate inter animam & corpus, conspicuum est, ad quasdam motiones animæ, quasdam etiam fieri in corpore, & in massa fluidorum motiones; sic hominibus subito timore perculsis pallor in facie apparet, attonitum simulachri adinstar præstat corpus, mens stupet, & vox faucibus hæret. Sic quælibet alia passio propria signa, & notas habet, quibus seipsam prodit, uti apud laudatum Scriptorem videre est. Si ergo ad animæ perturbationes tanta fit in sanguine, & fluidis omnibus susque deque perturbatio, mirùm non est, si propter animi pathemata naturalis œconomia pervertatur, & facili negotio corruat bona valetudo. Non desunt apud Scriptores exempla eorum, qui ex nimio iræ impetu subitò exstincti fuerint, quod pariter legitur de aliis, quibus ex nimio terrore, sive ex improviso gaudio, post magnum mœrorem intercluſus est spiritus.

Ast cùm animi affectus in privatis hominibus, atque etiam infimæ sortis adeò polleant, ut quotidie videmus, quantò plus virium habebunt in iis, qui licet supra cæteros constituti, tota sua potestate impetrare non possunt, ut omnia, quæ flagranter optarint, obtineant, nec efficere, ut fortuita quædam, & valdè molesta iis non eveniant, de quibus ne per somnium quidem cogitarint. Quis ex iis, qui Principatus, Regna, & Imperia possident, *Augusti* fortunam, prosperitatem, Imperii amplitudinem, & longam ætatem sibi non optaret? At si quis Caput 45. Libri septimi Histor. Natur. *Plinii* legat, ubi longa serie *Augusti* infortunia, & casus adversi recensentur, Principem infelicissimum pronunciabit, licet inter felicitatis exempla numeretur. *Augustus* ipse de rebus sibi adversis, non rarò conquestus est, præcipue de *Juliæ filiæ* moribus, cujus pudicitiam suspectam habebat,

idcircò inter amicos dicere solebat, *duas habere filias delicatas, quas necesse haberet ferre*, Juliam & Rempublicam, ut legitur apud *Macrobium* in Libro 2. Satur. Cap. 5. Quàm gravi metu, ac mœrore affectus fuerit, ubi Varianæ cladis in Germania, nuncium accepit, ex Scriptorum monumentis satis constat, excubias enim per Urbem indixit, ne quis tumultus exsurgeret, quasi Germani in Italiam irrupturi essent, ludos Jovi vovit, ut Rempublicam servaret, *adeò consternatus, ut per continuos menses barba capilloque summisso, caput interdum foribus illideret vociferans, Quintili Vare legiones redde.*

Augustum licet bono, & decoro habitu ex sui natura præditum, valetudinarium, immò persæpè gravibus morbis conflictatum fuisse legimus, ut *Antonius Musa* Medicus Celeberrimus, illius desperata salute, dum ex remediis, quæ salubriora videbantur, nihil levaminis obtineri adverteret, raro exemplo periclitatus fuerit; nam ut ait Plinius *Augustum contraria Medicina gravi periculo exemit*, quod perrarò facere solent Medici, qui ut ait Celsus, *in splendida persona, conjectura sua nolunt periclitari, ne occidisse, nisi servarint, videantur.* Improsperam autem illius Principis valetudinem, & frequentes morbos, nonnisi ad animi pathemata, à quibus ob malè inter se cohærentem iniquæ fortunæ, ac felicitatis interdum mixturam cavere non poterat, referri potuisse crediderim. Cùm autem Principibus, qui populos regunt, ferè quotidie causæ non desint, quæ illorum animos transversos agant, non equidem mirari convenit, si ut plurimùm minùs prospera valetudine fruantur, mirari potiùs licèt, cur non sæpiùs decumbant. Quàm gravi tempestate per totam Europam primo hujus sæculi decennio jactata fuerit Principum fortuna, satis constat, ut Summo rerum omnium Rectori, pro iis componendis, & pace restituenda, suscepta fuerint publica vota.

Principes itaque, si illis cordi est benè valere, à violentis animi affectibus, quantùm licet caveant, non ita tamen, ut ad apathiam illam, quam Philosophi quidam ambitiosè nimis affectarunt, studeant pertingere, id enim esset hominem ex homine tollere, nam uti inquit D. *Hieronymus*, *Nos affectus, & perturbationes, quamdiù in tabernaculo corporis hujus habitamus, & fragili carne circumdamur, moderare, & regere possumus, amputare non possumus.* Gaudeant igitur, doleant, tristentur, misereantur, irascantur etiam aliquando, sed iræ sint Principe dignæ, veluti de Jove *Ovidius:*

Ingentes animos, dignas Jove concipit iras.

Sic etiam in Sacris Literis *Deum* iratum legimus, de hominum sceleribus pœnam sumpsisse. Multùm itaque interest, num quis irascatur, ac incandescat, ut postea eorum, quæ iratus perpetrarit, pœniteat, uti de *Adriano Imperatore*, ut refert *Galenus* de Cognos. & Cur. Anim. Mor. qui ira percitus cum stylo oculum servo perfodisset, ac postea illum vidisset factum unoculum, commiseratione ductus, pollicitus est illi daturum se quod vellet, & optaret, at cùm ille taceret, eundem sermonem repetiit, cui ille respondit, se nihil, nisi oculum amissum optare, qui restitui non poterat. Ratio itaque sola habenas teneat, & animæ sensitivæ motus in officio detineat, ac præsertim in iracundia, in quam facilè delabuntur, qui summa potestate gaudent.

. . . . *animum rege, qui nisi servit*
Imperat, hunc frænis, hunc tu compesce catenis.

Moderatio igitur in iracundia maximè commendabilem, & subditis perearum efficit Principem, ut qui certi sint nihil ab eo deliberari posse, nisi quod prudentia, ac justitia maturarit. Principibus equidem mirùm in modum quadrat, quod *Claudianus* scripsit:

. . . . *Diis proximus ille est,*
Quem ratio, non ira movet . . . .

Unica igitur passionum medela, ne tam graves valetudini noxas inferant, erit ratio, non ab Arte Medica, sed à Morali Philosophia petenda, non enim quidquam aliud, quàm rationem suggerere potuit *Galenus* in laudato Libello de Cognos. & Cur. Anim. Morbis.

Ne

Ne autem hac in re inane prorsùs videatur Archiatri officium Principis valetudini excubantis, illius pensum erit advertere, in quemnam affectum ille sit pronior, num ad iram, an ad mœrorem, & alios affectus, quos ipse quàm quispiam alius cognitos habere credibile est, poterit opponere talem diætam, & vivendi rationem, quæ vim habeat moderandi dispositionem, quæ affectui naturali vim præbet, ut si præfervida temperie præditus sit, commendet talem victum, qui nimium sanguinis, & spirituum fervorem compescat, laudet vina acidula, sive diluta, summatim diætam perfrigerantem, si verò ex naturali temperie illum videat ad mœrorem propensum, cibariorum usum, quæ sanguineam massam volatilibus particulis saturent, & spiritus vividiores efficiant, prout ferret occasio approbet, vina mediocriter generosa illius temperamento magis accommoda commendet, talia enim melancholicis, & qui gravioribus curis premuntur solent esse remedio, dum particulas sanguinis acidas mitiores reddunt, eo prorsùs modo, quo stagmata acida vitrioli, sulphuris, aliorumque, spiritu vini dulcescunt. *Date siceram mœrentibus, & vinum iis qui amaro sunt animo*, ut in proverbiis habemus. Sic *Helena*, ut ex *Homero* in Odyss. *Menelao*, & *Telemacho Ulyssis Filio*, pharmacum illud mœroris, vinum scilicet nepentes, quo à *Polydamna Regis Thonis Uxore* in Ægypto fuerat donata, propinavit. Si verò ob passionem aliquam diù perseverantem, Principis sui habitum videat gracilescere, & faciem decolorari, illum admoneat de remediorum necessitate, ad proximam ægritudinem antevertendam, hujusmodi enim cogitatio, à contemplatione idearum quæ excruciant, mentem forsan abducet.

CAPUT X.

Quale debeat esse in Principibus Literarum Studium, ne bonæ Valetudini inferatur noxa.

PRincipes quorum proprium esse debet facere scribenda, interdum libido solet incessere, ut in Literarum studio inclarescant, & in hujusmodi mustaceo, ut dici solet, laureolam quæritent, illos tamen, ut plurimùm, diligentia frustrante, ut quod optarint non tam facilè attingant, & immò quod pejus est, bonæ valetudini non levem injuriam faciant. Dedecet sanè Principem quemcumque, còque magis, quò excelsior est, Literarum omninò rudem, & amusum esse, minùs enim gratus, & carus est subjectis populis, qui Principem suum tanquam virtutum omnium exemplar habere gestiunt, sicuti multum illi confert Literis in primævo juventæ flore, operam navasse, ac præsertim humanioribus studiis, veluti Latinæ Linguæ, Rhetoricæ, Poëticæ, præterquàm enim quod multùm laudis, & decoris sibi adsciscet, id beneficii assequetur, ut si ex nativa temperie asperioris naturæ sit, hujusmodi studiis illam exuat:

Scilicet ingenuas didicisse fideliter Artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Decet itaque eum, qui ad imperandum est natus, Literis mediocriter esse imbutum, atque etiam de sublimioribus Scientiis, uti Philosophia, Mathematicis disciplinis aliqua delibasse, ut si aliquando publicis Disputationibus intersit, statum saltem Quæstionis intelligat, non est tamen necesse, ut Logicas subtilitates calleat, & *Curtum sermone rotato torqueat enthymema*. In Philosophia tamen Morali, magis quàm in naturali illum instructum esse oportet, cujus facultatis egregia sunt monumenta, tum ex antiquis, tum neotericis Scriptoribus, ex quibus optima documenta tum ad sui, tum ad aliorum regimen exiguo labore haurire poterit. Qui Literarum studio totos se dedere, ut nomen aliquod sibi com-

parent, ſatis norunt quanta temporis, virium, & ſanitatis diſpendio conſtet hæc laudatio. *O hominem literatum!* illi enim neceſſe fuit libris impalleſcere, & lucernariam vitam degere, ſic de *Demoſthene* ajunt: illum, plus olei, quàm vini abſumpſiſſe.

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, ſudavit, & alſit,

ajebat *Horatius* in Poëtica. Cùm itaque non niſi multo labore, & vigiliis commendatio aliqua in Literis obtineri poſſit, & conſectariè cum ſanitatis ruina, Principes, qui non ſibi tantùm, ſed aliis nati ſunt, ad propriam Valetudinem tuendam excubare debent, & ſcire ad ſobrietatem. Innumera ferè ſunt damna, quæ ex impenſiori ſtudio, ac rerum abſtruſiorum perveſtigatione ſanis corporibus proveniunt, ſtomachus primò immoderati ſtudii pœnas luit, diſtractis nempè à ciborum coctione innato calore, & ſpiritibus. *At imbecillis ſtomacho, quo in numero magna pars Urbanorum, omneſque penè cupidi Literarum ſunt*, ajebat *Celſus* Libro 1. Stomachi itaque imbecillitas nimiæ attentionis ad ſtudia, & lucubrationis vitioſum eſt productum, ex quo tanquam è ſcaturigine ſingulis partibus languor promanat, nam qualis chylus talis ſanguis, ac exindè depravatus corporis habitus. Scitè propterea Q. *Serenus* ſtomachum totius corporis regem appellabat, cujus validus tenor omnia membra confirmandi vim habeat. Præ cæteris verò partibus, caput ſedes Animæ, & Ars Minervæ graves perſentit noxas; nam propter nervorum contentionem, & exſtaſim quandam in altis contemplationibus, Luce animali deſtituuntur partes corporis, undè torpor, & ſegnities, ac eandem ob cauſam tardiori lapſu fluit ſanguis per ſuos ductus, & naturalis totius corporis œconomia pervertitur. Multa igitur ab intenſiori animi exercitatione in Literarum ſtudio corpori conſequuntur incommoda, rectè propterea ajebat *Plutarchus* in Libro de Preſ. Salub. quod ſi corpus diſceptet cum animo de damno dato, non fore, ut hic noxæ eximeretur. Quippè cum animus contentionibus, & ſtudiis eſt intentus ſuis, abutitur corpore. *Plato* quoque in Timæo, ajebat animum ſtudiis intentum corpus implere languoribus, ut poſtea neceſſe ſit ſtudia omnino deſerere. Innumera penè ſunt incommoda, quæ affectatio nominis celebritatem adipiſcendi in Literis valetudini infert, adeò, ut perdifficile ſit eodem tempore aſſequi magnam famam, & bonam valetudinem; cum enim neceſſe ſit ad aſſiduam librorum lectionem incumbere, interdum ſcribere, idque fieri nequeat ſine continuata ad plures horas ſeſſione, vel ſtatione, utroque modo corpus graves noxas perſentiſcit, in ſeſſione enim propter compreſſionem, femorum, & crurum ſtupor conſequitur, in ſtatione muſculi ob motum tonicum defatigantur, & in utroque ſitu ſanguinis motus retardatur. Obſervatione dignum eſt, quòd Religioſi quidam cœtus, qui Literarum ſtudio potiſſimùm ſunt addicti, licèt alioquin civilem vitam ducant, ac alimentis boni ſucci alantur, omnes ferè ſint macilenti, & melancholici, alii verò Religioſi Ordines ad pietatis ſtudium, & cœleſtium contemplationem intenti, vitæ auſteritatem profitentes, licèt nudipedes, ac iiſdem veſtibus tam hyeme, quàm æſtate obducti, ut plurimùm obeſi ſunt, valentes, & benè colorati. Cùm itaque Principes valetudinis ſuæ ſtudioſi eſſe debeant, non ſolùm in ſui gratiam, ſed & aliorum, quibus præſunt, modicè & pro oblectamento ſtudiis aliquot horas diei impendant, & ſi illis vigilandum eſt, id agant, ut ſubjecti ſecuriùs dormiant, uti *Epaminondas* Dux Thebanorum, qui ut ſcribit *Plutarchus*, quæſitus cur noctu Urbis mœnia perluſtraret, reſpondit ſe ſobrium eſſe, & vigilare, quò reliquis liceret temulentos eſſe, ac dormire. Sic *Homerus* 2. Iliadum, *Jovem* finxit ſemper vigilantem dum cæteri Dii altùm dormirent.

Tum reliquos omnes, divoſque hominesque tenebat
Per nox ſomnus, at inſomnis Saturnius unus
Pectore ſollicito volvebat. . . . .

Præterea obſervatum eſt, Principes, qui ſe totos ſublimioribus ſcientiis comparandis devoverint, parùm fortunatos fuiſſe, ac non ſolùm valetudini, ſed etiam famæ, & exiſtimationi

ſtimationi injuriam feciſſe, ut etiam interdum ſcommatibus, & dicteriis traducerentur. *Alphonſum Caſtellæ Regem*, cujus tabulæ Aſtronomicæ adhuc exſtant, multis infortuniis vexatum fuiſſe Hiſtoriæ referunt, & cum in Planetarum motibus obſervandis totus eſſet, & præcipuè in Martis erroribus, errata ſua in populorum regimine non ſatis obſervaſſe creditus eſt, quin eò impietatis etiam deveniſſe ajunt, ut Momi Lucianici adinſtar opera divina carpere voluerit. *Julianum Auguſtum*, vulgò *Apoſtatam* dictum, in eloquentiæ ſtudio, & omnigena eruditione inclaruiſſe, uti opera illius teſtantur, ſatis perſpectum habemus, ſed in quas ſuperſtitiones ſe dederit, & qualis fuerit illius exitus loquuntur Hiſtoriæ. *Henricus Octavus Angliæ Rex*, cui *Ludovicus Vives* commentarios in Librum D. *Auguſtini* de Civitate Dei dicavit, Literarum cultor fuit, & cùm adversùs *Lutherum* ſcripſiſſet, Catholicæ Fidei Defenſoris titulum promeruit, aſt in quos errores Regius ille Scriptor lapſus fuerit, ſciunt omnes, ac ipſemet, ſi Scriptoribus adhibenda fides, dum animam ageret, omnia ſe perdidiſſe confeſſus eſt. *Jacobum Stuardum* primum magnæ Britanniæ Regem, quòd in evolvendis libris ad Liturgiam ſpectantibus, ac Theologiæ ſtudio eſſet nimis occupatus, qua in re adeò eminere ſe credidit, ut *Cardinali Bellarmino* litem moverit, publicis ſcriptis editis, nec ſine acrimonia, & conviciis, quibus tamen reſponſionem non minùs doctam, quàm humanitate, & reverentia regio Nomini plenam *Bellarminus* repoſuit, veluti Purpuratum Principem decebat in Religioſiſſimo Cœtu Patrum Societatis Jeſu antea enutritum, Angli ipſi per contemptum Regem Theologum appellabant. *Antoninus Pius* Philoſophi cognomentum eſt aſſecutus, ſed nullum magnanimi Principis titulum promeruit, nulla militari expeditione ſuſcepta, nimis facilis in puniendis criminibus, & toleranda *Fauſtinæ* nota impudicitia. Principes igitur, qui impenſiùs, quàm par eſt Literis ſe dedant, non rarò apud ſubjectos populos malè audiunt, tanquam nati potiùs ad clauſtra, quàm ad caſtra. Romulum, qui in illa temporum rudditate totum annum in decem menſes non ſatis ritè digeſſerat, hoc carmine laudavit *Ovidius:*

Scilicet arma magis, quàm ſidera Romule noras,
Curaque finitimos vincere major erat.

Si tamen Principes polymathia delectet, & in quocumque ſcientiarum genere eruditionem pauco labore, & cum laude, quodque magis refert ſine valetudinis damno aſſequi, id illis erit perfacilè, nimirùm ſi Poëtas, Oratores, Philoſophos, Mathematicos, Theologos alant, & ſucciſivis horis atque etiam ſuper cœnam, & prandium illos audiant variis de rebus diſſerentes, ac ab illis ediſcant, quæ multo ſtudio, & lucubrationibus à mutis magiſtris, hoc eſt libris didicerint. Morem hujuſmodi ſervavit *Franciſcus Primus Galliarum Rex*, magnus Literatorum Fautor, qui ut refert *Bruyerinus* in ſua Nuncupatoria ad Librum de Re Cibaria, dum cœnaret, ac pranderet, aſſidentes habebat in quocumque genere præſtantiores Literatos, quod itidem facere conſueverunt *Leo Decimus*, & *Clemens Septimus*, Pontifices Maximi de Medicea Familia, cui ex Regia Mecœnatis ſtirpe prognatæ jure quodam per traducem, peculiare fuit celebriores quoſque in Re Literaria Viros quocumque tempore fovere, atque alere. Idem quoque obſervatum eſt in Principum *Eſtenſium* Nobiliſſima Familia, quæ ſemper pro more habuit Aulam habere Doctiſſimis Viris plenam, quò factum, ut Celeberrimos Scriptores, ac Poëtas habuerit, qui illorum facta poſteritari commendarint, quales fuere *Areoſtus*, ac *Taſſus*.

Poterunt itaque facili negotio Principes, in Philoſophicis, Mathematicis, in experimentali ſcientia, & in quocumque diſciplinarum genere abſtruſiorum rerum notitiam ſibi comparare, Viros Eruditos colloquentes audiendo, vel menſis remotis, aut eo tempore, quo *Domitianus*, ut horas falleret, Muſcas ſagittis confodiebat, ſicque ſine tortura intellectus, & bonæ valetudinis diſpendio *aliena frui inſania*, uti *Plinius* de iis dicere ſolebat, qui

qui novas Ædes conſtruere nolebant, ſed ab aliis magnificè, & multa impenſa conſtructas parvo ſibi comparabant. Mirùm eſt, quantùm ſe torqueant, & fatigent Philoſophi, Mathematici, & rerum naturalium Scrutatores, in problematum quorundam ſolutione, ut plures noctes inſomnes ducant, ac perſæpè operam ludant. Voverat olim Jovi *Dionyſius Syracuſanus Coronam auream*, aurique optimi maſſam Artifici dederat pro Corona conſtruenda, at ille ſurrepta auri portione, argentum ſubſtituit, ſenſit Artificis dolum *Dionyſius*, at quia Corona ſatis elegans erat, ac putabat Jovem Optimum Maximum illam, qualiſcumque eſſet, benignè eſſe excepturum, paſſus non eſt eam infringi, & liquari, & aliam ex puro auro fabrefieri, attamen peroptans ſcire quota portio eſſet argenti permixti, *Archimede* accerſito, ab eo quæſivit, ut ingenio ſuo perſcrutaretur quantum mixturæ pro retento auro in Corona latitaret, quo audito ille attonitus, ac ſtupens abiit, ſe ipſum excrucians, quanam ratione rem tam arduam poſſet pertingere, donec tandem cum in balneo eſſet, voti factus eſt compos, ex illo enim emergens ratiocinando ex uno in aliud progrediens, modum reperit, quo mechanico artificio, ſciri poſſet quantùm argenti auro ſuffectum fuiſſet, ac reperta proportione, quam habet aurum in pondere ad argentum data paritate molis, magna cum ſui laude *Dionyſio* ſatisfecit. Hanc *Archimedis* inventionem verſibus ſatis elegantер expreſſit Q. *Rhemnius Fannius*. Tam parvo igitur conſtat Principibus eruditio, quàm magno privatis hominibus, qui ſibi eam compararunt.

Magnum præterea ornamentum facili negotio ſibi accerſerent Principes, ſi præter Latinam Linguam, aliarum etiam, quæ in Europa uſui ſunt, peritiam acquirere ſtuderent, quod facili negotio, atque etiam cum oblectamento obtinerent, ſi peritos homines in familiæ cenſu haberent, quibuſcum horis quibuſdam diei, animo curis vacuo, colloquerentur. *Mithridates Rex Ponti*, & Bithyniæ ſua ætate magnæ admirationi fuit, nam, ut refert A. Gel. duarum & viginti gentium, quas ſub ditione habebat, linguas percalluit, earumque omnium gentium viris nunquam per interpretem locutus eſt. In hanc rem factum oppidò curioſum, & memoratu dignum lubet referre, quod legitur apud *Laurentium Capellonium* in Libro Sermonum Variorum italico idiomate conſcripto, Libro 2. Cap. 1. Cùm Bononiæ eſſet *Carolus V. Imperator*, ut à *Clemente VII. Pontifice* Imperii Coronam ſuſciperet, *Franciſcus Sfortia* Dux Medioliani, qui perduellionis apud Imperatorem fuerat accuſatus, quòd cùm Gallorum Rege ſecretò conſpiraret, impetrato à Cæſare, faventibus Legatis Venetis, Diplomate, ſeu ſalvo conducto, ut vocant, *Bononiam* venit, ut objecta crimina dilueret. Is ergo, ubi ad Cæſarem datus acceſſus, præſtitis debitis obſequiis, Diploma è ſinu extractum illi obtulit inquiens, illo ampliùs ſibi opus non eſſe, dum hujuſmodi præſidium quæſiviſſet, non quòd Cæſaris æquitati, aut innocentiæ ſuæ diffideret, ſed ut à Cæſareis miniſtris ſibi nimis infenſis caveret; ubi autem fidei, & devotionis ſuæ erga Sacrum Romanum Imperium teſtimonia, & experimenta adferre cœpit, *Antonius de Leva*, natione Hiſpanus, qui tunc aderat, lingua Hiſpanica Sfortiam Italico ſermone loquentem vehementer interpellabat, ut Sfortia Orationis ſuæ filum proſequi non poſſet; quare hic cognito Hiſpani miniſtri Artificio, lingua Germanica loqui cœpit, quam cùm non calleret alter, ſilere coactus eſt, non ſine tamen indignatione, quam celare non poterat, ſic Sfortia commodè apud Cæſarem à criminum ſuſpicione fidem ſuam liberavit; Imperator autem commendata generoſi Principis prudentia, & ſagacitate, Mediolanenſis Ducatus dominatum, *Sfortiæ* reſtituit, & confirmavit, reclamante licet *Antonio de Leva*, qui aſſerebat, Mediolanenſem Ditionem, pluris faciendam, quàm totam Hiſpaniam.

CAPUT XI.

Quale esse debeat in senili ætate Valetudinis regimen.

SAnum profectò consilium est, sanitatem, qua sola felices à miseris dignoscuntur, quanta fieri potest diligentia, quocumque tempore custodire, ast in senili ætate potissimum id agere saluberrimum est: Juvenilis enim, ac Virilis ætas, causis quæ ab extrinseco proficiscuntur, facilè obsistunt, ast non ita senes, qui ut veteres fagi ad quoscumque ventorum flatus facili negotio concidunt. Sicuti ergo quisque, ubi canitiem accedere cognoscat, rectè sibi prospiciet, si valetudinis suæ meliorem quàm antea curam habere incipiat, ita Princeps, cui ad senectutem vergenti gravior semper curarum moles incumbit, alteram vivendi rationem instituat necesse est, ut feliciori sorte mortalitatem vitæ hujus exuat; Senectus, cujus propria est ingenii maturitas, si adjunctam habeat sanitatem, verus vitæ fructus dici meretur.

Primò itaque talis diæta erit instituenda, quæ lampadem vitalem sustentet, non obruat; cùm ergo senectus pueritiæ sit opposita, diversa ratione est procedendum, in puerili enim ætate cum in dies calor, & robur vegetior, ac robustior fiat, oportet sensim alimentum augere, in senili verò, ubi languidior est vitalis ignis, & stomachi fermentum infractum, alimoniam imminuere necesse est, id tamen intelligendum velim de primo senio, nam in postremo senes ætate confecti, ut ait *Galenus* Com. Aphor. 13. 1. Sect. *Tale quid patiuntur, quale lucernis penè exstinctis accidit, quæ continuam exigunt olei suffectionem, multam autem, & cumulatam nequeunt sustinere.* Parciori itaque victu utatur, & simpliciori quoque, desuescat enim oportet Princeps à multiplici ciborum varietate, & conditura, quæ Principum mensis familiaris est, alimenta sint boni succi, promptæ coctionis, & quæ alvo facilè secedant, laudantur carnes, quæ ut superiùs dictum, ad stateram sunt minus graves, uti Vervecis, Pullorum, & aliorum volatilium; cùm varia sint temperamenta, & senectus multam habeat latitudinem, cibi mensura determinari nequit. Satis autem alimenti fuisse sumptum dignosci poterit, si distensio & gravitas in stomacho non persentiatur, si faciles sint somni, si corpus benè alatur. Jejunium à senibus facilè perferri scripsit *Hippocrates.* Hinc nonnulli monositiam, hoc est unicam comestionem laudant in primo senio, at satiùs est bis in die comedere, quàm semel plus quàm par est stomachum onerare, citiùs enim senescere, scripsit *Hippocrates*, eos, qui unicæ comestioni assueverint. Quoniam, utplurimùm in magnis culinis, ubi multitudo est coquorum ad mensas lautè instruendas insudantium, non tam ritè uti opus esset coqui, ac parari possunt epulæ, ut vitium aliquod in coctione ab igne, sive violento, sive nimis lento non referant, Principi seniori jam facto esset valdè conducibile suum habere coquum, cui nullum aliud munus incumberet, quàm ut Domino suo summa patientia, & attentione fercula pararet, non solùm, ut Palato sapiant, sed ut prosint, habita per experientiam hujusmodi cognitione. Rectè quidem in hanc rem *Martialis:*

Non satis est Ars sola Coquo, servire Palato,
Namque Coquus Domini debet habere gulam.

Præter multa incommoda, quæ secum adfert Senectus, non exiguæ molestiæ est alvi adstrictio senili ætati propria, & familiaris, eòque magis Principibus, cum senes fieri incipiant, propter vitam minùs exercitam, quàm soleant cæteri homines, cùm multum conferat ad alvum facilem egestionibus reddendam quotidianus, & conveniens corporis motus. Neque præter rationem est senes huic incommodo obnoxios esse oppositò prorsùs modo quo pueri, & juvenes, quibus ut plurimùm solutior est alvus; in senectute etenim

nim partes omnes ſicceſcunt, ut membranæ ipſæ obrigeſcant, & cartilagineæ fiant, ac contractilitatem, & diſtractilitatem, quarum ope fiunt excretiones, amittant. Ut alvus itaque mollior reddatur, cibariis potiùs ad id aptis, quàm medicamentis agendum, uti ſuperiùs eſt dictum. *In alimento Medicina bonum*, ajebat *Hippocrates*, medicamenta etenim frequenter ſumpta, præter malum habitum, quem inducunt, ventrem in dies adſtrictiorem reddunt. Alvus itaque mollis ſervanda, ea cautione tamen, ne plus quàm par eſt ſolutior reddatur, ex his enim duobus extremis tolerabilior eſt alvi adſtrictio, quàm ejuſdem ſolutio, præſertim in ſenili ætate. Refert *Martinus Liſter* in ſuis commentariis ſuprà *Sanctorii* Staticam, ſenem ſe noviſſe ſibi amiciſſimum 86. annos agentem, qui ſanus, & ſatis liberaliter comedens, ex plurimis annis ſemel tantùm in ſeptimana, & interdum etiam ad quatuordecim dies dejiciebat. Quoad potum, vinum dulce defæcatum, ex uvis maturis, & perfectioribus factum ad vitam ſanam, & longævitatem erit accommodum. Sicut autem in pueris debet eſſe vinum tenue, ac dilutum, ita in ſenibus meracius, hyeme præſertim. Dediſcat quoque oportet nivis uſum, qua per æſtatem Principum menſæ carere nequeunt, ſatis ſit in ſummo æſtu, ſi vinum bibat aqua modicè perfrigeratum, hyeme autem ſi non ad ignem, ſaltem in loco tepido detentum; nulla enim ratio apparet quomodo frigida potio illi conferre poſſit, cui frigent effœtæ in corpore vires. Frigidum, ut ait Philoſophus, non ingreditur opera naturæ, niſi per accidens, caloris exceſſum contemperando, ſapere propterea didicerunt etiam juvenes, qui fumantes potiones Chocolate, Caffe, Theſorbillando aſſumunt, quæ in ſenili ætate eò magis convenient.

Quotidie corpora exercere non minùs neceſſarium eſt, quàm ipſum alimentum, & forſan Principibus in ætate ſenili magis convenit, quàm juvenili, ad corporis perſpiratum conſervandum adeò neceſſarium; in juventute ſiquidem, ubi calor viget, & mollior eſt textura, facilior eſt diffiatio, in ſenectute verò, quæ comitem habet ſiccitatem, & cutem ſtrigoſam, difficilior. Nihil eſt autem, quòd inſenſiles aporrhias magis promoveat, quàm corporis motus, in quo videmus faciem rubeſcere, venas inflari, & cutim incaleſcere, ſique motus ſit fortior ſudorem erumpere, bonum itaque erit, ſi modicè ſe exerceat, ſub tecto potiùs, quàm in loco aprico per hyemem, cavendo quantùm fieri poſſit à flatibus aquilonaribus, qui cutis poros adſtringunt. Ad obtinendum facilem perſpiratum, præter exercitium corporis, non parùm conferent molles frictiones cum oleo amygdalarum dulcium, ad laxandas cutis fibras aliquando nimis intentas, glandularum poros obſtruentes. *Melle intus, oleo foris*, dictum ſatis vulgatum, quo pacto *Democritus* longævitatem aſſecutum ſe dixit, in ſenectute ſiquidem nihil magis timendum, quàm ſiccitas, & cutis ſtipatio, quare molli, & blanda frictione conſervatur neceſſaria illa tranſpiratio, qua diminuta præſtò ſunt catharri, in pectus, & alias partes. In hunc finem quoque aptis veſtibus muniendum erit corpus ab aëris injuriis, & capitis præcipua cura habenda, ſi capillis ſit denudatum.

Equidem hiſce temporibus comæ adſcititiæ uſus adeò inolevit, ut pauci videantur ſenes, nec ullus ferè ſit Princeps ætate provectus, qui canitiem alienis capillis non obtegat, & frequenti barbæ raſura juventæ decorem non præ ſe ferat, quod ſanè laudandum; nam præterquàm quòd calorem fovent hyeme potiſſimum, quod ſenibus infeſtum eſt, id etiam efficiunt, quò Principes hoc pacto ſibi magnam animi hilaritatem conciliant, dum in ſpeculo ætatis injurias non vident. Priſcis temporibus, quibus capita non velabant, calvitiem homines iniquè ferebant, timentes ne cæteris forent irriſui. *Julio Cæſari* adeò probroſa erat calvities, ut illam incipientem occultare ſatageret, capillos à vertice revocando, nullum propterea honorem à Senatu libentiùs accepit, quàm jus laureæ coronæ perpetuò geſtandæ. Mirari ſubit quomodo

omnes

omnes ferè *Suetonii* Cæſares, hac deformitate laborarint, uti *Auguſtus*, *Tiberius*, *Caligula*, *Otho*, *Domitianus*, quem propter ſævitiem *Neronem* calvum per contemptum appellabant, unde *Auſonius*:

. . *quem calvum dixit ſua Roma Neronem.*

A ſolo calvitici nomine ita offendebatur iſte, ut ſi apud illum quis alicui calvitiem pro joco, vel jurgio objectaſſet, pro capitali crimine haberetur. Apud *Judæos* quoque, ut ex *Sacra Hiſtoria* habemus, calvities in contumeliam trahebatur, quam ob cauſam *Eliſæum Prophetam*, ut ex 4. Reg. Cap. 2, ſubſannantes pueri vociferabantur, *aſcende calve*, *aſcende calve*, quibus ille indignatus maledixit, & mala imprecatus eſt, undè paulò poſt quadraginta duo ex iis miſerè diſcerpti fuere. Adeò deformis quocumque loco, & tempore inter homines habita eſt calvities, ut nemo non illam obtegere ſatagat, rectè propterea *Ovidius*:

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde arbos, & ſine crine caput.

Quoniam igitur fugaces anni ſenum capitibus tale præſidium, & decus ſurripiunt, quales ſunt capilli, Ars naturæ imitatrix ſenili ætati benè conſuluit, comas adſcititias tam elegantes conſtruendo, quæ præter beneficium venerationem conciliant. Neque dubitari licet, quin ficta hujuſmodi capillamenta, præter elegantiam multæ ſint ſalubritatis, dum paſſim videre eſt Medicos ætate graves, & ſilicernio jam proximos, non ut olim nudo vertice, & prolixa barba famam ſibi aucupantes, ſed imberbes, & capillatos in publicum procedere ad ægros inviſendos, & diſſertationes ad Exedris habendas. Niſi ergo aliqua particularis affectio adſit, veluti Cephalalgia, & oculorum lippitudo, cùm interdum exſtent, qui nec pileolum ſericeum perferre queant, noſtrorum temporum conſuetudo tales comas ex alienis capillis geſtandi invaluit. *Carolus V. Imperator*, cùm in Italiam veniſſet, Imperii Coronam à *Summo Pontifice Clemente Septimo* Bononiæ ſuſceptu-

rus, ob gravem capitis dolorem nativam comam ſatis elegantem ſibi abſcindi juſſit, quem Aulæ primores ridenda aſſentatione imitati ſunt, dum comis, quas magno ſtudio aluerant depoſitis, tonſi omnes Cæſari ſpectandos ſeſe præbuere.

Aulæ quoque morem ſomnum captandi cum nox medium iter confecerit, & Solem ſalutandi, *minimas cùm fecerit umbras* ejurare, Principi ſeniori jam facto ſalubre conſilium erit; tempeſtivè igitur cibum capiat, nec poſt cœnam quicquam, quod mentem diſtrahat, & implicet, ſibi deferri patiatur, more *Auguſti*, qui poſt cœnam nihil ſcribere, nec legere volebat, ut quantùm liceret animo curis vacuo ſomno indulgeret, qui ſenibus maximè neceſſarius eſt, quàm ulli ætati, ut omnes perficiantur coctiones, & corporis ſiccitati conſulatur, dum ſomno, & quiete corpora pingueſcunt; ſomnum autem capiat hyemali tempore præſertim in cubiculo ad meridiem poſito, ut vitales Solis radios excipiat. Negotia itaque, quæ magis urgeant, diurno tempore expedire ſtudeat, & minori, qua licet moleſtia ſupplicantium neceſſitates, ac preces audiat; non levi quippe incommodo, ac tædio ſolet eſſe Principibus quotidie ferè unumquemque audire, & verborum lenitate dimittere, ita ut ab hoc munere non decedat, niſi defatigatus. Egregium ſanè eſt, & memoratu dignum, quòd de *Theodorico Gothorum Rege* refert *Sidonius Apollinaris*: *Audit plurima*, *pauca loquitur*. *Auguſtus* quoque, ne ſe multo ſermone fatigaret, pro more habebat nutus adhibere, cùm à ſervis aliquid vellet, ſic ad *Liviam* Conjugem codicillos mittebat, *Suetonio* Auctore. Ad valetudinis quoque tutelam ſymbolum ſuum conferent varia oblectamenta, ſed talia, quæ Principem ætate gravem magis deceant, qualia ſunt adeſſe publicis Literatorum Academiis, Philoſophicis diſputationibus, ſcenicis operibus, haſtiludiis, choreis etiam, interdum juvenes cum puellis decorè ſaltantes adſpectando. Nonnulli propterea in ſenectute commendant conſuetudinem, & colloquia habere cum juvenibus, ut occulto quodam

ſpirituum conſortio ſeniorum mens recreetur. Obſervatum eſt, ſenes, qui juvenum frequenti conſuetudine oblectati fuerint, utplurimùm longævos fuiſſe, ut ferunt de *Pythagora*, *Iſocrate*, *Gorgia*, & Rhetorum claſſe, qui in Scholis auditores habebant juvenculos diſcipulos, ad centeſimum uſque annum vitæ lineam produxere. Poſtremò id unum Principes monere lubet, ut ſi in ſenectute bona valetudine gaudere velint, Juvenes vitam ſobriè traducant; *intemperantia enim in juventute, ſenectuti bellum indicit.*

CAPUT XII.

De nimia obeſitate, & corpulentia Principibus non minùs inſalubri, quàm indecora.

SI verùm eſt quòd dici conſuevit, eſſe modum in rebus, & certos fines, quos ultra citraque rectum nequeat conſiſtere, in ſtudio ſanitatis id veriſſimum eſſe deprehenditur, ubi enim ſanitas modum exceſſerit, ſi ita loqui licet, hoc eſt ſi ad euexiam, & ſummum bonitatis apicem devenerit, maximè periclitatur, & ex improviſo graviori lapſu in præceps ruit, qualis obſervatio ſatis frequens erat priſcis temporibus, cum gymnaſticæ ſtudium vigebat, ac præſertim in athleticis corporibus, in quorum gratiam tertium Aphoriſmum conſcripſit *Hippocrates*; noſtra quoque ætate non rarò contingit eos videre, qui ad ſummam corpulentiam devenerint, ſubita morte oppetere; commune ſcilicet eorum eſt fatum, quæ ſummam amplitudinem attigerint, ut magnitudine ſua laborent, & viribus pereant ſuis, ut de Romano Imperio ſcriptum legimus, ſiquidem *magna ruunt, inflata crepant.* Huic infortunio obnoxiam eſſe nimiam corpulentiam ſatis conſtat, quam ſecundum duas tantùm dimenſiones, latitudinem ſcilicet, & profunditatem, cùm quis debitam longitudinem acquiſiverit, fieri manifeſtum eſt. In corporibus perfectè ſanis, in temperamento ſanguineo, rarò autem in temperamento melancholico & bilioſo obſervatur hoc vitium; eſt itaque nimia corpulentia, & obeſitas boni alioquin, & laudabilis habitus vitioſum productum, ex parum cauto victus regimine. Faciliùs autem in temperamento ſanguineo, quod medium à Medicis dicitur, & cæteris præſtat, quàm in reliquis, quæ ab hoc recedunt, nimia corpulentia contingit, quàm in aliis temperamentis, ut in melancholico, & bilioſo, in quibus adeſt venarum latitudo, in temperamento enim ſanguineo, ſuccus nutritius dulcis, & butyroſus, carnibus & membranis facilè apponitur, quod in temperamento bilioſo, & melancholico non evenit, ſanguis enim copioſa bile abundans multas habet particulas acres amaras, quæ non tam facilè in alimoniam cedunt, imò pinguedinem potiùs diſſolvunt, & extenuant, quod pariter efficit temperamentum melancholicum atrabilare, in quibus adeſt venarum latitudo, quæ in corporibus gracilibus potiſſimùm obſervatur. Locus eſt *Hippocratis* 3. in 6. Epid. ubi graciles, venoſos, iracundos, & epiphlebos appellat, ſic pariter *Galenus* in commento Aphoriſmi 44. Sectionis 2. & in 6. 4. hanc venarum latitudinem cum gracilitate obſervat, venarum autem anguſtiam in craſſis admodùm corporibus.

Qui ergo temperamentum hujuſmodi ſortiti ſunt, ſive à primordiis, ſive adſcititium, ad nimiam corpulentiam magis ſunt diſpoſiti, quàm reliqui homines; non negarim tamen mutatione victus, ætatis & loci, poſſe etiam à gracilitate ad corpulentiam tranſitum fieri, cùm interdum comperti fuerint Juvenes valdè graciles, qui in ætate inclinante remiſſis laboribus, otio, & pleniori victui indulgentes, obeſi facti fuerint, quod paſſim in iis animalibus obſervatur, quæ licet gracilia & emaciata, ſaginantur, ut boves in ſtabulis continuò detenti, & aves altiles in aviariis. De nimia corpulentia, & obeſitate, & quomodo fiat, præter *Hippocratem*, *Avicennam*, *Galenum*, alioſque ſucceſſivè,

ceſſivè, recentiores quoque ſatis fusè egerunt, quos inter egregiè & cumulatè *Etmullerus* in ſuis Diſſertationibus exponit, quomodo interdum fiat nimia pinguedo, & nimia carnoſitas, ut hac in re non ſit quod quis ampliùs deſideret circa modum, & cauſam, tum circa remedia, quæ ad nimiam corpulentiam tollendam conducant.

Nimiæ autem corpulentiæ, & obeſitati magis obnoxii ſunt Principes præ cæteris hominibus, tum ob ciborum boni ſucci quotidianum uſum, tum ob illorum corpora minùs exercitata, & vitam inter otium, & Aulæ delicias traductam, ac præſertim ſi accedat temperamentum ſanguineum cum pituitæ ſubdominio, ut vocant, ſtomacho ſatis firmo & valente, còque ſi ad id vitium aliqua hæreditaria diſpoſitio præexſiſtat. In quibuſdam etenim Principum Familiis obſervatur diatheſis iſta, & proclivitas ad pingueſcendum, per ſeminalia principia in poſteros propagata. Cautum itaque oportet hac in re eſſe Principem, licet ſanum & valentem, quamvis enim ſe robuſtum ſentiat, gaudeatque dum videt ſpecioſiorem, & coloratiorem eſſe, ſuſpecta habere debet ſua bona uti monebat *Celſus*; facilè enim ſubrepit vaſorum plenitudo, & obeſitas, ac creſcentibus in dies carnibus, & membranis pingui, & gelatinoſa materia, qua ſaturata eſt tota maſſa ſanguinea. Cautum pariter oportet eſſe Archiatrum, nam cùm quotidie Principem ſuum ſolitus ſit inviſere, perſæpè non advertit augeſcentem corporis molem, donec ſenſibilior facta non fuerit, cui poſtea propriis remediis tam facilè ſuccurri non poſſit. Ubi ergo gentilitia ſit affectio, & indicia pingueſcentiæ corporis ſe prodant, cujus manifeſta argumenta ex Statica *Sanctorii* obtineri poterunt, propter pondus adauctum, Medicus Principem ſuum moneat de hujuſmodi affectu ſenſim, & ſine ſenſu ſubeunte, ac doceat, quæ incommoda, quæ pericula nimiam corpulentiam comitentur, & quàm difficili negotio tollatur ubi advenerit, varia exempla Principum aliorumque hominum nobiliorum præſertim, cum perrarò, & monſtro par ſit corpulentiam intueri in ruſticana gente, in artificibus, niſi forſan aliquando in iis, qui ſedentariam artem exercent, quales ſunt ſutores, & alii hujuſce generis.

Nimia quoque corpulentia pulchros alioquin homines deformes facit & ingratos, undè mulieres ſpecioſæ, & elegantes, ſi ad nimiam pinguedinem deveniant, multùm de ſua ſpecioſitate deperdunt, & hominibus parùm gratæ, ac præſertim ſi pinguedo carnoſitati prævaleat. In hanc rem eleganter luſit *Martialis* Lib. 11.

Habere amicam nolo, Flace ſubtilem,
Cujus lacertos anuli mei cingant,
Sed idem amicam nolo mille librarum,
Carnarius ſum, pinguiarius non ſum.

Quædam tamen gentes exſtant, quibus volupe eſt mulieres habere præpingues, & mammoſas, veluti refert P. *Alpinus* in Libro de Medicina Ægyptiorum, in qua regione Ars, & modus corpora balneo, frictione pinguefaciendi maximè colitur, idcircò inibi fœminæ pinguiſſimæ ad Europæorum nauſeam reperiuntur. Non levia quoque ſunt pericula, quæ nimiam corpulentiam, & obeſitatem non rarò conſequuntur, veluti ſubitaneæ mortes; ex nimia enim humorum copia ſtrangulatur calor innatus, & ob venarum angustiam, circularis ſanguinis motus, in quo vita conſiſtit, ex improviſò ſiſtitur. Hinc eſt, quòd obeſi perrarò longævitate gaudeant, ſatis vulgatum eſt illud *Hippocratis* 7. Aphor. *Qui craſſo admodum ſunt corpore, citiùs intereunt, quàm graciles.* In Athletis, ubi ad ſummum bonitatis deveniſſent, credidere Antiqui ſubitas mortes contingere, eò quia cùm in meliùs non poſſent proficere, neceſſum foret ut in deteriùs decideren; aſt vera & germana ratio eſt, quia arteriæ non habeant in quod ſanguinem refundant, cùm ſpatia omnia ſint plena carne, & pinguedine, quæ radices, & extremitates quoque venarum comprimendo, elutriationem impediant, accedente verò ex cibis novo ſucco nutritio, ventriculi cordis ita opplentur, ut nequeant conſtringi, undè Lipothymiæ, Syncopes, ac mors tandem ſubſequitur. Anhe-

losi præterea, ac suspirioſi esse solent nimis corpulenti, & ad quemcumque motum inepti ob spiritus animales non ita faciles, ad musculorum fibras inflandas, compressis & sepultis nervis in multa pinguedine, veternosi similiter torpentes sunt, & ad actiones animales minùs prompti, ad ratiocinium, prudentiam, & deliberationem minùs apti, quæ si in Principe contingant, quantùm de veneratione apud populos illi decedit? *Lux sicca, anima sapientissima*, ajebat *Heraclitus*, qualis autem est sanguis, tales sunt spiritus, qui dicuntur lux animæ, sanguis in hujusmodi corporibus multa pinguedine saturatus est, undè spiritus, qui ex illo gignuntur, lucidi, ac ætherei esse non possunt. His addendum homines obesos infœcundos esse, ut plurimùm teste *Plutarcho* 2. Quæst. Con. ob molem enim corpoream minùs apti sunt ad veneream palæstram, præterea in iis genitura frigidior, & mollior est, in gracilibus, in quibus salium copia major est, major quoque deprehenditur salacitas, & fœcunditas. Mulieres, quæ nimis crassæ sunt, concipere non possunt, eò quia omentum os uteri illis comprimat, scripsit *Hippocrates* 5. Aph. sed frequens autopsia ostendit, omentum perrarò infra umbilicum extendi, ita ut sterilitas ab alia causa ortum habeat, à nimia scilicet pinguedine, quæ uteri membranis adhæreat, ac impedimento sit, ne aura seminalis masculina ovarium subeat, ad illud fœcundandum. Sicuti in fœminis nimia crassities illas steriles facit, ita in hominibus nimis obesis, nimia pinguedo illos infœcundos reddit. Principibus autem optabile esse debet, liberos habere, & successores, quibus tradant Imperii habenas, sicuti nihil est, quod subditos mœrore magis afficiat, quàm Principis sui orbitatem videre, norunt enim quales turbæ interdum excitentur, ubi Principatus ad agnatos, eòque magis si ad exteros transeat, multorum animis sub novo Principe ad spem melioris fortunæ erectis, cujus rei plena sunt historiarum monumenta.

Præterea obesitas Principem subditis suis invisum, & pdiosum reddit, & cùm in publicum procedit, ipsum tacitè irrident, ac sugillant, à populis enim notantur non minùs corporis, quàm animi vitia, ut hanc ob causam variis cognominibus soleant appellari, sic in *Caligula*, & *Germanico* crurum gracilitatem, in *Julio Cæsare*, & *Augusto* calvitiem scommatibus illudebant, gaudent enim, & gestiunt populi, dum in generoso Principe elegantiam, & decoram speciem adspectant,

Gratior & pulchro veniens in corpore Virtus,

ex adverso deformitas cum ignavia despicatui est. *Sanctium in Hispania Regem*, vulgò crassum dictum, ob corporis crassitudinem, historiæ referunt cogitasse de abdicatione à Regno, cùm sciret se ob hujusmodi corporis vitium populis suis invisum esse, ac propterea *Navariæ Regem* adiisse, ut ab illius Medico curaretur, ac voti compotem factum, ad suos rediisse, & magna lætitia ac plausu receptum.

Difficilis curationis in omnibus est nimia obesitas, & corpulentia, in principibus tamen longè difficilior, de hoc enim affectu asseri potest, quod de hydrope scripsit *Celsus*, quem dixit curari faciliùs in servis, quàm in liberis, *quibus noxia libertas est*; si ergo in quibusdam curationem admittit corpulentia, non tam facilè suscipiet in Principibus, quibus noxia summa potestas est, cùm enim morbus hic famem, sitim, longam patientiam, & mille alia tædia desideret, non tam facilè illis succurri potest. Ne igitur ad hanc calamitatem deveniat Princeps, præcavenda est pernicioſa isthæc, quàm indecora affectio, & Medicus sollicitus esse debet, ut venienti morbo occurrat. Remedia igitur, quæ utplurimùm ad curationem conducunt, eadem ad præservationem quoque erunt in usum revocanda. Conveniens itaque diæta, & rectus usus rerum non naturalium primas tenebunt. Primò igitur quantum consuetis cibis detrahendum, tantumdem exercitationi corporis erit adjiciendum, proportionem itaque majoris inæqualitatis debet habere exercitatio ad ciborum assumptionem, ut in hoc

casu

casu succrescenti pinguedini obviam eatur. Exercitia erunt eadem quæ superiùs fuerunt memorata, equitatio, inambulatio, venatus, ludus parvæ pilæ, & alia hujusmodi; frictiones quoque, sed fortiores & sicciores ad extenuationem conferunt; frictiones contrarias vires habere scripsit *Hippocrates* in Libr. de Chirurg. Off. *Frictio multa minuit, moderata crassefacit*, qua de re eleganter *Celsus* Libro 2. hisce verbis, *Frictione, si vehemens sit duratur corpus, si lenis mollitur, si multa minuitur, si modica impletur.* Alimenta verò pauciora, ac non solùm tenuia, sed etiam quæ extenuandi vim habeant; cavendum ergo à pinguibus oleosis, summatim à cibis euchymis, qui ad sanguinem in copia uberiori multiplicandum faciunt, convenient itaque alimenta acria salsa, quæ pinguedinem absumunt & liquent. Multos ad nimiam corpulentiam evectos, solius aceti usu sarcinam illam deposuisse, & macilentos factos fuisse, historiæ referunt, quale exemplum habemus in *Famiano Strada* de *Chiapino Vitellio*, sic videmus homines, qui acidis delectantur, aut in quibus abundat acidum, quales sunt hypochondriaci, & scorbutici, strigosos esse. Somno quoque detrahendum aliquid, & vigiliis addendum, propterea usui erit decoctum herbæ The, quæ vi exsiccandi, & vigilias inducendi pollere creditur, somno enim pinguescunt corpora, hyeme præsertim, vigiliis autem macrescunt, æstate potissimùm. Purgationes quoque institui possunt vere & hyeme, & quantum fieri poterit alvus solutior servanda. Non alienum quoque erit aliquando vomitum ciere ad pituitosos succos, quibus aqualiculus oneratur evacuandos. *Hippocrates* in Libr. de Salubri Diæta, de Curandis Obesis, hæc habet verba: *Quicumque homines crassi, ac pingues sunt, jejuni vomant à cursu aut ambulatione cita juxta meridiem. Sit autem heminæ dimidia hyssopi, in aquæ congio contriti, atque hoc ebibat affuso aceto, & adjecto sale quò jucundiùs evadat. Bibat autem primum sensim, ac lentiùs, postea ampliùs, & citiùs;* amara quippè, ac salsa, acria, apta sunt ad sanguinis dulcioris crasim invertendam, ac præsertim acida, quæ licet ex sui natura appetitum exacuant, succos tamen nutritios ineptos reddunt, ut carnibus, & membranis apponantur; sic experimur carnes pullorum, aliorumque animalium aceto maceratas exiguum nutrimentum suggerere. Unicam in die comestionem laudant nonnulli, illam tamen improbat *Hippocrates*, ait enim homines citiùs senescere. Vidi ego olim Nobilem Virum, qui ut nimiam pinguedinem castigaret semel tantùm in die, & perparcè cibo utebatur, ast brevi tempore ad talem virium imbecillitatem cum difficili anhelitu devenit, ut paucos post annos obierit. Pro potu laudatur vinum oligophorum, à vinis autem generosis, & præsertim dulcibus cavendum, acidula verò, & diuretica erunt utiliora.

CAPUT XIII.

De Præservatione à quibusdam morbis, quibus magis obnoxii sunt Principes.

QUemadmodum ætates, temperamenta, anni tempora, & regiones suos habent peculiares morbos, ita & vitæ conditio, quam quisque fortitus est, aut sibi delegit, suis obnoxia est morbis, uti videre est, in iis, qui Artes quasdam exercent, qua de re egi in meo Tractatu de Morbis Artificum. Arthritis, Calculosa passio, & Colica, tres sunt Affectus, seu potiùs tortores, qui in ordine Procerum, ac in Principibus præsertim tyrannidem suam exercent, quales affectus multam habent inter se cognationem, ut non raro in eadem persona mixtum imperium obtineant. Quidam Literatus calculosa passione laborans, apud *Beverovicium* de Cal. Ren. & Vesf. ad amicum scribens podagra tentari solitum, illum Cognatum vocabat, eò quòd duabus sororibus, podagræ nimirùm & Arthritidi

thritidi ambo nupsissent, imò interdum fieri, ut uxor unius ad alterum sine adulterii suspicione accederet. Ex eadem materia, succo scilicet putrescente, quem suggerunt alimenta, è vasis sanguineis in articulos, & Renum substantiam refuso, sicuti etiam ab eadem causa efficiente, acido nimirum tartaream materiam coagulante, arthritidem, & lithiasim fieri, communis ferè est Scriptorum consensio, ut hic locum habeat illud *Hippocratis* in Libro de Flatib. *Morborum omnium unus & idem est modus, locus verò ipse eorum differentiam facit.* Colica similiter, quæ ab acido, intestinorum membranas pungente, potius quàm à flatu distendente fit, multam cum prædictis affectibus habet affinitatem, immò persæpè observatum est, colicam transire in arthritidem, & arthritidem in colicam. Locus est egregius *Hippocratis* in Libro de Humoribus, hisce verbis: *Cui intestinum in dextra parte dolebat, & articulari morbo correptus est, quietior erat, postquam autem hic curatus fuit, magis dolebat*, quam sententiam pariter repetit 4. in 6. Epid.

Congeneres itaque esse hos memoratos affectus, sat manifestum est, ac Nobiles Viros, & Principes potissimùm illis infestari, varias quidem ob causas, nimirùm ob intemperantiam in victu, & vitam desidiosam, sed potissimùm ob vina meraciora, quibus se proluunt; quare non immeritò Poëtæ, Bacchum Podagræ Parentem, & Venerem Matrem finxere. Profectò cùm in vinis generosioribus multum insit materiæ tartareæ, & acidi volatilis, hoc est totum illud, quod ad lithiasis, & arthritidis genesim requiritur, mirum non est, si ex continuo, & immodico illorum usu, renibus ob vasorum angustiam, & articulis quoque multùm materiæ lapidificæ affigatur, & concrescat, undè est, quòd egregii vini potores, calculo renum, & arthiriticis doloribus, malè mulctari soleant, sic de *Ennio* Poëta scripsit Q. *Serenus:*

Ennius ipse Pater, dum pocula siccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Frequens observatio est, podagram, & nephritidem, labem hæreditariam esse, quæ ad longum tempus in familiis perseverat, ac potissimùm in Principibus, quibus commoda omnia, & incitamenta suppetunt ad vitam minùs sobriè agendam, illis propterea, quàm cæteris magis familiares sunt tales affectus, dum eodem penè vitæ genere utuntur, quo Parentes ipsorum usi fuerint.

Quoniam autem hic agitur de parte præservatrice, non de curatrice, Archiatri munus erit Principem suum monere, ut hospites hujusmodi tam infestos, ab Aula quantùm possit arceat, ubi enim semel fuerint admissi, ac ad aliquod tempus enutriti, non tam facilè postea erit illos dimittere, nec adeò tutum, podagram præsertim, cujus violenta expulsio, graviores morbos solet accersere. Jus quidem habent Principes, ut à suis Medicis ab hujusmodi affectibus præservationem exigant, nequaquam verò curationem, sunt enim de illorum genere, qui, ut ajebat *Hippocrates*, cum ægro commoriuntur, & quò magis veterascunt eò magis desæviunt. Sic calculosus quidam apud laudatum *Beverovicium*, senex jam factus, de suo statu sic conquerebatur: *Fœminæ sterilescunt ætate, me senectus fœcundiorem reddit, aut enim pario, aut parturio, quod si parùm favente Lucina niti cœpero, actum de me puta.*

Ad obtinendam igitur prophylacticen, convenienti diæta, & recto rerum non naturalium usu erit procedendum, talia itaque sint alimenta, quæ, si corpus sit benè constitutum, alant quidem, sed non impleant, nec extenuent, habita semper ratione ad ætatem, anni tempus & consuetudinem quoque, nam si antea plenior fuerit victus, & multiplex, ad parciorem & simpliciorem victum paulatim erit transeundum. A crassioribus cibis, & difficilis coctionis, de quibus actum est superiùs, in primis cavendum, ubi enim stomachus à munere suo aberraverit, justa & conveniens partium crassiorum chyli secretio in intestinis fieri nequit, undè sequitur, quòd partes impuriores, quæ per alvum erant secernendæ, per lacteas in massam sanguineam irrepant, & renibus ac articulis materiam mor-

morbificam ſuggerant. Quoniam autem nihil eſt, quod Principum menſas magis exhilaret, quàm fructuum diverſi generis elegans apparatus, cavendum præcipuè ab acidis, & immaturis, & qui ortum habuerint in collibus & locis ſaxoſis, multùm enim tartarei ſucci continent, ut in quibuſdam ex iis, veluti in pyris granula quædam ſaxoſa in ipſa maſticatione obſerventur. *Tachenius* in Lib. de Morb. Princip. Pod. eſum pomorum improbat, ob eorum facilem, ad acidum converſionem, & putreſcentiam. De pomis hæc habet verba *Hippocrates* 3. de Diæta n. 5. *Poma fortiora ſunt, quàm pro humana natura, meliùs eſt igitur à pomis abſtinere;* revera uti obſervat *Martianus* in hujus loci commento, poma niſi cum reliquis cibis benè commanſa fuerint, & benè permixta, in ſtomacho ægrè coquuntur, & qualia fuerint aſſumpta egeruntur.

Quoad potum, à vinis meracioribus abſtinendum, ut quæ in ſinu ſuo multùm tartari recondant, qualia ſunt quæ è locis petroſis habentur, illa enim potiùs convenient, quæ camporum planities ſubminiſtrat, & ſacco percolantur, uti ſuperiùs diximus, erunt aptiora, ut quæ tartari exiguam portionem habeant. A vinis quoque tenuioribus cavendum, error enim non levis perſæpè ab illis, qui podagra, & nephritide tentantur, committi ſolet, nam cùm timeant uſum vini generoſioris, putant ſibi licere vina tenuia, quantùm volunt bibere, quod in podagra *Joannes Crato* damnabat Lib. 2. Conſ. *Helmontius* in Volupe Viv. *Etmullerus* de Vegetab. & alii qui vina tenuia improbant, quæ acidum multiplicando, colicos dolores, nephriticos, & arthriticos apta ſint producere; præſtabit igitur modico vino uti generoſo, ſed aqua diluto, quàm vinis tenuibus, & acidis, quæ cùm diuretica ſint, hoc nomine ſuſpecta eſſe debent, humores enim ad eam partem, quam præſervare volumus, velle deducere, ſanum profectò conſilium non eſt. Non minor quoque cautio adhibenda circa uſum aquarum naturalium, non ſolùm pro diluendo vino generoſiori, ſed etiam pro ciborum coctione, non rarò enim in aquis continetur materia lapidifica. Inter aquas ſimplices pro communi uſu laudatur aqua nuceriana, quam Principes, & Nobiles Viri ab ipſo fonte curant ad ſe deferri, cui nullatenùs concedunt aquæ Fontium Mutinenſium, de quorum admiranda ſcaturigine, & præſtantia Tractatum olim conſcripſi.

Corporis porrò exercitatio conveniens, ad prædictos affectus præcavendos magnum erit remedium, cujus veritatis amplum teſtimonium præbent ruſticanæ gentes, & urbani Artifices, in quorum caſis ſemel tantùm dicitur habitaſſe podagra. Celebris eſt *Cœlii Secundi Curionis* de Aranea, & Podagra Apologus, quem fusè deſcribit *Gaſpar à Rejes* in Cam. Elyſ. Quæſt. 88. Cùm aranea peregrè proficiſceretur, illi comitem ſe junxit podagra, quæ veſpertino tempore adventante, cùm progredi non poſſet, in tugurium pauperis cujuſdam divertit, aranea verò ulteriùs progreſſa, amplam & magnificam domum ingreſſa eſt; altera die cùm rursùs ambæ conveniſſent, de ſuis hoſpitibus valdè conqueſtæ ſunt, aranea quod ne filum quidem ducere potuerit, & ſcopis à ſervis fugata vix periculum evaſerit, podagra verò, quod hoſpitem rudem & aſperum reperiiſſet, pro cibo pultem, pro potu vappam, & pro culcitra grabatulum durum, ut noctem prorsùs inſomnem traducere illi neceſſe fuerit, quare hoſpitium ad invicem impoſterùm commutare ſtatuerunt, aranea ut in pauperum tabernis hoſpitaretur, podagra in Palatiis Regumque Turribus. Tanta eſt vis exercitationis, ut etiam ſine frugali victu, quem procul dubio ſervare non poſſunt, qui propter egeſtatem perpetuis laboribus ſunt addicti, ut pravi humores, qui ad alendam podagram, & nephritidem apti eſſent, per ſudorem, & ambitum corporis excernantur. Moderatio quoque circa aliarum rerum non naturalium uſum erit adhibenda, ſomno nimis indulgere mollibus in culcitris, renibus certè non adeò confert. Alvum mollem quantum licebit ſervare, bonum erit, expedit enim ſolutiorem eſſe, quàm nimis adſtrictam, ne primæ co-

ctionis excrementa ferantur in maſſam ſanguineam, & exinde ad renes, & veſicam; uſurpare hinc liceat *Plautinum* illud, *Nolo ad veſicam quid eat, in ventrem volo.*

Purgationes etiam interdum inſtituere, & ſanguinem mittere, non abs re fuerit, ſi humorum redundantiæ ſigna apparuerint, cum non tam facilè ſit intra ſobrietatis limites eos continere, quibus omnia fortunæ bona ſuppetunt. *Quibus convenit venæ ſectio, vel purgatio, hos vere purgare, vel venam ſecare oportet*, ajebat *Hippocrates* 6. Aphor. 47. in cujus Aphoriſmi expoſitione hæc habet verba *Galenus. Nos plurimos ita ſervamus ſanos, qui longo ante tempore, ſingulis annis morbis capiebantur. Sed & podagram, & morbum articularem adhuc incipientem, & nondum poros circa articulos facientem, ex tali evacuatione, multis jam annis fieri prohibuimus.* Hiſce igitur remediis, quæ fuere propoſita, præſervationem ſperare licet à tam diris morbis, qui Principibus præſertim tam malas cruces figunt.

CAPUT XIV.

De Regimine Valetudinis Principum in Militari Expeditione, & Caſtris.

QUoniam Principibus non licet eſſe in terris adeò felices, ut pace perpetua ævum traducant, ac illis interdum non fit neceſſe, Aula relicta Militarem aliquam Expeditionem capeſſere, ſive ad hoſtes è finibus ſuis propulſandos, ſive ad ea, quæ ſui juris ſint armis vindicanda, magnum propterea Medicis, qui ut moris eſt, illos comitantur, onus incumbit, ut Principis ſui valetudinem ab iis, qui facili negotio poſſint illam labefactare, ſartam tectam tueantur.

Duo præcipuè ſunt, quæ graves ſanitati offenſas poſſunt inferre, inſolita vivendi ratio, & animi ſollicitudo; neque enim fieri poteſt, ut quamvis magno apparatu procedant Principes, ſecum vehendo ea, quæ ad vitæ commoda videantur magis neceſſaria, quin interdum quædam occurrant, quæ provideri & caveri non poſſint, ex quibus conſuetus vitæ ordo, ac tenor non pervertatur. Bellorum autem eventus, cùm utplurimùm in arbitrio fortunæ, ſeu ut rectiùs loquar, in Divina Poteſtate ſint poſiti, licet omnia ſumma prudentia, & conſilio fuerint diſpoſita, nequit Princeps, quem rerum omnium conſcium eſſe oportet, animum curarum moleſtia vacuum habere, nec ſomnum quamvis in mollibus ſtratis adeò quietum captare. Sic apud *Virgilium* magnanimus ille Æneas,

. . . triſti turbatus pectora bello
Procubuit, ſeramque dedit per membra quietem.

Aëris primò itaque ratio habenda eſt, ut purior qui ſit in caſtris deligatur, in quo Princeps degat procul à vallibus, & aquis ſtagnantibus, præcipuè ſi de arce aliqua obſidenda agatur. Solent enim, qui de proxima obſidione ſuſpicantur, ſi flumina habeant vicina, effractis aggeribus, campos circumjacentes inundare, ut hoſtes quantùm poſſint arceant, contra quos aër impurus militet. Sic olim Neapolis à Gallici exercitus obſidione ſoluta eſt ex aquis ſtagnantibus per æſtatem corruptis, exercitu magna ex parte abſumpto, ac tandem *Lotrechio* ipſo ductore exſtincto. Morbi caſtrenſes peſſimæ alioquin naturæ, qui ubi graſſari incipiunt, magnos exercitus non ſolùm decimare, ſed interdum penitùs delere viſi ſunt, tribus utplurimùm cauſis originem acceptam referunt, aëri nimirum vitiato, aquis corruptis, & pravis cibis; hinc malignæ febres, & dyſenteriæ vulgò caſtrenſes, cujus rei apud Scriptores funeſta exſtant exempla, quæ referre longum eſſet. Non minùs ergo ab aëris inquinati, quàm ab hoſtium inſidiis ſecurum eſſe neceſſe eſt locum, in quo Principis perſona moratur, neque caſtris ubi gregarii milites degunt ita proximum, ut gravem illam mephitim ab iis exhalantem recipiat. Apud *Judæos* ex legis edicto mundities in caſtris maximè præcipiebatur, illis enim vetitum erat, ne intra caſtra alvi fæces redderent, ſed extra ipſa facto foramine in terra

terra in illo ventrem exonerarent, ac operirent; tenebatur propterea quilibet miles gestare ad latus paxillum acuminatum, quod apud Turcas in usu esse memini me legisse, in quorum castris mundities maximè colitur, in cujus gratiam cuique militi una cum victu necessario suppeditatur quoque saponis portio, ut corpora à sordibus, quàm maximè repurgata habeant. Placet hic *Deuteronomii* verba 23. Capitis apponere. *Habebis locum extra castra, ad quem egredieris ad requisita naturæ, & habebis paxillum cum armis tuis, & egesta operies, quò relevatus es.*

Non minor diligentia est adhibenda, ut aquarum bonarum copia è fontibus, seu puteis, & fluminibus laudatæ bonitatis præstò sit pro pane laborando, coquendis cibis, & frigefactoriis potionibus per æstatem parandis, vinisque generosioribus diluendis, imò ubi castra transferre liceat, & longo itinere sit procedendum, consultum erit inter commeatus, & ea quæ ad victum sunt necessaria, aquam in vitreis vasis diligenter asservatam pro persona Principis deferre, tanti enim facienda est illius bona valetudo, quanti spes victoriæ, & fortunati eventus, Principe enim incolumi, & benè valente, mens omnibus una. Cæterùm hac in re tanta semper esse non potest providentia, & consilium, ut cum suis copiis ductores, siti, ac fame aliquando non premantur. *Cato Uticensis* in magna illa bellorum civilium tempestate *Pompeji* partes secutus, cùm esset in Lybia cum suo exercitu, magna aquæ inopia laboravit, adeò ut milites in siticulosa illa regione, præ intoleranda siti perirent; fortè autem à loci scrutatoribus reperto lacu, sed à turba serpentum, qui eò se conferebant ad sitim levandam, circum obsesso, exhorrebant milites illius aquæ potum, tanquam veneno infectæ, quod cum resciisset *Cato* eò accurrens, suos adhortari cœpit, ut ex illius aquæ potu, tanquàm innoxio sitim restinguerent, sic autem apud *Lucanum*, non solum tanquam Philosophus, sed tanquam nostrorum temporum peritus Medicus milites alloquebatur:

Neu dubita miles tutos haurire liquores,
Noxia serpentum est admixto sanguine pestis,
Morsu virus habent, & fatum in dente minantur,
Pocula morte carent, dixit, dubiumque venenum
Hausit . . . . . .

Memoratu quoque dignum est, quod *Bruto* post Dictatoris cædem contigit, hic enim, ut in 6. Quæst. Con. *Plutarchus*, *Dyrachio* Apolloniam media hyeme per altas nives contendens, bulimia, hoc est canina fame premi cœpit (cujus affectionis causa creditur à Medicis longum iter habere per nives) ut animo deficeret, & qui comeatus portabant longè adessent, milites Ducis commiseratione ducti ad Civitatis muros accurrere panem ab hostibus postulantes, quem cùm ipsi promptè & liberaliter indulsissent, *Brutum* refecerunt, qui postea Urbe illa potitus, magna humanitate erga cives in deditionem acceptos est usus. Cùm autem in castris non sint quærendæ magnæ deliciæ, ut in Aulis, sed tolerare oporteat, æstus, frigus, ventorum injurias, & vigilias, multaque alia incommoda, subitas fugas etiam interdum, si cogat necessitas, idcircò Principem assuescere necesse est ad horum omnium tolerantiam, ut ad subitas mutationes minùs patiatur sanitas; quotidiana itaque corporis exercitia convenient, uti equitare intempestivis horis etiam, deambulare castra invisendo, & sub dio potiùs, quàm in tabernaculis diem traducere, sic enim paulatim confirmabitur corpus ad tolerandos labores, & aëris, atque ventorum injurias. Non desunt Regum & Imperatorum exempla, qui licet in Aulis molliter enutriti, diuturna assuetudine corpora sua durarint ad quoscumque militaris disciplinæ labores tolerandos, sine valetudinis injuria non secus, ac gregarii milites. *Henrici Quarti* Galliarum Regis, qui sua virtute, & longa patientia, modò victor, modò victus, Regnum tandem sibi comparavit, fortitudinem & corporis robur Galli ipsi admirantes, Regem ferreum habere se prædicabant. Non absimile exemplum nuper vidimus in Regia Celsitudine Sereniissimi *Ducis Sabaudiæ*, qui non minùs

nùs corporis, quàm animi viribus, gallici exercitus ferro & igne cuncta devastantis impetum ad plures annos sustinuit, ac tandem in Regiæ suæ obsidione, noctu diùque vigil huc & illuc discurrens ad eludendos hostium conatus, quietem nescivit, donec fugatis hostibus, Urbem suam obsidione solutam fortis & valens adspexerit. Quando igitur in castris tam exactum vitæ tenorem servare ferè impossibile est, non debet tam arctis Medicorum legibus obligare se Princeps, sed uti monet Celsus, *varium vitæ genus habere, quiescere interdum, frequentiùs exerceri, interdum in convivio esse, interdum abstinere, modò plus justo, modò non ampliùs assumere;* temperantia attamen nunquam ableganda, à nimia enim ciborum copia, & satietate cavendum, & à vini meracioris usu, siquidem cum per æstatem militares expeditiones fieri soleant, & principaliora opera, vina generosa largiùs epota, ad valetudinem potiùs infirmandam, quàm confirmandam erunt idonea; non malè propterea *Plato* in Libro de Legib. (quem locum citat Gal. Lib. quod Anim. Mores seq. Corp. Temper.) vini usum vetabat in castris, & iis potissimum, qui in Imperio essent constituti

Cùm autem corporis otio interdum, ut in longis obsidionibus, indulgere liceat, animi oblectamenta non erunt omittenda, ut quæ ad valetudinem servandam non parùm conducant, omnia enim sive bona, sive mala corrivant ab animo in corpus, uti ajebat *Plato* in *Timæo*; talia verò sint oblectamenta, quæ Principem sapientem magis deceant, veluti colloquia cum Doctis & Literatis Viris, quos secum adduxerit, lectio librorum diversi generis, sed optimum erit legere Historias tum veteres, tum novas, ex quibus multùm voluptatis, & eruditionis capiet. Sacras quoque Literas legere, uti Libros Regum, erit perutile, lectio pariter Librorum de Re Militari, de Morali Philosophia, optima suggerent documenta. *Augustus*, qui Principibus tum pace, tum bello egregium est exemplar, in castris apud Mutinam legere, scribere, ac declamare pro more habebat, referente *Suetonio*. Sic *Julius Cæsar* curis militaribus, rerum naturalium, & cœlestium præcipuè contemplationem intermiscebat, sic apud Lucanum de seipso loquebatur:

. . . *media inter prælia semper*
Stellarum Cœlique plagis, superisque vacavi,

Alea quoque interdum ludere cum suis intimioribus, utilitati erit ad animum à curis gravioribus avertendum, sicque varios fortunæ lusus condiscere. Memoratu dignum est, quod de *Theodorico Gothorum Rege* refert *Sidonius Apollinaris*, de illo enim Rege, quotiescumque cum primoribus Aulæ luderet, Scriptor hæc habet verba. *Cùm ludendum est, regiam sequestrat tantisper gravitatem, in bonis jactibus tacet, in malis ridet, in neutris irascitur, in utrisque philosophatur.* Iis atque aliis oblectamentis animum allevet, & ad omnes casus se componat, sciatque generosi Principis esse *agere, & pati fortia.*

BERNARDINI RAMAZZINI,

Medicinæ Professoris Primarii, &c.

DE

CONTAGIOSA EPIDEMIA,

Quæ in Patavino Agro, & tota ferè Veneta Ditione in Boves irrepsit.

DISSERTATIO,

Habita in Patavino Lyceo, die 9. Novembris M. DCC. XI.

SERENISSIMO VENETIARUM DUCI

JOANNI CORNELIO

DICATA.

DUX SERENISSIME,

NUnquam sanè, paucas hasce paginas Amplissimo Nomini Tuo SERENISSIME PRINCEPS, fuissem ausus inscribere, nisi credidissem, temerarium opus non esse, si, quod in hac Constitutione, bubulo generi adeò infesta, ac mortifera, ab universo hujus Civitatis Medicorum Collegio exegisti, privatus aliquis, ex eodem tamen ordine, idem præstaret, & quod sibi proprii ingenii tenuitas dictasset, SERENITATI TUÆ sponte offerret. Nemo non novit, quàm magna, & admiranda sit benignitas Tua, quæ CORNELIÆ Domus propria est & gentilitia, sic ut nemo obsequia præstandi causa ad illam accedat, quin summa voluptate, & ampli patrocinii spe cumulatus abeat. Dissertationem hanc igitur meam, quam in Patavino Lyceo de hac Boum clade, nuper habui, Typis tradere, & SERENITATI TUÆ reverenter sistere non dubitavi. In illa præter remedia, quæ tum ad curationem, tum ad præservationem, salubria fore credidi, & quæ partim etiam profuisse sum expertus, Methodum aliquam pro illorum administratione proposui, ab acri judicio, quo polles, ut spero non improbandam, si tamen TIBI in tam grandi rerum mole vacabit legere; sed forsitan vacabit, quando non postrema cura TIBI est, Boum incolumitati, hoc est publicæ felicitati, prospicere. Quanti facerent Veteres Agrorum culturam, quæ sine Boum labore stare nequit, satis loquuntur prisca monumenta. Primi Romanæ Urbis Conditores, designatis aratro mœnibus, amplificandæ rei, conservandæque causa, cogitandum in primis duxerunt, de maritandis Ordinibus, ac de Bove aratore. *Sic illorum Nepotes, agricolationis adeò studiosos fuisse leginus, ut post debellatos hostes, post actos triumphos, à Curia ad Agros colendos secederent,* ubi eadem diligentia arva disponebant, qua Castra, gaudente Terra laureato vomere, ac triumphali aratore. *Postquam autem res Romana ad summam potentiam devenit, & in cultu esse cœpit Ars regnandi, Consules, & Imperatores, ex Arationis, & rei frumentariæ procuratione ad frequentissimam Urbem alendam sibi, communes plausus, & Nominis immortalitatem captarunt, uti apud rei nummariæ studiosos videre est in C. Marii C. T. nummo, in quo Boves juncti, atque in argenteis, ac æneis Vespasiani jam Imperatoris, Cos. VIII. in quibus jugati Boves spectantur. Non minùs autem*

SERENITATI TUÆ, & Glorioſiſſimæ VENETÆ REIPUBLICÆ, Romanæ Virtutis ſoboli, annonæ ſtudium cordi eſſe, quàm olim priſcis Romanis, palam faciunt tot edicta, ac tot Clariſſimi Viri delecti ad coërcendam feritatem, atque inſolentiam hujuſce morbi, qui nullam Bobus ſecuritatem, neque ſub ipſis Urbium mœnibus nec intra vult paciſci, imò illos in ipſo Civium conſpectu jugulat. Tam miſerandi excidii Spectatrix quidem eſſe nequit Urbs Adriæ Regina (ut enim Mundo ſingularis eſſet Pomœria habere non debuit, nec ut aliæ Civitates præfixos magnitudinis terminos) hæc omnia tamen intelligit, doletque tam graviter Continentem affligi, undè tanquam à penu uberrimo depromit, quæ Menſas opimas atque hilares faciunt, ſed ſidit, ſperatque cura ac ſollicitudine Tua, PRINCEPS SERENISSIME, voracem hanc flammam exſtinctam iri, & priſtinam felicitatem redituram. Sic TE diù, & plurimùm ſoſpitet Summus temporum, bonorumque omnium Diſpenſator, ne TE ex hac mortali Vita revocet, niſi poſt longam annorum ſeriem, publicis rebus in ſumma proſperitate relictis.

SERENITATIS TUÆ

Dabam Patavii Die 12. Decemb. 1711.

Humillimus, Obſervantiſſimus, & Addictiſſimus Servus, & Cultor

BERNARDINUS RAMAZZINI.

SI veri ſpeciem præfert quod vulgò dici conſuevit, & apud Sapientes quoque receptum, Conſuetudinem vim quandam legis obtinere, ut, qui illam violarit, ſi non plecti, laudari tamen haud quaquam mereatur, qualem mihi legem ipſemet impoſuerim, modò quamvis ſerò nimis agnoſco. Etenim cùm annus iſte ſecundi Sexennii, ex quo in hoc celeberrimo Lyceo Practicam Medicinam profiteor, ſic complementum, ac quotannis in ſolenni Studiorum Inſtauratione, ut diù feriatam Juventutem ad Studia capeſſenda allicerem, Oratione aliqua proludere conſueverim, nunc mihi jam effœtis corporis atque animi viribus, quando ætas prædatrix omnia ſecum aufert, magnum onus incumbere video, ſi conſuetudini meæ nondum interruptæ obſecundare velim, ac veſtram exſpectationem non omninò fallere. Audendum tamen ratus, in unum coactis, qui ſuperſint ſpiritibus, ita me comparaveram, ut quod antea præſtiteram, hoc anno quoque pro viribus præſtarem. Poſt aliquot igitur meditationes, argumentum non incurioſum, ut reor, nactus fueram, circa quod ingenii mei vires exercebam, cùm præſens hæc autumnalis Conſtitutio præter modum inſolens, atque ominoſa, Opus quod moliebar, & ad umbilicum penè deduxeram, mihi è manibus excuſſit, & aliud argumentum à Medicis amœnitatibus longè diverſum ſuſcipere coëgit, veſtra tamen attentione A. O. non indignum. Nemo non novit, quàm inopinatè, quàm violenter Bubulum genus dira Contagio pervaſerit flammæ ad inſtar, quæ ope nulla humana conſopiri, ne dum reſtingui potuerit. Hæc primùm quidem in *Vicentino Agro* ſubobſcurè obſervari cœpit, mox in *Patavinum* tranſgreſſa, apertè ſe prodidit, ac longè latèque effuſa, uſque ad ipſa Urbis Pomœria, tam magnam ac horrendam Boum ſtragem edidit, ut tum Rura, tum Civitatem mœrore, ac metu complerit. Mœret ruſticana Plebs, imò ſtupet attonita, dum ampla Bovilia vacua, ac deſerta intuetur, dum quotidiè ferè Tumulos adſpicit, in quibus ſepulta ſunt Fortunæ ſuæ pignora, propriis

propriis natis forsan etiam cariora, dum Bobus exstinctis, Equos ad Frumenti sationem parum aptos cogitur sufficere.

Quid labor, aut benefacta juvant, quid vomere terras
Invertisse graves?

Sic miserandam Agricolarum sortem deflere libet, cum Poëtarum principe, qui tertio Georgicorum huic non absimilem Boum cladem carmine descripsit. Mœrorem dissimulare nequeunt Cives, & Nobiles Viri, dum Prædia sua, & Villas, præcipuo ornatu, & patrimonio orbatas intelligunt, atque etiam vident. Tristatur, ac dolet Plebs urbana, dum Annonæ, rerumque omnium, quæ ad victum spectant, caritatem brevi secuturam prænoscit. Nemo est igitur, quæcumque sit ejus conditio, qui damnum aliquod non sentiat, & graviora quoque non timeat. De hac igitur tam portentosa Boum clade hodierna hac mea Dissertatione, seu potiùs prælectione, quam hoc Anno ad tractatum de Febribus, ac præsertim de Febre maligna ac pestilenti, sum habiturus, verba facere constitui, hujus morbi Indolem, causas perveſtigando, & quibus remediis illi obviam sit eundum.

Nec obtrudat quisquam, in hoc tam celebri Lyceo, ab hac Exedra, quæ ordinis sui primatum obtinet, indecorum esse pro Hippocratica doctrina M. *Varronis*, *Palladii*, *Columellæ*, *Vegetii*, aliorumque Veterinariæ Artis Scriptorum documenta tradere; regeram enim ego, magnum *Hippocratem*, cui nullius rei scientia vilis habita est, non puduisse de Boum morbis verba facere, in Libro enim de Articulis, rationem adfert, cur Bobus tam facilè contingant femorum luxationes; Præterea si Congruentia, quæ omnibus in rebus momentum habet non leve, hic quoque suam meretur animadversionem, tractatio de hac Boum Epidemia nostri muneris est, Illustrissimi, & Spectatissimi Professores, Vobis quæso succurrat, quonam in loco nos simus, & professorium munus exerceamus? Nonne in Lyceo, cui à Majoribus nostris Bovis nomen est inditum? neque inauspicatò, quandò Bos iste suis mugitibus, hoc est Doctrinæ robore totum literatum Orbem implevit, ut nulla pars sit tam longè dissita, quæ ad illius celebritatem non reboet, ac ubi non colatur magis illius nomen, quàm olim *Serapis* in *Ægypto*. Si ergo sub signo Bovis militamus, si Bos iste nos pascit, quis erit tam vecors, seu tam malignæ Indolis, qui indecorum putet provinciam hanc suscipere, quam detrectare velle impium, & nefas esset? eòque magis, quò ab Excellentissimo Magistratu, qui sanitatis tutelæ Venetiis præsidet, ac prostremò ab ipso SERENISSIMO PRINCIPE demandatum est celeberrimo hujus Civitatis *Medicorum Collegio*, seriò exquirere, quænam sit hujus morbi conditio, quæ causa, & quibus præsidiis, ferocienti in dies malo possit occurri.

Affectionis genus, quod Bubulo generi bellum ad internecionem usque videtur indixisse, ex frigore, rigore, horripilatione, mox ex calore acri, & vehementi per universum Corpus diffuso, cum pulsus frequentia, febrem esse satis liquet, malignam verò, exitialem, pestilentialem etiam, si mavis, esse apertè testantur, quæ illam comitantur symptomata; qualia sunt, magna anxietas, & gravis anhelitus, etiam cum stertore, & in principio febris, stupor & species quædam veterni, continuus ex ore, & naribus graveolentis materiæ descensus, fætidissima alvi proluvies, interdum etiam cruenta, anorexia, & abolita penitus ruminatio, pustulæ quinta vel sexta die per totum corpus erumpentes, ac tubercula variolarum speciem referentia, communis tandem omnium eodem modo circa quintam, & septimam interitus, cùm Boves pauciſſimi evadant, iique sortè potiùs quadam, quàm remediorum dynami. Hæc quidem ex se patent, quid verò intus patiantur miserandi Boves, cùm jacent anxii, ac stertentes, ac dum stant immoti, capite usque ad terram demisso, conjectare quidem possumus, sed ex mutis animantibus, quæ per nutus nihil significare possunt, nil certi rescire possumus, quod forsan in causa est, ut difficilior sit curatio. Causam igitur hujusce

juſce malignæ febris pro viribus perſcrutemur.

Omnibus epidemiis, ſi à ſporadicis affectibus differre debent, id peculiare ineſt, quòd communem cauſam habeant, ſive ab Aëris vitio, ſive à corruptis alimentis, aut ab aliquo contagioſo fomite prognata fuerit, qui ab uno corpore in aliud tranſmigret, illique eandem labem communicet. Diſſimulare quidem non licet, tempeſtatum hujuſce anni non adeò legitimam fuiſſe temperiem, juxta illarum naturam, Æſtatis præſertim, quæ Veris ſpeciem præferre viſa eſt, non admodum latrante Sirio, nec Cicadis arbuſta rumpentibus. Annus tamen in univerſum non inſalubris fuit, neque multùm in quæſtu Medicis, ac Pharmacopolis; nec ſolùm in hac Civitate, ſed in aliis quoque, & in tranſpadana regione, ut per litteras accepi, ut parùm verax viſus fuerit *Hippocrates*, quòd *cùm æſtas veri ſimilis eſt, autumnales morbos exſpectare oporteat.* Nulla in aëre à Meteoroleſchis portenta viſa ſunt, nulla in herbis, & frugibus apparuere rubiginis ſigna, quemadmodum Anno elapſo, quo carbunculari morbo laborarunt fruges, nec tamen noxam ullam perſenſere Armenta, & Pecudes; in fructibus tum Æſtivis, tum Autumnalibus, qui omnes ſerotini fuere, nullæ deprehenſæ ſunt notæ, quas nebularum uredo inuſſerit.

Cœlum equidem non conſului, ut viderem, num ex aliquo maligno aſtrorum influxu, peſtilentiæ bubuli gregis cauſam divinare liceret, ut ex *Saturni* cum *Marte* ſyzygia, in Tauri ſigno; quemadmodum olim *Marſilius Ficinus*, in Conſilio quodam Thuſco Sermone edito, ut ab omnibus intelligeretur, Peſtis quæ Anno 1478. totam Etruriam, ac præcipuè *Florentiam*, depopulata eſt, cauſam retulit in conjunctione *Martis* cum *Saturno* in ſigno humano (quaſi Aſteriſmorum in hæc inferiora virtus ab inditis nominibus eſſet petenda, ut ſi fortè hujuſmodi conjunctio obſervaretur in ſigno Arietis, aut Piſcium, poſſet aliquis ovilli generis, aut marini populi excidium prædicere. Sed poſtquam, cum Juvenis eſſem, *Pici Mirandulani* libros adverſus *Aſtrologos* legi, Judiciariam à ſtudiis meis valere juſſi. Aërem itaque, & paſcua ab hoc crimine, quòd hujus morbi in cauſa fuerint, abſolvere fas erit. Quis enim unquam ſibi perſuadeat, campos, & prata, talem ab Aëre humorem combibiſſe, qui ſolis Bobus tam dirum eſſet venenum, cæteris verò animantibus, quæ eaſdem herbas paſcerent, eſſet omninò innoxius? Aliam igitur cauſam comminiſci oportebit, quam nonniſi à contagioſo fomite licebit deducere, cujus rei non ſimplices conjecturas, ſed argumentum habemus apodicticum.

Jam ſatis conſtat, & in acta publica relatum, ex Boum turmis, quos è *Dalmatia* & conterminis regionibus, mercatores in hæc loca ſolent adducere, Bovem unum à cæteris ſeceſſiſſe, qui à Bubulco repertus, & perductus in latifundium Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Comitis *Trojani Borromæi*, Canonici Patavini, pro hoſpitio, eadem labe qua erat infectus, hoſpites ſuos fœdavit, illo enim paucos poſt dies mortuo, paulatim eodem morbi genere omnes miſerè periere, uno tantùm ſuperſtite, cui in collo factum fuerat ſetaceum. Caſus iſte totam viciniam perterrefecit, ſed nulla juvit diligentia, ut domus ſuas, & caſas à flamma nimis vicina præſervarent. Iſthæc itaque contagio paulatim ſerpens, totam *Patavini agri* amplitudinem brevi pervaſit, quin poſtremò *Padum* tranſgreſſa, *Æmiliæ* Populis, idem minatur excidium.

Quoniam autem morboſi ſeminii ea eſt indoles, ut facilè ſoboleſcat, & in immenſum ſe propaget, ſi in ſubjectum proprium, & mumiatum, ut vocant, incidat, cujus rei ampliſſimum ſpecimen habemus in lue gallica, quæ ex *Indiis occidentalibus*, à paucis navigantibus ad nos delata, *Italiam* primò, mox univerſam *Europam*, fœdiſſima, & iueluibili labe citiſſimè inquinavit; Non eſt quòd miremur, ſi per aporias, & effluvia, quæ ad modum atmoſphæræ exſpirant à Bobus Ægris, ab exſtinctis, à Stabulis, à Paſcuis, quæ ipſimet Boves paſcendo infecerint, promptiùs autem & faciliùs ab ipſis Bubſequis,

quis, & illorum veſtibus, (peſti enim volupe eſt, in lana molliter cubare) non eſt inquam, quòd miremur, ſi hæc contagio, tam longè latèque ſeſe effuderit. Ubi igitur hæc Aura venenata ſubtiliſſima Bovem aliquem antea ſanum afflarit, ſpiritibus vitalibus, & ſeroſo latici ſe conſocians, dum in Orbem agitur, naturalem ſanguinis conſiſtentiam lædit, & viſcerum fermenta corrumpit; quare naturales viſcerum functiones paulatim vitiari, & debitas excretiones coërceri neceſſum eſt, quod paulatim fieri fas eſt credere, non enim ſubitò ac Bos aliquis venenum iſtud hauſerit, vel quoquomodo illud ſuſceperit, non illicò inquam, virulentiam perſentit; ut qui à cane rabido commorſi fuerint, ad longum tempus ſibi ſani videntur, at poſtea ex improviſò, ad aquæ conſpectum palam faciunt, quàm dirum venenum intus geſtarent. Naturalem ſanguinis conſiſtentiam, ab hoc contagioſo fomite lædi paulò antè diximus; ſuppono etenim, imò pro certo habeo, venenum iſtud eſſe de illorum genere, quæ ſanguinem potiùs figant, & coagulent, quàm diſſolvant; id primùm atteſtantur ſymptomata, quæ febrem comitantur, nempè anxietas, gravis anhelitus, ſtertor, & ſtupiditas; ocularis quoque inſpectio, dum à Laniis Boves exſtincti diſſecantur, qui licèt adhuc calentes parùm aut nihil ſanguinis effundunt. Bos præterea piger ac tardus ex ſua natura eſt, & Carnes habet duras, *& graves ad ſtateram*, ut ait *Hippocrates*, data nimirùm paritate molis ad carnes cæterorum Animalium, idcircò illius ſanguinem talem eſſe oportet. Taurinum ſanguinem inter venena recenſuit (*a*) *Dioſcorides*, eò quòd epotus ad coagulationem in ſtomacho ſit facilis, *Prævotius* autem propter flatulentiam; *Themiſtoclem* ſanguine taurino calido epoto, ſibi mortem conſciviſſe, ex *Plutarcho*, in ejuſdem vita habemus. Mirùm itaque non eſt ſi venenatus hic fomes, in hujus animantis genere, ſanguinem ex ſua natura craſſum coagularit. Hanc cruoris concretionem in malignis febribus obſervarunt *Scriptores*, uti (*b*) *Petrus Salius*, qui refert in quadam ex maligna febre exſtincta, repertum fuiſſe in Arteria magna ſanguinem ita concretum, *ut præhenſo illius ſanguinis altero principio, totus ſanguis coaleſcens, ita integer eductus fuerit, perinde ac gladius è vagina extrahi ſolet.* Idem quoque aliquando *in peſtilentiis accidere* teſtatur (*c*) *Richardus Lover* in tractatu de corde: Niſi autem talis eſſet in hac Epidemia ſanguinis conditio, non protraheretur ad tot dies febris; ubi enim ſanguis eſt nimis diſſolutus, & vis deleteria humorum corruptioni prævalet, febrilis calor eſt adeò mitis, ut ægri interdum ſe febrire non putent, ſed citiſſimè intra unam vel alteram diem occumbant. Poſtquam igitur fermentificus, & peſtifer hic fomes per venas, & arterias tanquam per cuniculos totum corpus peragrarit, tunc tanquam hoſtis ex inſidiis erumpens, feritatem ſuam patefacit, febrem malignam excitando, quæ intra quintam, aut ſeptimam, lanienam ſuam abſolvit, indiſcriminatim Boves aratores, Tauros, Vaccas, Juvencos, Vitulos jugulando.

Hujus autem Peſtis primam originem, num Bos ille peregrinus eam aliunde ſuſceperit, vel in ipſo primùm genita fuerit, exquirere ad rem noſtram parùm refert. Neceſſe eſt enim, quemadmodumin libro de Contagione tradit *Fracaſtorius*, ac pariter *Joſeph Aromatarius*, in libro de rabie contagioſa, quòd ad aliquod Animal tandem ſit deveniendum, in quo productum fuerit morboſum ſeminium. Extra enim controverſiam eſt, non ſolùm in Brutis, ſed etiam hominibus, per varios corruptionis gradus, generari poſſe venena, ac talis naturæ humores, qui ad alia corpora ſymbolica, & analoga facilè tranſeant: ſic qui tabe pulmonari laborant, conſanguineos ſuos facilè inficiunt, ſi cum illis conſuetudinem habeant; Lippitudinem contagioſam eſſe vetus eſt obſervatio.

Dum ſpectant oculi læſos læduntur & ipſi,
Multaque corporibus tranſitione nocent.

In Boum cadaveribus, quotquot Lanionum ſeceſſpitæ ſubjecta fuere coram Excellen-

(*a*) Lib. 6. cap. 25. (*b*) De febre peſtil. & ſyncop. card. c. 4. (*c*) Cap. 2.

tiſſimis Anatomes Profeſſoribus D. *Molinetto*, & *Viſcardo*, id ſingulare in omnibus repertum eſt; in Omaſo nempè, corpus quoddam durum, & compactum, ventriculi parietibus fortiter adhærens, magnæ molis, & intolerandæ graveolentiæ; in aliis verò partibus repertæ ſunt hydatides, in cerebro, pulmonibus, ſicuti etiam ingentes veſicæ ſolo flatu plenæ, quæ diſſectæ diram Mephitim exhalarent, ulcera in radice linguæ, & ad illius latera veſiculæ ſero plenæ. Illud verò corpus durum, & compactum ad inſtar calcis, quod in Omaſo obſervatur, primùm productum eſſe contagioſi miaſmatis, pro certo habeo, dum tacitè ſævitiem ſuam exercens, ſtomachicum fermentum labefactat, & corrumpit; non enim eſt credibile, poſt febrem excitatam, conflari hoc corpus intra paucos dies, dum Boves ubi primùm febrire cœperint, quodcumque alimentum averſantur, nec quidquam, niſi liquidem per os infundi poteſt: cætera verò, quæ memoravimus, malignæ febris producta eſſe, facilè crediderim, ſed omnium Phænomenorum exactam rationem adferre velle, non patitur unius horæ ambitus; ampla enim materia ſuppeteret, ad integrum tractatum conſcribendum.

Verùm ne ampliùs vos morer, A. O. ad ea properabo, quæ ſuperſunt dicenda, conjectando nempè, quem finem habitura ſit hæc contagio, & num aliquid gravius portendat, ac quod magis refert, quid agendum. Quoad primum, in hac Epidemia, idem quod in cæteris evenire ſolet, ſecuturum exiſtimo, nimirùm quòd poſt tot tentamina, tot experimenta, ac præſertim poſt obſervatam methodum, quam morborum Medicatrix Natura ſervat in iis Bobus ſanandis, quos maligna febris non ſuſtulerit, felicior curatio poſſit inſtitui, ac forſan hujus veneni verum, & ſpecificum remedium reperiri, quo malignum iſtud miaſma penitùs exſtirpari poſſit. Levamen quoque aliquod exſpectare licet ab adventante Hyeme, ac à ventis aquilonaribus, qui tanquam Aëris ſcopæ auſtrales flatus peſſimæ ſemper indolis procul abigant, quales venti per totum Octobris Menſem dominatum obtinuere. Memoratu dignum eſt, quod de ventorum poteſtate ſupra humana corpora refert (a) *Vitruvius*. *In Inſula Lesbo* (inquit ille) *Oppidum Mitylene magnificenter eſt ædificatum, & eleganter, ſed poſitum non prudenter. In qua Civitate Auſter cùm flat, homines ægrotant, quando Corus tuſſiunt, cum Septentrio, omnes in ſalubritatem reſtituuntur.* Quantùm ſævierit Peſtis Octobris menſe, Auſtro, & Euronoto flantibus, ſatis vulgatum eſt, cùm plures dies adeò nefaſti fuerint, ut neque quotidianis hecatombis, interdum etiam geminatis, furialis hæc, & exſecranda febris mitior fieri, nedum placari potuerit. Scio equidem, calori, & frigori morbos peſtiferos non admodum auſcultare, cùm aliàs fuerit obſervatum, in ſummo æſtu, & ſummo frigore pariter ſæviiſſe hominum peſtem; attamen cùm feralis hic morbus, qui celeris eſt motus, ortum habuerit æſtivo tempore, incrementum, atque etiam ſuum acmen autumnali, ſperare licet, quod hyemali tempore, finem & ſui deſitionem, ope divinâ ſit habiturus.

Num autem hic Epidemicus Bovini populi morbus, longum in tempus perſeverans, humanis corporibus labem aliquam affricare valeat, ut nonnulli ſuſpicantur, non alienum eſt diſquirere. Si in morbis malignis, qui ratiocinia noſtra perſæpè eludunt, quidquam ponderis habent rationum momenta, ſperare licet homines intactos, & illæſos relicturum eſſe; etenim ſi trium menſium ſpatio, lues iſta alia Ruminantia, & Cornigera non attigit, quamvis inter ea magnus ſit ſymboliſmus, nec Equos, ſues, ac alias Sylveſtres feras, hactenus quidquam læſit, non apparet ratio, cur homines, qui ab iſtis Animantibus tam longè diſtant, debeat afficere.

Non ſum neſcius, inter futuræ peſtilentiæ ſigna, quæ plurima ſunt, recenſeri ſolere non Boum ſolummodò, ſed aliorum quoque animantium ſtragem, qualis ea fuit, quæ

Ægy-

(a) Lib. 1. cap. 6. de Archit.

Ægynam insulam depopulata est, de qua *Ovidius.* (*a*)

Strage Canum primò, Volucrumque Aviumque Boumque.

ac ea, quam memorat (*b*) *Livius*, quæ in *Sicilia* Romanum exercitum, & Carthaginensem penè delevit, de qua *Silius Italicus:* (*c*)

Vim primi sensere Canes, mox nubibus atris
Fluxit deficiens penna labente, Volucris.

Cui aliam non absimilem refert (*d*) *Dionysius Halicarnasseus*, quæ *primò Equorum, Boumque armenta invasit, mox pecudes, & alia quadrupedia aggressa est, deinde Pastores, & Colonos attigit, & totum Romanum agrum pervagata, Urbem invasit.* Ast illorum temporum pestilentiæ, non in solis Bobus, sed in omnibus animantibus, ut ipsis etiam Maris Piscibus non parceret, (qualis ea fuit, quam *Lucretius* carmine descripsit, sævitiem suam exercuere, ut quæ ab Aëris vitio ortum duxissent; de quo non habemus quòd suspicemur; in solis enim Bobus, & faciliùs in iis, qui habitiores, & pinguiores essent, quàm in gracilibus, hæc lues alimentum invenit, quo rabiem suam pasceret. Magna tamen cautione utendum est, in tumulandis cadaveribus, terra altè defossa, quemadmodum publica edicta præscribunt; si quid enim timendum, præcipuè à nimia cadaverum copia, ex quibus minùs aptè humatis, ac postea putrefactis, redeunte Vere, pravi halitus Aërem inquinare possint. Bonum autem esset, in loco inculto, seu in pratis, quæ arationi non sunt subjecta, cadavera humare. Ubi enim de morbo contagioso agitur, nunquam satis cavemus, dum cavemus. Quoniam autem, solutis in liquamen Cadaveribus, necesse erit terram subsidere, censerem, bonum esse, novam terram superingerere, in illam conjiciendo graminis, aliarumque herbarum semina. Refert (*e*) *Petrus Forestus* Delphis apud *Batavos* Peste jam sopita, & cœmeterio Templi vetusti, cadaveribus oppleto, habitam consultationem inter Medicos, num Calce, aut Lapidibus illud cœmeterium esset obruendum, ac decretum fuisse, ut multa terra superinduceretur, atque in eam varia herbarum semina conjicerentur, *ut crescente gramine, & clausis spiraculis, lues minùs denuò suppullularet.*

Silentio tamen præterire non licet, observatam aliquando pestem in solis Bobus, ac postea secutam hominum pestilentiam; interdum etiam hominum Pestem in Boves terminasse. Primum exemplum habemus ex (*f*) *Livio*, qui scribit pestem magnam in Boves ingruisse, sequenti anno ad homines vertisse. Secundum verò apud *Ripamontium Chronistam Mediolanensem*, qui in Libro de Peste, quæ anno trigesimo exacti nuper seculi *cispadanam*, & *transpadanam regionem* pessimè mulctavit, pestilentiæ hominum, pestem Boum subsecutam refert. Hisce tamen duobus monumentis totidem habemus, quæ opponamus, nec longè petenda. Primum à celeberrimo (*g*) *Fracastorio*, qui in Opere doctissimo de Contagione scriptum reliquit, Anno decimoquarto supra sesqui millesimum, diram pestem in solos Boves irrepsisse, quæ in *tractu Forojulienst* primùm nata, exinde usque ad *Euganeos*, postmodum in *Veronensem agrum*, aliasque *Venetæ Ditionis* regiones delata magnam Boum cladem ediderit eodem fermè modo, ac iisdem symptomatibus, ut hæc nostra illius soboles videatur. Alterum monumentum suggerunt nobis libri manuscripti Artis Lanionum, quibus non est deneganda fides, quales libri in hac Civitate asservantur, in quibus ad posterorum memoriam ab *Antonio Faccio* scriptum legitur, Anno nonagesimo nono ejusdem seculi, quo vixit *Fracastorius*, adeò gravem in Boves pestem grassatam, ut publicis Augustissimi *Senatus Veneti* Edictis vetitum fuerit, ne Caro Bubula, Caseus recens, Butyrum, Lac, sub capitali pœna in hac Civitate divendi possent, sed solis carnibus Vervecinis vesci liceret; attamen iis annis nihil sinistri, præter rei

(*a*) 7. Met. (*b*) Dec. 3. L. 5. c. 20. (*c*) Lib. 14. (*d*) Lib. 9. (*e*) Lib. 6. obser. 25. in schol. (*f*) Decad. 5. Lib. 1. cap. 21. (*g*) Lib. 1. c. 12.

familiaris damnum hominibus obtigiſſe, certo ſcimus; habemus igitur unde ſpes noſtras alamus.

Utrum autem, graſſante hac Epidemia, carnis bubulæ ſanæ creditæ, adeò tutus ſit uſus, ut noxam ullam humanis corporibus non poſſit inferre, abs re non erit diſquirere. Res equidem ſuſpicione non vacat; etenim, etiamſi Bos antequam ad lanienam ducatur, fuerit obſervatus vegetus, atque hilaris, ac poſtea in illo jugulato, & excoriato, nullæ in viſceribus deprehendantur corruptionis notæ, quæ in cæteris, qui ex hoc morbo intereunt, deprehenduntur, attamen certi non ſumus, quòd Bos ille contagioſum fomitem non geſtaret, quod aliis etiam communicare poſſet; credibile eſt enim, paucos apud nos eſſe Boves, qui afflatum hunc malignum non perſenſerint, licet ſani degant, morboſi enim ſeminii ea eſt ſubdola malitia, ut hominum judicia non rarò fallat; perſæpè enim evenit, ut qui illud in ſe continet, & ſecum circumfert, læſionem nullam ſentiat, nec forſitan ſenſurus ſit, in alium tamen ejuſdem ſpeciei poſſit facilè transferre. Hujus rei exemplum habemus in gallico morbo; non rarò enim contingit, ut aliquis à muliere infecta luem ſuſcipiat, nec quidquam ſentiat, & Uxori poſtea eam communicet, ſic ut illa paucos poſt Dies gonorrhœa, vel bubone corripiatur; ex quo fit, quòd non leves rixæ, & jurgia inter conjuges oriantur, & Uxor pudicitiæ ſuæ conſcia, virum maledictis inceſſat, quòd ab illo tam fœda labe inquinata fuerit, ille autem, qui ſe perfectè ſanum agnoſcit, nec quidquam de infectione ſuſpicatur, de conjugis fide non parùm dubitet. Qua de re legendus (*a*) *Paulus Zachias*, *Mercurialis*, *Gaſpar à Rejes*. Circa eſum carnis bubulæ memoratu dignum eſt, quod refert (*b*) *Theodoricus Skenkius* in Hiſt. humor. gen. cap. 2. his verbis, *olim decertatum Venetiis, & Patavii inter Lanios, & incolas, quòd illi ex Hungaria Boves advectos, emptos & mactatos in Macello venditaſſent, quos tamen Cives lue quadam infectos fuiſſe noverant, cùm fluxu alvi cruento tentati plurimi periiſſent, tranſlato nimirum ab uno ad alterum contagio. Hac de re conſulti Medici Patavini, in ea fuere ſententia, Carnes hujuſmodi eſui adhibitas innoxias eſſe, eò quòd eſſet contagium particulare, & ſpecificum, ac omnis malitia fuiſſet emendata ac diſcuſſa à prævia agitatione gymnaſtica, antequam Boves mactentur.* Contrariam opinionem ſuſtinuiſſe *Medicos Venetos* tradit *Chriſtophorus Fridericus Garammannus* in Opere ſuo eruditiſſimo de Mortuorum miraculis, eò quia carnes hujuſmodi, eſſent contagioſæ, & cadaveroſæ. *Fabius Paulinus* (*c*) Medicus Utinenſis controverſiam hanc dirimere aggreſſus eſt, ſuam enim ſententiam dixit, nimirum ſi neceſſitas urgeat, *in cibum carnes vocare, ſale aut aceto priùs probè eſſe macerandas, viſceraque cum aliis interraneis eſſe abjicienda, cùm in iis cauſæ morbificæ focus & Nidus exſiſtat*, qualis cautio num ſufficiat, & omnem dubitationem tollat, liberum cuique eſto judicium.

Quid ergo agendum in tam exitiali morbo, qui bubuli generis exſtinctionem videtur interminari? In id unum incumbendum eſſe, perſuaſum habeo, ut per univerſalia alexipharmaca (quando particulare, & ſpecificum hujus Veneni remedium non habemus) miaſma iſtud peſtiferum exſtinguatur, aut ſaltem enervetur, ut natura roborata illud ad cutis ambitum ableget, atque extrudat, quando per ulcera, puſtulas, & tubercula in iis Bobus, qui evaſere, ſpontè excitata ipſamet natura, nobis indigitavit, qua via ſit incedendum. Crediderim itaque in curatione hujus malignæ febris, ea Methodo procedendum, quæ à bonis Medicis ſervatur in curanda varioloſa puerorum febre, diſtinguendo tempus ebullitionis, à tempore expulſionis; tempore nimirum ebullitionis erit cautè utendum remediis calidioribus, nè intendatur calor febrilis, & plus æquo efferveſcat maſſa ſanguinea, cui facilè ſuccedit perturbata coctio, quam Natura rectrix intendit, qua in re non leviter peccatum eſſe cenſeo, cùm hujus febris initio, ad calidiora cardiaca ventum fuerit, & præcipuè ad vina meraciora

(*a*) Quæſt. med. leg. lib. 3. tit. 3. qu. 6. (*b*) De morb. Gal. Cam. Elyſ. qu. 60. n. 12. (*c*) Præl. Martin.

ciora cum multa theriaca; quare præpoſterum remediorum uſum, ſtragem longè majorem edidiſſe cenſeo, quàm febrem ipſam. Non deſunt Medicæ Praxis docti Scriptores, qui in varioloſis conſtitutionibus, in principio febris præcipitantibus utendum eſſe volunt. Dum hæc ſub prælo eſſent, apud amicum ea legi quæ Illuſtriſſimus D. *Joannes Maria Lancifius* Clementis XI. P.O.M. Archiater meritiſſimus, ac Intimus Cubicularius perdoctè, & eruditè, ut ſolet in omnibus, de hoc morbo conſultus, ſcripſit; nam inter varia monita, hoc habet, quòd cardiacis acida ſint maritanda. In Febris itaque principio moderatè agendum per alexipharmaca, in progreſſu verò morbi, & deſpumationis, & expulſionis ſignis, liberaliùs Bezoardicis utendum.

Ut autem ad remediorum materiam deſcendamus, quando id unum eſt, quod expetitur, & à nobis exigitur, nequaquam verò nuda verba. Quoad præſidia externa, ſanguinis miſſio viſa eſt improſperè ceſſiſſe, idcircò cœpta eſt omitti; nihil tamen ſævitiæ ſuæ remiſit morbus, imò truculentior factus eſt. Equidem in omnibus Epidemiis ſuſpecta eſt Phlebotomia, ſicuti purgatio, unde (a) *Celſus: Sanguinem non facilè mittere, alvum non facilè ducere*; in febre tamen varioloſa paſſim mittitur ſanguis, in pueris bimis, aut trimis per cucurbitulas ſcarificatas, & quibuſdam in locis etiam per venam ſectam, in principio tamen febris. In hac itaque Boum febre, non ſalubrem tantùm, ſed neceſſariam fore venæ ſectionem crediderim, ad ſarcinam minuendam, ut mitior fiat ebullitio totius maſſæ ſanguineæ, & per ſua vaſa circulatio. Cùm enim, ut diximus, Bovis cruor ex ſua natura ſit valdè craſſus, & ad facilem concretionem pronus, atque venenum iſtud de illorum ſit genere, quæ maſſam ſanguineam coagulandi vim habent, quo precor remedio laboranti Bovi, & anhelanti, ob ſanguinis concretionis in vaſis ſanguifluis, in pulmone, in Corde, quam per ipſam ſanguinis miſſionem, promptiùs, & faciliùs, poterit ſuccurri? Animadverſione dignum eſt, quòd luës iſta, Boves robuſtos, & valdè obeſos faciliùs corripiat, macilentos verò, qui vix oſſibus hæreant, prætergrediatur; propterea in hac febre, quæ non abſimilis eſt iis, quas appellant inflammatorias (quales ſunt, quæ in pleuritide, peripneumonia, angina obſervantur) ſanguinem in fervorem actum, & alioquin ad coagulationem aptum, detrahere, ſalutare conſilium erit. Clamitet autem ad ravim uſque contra hanc operationem, quiſquis velit; non enim video (ſi tamen per analogiſmum in curanda hac febre licet procedere, ut in curatione febris peſtilentis, quæ homines corripit) ego, inquam, non video, cur miſeranda hæc Animalia, dum febriunt, & oculis lacrymantibus, opem aliquam quodammodo implorant, hoc magno remedio debeant deſtitui; morbi enim magnitudo, plethorica diſpoſitio, ob paſcua hoc Anno ſolitò uberiora, phlebotomiam manifeſtè expoſcunt, in principio tamen febris, dum vires validæ permittunt, quam doctiores Medici in febre peſtilenti, uti *Sennertus*, *Septalius*, *Antonius Ponce Sancta Crux*, *Fracaſtorius*, & alii graviſſimi Scriptores admittunt. Certè vires horum animalium, in ipſo etiam vigore morbi ſatis validas eſſe obſervavi, è ſtabulis enim educti, & per campos circumducti experiundi cauſa, num herbam aliquam velint paſcere, robuſtè incedunt, & ſuæ libertati relicti, ad ſtabula promptè recurrunt. Circa porrò venarum delectum, non adeò laborandum; ubi enim ad vaſorum plenitudinem tollendam mittitur ſanguis, parum refert, an ab hac, vel illa vena mittatur.

Inuſtiones quoque lato ferro candenti faciendæ in collo utrinque, ſublata enim eſchara apparebunt ulcera, quæ veſicantium loco eſſe poterunt; aures quoque rotundo ferro perforandæ, indita poſtea radice hellebori, ut *Veterinarii Scriptores* ſuadent; ſimiliter ſub mento perforanda palearia, injecto poſtea funiculo, quem ſetaceum vocant; indiget enim Natura aliquo emiſſario, per quod venenum

(a) Lib. 2. cap. 7.

nenum iſtud exantlet; nulli enim comperti ſunt evaſiſſe Boves, niſi per puſtulas in cute excitatas, multum craſſiæ, ac fœtidæ materiæ fundentes, nec Bovem ullum, qui ſic purgatus fuerit, recidivam paſſum fuiſſe adhuc accepi; nam ex (a) *Hippocratis* oraculo in ſexto Epidemiorum; *Quidquid ſuppuratur non revertitur; ipſa enim maturatio, & judicatio ſimul, & abſceſſus.* Obſervatione dignum eſt, quod refert laudatus (b) *Fracaſtorius*, ait enim, eos *Boves, quibus labes à faucibus ad armos deſcendebat, & inde ad pedes, ſanatos fuiſſe, quibus autem hæc permutatio non fiebat, ut plurimùm interiiſſe.* Linguam, & palatum, aceto, & Sale colluere ſæpius oportebit; frictiones pluries in die faciendæ ad faciliorem perſpiratum obtinendum, ac ut cutis paratior ſit ad recipienda rejectamenta nervorum & arteriarum in glandulas. Cùm perſæpè in faucibus generentur tumores & cruſtæ, uti fit in variolis, ut nihil per os poſſit infundi, compertum eſt baculum ſalignum viridem Butyro inunctum, longitudinis ulnæ, & ampliùs per os inditum, valdè contuliſſe ad impedimentum illud tollendum.

Quoad præſidia interna, hæc è triplici regno erunt petenda. E vegetabili plantas multas habemus cardiacas, quarum magna eſt ſupellex; Decoctio itaque in aqua fieri poterit ex foliis Scordii, Cardui Benedicti, Dictami Cretici, Centaurii, Radicibus Gentianæ, Tormentillæ, Scorzoneræ, & ſimilibus, quibus addi poterunt cichoracea ad illarum calorem temperandum, quæ decoctio, bis, vel ter in die per os infundi poterit ad duas, vel tres libras. Cùm verò febris ad ſtatum pervenerit, decoctio iſta ex prædictis plantis debebit eſſe ſaturatior ad expulſionem promovendum. Camphora quoque magnum antipeſtilentiale, accenſa, & in aquam conjecta, potionem efficiet aptam ad peſtiferum Miaſma perdomandum, & Diaphoreſim promovendam. Pulveres quoque ex iiſdem plantis parati, & in aqua cardiaca diſſoluti, exhiberi poterunt.

Ut autem præter univerſalia alexipharmaca, quæ pro malignæ febris curatione à vegetabilium claſſe abundè ſuppetunt, aliquod ſingulare proponamus, placet expendere, num ſolenne illud antipyreticum, h. e. cortex peruvianus, vulgò *Chinæ Chinæ*, ad malignam hanc febrem expugnandam ſalutare remedium eſſe poſſit. Equidem hoc præſidii genus in febribus periodicis miranda præſtat, ac præſertim in tertianis intermittentibus malignis, quæ in ipſo impetu acceſſionis, ægros interdum necant, quarum febrium in Conſtitutionibus meis epidemicis mutinenſibus mentionem habui; hoc enim febrifugum, fermentum illud malignum, ſive penitus reſtinguit, ſive ita enervat, ut periculum illud tollatur, ne æger in ipſo febris acceſſu intereat; aſt in febribus continuis, & inflammatoriis, perrarò ex corticis peruviani uſu, febrem ſolutam obſervavi; ſi tamen habenda fides *Richardi Mortoni* rationibus, & experimentis, qui in quacunque febre venenum quoddam ſpiritibus vitalibus hoſtile agnoſcit, cur in hoc Bovini generis morbo experiri non licebit hujus febrifugi virtutem? Iſthæc enim Boum febris continua, & acuta, à febribus continuis, ab aliqua inflammatione comitatis, quæ homines corripiunt, nullatenus differt; licet (c) *Joſeph Aromatarius* ex Antiquorum doctrina differentiam aliquam ſtatuat inter febres brutorum, & febres hominum, ut brutorum febris κρᾶῦρος, hominum verò πῦρετός vocitetur. Poſſent itaque unciæ tres pulveris *Chinæ Chinæ* (quando hujus remedii largior doſis eſſe cœpit, quàm olim) infundi in libris decem vel duodecim aquæ cardiacæ, ſeu vino non admodum generoſo, quæ infuſio inſervire poterit pro quatuor, vel quinque doſibus, bis illam in die exhibendo, in febris tamen principio, & cum primùm Bos ægrotare cœperit.

Sua quoque remedia ſuppeditabit regnum animale; Cornu Cervi primas tenebit, infuſio itaque ac decoctio, & quæ ex eo parantur remedia, erunt ex uſu. Pulvis viperinus, qui febrilem calorem non adeò intendet,

(a) Sect. 3. (b) Lib. 1. cap. 12. (c) Par. pr. part. 11. de rab. Contag.

det, bis in die exhiberi poterit ad drachmam unam, in aqua cordiali tepida pariter diſſolutus; efficacior tamen eſſet vipera una, vel altera in aqua cordiali decocta, febris enim iſta intra paucos dies curſum ſuum abſolvit. Quoniam autem inter cætera ſymptomata, gravi anhelitu, & ſtertore Boves premuntur, ſperma ceti tanquam remedium aptum ad diſſolvendas ſanguinis concretiones, & in aſthmate uſurpari ſolitum, præſcribi poterit ad drachmas duas in vino tepido diſſolutum. Mineralia quoque, ut quæ non tam facilè à calore nativo, & digeſtiva facultate alterantur, uti vegetabilia, & animalia, ſed integris viribus corpus pervadunt, ſymbolum ſuam conferent. Antimonium diaphoreticum, paratu facile, & exiguæ impenſæ, quod nihil aliud eſt, quàm Antimonii crudi in pulverem contriti, cum æquis partibus Nitri, in crucibulo, vel mortario Æneo per carbonem ignitum, aut bacillum ferreum candentem, conflagratio, ter, vel quater repetita, addita ſemper novæ conflagrationi æquali portione ſalis nitri, erit proficuum remedium ad obtinendam illam, quæ expetitur, expulſionem diri veneni ab intimis ad extima. Quoniam verò, repertos ajunt eſſe lumbricos, & Aſcarides in inteſtinis, quod perfacile eſt credere, cùm etiam in peſtilentiis hominum obſervari ſoleat verminatio, non ſolùm in ventriculo, & inteſtinis, ſed etiam in aliis partibus, quod in ſcrutinio Peſtis tradit *Athanaſius Chircher* è S. J. & animatam putredinem appellat, ad remedia anthelminthica erit confugiendum; Mercurii infuſio, ad libram ſemis ſuper cineres calidos, in aliqua ex prædictis aquis optimum erit remedium, cæteris quæ decantantur præferendum; quando enim inter helminthicos ſcriptores diſputari ſolet, num acida, an dulcia ad vermes necandos ſint uſurpanda, Mercurium, licet inſipidum, id valenter præſtare, & frequenti in uſu eſſe, pro certo habemus. Idem quoque efficiet Mutinenſis Agri petroleum; præterenim id, quod vermes enecat, putreſcentiam quoque corriget, & diaphoreſeos erit ſtimulus. Noſtrates ruſtici, cùm vitulos habent verminantes, quod facilè deprehendunt ex odore, quem Vituli exſpirant, cum lacte exhibent iſtud petroleum, ad guttas aliquot per os infundendum.

Quoad alimentum, potiones parari poterunt, ex farina hordei, tritici, panis contriti ad inſtar ptiſanæ. Pro potu laudatur fœni puri, odorati, menſe Maji collecti, in aqua Maceratio, quod potionis genus hiſce animalibus gratum eſſe obſervavi. Externorum quoque habenda eſt ratio. In loco calido Boves detinendi, & cuſtodiendi ſtragulis cooperti, cavendo quantum licet ab Aëre frigido; quotidie ſtabulum ſuffumigando ex baccis Juniperi, Galbano, & ſimilibus.

Atque hæc quidem ad Therapejam, modò pauca quædam documenta pro hujus meæ prælectionis Coronide, in prophylaxeos gratiam lubet proponere, quando longè præſtantius eſt præſervare, quàm curare, ſicuti ſatiùs eſt tempeſtatem prævidere, ac illam effugere, quàm ab ipſa evadere. Cùm igitur Boves ab agris poſt labores in ſtabulum ad hyemandum jam ſint deducti, ut milites ad caſtra hyberna, magna diligentia ſtudendum erit, ut ea loca, in quibus Boves ſani degere debeant, munda ſint, quantùm fieri poteſt, ac ſæpè ſuffumiganda, quæcunque animalia, ut ſues, Oves etiam, ab illis arcendo. Solent ruſtici, ut ſtabula hyeme ſint calidiora, fimum, & excrementa Boum in iis cumulare, ſed ſatiùs, ſi quotidie alvinas fæces aliò aſportent. Conſilium ſalubre erit parietum cruſtas abradere, eo modo, quo Judæi ex legis edicto jubebantur cubiculorum, (a) in quibus leproſus aliquis habitaſſet, parietes cruſta denudare, & flore calcis obducere, ſolùm autem in hoc caſu muros eradere ſufficiet; timere enim licet, ne recentis calcis odor hyemali tempore Bobus inibi concluſis poſſit officere. In id quoque erit incumbendum, ut pura, & munda ſint illorum alimenta, cavendo, ne fœnum, paleæ

(a) Lev. cap. 14.

palcæ, & alia, à pluviis, & illuvionibus fuerint inquinata; parciùs quoque erunt alendi, ne plus æquo pingueſcant; non enim hoc anno polyſarcia, ſed ſanitas procuranda. Æſtate quidem, quo tempore, in frugum tritura, aratione, & plauſtrorum vectura exercentur, ac multùm eſt quod difflatur, pleniùs ſunt alendi; æſt hyeme, hoc anno præcipuè, quo ſuſpecta eſt ſaginatio, & macies tutior viſa eſt, moderata diæta in iis nutriendis erit utendum.

Frictiones pluries in die adhibendæ, non ſolùm manu, ſed ſtrigilibus quoque, multùm enim conferent ad ſanguinem in ſua fluiditate continendum, ſimulque ad ſuperfluitatem exhauriendam, ſi præſertim frictiones ſint validæ: habet enim hoc præſidii genus varias facultates, modò implendi, modò extenuandi. *Celſus* ex (*a*) *Hippocrate* ſcripſit; *Frictione, ſi vehemens ſit, durari corpus, ſi lenis molliri, ſi multa minui, ſi modica impleri.* Si nimis pingueſcant, quandoquidem hoc anno copioſa erit bubuli generis annona, poſſet etiam inſtitui phlebotomia, ſed diæta ſi fuerit conveniens, venæ ſectionis, atque etiam purgationis erit vicaria. Poſtremò, cùm ex obſervatione Boum, qui in hac tempeſtate evaſerint, ſatis conſtet, naturam per cruſtas, & ulcera excitata in corporis ambitu, & multam ſaniei expurgationem, morboſum illud miaſma, luem hanc expugnaſſe, ſanum conſilium foret emiſſarium aliquod in bobus ſanis aperire, per quod, ſi qua ſint veſtigia morboſi ſeminii, illa ſenſim extrudantur. Aureum documentum habemus ex (*b*) *Hippocrate* in 6. Epid. ad rem noſtram accommodandum, hiſce verbis: *Decubitus quidem, in quibus facta tollit, hæc ante facta prohibet.* Locus quidem ſubobſcurus eſt, uti ſunt *Hippocratis* Oracula, ſed illum egregiè explicat *Valleſius*; ait enim, decubitus à natura factos, *qui ſunt aliorum morborum medela, eoſdem morbos antevertere, & præſervare, ſi tales decubitus arte procurentur, non ſimpliciter tamen, quemcumque decubitum, ſed illum, qui facta tollit.* Non inutile igitur foret ſanis Bobus, palearia ſub mento candenti ferro perforare, atque funiculo indito, apertum, illud diù ſervare, ut per illud paulatim egerantur impuritates illæ, quæ hujus contagioſi fomitis ſunt ſoboles, & in capite potiſſimùm acervari ſolent.

Sed cur ingenii mei tenuitatem fruſtror, ac diverxo, ut morbi hujus Naturam, & cauſas explorem, ac Medicinæ præcepta ad veterinariam traducam? Jamdudum veram, & immediatam hujus ferini morbi cauſam agnovit, ac patefecit Purpurati Principis, ad hujus Urbis incolumitatem cœlitus demiſſi, admiranda pietas, & ſollicitudo: nullam aliam ſcilicet eſſe cauſam, quàm Deum juſtiſſimum criminum vindicem, nobis iratum; ſicuti etiam idem ipſe unicum & verum aperuit antidotum, decretis ad plures dies ſupplicationibus ad cœleſtem iram placandam. Magna ſanè frequentia clauſis ubique Officinis, ad excelſam hujus Urbis Baſilicam concurſum eſt, ut nunquam aliàs tantus in unum populi conventus fuerit obſervatus, nec tanta erga Superos reverentia, ac pietas. Neque verò fervor hujuſmodi poſtea refrixit, uti aliquando fieri conſuevit, ſed perſtitit, magno ad alia celebriora Urbis Templa Populi confluxu, quin cæteris Civitatibus, quæ eodem malo premuntur, exemplo fuit, ut ad divinam opem implorandam publicis precibus confugerent. Hæc tam ſubitò mutata rerum facies & recens nata hic, & alibi pietas, quam graviorum malorum metus expreſſit, in mentem revocant magnam illam Romanæ Urbis conſternationem, quam (*c*) *Livius* hujus Civitatis immortale Decus, tam egregiè deſcripſit, quando nimirùm *Annibal*, fuſis, ac deletis Romanis exercitibus, ex improviſò *Romam* petiit, ac illam tam arcta obſidione preſſit, ut trepidantis Civitatis clamores audiret; ſubito enim terrore perculſus Romanus Populus, ad Templa, & Aras Deorum turmatim concurrebat, ut victimas mactaret, & pro publica ſalute vota conciperet; viſebantur mulieres paſſis crinibus, effuſæ in lacrymas,

(*a*) Lib. 2. c. 14. (*b*) Sect. 3. ex Valleſio. (*c*) Decad. 3. Lib. 6. cap. 6.

lacrymas, cum parvis liberis ad Templa convolantes, ac ibi ad Simulacra Deorum armillas, annulos, aurea monilia appendere, ferreas scilicet Pœnorum catenas, & asperrima vincula metuentes. Hanc eandem consternationem eleganti carmine descripsit (a) *Silius Italicus*. Lubet hic Carmina hujus Poëtæ verè aurea ad rem nostram apponere.

Tanta adeò, cùm res Trepidæ, reverentia Divum
Nascitur, & rariæ fumant felicibus aræ.

Num hisce temporibus congruant hi duo versus, Vobis A. O. Judicandum relinquam.

(a) Lib. 7.

BERNARDINI RAMAZZINI,

Practicæ Medicinæ Professoris Primarii,

D E

PESTE VIENNENSI
DISSERTATIO.

Habita in Patavino Gymnasio die 20. *Novembris* 1713.

Illustrissimis, & Excellentissimis D. D.

PATAVINI GYMNASII MODERATORIBUS,

D. FRANCISCO LAUREDANO, Equiti, ac D. Marci Procuratori,
D. JOANNI FRANCISCO MAUROCENO, Equiti,
D. ALOYSIO PISANO, Equiti, ac D. Marci Procuratori,

BERNARDINUS RAMAZZINI Felicitatem.

SI munera, ut ut vulgaria, apud eos quibus offeruntur satis gratiæ dicuntur habere, si tempestiva sint ac opportuna, Dissertationem hanc meam quam de Peste Viennensi in Lyceo nuper habui, favorem vestrum promerituram esse confido, Illustrissimi & Excellentissimi Patavini Athenei MODERATORES. Cum enim Excellentissimum SENATUM VENETUM viderem nulla graviori cura premi, quàm ut à finibus suæ Ditionis, quantum humanis viribus datum, Pestem arceat per Germaniam divagantem, rem non ingratam, nec inutilem facturum me credidi, si de illa verba facerem, ac aliis incitamento essem ad evolvenda ea, quæ exstant de hoc malo omnium pessimo, Scriptorum monumenta. Etenim cum Pestis non sit omnium annorum morbus, uti febres, & alii particulares affectus, sed longa plerumque interlabantur tempora, interdum etiam integra secula, ut nulla occurrat pestilentia, non rarò fit ut si ex improviso pestifer aliquis morbus caput exserat, Medici, quorum præcipuum studium circa eos morbos versatur, qui annum quæstuosum reddunt, ea in re novi sint ac hospites, unde postea graves in-

ter ipsos oriantur disceptationes non sine Artis dedecore. Dissertationem hanc itaque meam, qualiscunque ea sit, in obsequii argumentum Amplissimis Nominibus Vestris dicatam volui Illustrissimi & Excellentissimi VIRI. Ita Vos ad publicam literarum felicitatem sospitet Deus Optimus Maximus, detque diu ac plurimùm valere.

Patavii Die 15. Decembris 1713.

NUnquam sanè A.O. ex quo in hoc Celeberrimo Lyceo profiteri mihi datum, tam gravi curarum æstu laborasse me fateor, quàm hujus Anni Scholastici accedente principio, mecum scilicet reputans, quàm imparatus in hac solenni Studiorum instauratione, Cathedram hanc essem conscensurus, ex qua aliàs me non omninò illaudatum descendisse memineram. Cùm hactenus mihi pro more fuerit, quotannis Oratione aliqua Jatrici argumenti proludere, idem quoque hoc Anno facturum mihi blandiebar, sed nescio quo fato, per totam Æstatem, præsertim Procyone furente, mihi cum meis malis luctandum fuit, nec sine metu num essem evasurus, idcircò aliæ mihi fuere curæ, alia sollicitudo, quàm de Oratione conflanda. Impetratis tandem favente Deo, à morbo induciis, mihi tamen semper infidis, seriò cogitare cœpi de Argumento aliquo seligendo, quod exspectationem vestram non omninò falleret, nec mihi laborem redderet injucundum. Mente igitur per amœniora Medicinæ loca discurrens, attentè perquisivi, num quidquam reperire possem, quod votis responderet; sed nescio quomodo cuncta mihi sicca, & squallida apparebant, si enim veteres Medicæ Artis campos pervagabar, nihil novi occurrebat, quod in antehabitis Orationibus non pertractassem, aut saltem non delibassem; si verò Recentiorum culta Novalia perlustrabam, non nisi minuta seges sese offerebat, sic quasi desperans quidquam esse me repertum, quod genio satisfaceret, non parùm animo angebar, dum interim viderem inutiliter labi dies, & rem ad ultimum vacationum mensem deductam. Ne itaque frustrante diligentia, animi & corporis vires simul attererem, ad curiosorum pabulum diverti, ad legenda nimirum novarum rerum in Europa gestarum commentaria, singulis hebdomadis ad nos deferri solita, quæ dum legerem, animo tamen composito, & nullo partium studio infatuatus, mecum ipse contemplabar, num post tam magnas rerum vicissitudines, quas paucorum annorum spatio vidimus, & mirabuntur posteri, ullo unquam libramento res ita componi possent, ut solidam, ac duraturam pacem sperare liceret; sed in hoc rerum statu obfirmatis utrinque animis, ad fortunam armorum experiundam, inanem omninò hujusmodi spem agnoscebam; potissimùm autem *Galliæ* prosperitatem abmirabar, quæ antea tot cladibus afflicta, ut pacem videretur deposcere, modò in eam fortunam sit erecta, ut belli & pacis jura, si quæ sunt, potiùs administrare velle, quàm accipere videatur. Nec minori admirationi erat *Anglia*, quæ licèt toto Orbe divisa eò venerit, ut pro lubitu Orbem dividat, Regnorum facta dispensatrix. Ubi verò ad acta Germaniæ ventum est, cùm primùm audivi *Viennæ* adhuc Pestem grassari, tunc veluti è gravi somno excitus, en quomodo, mecum dixi, mihi aliud agenti, præ manibus nascitur, quod tam anxiè quæsieram dicendi argumentum? Quid Auditorum meorum attentione dignius optare poteram, si id ipsum est, quod à SERENISSIMO PRINCIPE, quod ab AUGUSTISSIMO SENATU tantam exigit animi attentionem, cogitationem, ac vigilantiam, ne Italas oras tam dira lues infestet? Puduit, fateor, A. O. quòd tam læva mens mihi fuerit, ut ad ea, quæ de hujus morbi principio, & progressu pluries legeram, ac alios differentes audieram, tam serò adverterim, si enim attentior fuissem,

ſem, paulò paratior huc forſan acceſſiſſem; mihi enim, nec in robuſtiori etiam ætate, licuit eſſe tam beatum, ut quæ mente conciperem, tam citò conformare poſſem, nunc autem multò minùs mihi ſeni jam facto; pro viribus tamen contendam de hujus Febris natura, ac indole notionem aliquam tradere, ut ſi unquam ad fines noſtros (quod omen deſpuo) auſit accedere, nec novus, nec ignotus hoſtis accedat. Hæc ergo purpurata Febris, maligna Miſoptocha, mihi hodierna luce proprium & opportunum erit dicendi Argumentum.

Mirabitur fortè quiſpiam cur purpuratam hanc Febrem novo, & inſolito vocabulo Miſoptocham dixerim, non potiùs acherontiçam furiarum de genere prognatam; aſt is ſciat me appoſitè hac voce uſum fuiſſe, ut illius indolem, ac mores deſignarem, hæc enim Febris in miſeram, & egenam plebem peculiari odio deſæviit, in hanc ferina rabie eſt depaſta. Neque id novum eſt, nec par prodigio habendum; annotavit hoc olim magnus *Hippocrates* accuratiſſimus rerum omnium Obſervator, in Libris enim Epidemiorum mentionem habet de morbo quodam, qui ſolos ſervos, & ancillas malè plecteret, intactis Proceribus, Ingenuiſque omnibus. In iiſdem quoque Libris morboſi affectus memorantur, qui Artifices quoſdam, Fullones dictos, plebejum hominum genus, emaculandis veſtibus addictum, graviter infeſtarent. Mihi quoque olim in *Mutinenſi Agro* obſervare contigit, Ruralem Febrium tertianarum Epidemiam, in qua omnes ferè Ruſtici eodem tempore decumbebant, ſana ac integra Civitate; ſequenti verò anno, alteram Febrium Epidemiam, quæ ſolos Urbanos afflixit, Ruſticana Gente benè valere permiſſa. Memoratu quoque dignum eſt, quod refert *Cardanus* de *Peſte Baſilienſi*, quæ Urbem illam Civibus penè depopulata eſt, *Italos* verò, *Hiſpanos*, & alios quoſcunque nationis exteræ, qui tunc aderant, haud quaquam attigit. Hanc nimirum habent Epidemici Morbi naturam, ut eos, quibus eadem humorum prava diatheſis, quæcunque ſit cauſa, ſive ab aëre, ſive ab aquis, aut alimentis vitiatis ortum habuerint, facili negotio corripiant. Scio equidem in communibus populorum ærumnis, Plebem cujus major, quàm Civium eſt numerus, eam eſſe quæ graviora ſuſtineat pondera, ſcire tamen licet, minutam plebem ob inopiam, peſſimo victu nutriri ſolere, ideòque in locis ubi Peſtis caput exſerat, ob humorum corruptelam, ad luem concipiendam magis idoneam eſſe quàm cæteros. Peſtis ac Fames, ſeu neceſſitas utendi peſſimis cibariis ob inopiam, apud *Græcos* eadem voce appellantur, per ſolam Diphthongum diſtinctæi, λοιμὸς enim Peſtem ſignificat, λιμὸς Famem, ut aliquando Fames ſolius Peſtis fuerit productum.

Non abs re igitur Febrem hanc in Viennæ Suburbiis apud plebejos hoſpitantem, Miſoptocham dixi, quæ nimirum in hiſce infimæ ſortis hominibus, ſuam ingluviem depaſcat, illi tamen fidere non oportet, ut poſtquam hoc cibi genere ſatura fuerit, meliorem eſcam aliquando non appetat. Licet enim humanitatis aliquid habere viſa fuerit, ad Urbis interiora haud quaquam accedere auſa, forſan *Sacram Cæſaream Majeſtatem Caroli VI.* reverita, ab illa tamen cavendum tanquam hoſte vaferrimo, cui proprium eſt per inſidias humanum genus ad internecionem uſque adoriri. Non ſum neſcius, ab initio de hujus Febris geneſi ac indole in Foro Medico fuiſſe diſceptatum, ſed hujuſmodi lites ipſamet citò diremit, purpura enim poſita, nigram veſtem induens, ſat claris indiciis qualis revera ea eſſet ſe prodidit. Quid enim peticulæ è purpureo in atrum colorem permutatæ, quid anthraces, h. e. carbunculi, quid vibices, & liventes maculæ, quid bubones, aliaque characteriſtica ſontici morbi, & necroſeos ſigna indicare poterant, quàm Febrem de peſtilentium genere ab Orco in terras projectam?

Mirum eſt ſanè A. O. ſi Scriptorum monumenta evolvere placeat, mirum eſt inquam, unde fiat, quòd Peſtis quæcunque in primo ſui exortu tot Fautores, & Patronos habeat, & quod magis mirandum, ipſos quoque Me-

dicos, donec pedem fixerit. Infortunium hujuſmodi experta eſt olim *Adriæ Regina Civitas*, quæ, ut refert *Riccobonus* in Gymnaſio Patavino, Anno ſeptuageſimo ſexto ſupra ſexquimilleſimum poſt graves contentiones inter Medicos, num Febris, quæ populariter cum ſtrage non modica vagabatur, peſtilens eſſet, nec ne, acciri juſſit *Capivacium*, & *Mercurialem* Clariſſimos in Patavino Gymnaſio Profeſſores, qui cùm Febrem illam à peſtilentium crimine abſolvere tentaſſent, *Patavium* poſtea redire coacti, ut evidenti periculo ſe ſubducerent. In ea quoque Peſte, quæ anno præcedentis Seculi 29. Ciſpadanam & Tranſpadanam Regionem devaſtavit, *Mediolani* eædem controverſiæ inter Medicos auditæ, Doctiſſimo *Septalio* referente, qui cum apertè profiteretur peſtiferum eſſe morbum, aliis in adverſum ad ravim uſque reclamantibus, hancque ob cauſam cum ingenuus Profeſſor malè audiret, parùm abfuit quin, ut ipſemet refert, à Plebe lapidibus obrueretur. Cùm igitur in hac Peſte, quæ modò Viennam infeſtat, nullus ampliùs ſit diſceptationi locus, hujuſce Miſoptochæ Febris ſimulata pietas, & reverentia erga Viennenſes Cives deſpuenda, ac horrori cane pejus & angue, ut dici ſolet, habenda. Agitur enim de morbo, qui citam mortem adfert, qui nulli remediorum generi auſcultat, qui Urbem premit diuturna ac dira obſidione, Turcica longè pejori, contra quam armis pugnari ſaltem poterat, & à fœderatis Principibus, uti poſtea evenit, auxilium aliquod opperiri; at contra peſtiferum hunc cacodæmonem, non niſi votis ac precibus pugnare licet, non ſecus ac contra Dæmonium illud, quod *Apoſtoli* ejicere non poterant, de quo *Salvator* dixit, eſſe de illorum genere, quæ non ejiciuntur niſi Oratione, & Jejunio.

Sed quid dicendum de hujus Febris peſtiferæ ad algentes Aquilonis flatus, & largum nivium deſcenſum ſubita miteſcentia, ut Viennenſi Civitati ſpes non parva cœperit albeſcere, quòd morbus hic obſidionem deſerere quàm primùm velit. Quid dicam, niſi quòd huic Urbi unico Chriſtiani Orbis propugnaculo, totus Mundus gratulabitur, gaudebitque, ſi audiat Febrem hanc inter nives torpeſcere, ut Phlegethontem, unde prodiit, cogatur repetere. Hic autem peſtilentiæ mos eſſe conſuevit, ut ad Anni tropas, h. e. ad utraque Solſtitia, mutata inſigniter aëris temperie, ipſa quoque mutationem aliquam ſubeat, ſive in melius, ſive in deterius; ut plurimùm tamen faciliùs miteſcit, cùm aër à ſummo æſtu ad frigidum tranſit, ſic *Cayri*, teſte *Proſpero Alpino*, Peſtis in ſummo fervore hominum vitas largè demetit, in primo autem Nili incremento ferociam deponit. Cùm autem in æſtivo Solſtitio jam prægreſſo, Febris hæc ſuæ feritatis in miſeram plebem acmin pertigerit, rationi non incongruum eſt ſpem concipere, quòd in proximo hyemali Solſtitio, ad quod annus jam vergit, vel in malam crucem abeat, vel nivibus obruta omninò diſpereat, eodem planè modo ac Anno 79. exacti Seculi Peſtis altera, quæ *Viennam* afflixit, æſtate potiſſimùm, die prima Novembris memoratur exſtincta, qualis dies etiamnum pro gratiarum actione liberatæ Urbis magna celebritate colitur. Huic præconceptæ ſpei tam proſperi eventus annuant Superi, dentque ut Anno huic, Viennenſi Civitati adeò nefaſto, Annus candidior ſuccedat.

Aſt jam diu à Viennæ Suburbiis peſtifer hic morbus quaquaverſum longè latèque in varias Civitates ſeſe effudit, ut Germaniam totam pervagari velle videatur, huc & illuc avolans tanta pernicitate, ut verè dici poſſit hoc eſſe *malum quo non aliud velocius ullum*, quod ſua mobilitate magis vigeat, *vireſque acquirat eundo*, ut de Fama *Virgilius*. Nec verò terras ſolùm peragrare, & cuncta pro lubitu ſtragibus opplere contentus eſt, jam Balthicum navigare incipit piraticam quoque exercendi cupiditate flagrans, ut maritimi Prædonis congruum ſibi adſciſcat titulum.

Num autem peſtifer hic morbus iis in locis, ac Civitatibus quas occupavit ſub eodem adſpectu, purpuratæ Febris miſeram & egenam plebem exerceat, ut in Viennæ Suburbiis, cùm memoratis ſymptomatibus carbunculorum,

culorum, & bubonum, an diverſo pœnarum genere, tam plebem, quàm Cives in libitinæ cenſum deducat, ignorare me fateor, cùm hac de re nil certi habeatur; hoc unum tamen ſcio, Peſtem belluam eſſe multiformem, ac verſipellem, *cui nomina mille, mille nocendi artes*, ut de Alecto Furiarum peſſima cecinit Poëtarum Princeps. Peſtis enim morbus non eſt particularis, ſed univerſalis, excors, exlex, nullam categoriam agnoſcens, cùm nulla adhuc poſt tot ſeculorum fluxum habeatur vera Peſtis Definitio, multò minùs verum remedium. Peſtis ſiquidem cuilibet morbo, magno, parvo, cujuſcunque generis conſociare ſe pro more habet, ut faciliùs illudat, nam non ſolùm Febribus continuis, ſed etiam interpolatis ſociam ſe jungit; Febrem quoque Ephemeram, quæ apud omnes ſecuriſſima audit, Peſtis ſuo contubernio infamem reddidit. In peſtilentibus conſtitutionibus, obſervantur vagari non rarò particulares morbi, uti anginæ, pleuritides, peripneumoniæ, diarrhœæ, dyſenteriæ, ſed cum manifeſtis virulentiæ notis. In Libris Epidemiorum *Hippocrates* Conſtitutionem quandam refert, in qua, ut ipſe ait, *omnes ſuſtulit alvi profluvium.* Huc ſpectat Monitum illud ejuſdem *Hippocratis*, quo dicere ſolebat, obſervandum, *an ſit quid divinum in morbis.* Quid verò intelligendum ſit per iſtud θεῖον Divini Præceptoris, inter Medicos non ſatis convenit; ſapientiores tamen judicant, per Divinum iſtud, nil aliud intelligi, niſi aliquod abditum, quod humanum ſuperet captum, uti *Fernelius* de Abditis rerum cauſis, ſed præ cæteris punctum forſan tulit Doctiſſimus *Sennertus*, qui divinum iſtud ad Febres Peſtilentes referendum voluit. Peſtis ergo morborum Proteus eſt, ſub variis adſpectibus illudens, modò atra veſte, modò purpurea, modò polymita, ut in Febre Ungarica, apud Scriptores ſatis memorata. In qualibet ergo conſtitutione, in quocunque loco ac Civitate, in quam primò Peſtis pedem intulerit, ſingularitate ſemper aliqua diſtingui ac notari gaudet. *Pragam* cùm primùm, ut ex poſtremis literis accepimus, ingreſſa eſt Peſtis, in *Hebræorum* Septo hoſpitium ſibi delegit, ubi maximam dicitur edidiſſe ſtragem, Miſoptocham naturam nondum forſan oblita; plebs enim recutita, ut plurimùm miſera eſt ac paupertina, cui nimirum *cophinus fœnumque ſupellex*, peſſimo victu nutriri ſolita. Talis autem natio ad luem concipiendam, eamque aliò aſportandam propter emptitias veſtes, præcipuum illius mercimonium, apta eſt, & hanc forſan ob cauſam, ut ex publicis literis accepimus, in variis Germaniæ locis, ac præſertim apud Helvetios, Hebraicæ Genti atteſtationum Sanitatis nullus eſt uſus, ſed huc & illuc vagari omninò interdictum.

At quorſum hæc inquiet aliquis, niſi ad prophylaxim à tam dira lue aliquod proponatur remedium & præcautio. Juſta quidem, ſed rei perdifficilis poſtulatio, ſi in Pharmacopœorum Narthecciis, aut Chymicorum officinis quidquam eſſet, quod cunctis venenis poſſet obſiſtere, hoc verè illud eſſet, quod expetitur remedium; talis eſt enim peſtilentiæ natura ac indoles, ut venenorum omnium ſit compendium, & ut ita dicam extractum, aſt hujuſmodi alexicacon, quod cuncta venena perdomandi vim habeat, mente potiùs fingi, quàm arte conflari poſſe, facilè crediderim. Num Theriaca, quæ cuicunque venenorum generi adverſari creditur, utpote ex tot ſimplicibus medicamentis de Alexiteriorum genere, ut excogitata luxuriæ compoſitio à *Plinio* dicta fuerit, num forſan iſtud quod exquiritur remedium eſſe poſſit, cuique liberum eſto judicium. Ut quod ſentio proferam, illud unicum perplacet, quod vulgò de tribus compoſitum appellatur, h. e. de celeri fuga à loco infecto, de profectione ad longinquas regiones, ac tarda reverſione, quo remedii genere ſapientiores quoque Medici uti conſuevere.

Quoad præcautiones quæ hiſce in caſibus humana ſolertia adhibere ſolet, eas provido conſilio præoccupavit SERENISSIMUS SENATUS VENETUS, ubi enim primùm de populari Febrium malignarum Epidemia, quæ Viennam infeſtaret, rumor

Adriam pervaſit, illicò plurima ſanxit decreta, quibus jubebatur, ut terra, marique ad fines & loca ſuſpecta mitterentur, qui ſolitis cautionibus ad rem tanti momenti invigilarent; item edixit, ut in ſingulis ſuæ Ditionis Civitatibus, & Oppidis Portis adſtarent Cives, & Nobiliores Viri, ne cuiquam ſine datis Sanitatis Vadibus permitteretur ingreſſus; Nec ſatis cautum exiſtimans, non multò poſt cum externis, atque etiam finitimis Civitatibus commercia intercepit, non tanti faciens commoda, & beneficia, quæ ex libero Mercaturæ commercio omnibus Civitatibus proveniunt, quanti publicam populorum ſalutem. Inſtitutæ quoque eodem tempore publicæ preces ad iram Supremi Numinis placandam, non intermiſſa quicquam edictorum fideli, ac plena exſecutione, nam ut vetus fert Adagium, *Dii facientes adjuvant.*

Tanta equidem diligentia ab initio adhibita, tanquam juſto timori impar, apud quoſdam non benè audiebat, dum adhuc ſub Judice lis eſſet, num Febris illa purpurata de Peſtilentium proſapia cenſeri poſſet, ſed poſtea in dies ingraveſcente morbo, ac palàm ſævitiem ſuam prodente, tunc ſat claris indiciis patuit, quanta & qualis eſſet Excelſi Senatus Veneti prudentia, & quàm ſalubria fuerint, quæ à tam altis Mentibus emanarunt decreta. Si enim ulla in re *Plautinum* illud monitum, *qui cavet ne decipiatur, vix cavet dum etiam cavet*, verum deprehenditur, maxime quidem in ſola etiam Peſtis ſuſpicione.

Grande igitur & ſingulare eſt illorum beneficium, quibus datum eſt, ſub hoc Sereniſſimo Cœlo Natales ſortiri, ac vivere; hic enim felix ævum tranſigitur, hic placidos ſomnos captare licet, dum tot Excellentiſſimi Senatores, imò tanquam Patriæ Indigetes ad publicam felicitatem pervigilant. Jam ſatis fuimus experti, quàm facilè, & quàm exiguo labore in tanto ac tam longo per totam Italiam armorum fremitu, Subditis ſuis pacem, & imperturbatam quietem, ſibique Auctoritatem integram ſervarit SERENISSIMUS SENATUS, armatus tamen, dum interim tota penè Italia gemeret convulſa, exteris militiis commeatus, ſtipendia, & quidquid ad magnos Exercitus alendos eſt neceſſarium, ſuppeditare coacta. Quòd ſi aliquibus locis Sereniſſimæ Ditionis ex tranſitu tot Copiarum incommodum aliquod ac damnum obvenit, illud etiam quoquomodo penſavit magna vis auri à militibus in ſui alimoniam, & in reficiendo commeatu diffuſi. En modò quanta attentione, quanta animorum ſollicitudine, noviſque in dies meditationibus idem Senatus connititur, ne per eos, quos natura oppoſuit Montes aura ulla peſtifera à locis infeſtis per aliquam ſecretam viam regiones has perflet, & inficiat.

Laborabat olim rubigali morbo, *Diogene Laërtio* referente, *Agrigentinus Ager*, adeò ut fruges omnes media æſtate à ventis quibuſdam peſtiferis, è ſeptentrionali plaga, afflatæ peſſum irent, cui malo quomodo poſſet obſiſti prorſus ignorabatur; quis enim modum norit contra ventos pugnandi? Aſt *Empedocles* Civium ſuorum malam ſortem miseratus, quibus annonam pro victu ſuffurabantur venti, acri quo pollebat ingenio facilè reperit remedium, juſſit enim ad Colles, & Montium vertices per quos flabant venti, utres, & animalium coria tanquam propugnacula admoveri, quo remedii genere, licet vili & abjecto, ventorum ferociam compeſcuit ac eluſit, unde poſtea à proſpero rei eventu Philoſophus ille à ſuis Civibus Καλυτανέμα eſt dictus, h.e. ventorum frænator, ac domitor. Modò, memorando ſanè exemplo, ad Alpes Rhætias, quæ Germaniam ab Italia diſterminant, generoſa ſua Pectora oppoſuit Veneta Nobilitas, ut malum hoc quod nobis ab Aquilone imminet, arceat, ac repellat. Tam inſignibus, ac piis Conatibus pro publica ſoſpitate ſuſceptis ſolus ille, qui omnibus unicus eſt, & idem Soter benignus adſpiret.

BER-

BERNARDINI RAMAZZINI,

Practicæ Medicinæ Professoris Primarii,

ANNOTATIONES IN LIBRUM LUDOVICI CORNELII DE VITÆ SOBRIÆ COMMODIS,

SERENISSIMO PRINCIPI

CLEMENTI JOANNI FEDERICO ESTENSI

DICATÆ.

SERENISSIME PRINCEPS,

EOs Scriptores rectè sapere, qui postquam Opus aliquod accuratè, quantum licet, elaborarint, Patronum quærunt cujus tutelæ Ingenii sui fœtum commendent, persuasum quidem semper habui, SERENISSIME PRINCEPS, sed nescio quomodo mihi obtigit eos imitari, qui ubi alicujus Operis Ideam mente conceperint, palam faciunt quid sit illud de quo scribere, & cui inscriptum velint, quibus postea non rarò evenit, ut multa intercurrant, quæ Operis absolutionem longum in tempus remorentur, sicque minus gratum reddatur diù exspectatum Opus. Etenim cum tribus ab hinc annis Mutinam veniissem ut SERENISSIMO PRINCIPI FRATRI Tuo Librum meum, De Principum Valetudine Tuenda *offerrem, idque TE præsente egerim, puduit me non parum incogitantiæ meæ, quòd non antea Opus aliquod conscripsissem, TIBI quoque offerendum, sic enim Vobis SERENISSIMIS FRATRIBUS, suo cuique literario munere, eodem tempore litare potuissem. Ut autem pudori meo velum aliquod prætenderem, CELSITUDINI TUÆ pollicitus sum facturum me quod parum cautè omiseram; Patavium itaque reversus cogitare cœpi quomodo fidem quam oppigneraram liberare possem, sed veteribus malis novis accedentibus, mihi à quacunque literaria occupatione feriari necesse fuit, & ad luctandum cum ea, quæ mihi incubuit, malorum cohorte, animum intendere. Exegi tandem reluctante licet adversa valetudine, quod ab initio fueram meditatus, Annotationes nempe in Librum Ludovici Cornelii* De Vitæ Sobriæ Commodis; *hoc igitur est quod CELSITUDINI TUÆ sisto, & voveo PRINCEPS SERENISSIME, Argumentum selegi Nobilibus Viris valdè salubre, sed Principibus, quibus omnia commoda ad vitam in deliciis traducendam suppetunt, perneccessarium. Non solùm in Obsequii argumentum, sed etiam ad utilitatem Tuam hosce labores meos TIBI inscribere mihi mens fuit, si legere non gravaberis. Nullus autem dubito, quin sicut SERENISSIMUS*

MUS PRINCEPS FRATER TUUS Librum, quem obtuli perbenignè excepit, eadem quoque benignitate Donarium istud meum sis excepturus, cujus rei certam spem facit Comitas Tua, quam præsens sum admiratus, & suspiciunt omnes cum in publicum procedis, à Generosa Tua Indole magna & egregia facta exspectantes, cum ætas justa adoleverit, sive TE ad arma tractanda, sive ad sacram militiam destinarint Sydera; ad cuncta enim munia quæ Generosum Principem deceant, prius à Natura factus, quàm institutus videris. Vale diù ac plurimùm Spes altera ATESTINI GENERIS.

SERENISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

Humillimus, Addictissimus, & Observantissimus Servus, & Cultor

BERNARDINUS RAMAZZINI.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

QUamvis mei moris non fuerit ex aliorum Operibus ansam capere Libros conscribendi, aut Scriptorum Opera Commentariis illustrandi, cum omnia quæ hactenus edidi tanquam propria ex paupere meo penu hauserim, memor nempe illius quod Epistola 33. scripsit Seneca ad Lucilium suum, nimirum *turpe esse Seni, aut prospicienti Senectutem ex commentario sapere*, hujusmodi Scriptores semper Interpretes, nunquam Auctores vocitans, lubuit tamen experiri quale sit hoc scribendi genus: Opus itaque quod olim Ludovicus Cornelius de Vitæ Sobriæ Commodis edidit Commentariis, & Annotationibus adornandum mihi selegi. Librum hunc Auctor Nobilissimus Patavii edidit Anno 1558. Typis Gratiosi Perchacini, quem postea Petrus Maria Frambotti Patavinus Typographus suis Typis recudit anno 1699. adjecta ejusdem Scriptoris Epistola ad Reverendissimum Barbarum Aquilejæ Patriarcham, & Adhortatione ad Vitam Sobriam. Ut autem publicæ utilitati, & commodo operam meam impenderem, omnia ist hæc Italico sermone edita latina reddere constitui, ad id agendum suadente D. Sprecher Nobili Theutone, qui Patavii ad aliquot Menses commoratus est, ac me certum fecit gratum id Opus futurum universæ Germanicæ Nationi, si latinè loqueretur. Equidem inficiari non possum, quin huic humanissimæ Nationi multum debeam, penes quam Scripta mea humaniter, nec sine laude accepta fuere, ac omnia ferè recusa, ut Liber meus de Morbis Artificum in Linguam etiam Germanicam translatus fuerit, sic etiam Opus meum de Principum Valetudine Tuenda, in Actis Lipsiensibus honorificè vidi laudatum, cui Lipsiæ recuso Nobilissimus Vir D. Michael Etmullerus, copiosum Indicem, & Præfationem adjecit. Omnia itaque hactenus Italico Idiomate edita latina feceram, pro re certa habens id à nemine fuisse tentatum, cum maximam diligentiam antea hac in re impendissem. Sed fortè à Doctissimo Viro rescivi Opus istud de Vitæ Sobriæ Commodis à Reverendo Patre Lessio S. J. Theologo celeberrimo, in latinum sermonem translatum fuisse, quod in fine Operis Theologiæ Moralis positum est, summa cum voluptate perlegi. Huic Doctissimo Viro injurius credi posse, mihi visus fuissem, si illius versioni meam præferre voluissem, præterea

terea aliam quoque ob causam opportunè ad notitiam meam hoc deveniſſe pro non vulgari beneficio habui, nam ſi translationem meam adhibuiſſem, procul dubio carptor aliquis ſemiplagiarium me vocitaſſet, ſuggillando ex hoc Reverendo Patre me potiores dicendi formulas excerpſiſſe. Contentus itaque eſſe volui, ut ſolum hunc Tractatum commentariis, ſeu annotationibus phyſicis, philologicis, prout tulit occaſio adornarem, cui negotio tempus vacationum à publicis Lectionibus hujus anni ſucciſivis horis impendi. Tu Lector benigne hiſce meis laboribus ad publicam utilitatem, & Vitæ Sobriæ commendationem fruere, & Vale.

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P.F. Ambroſio Liſotti Inquiſitore di Padoa nel Libro intitolato: *Annotationes in Librum Ludovici Cornelii de Vitæ Sobriæ Commodis Bernardini Ramazzini &c.* non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à Gio: Battiſta Conzatti Stampatore in Padova, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in Materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 8. Septembre 1713.

(Girolamo Venier Kav. Proc. Reff.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Reff.

Agoſtino Gadaldini Segret.

LUDOVICI CORNELII
VENETI
TRACTATUS
DE
VITÆ SOBRIÆ COMMODIS.

CErtum eſt uſum in hominibus ſucceſſu temporis verti in naturam, ita ut illos quodammodò cogat ad ea uſurpanda, quibus conſueverunt, ſive bona ea ſint, ſive mala. Pari modo in multis rebus videmus uſum conſuetum habere plus virium quàm rationem. Neque id negari poteſt. Imò crebrò cernimus, eum qui probus eſt, conſuetudine improbi ex probo fieri improbum. Et ſicut bona conſuetudo facilè convertitur in pravam, ita è contrario prava ſubinde reducitur ad bonam. Nam is qui ex probo, conſuetudine pravi factus eſt pravus, is conſuetudine

viri probi rursus redit ad probitatem pristinam. Et hoc totum procedit ex vi usus, & consuetudinis, quæ revera est magna.

Quæ cùm mecum ipse perpenderem, animadverti ex vi usus in nostram Italiam non ita pridem, imò ævo meo, tres malos mores invectos. Primus est adulatio, & aulicæ ceremoniæ. Secundus, vivere juxta sensum, & doctrinam Lutheranam: quæ ratio vivendi ab aliquibus immeritò defenditur consuetudine. Tertius crapula. Hæc tria vitia, vel potiùs crudelia vitæ humanæ monstra, nostris temporibus sustulerunt è vita civili sinceritatem, ab animo religionem, & à corpore sanitatem. Quamobrem statui tractare de ultimo, & ostendere esse abusum; ut si fieri possit tollatur. Quòd ad opinionem Lutheranam, & adulationem attinet, brevi præclarum aliquod ingenium laborem sumet, ea refutandi, sicque spero ante mortem me visurum hos tres abusus exstinctos, & nostram Italiam antiquis, & sanctis moribus suis restitutam.

ANNOTATIONES.

Non immeritò sanè Consuetudo altera natura passim audit, magna enim & admiranda est illius potestas, afficit quippe non solùm corpus, sed etiam animum. Satis notum illud Hippocratis de Cibis deterioribus, sed consuetis, qui minùs lædant quàm meliores; stomachi enim fermentum, cùm magna ex parte fiat ex reliquiis assumptorum, promptiùs dissolvit consuetos cibos, uti videmus in Mulieribus, & Virginibus præcipuè, pica & malacia laborantibus, quibus interdum indulgendum est, ut calcem & carbones modicè comedant, ne deliquiis capiantur; sic consueti ad labores, licèt ex natura sua imbecilliores, minùs patiuntur, quàm fortiores, consuescunt enim spiritus animales facilè confluere ad musculos, & partes magis exercitas, uti videmus in Citharœdis. Ratione quoque consuetudinis homines boni fiunt mali, & mali boni. Nemo repentè malus, *ajebat Satyricus, sic etiam nemo repente bonus, facilius tamen boni fiunt mali, quàm mali fiant boni, ex vitio corruptæ naturæ nostræ ad malum proclivis; exemplum habemus in iis, qui religiosum aliquem cœtum fuerint ingressi, nam licèt ad annum ferè integrum, obedientiæ, vitæ sobrietati assueverint, si fortè institutum illud profiteri nolint, & ad secularem vitam redeant, ubi semel vestem exuerint, quamprimùm pristinos mores induunt. Neque solùm homines afficit consuetudo, sed etiam bruta, & plantas ipsas; nostris enim temporibus modus inventus est, quo Plantæ nobis obsequi, & fructus præcoces edere cogantur, veluti in Pyris, quæ antea in arbores proceras crescere solebant, pumiliones factæ quàm citissimè cultoribus poma reddant, imò porrigant; eleganter propterea Virgilius dixit se assiduitate culturæ, coëgisse* ut quamvis avido parerent arva colono. *Tantùm pollet omnibus in rebus consuetudo. Galenus in comment. Aphor. 50. primæ sectionis mentionem habet sui Libri de Consuetudinibus, sed hic Liber est inter ea quæ desiderantur. Legendus Gaspar A Reies qu. 93. Camp. Elys. qui rara exempla de vi consuetudinis refert. Rectè igitur Nobilissimus Scriptor à vi consuetudinis Opus suum exorsus est ad Vitam sobriam inchoandam & assequendam.*

Ut ego veniam ad id, de quo statui tractare. Dico crapulam esse rem perniciosam, quia vitam sobriam exstinxit, & plurimùm sibi subjecit. Et quamvis omnes norint crapulam procedere è vitio gulæ, & vitam sobriam à virtute temperantiæ, nihilominùs crapula habetur res liberalis & honorabilis, vita sobria res sordida, & contemptu digna. Hoc totum procedit ex vi consuetudinis, quam sensus & appetitus sensualis introduxerunt, qui ita inescarunt, & inebriarunt homines, ut relicta bona via, se converterint ad sectandam pravam, quæ illos latenter conducit ad peregrinas, & lethiferas infirmitates, & præmaturam senectutem, cùm priusquam quadragesimum ætatis annum attingant, penè sint decrepiti. Oppositum, vita sobria, priusquam esset hinc abacta, præstabat, conservando homines in prospera valetudine, etiam anno ætatis octuagesimo.

O miseram, & infelicem Italiam! non advertis crapulam quotannis tibi plures eripe-

re perſonas, quàm poſſet è medio tollere, vel tempus graviſſimæ peſtis, vel multi armorum conflictus? Quid dicam de tuis conviviis verè inhoneſtis, quæ jam paſſim in uſu, quæ adeò ſunt grandia, & intolerabilia, ut menſæ ſatis capaces fieri nequeant, propter infinitam ciborum multitudinem, qui imponuntur; ita ut opus ſit lances alias aliis in cumulum imponere? Quis poſſet vivere in tantis exceſſibus, & vitæ humanæ infeſtis venenis? Per amorem Dei ponatur in iſtis modus, quia certus ſum Majeſtati Divinæ ea maximè diſplicere. Abigatur iſta nova Mors, illa noſtris majoribus inaudita peſtis, ne tanta damna animis corporibuſque inferat. Sic ut publica auctoritate fiunt proviſiones annonæ ſalubris, ita & in uſu moderatio præſcribatur, quæ valetudini civium ſit conſentanea. Nec deſunt crapulæ exterminandæ etiam privata remedia, quibus quilibet apud ſe uti poterit; nimirum ſi vivat ſecundum naturæ ſimplicitatem, quæ paucis eſt contenta, teneatque medium ſanctæ temperantiæ ex rationis præſcripto, & aſſueſcat non comedere ampliùs, quàm vitæ neceſſitas poſtulet, certò ſibi perſuadens, illud ampliùs infirmitatem eſſe, & mortem. Cogitet voluptatem palati momentaneam, ſed noxam quam infert corpori, & moleſtiam diuturnam, eamque tandem ipſum corpus unà cum anima perimere. Vidi ego multos ex meis amicis præſtantiſſimi ingenii, & nobilis naturæ, florenti ætate abreptos iſta peſte intemperantiæ, qui ſi viverent, eſſent & Mundo ornamento, & multis mortalibus ſolatio. Itaque ut tantis damnis occurram inpoſterum, ſtatui hoc brevi diſcurſu patefacere, intemperantiam eſſe abuſum, qui facilè poſſit tolli, vita ſobria in ejus locum introducta. Quod eò libentiùs faciam, quòd multi juvenes ingenio præſtantes me ad hoc obſtrinxerunt.

ANNOTATIONES.

Crapula vitium quod ſemper damnabitur, & ſemper retinebitur, non abs re peſti ſimilis, imò verè ipſa peſtilentia truculentior ab Operis Auctore dicitur, utpote quæ latius vagetur, & magnam hominum partem ad interitum deducat. Quod verò magis dolendum non in vulgares homines, ſed in Nobiles Viros diritatem ſuam exercet voluptuoſa hæc peſtis; neque enim in ruſticanæ gentis mapalia, neque artificum tabernas, ſed in magnificas Ædes Regumque Turres pedem immittit. Crapula populariter quidem magna intemperantia in victu, tam in eſculentis, quàm potulentis rebus audit, propriè tamen accipitur pro ebrietate ex vino, ut patet ex Aphoriſmo 5. 5. ſect. ubi Hippocrates ſcripſit quòd, qui repentè Ebrii obmuteſcunt convulſi moriantur niſi febre corripiantur, aut ubi ad horam deveniant, qua ſolvuntur crapulæ, vocem recuperant, qua de re legendus Galenus in commento; hinc Medici medicamenta acræpala excogitarunt, quæ ut ex Joanne Gorræo in Definitionibus Medicis, ea ſunt quæ ebrietatem fieri vetant, vel jam factam diſcutiant, & alio nomine amethyſta appellantur; inter amethyſta, quæ ebrietatem arceant, vel jam factam diſcutiant, laudatus Gorræus recenſet abſinthii potum ante cibum, item mirti flores, myrrhæ, & rutæ, tritorum ex aqua, poſt Epulas verò braſſicam, lactucam, ſicuti etiam floris amethyſti herbæ odor, corona è croco, vel ex ramulis ajugæ, & multa, quæ vapores excutiunt ac diſſipant, hoc idem præſtare gemmam amethyſtum, & temulentiæ adverſari ajunt. Curioſum eſt quod refert Plutarchus Quæſtionum Convivalium Lib. p. c. 6. de Medico quodam qui apud Druſum Tiberii Cæſaris filium omnes laceſſebat poculis, ac ne tentaretur crapula, quinas vel ſenas amygdalas amaras præſumebat, verum detectus, cum prohiberetur, & obſervaretur, ne tantulum quidem vino reſiſtebat. Etmul. in Schrod. & Morellum de compoſ. medic. p. 313. pillulas aleophanginas commendat ad præſervandum ab ebrietate ubi neceſſe eſt, ut benè potemus, *ut ipſe ait, quod forſan præſtabunt ob inſignem amarorem, quem habent; non malè autem doctiſſimus Scriptor poſt laudatas pillulas ſubdidit, ubi neceſſe eſt ut benè potemus, cum enim quis ad ſympoſium invitatus acceſſerit, ſympoſii legibus ſe adſtringit, ac illi neceſſe eſt liberalius, quàm ut ſolet potare, animum exhilarando; ſobrietas*

enim in conviviis ſemper ſuſpecta eſſe conſuevit; cum enim Liberi Patris ſacra celebrantibus mos ſit quæ operta ſunt recludere, & liberè loqui, qui circumſpectè potant, nec mero ſe proluunt, cæteris odio eſſe ſolent; hinc Adagium illud manavit, Odi memorem compotorem, *& dictum illud, aut bibat, aut abeat. Sic eleganter Martialis jocatus eſt in quendam nomine Procillum, hic enim cum apud Poëtam cœnaſſet, & ambo ad bibendum ſe invitaſſent, Martialis eum vocavit poſtridiè ad cœnam, Procillus invitationis memor, Martialis domum die ſequenti cœnaturus adiit, aſt ille jocando, vulgari dicto* Odi memorem compotorem *Procillum incœnatum dimiſit.*

Heſterna tibi nocte dixeramus
Quincunces puto poſt decem peractos:
Cœnares hodie Procille mecum.
Tu factam tibi rem ſtatim putaſti,
Et non ſobria verba ſubnotaſti.
Exemplo nimium periculoſo

Μισῶ μνάμονα συμπότην Πρόκιλλε.

Num verò Medicamenta, quæ acræpala vocant, id præſtent quod pollicentur, mihi compertum non eſt; id unum tamen ſcio, quòd etiamſi ab ebrietate præſervandi, ſeu illam diſcutiendi vim habeant, ſemper tamen noxia futura, ut quæ prohibeant, ne vinum epotum mala quæ intulit diſcutiat, nam ut dici ſolet, vinum eas quas facit diſpoſitiones ſanat.

Cùm enim viderint parentes ſuos ætate florenti exſtinctos, & me in ætate 81. annorum adeò ſanum, & valentem, inceſſit illis deſiderium eodem perveniendi, meque rogarunt, ut modum, quem ea in re tenui, aperirem. Itaque ut illorum honeſto deſiderio faciam ſatis, & ſimul alios multos, qui hoc expendere volent, juvem, declarabo cauſas, quæ me compulerunt intemperantiam deſerere, & vitam ſobriam capeſſere, narrando modum, quem ea in re ſecutus ſum, & quodnam bonus iſte uſus, in me ſit operatus. Hinc clarè cognoſcetur, quàm facilè ſit vitium intemperantiæ ſuperare. Adjungam in fine, quantos fructus ex vita ſobria capiamus.

ANNOTATIONES.

Rectè quidem ac ſapienter Senectutem vitæ meliorem partem appellat, cùm in ea ætate homines corporeis illecebris minus infeſti, prudentiam cæteraſque virtutes exercere valeant. Seneca Epiſtolæ 59. ait dubitari poſſe, an ſenectus fæx vitæ ſit, an liquidiſſimum, & puriſſimum quiddam, ego autem problema iſtud ſic ſolvi poſſe crediderim, fæcem vitæ ſenectam in iis, qui Baccho, & Veneri indulſerint aliiſque deliciis, purum autem & ſincerum eſſe quiddam, in iis qui in juventute, & virili ætate frugaliſſimi vixerint. Philoſophus quidam centeſimum annum agens dolebat, quòd tunc temporis mori deberet, poſtquam didiciſſet quomodo eſſet vivendum. Corporis atque animi vires eodem tempore vigere non poſſunt; non enim efflorescit virtus animi, niſi vis corporis defloreſcat, *ajebat Plato, ac Heracliti dictum erat, Lux ſicca anima ſapientiſſima. Senes etenim mole corporea minus preſſi aptiores ſunt ad ſublimiora contemplanda, hinc manavit illud, facta juvenum, conſilia ſenum. Sic Agamemnon dicere ſolebat, quòd ſi decem homines Neſtori ſimiles habuiſſet, ſe brevi Troja potitum fuiſſe. Non deſunt exempla Scriptorum, qui in ultimo ſenio egregia ſcripta ediderint, uti Sophocles, qui Oedipum ſuum recitando Theatri plauſum promeruit, & filiorum calumniam diluit; ſic Cicero jam ſenex Librum de Senectute edidit. M. Varro quoque de Re Ruſtica ſcripſit 80. annum ages. Octavius Ferrarius olim in Patavino Lyceo Eloquentia Profeſſor jam ſeptuagenarius Opera varia conſcripſit; atque elegantiſſimam Orationem de Bono Senectutis habuit. Rectè igitur Nobiliſſimus Scriptor noſter Senectutem potiorem fructum humanæ vitæ dixit; homo enim cupiditatibus ſolutus, atque expertus quantum ſit in rebus inane, cæterorum, inter tempeſtates & procellas luctantium calamitates, tanquam in portu reſpicit. Talem verò ſenectam, quæ prægreſſis ætatibus cum vitæ ſobrietate exactis ſucceſſerit, verum & potiorem vitæ humanæ fructum eſſe, rationes quoque Medicæ palam faciunt; etenim in hujuſmodi ætate ſanguinis*

guinis & aliorum fluidorum in Orbem motus placidus eſt & compoſitus, ubi in Juventute turbulentus eſt, & inæqualis, bilis ferocia ab humore melancholico, qui in hac ætate prævalet compeſcitur, unde eſt quòd melancholici dicantur ingenioſi, totius enim corporis temperamentum ad ſiccitatem vergit, ſicque anima rationalis, ab humorum mole minus preſſa, ad operationes ſuas obeundas promptior eſt.

Dico ergo, infirmitates, quæ non ſolùm initia in me dederant, ſed etiam magnos progreſſus fecerant, cauſam mihi præbuiſſe relinquendæ intemperantiæ, cui multum eram addictus. Per hanc enim, & pravitatem mei temperamenti (cùm ſtomachus mihi eſſet frigidiſſimus, & humidiſſimus) incideram in varios morbos, nempè in dolorem ſtomachi, & ſæpè lateris, initiaque podagræ, cum una febricula ferè continua, & ſiti perpetua. Ex hac peſſima diſpoſitione non aliud mihi reſtabat exſpectandum, quàm ut poſt multas vitæ moleſtias, ac dolores finem acciperem per mortem: cùm tamen vita mea tantùm per naturam adhuc abeſſet à termino, quantùm per intemperantiam, ei erat propinqua. Cùm igitur hiſce modis affectus eſſem, ab anno trigeſimo quinto uſque ad quadrageſimum ætatis meæ, adhibitis, & tentatis omnibus remediis abſque fructu, dixerunt Medici, unam adhuc meis malis ſupereſſe medicinam, ſi velim ea conſtanter uti, & patienter continuare, nempe vitam ſobriam, & ordinatam, hanc habere maximam vim ad ſanitatem recuperandam, & conſervandam, ſicut ei contraria maximam vim habet, ad eam labefactandam, & exſtinguendam; ut ego jam experientia didiceram. Illa enim homines pravæ complexionis, & ætate decrepitos conſervat ſanos, hæc etiam ætate florentes, & perfectiſſimæ complexionis proſternit, & longiſſimo tempore in morbis detinet. Quod etiam ipſa ratio convincit. Nam contrariæ cauſæ, contrarias habent operationes & effectus: vitia naturæ ſæpè arte emendari, terraſque ſteriles & malignas mangonio agriculturæ reddi fertiles, & fructiferas. Addebant niſi tali remedio tunc uterer, intra paucos menſes me eò redactum iri, ut ampliùs juvari nequeam, & poſtea intra paucos alios moriturum. Auditis his rationibus, cùm abhorrerem à morte adeò præmatura; & premerer aſſiduè morborum doloribus, perſuaſus fui, ex temperantia, & intemperantia neceſſariò ſupradictos contrarios effectus naſci debere, & ſpe bona vitandæ mortis, & emergendi è doloribus animatus, ſtatui me dedere vitæ ordinatæ.

Itaque accepto ab illis modo, quem deberem tenere, intellexi me non poſſe comedere, aut bibere niſi è cibis, & vino, quæ vocantur infirmorum, idque in modica quantitate. Idem mihi antea mandarant, ſed ego tunc temporis, cùm modo meo vivere vellem, & tales cibos faſtidirem, non acquieſcebam, ſed veſcebar cibis palato gratis, & cùm ſentirem internos ardores, bibebam vina guſtui amica, idque magna copia, nec tamen ea de re quidquam Medicis dicebam, ut paſſim moris eſt infirmorum. Sed poſtquam ſtatui ſectari temperantiam, & rationis ductum, & viderem non eſſe rem difficilem, ſed proprium, & debitum hominis officium, ita me addixi huic vivendi rationi, ut nunquam à recto tramite deflecterem. Quod cùm facerem, paucos intra dies cœpi cognoſcere, tali modo me plurimùm juvari, cùmque continuando, intra ſpatium temporis minùs anno (& ſi videri queat alicui incredibile) fui ab omnibus meis infirmitatibus prorſus immunis, & liber.

ANNOTATIONES.

Ingenua ſanè confeſſione, ut ſolent magni Viri, Nobiliſſimus Scriptor errores ſuos, & difficultatem exponit, in deliberatione tranſitus à vita lauta, & opipara ad frugalem, & ſobriam, non ſecus ac olim D. Auguſtinus, in Libro ſuarum Confeſſionum animi anxietatem quam paſſus eſt, ab erroribus mentis quibus involutum ſe agnoſcebat, ad veram Religionem tranſeundo. Medicorum itaque conſiliis, qui Cornelio ſuadebant nullam aliam ſpem à morte evadendi ſupereſſe, niſi totum ſobrietati, ac continentiæ ſe de-

deret, auſcultans, paucorum dierum ſpatio expertus eſt, quanta vis eſſet in victus moderamine, ut unius anni decurſu, ſe cum ſanitate in gratiam rediiſſe cognoverit; ubi enim antea ſtomachi imbecillitate, renum paſſione, lenta febre, & Podagra laboraret, integer, ſanus factus eſt. Quid poſſit in arthriticis fluxionibus parcitas ciborum, & à vino abſtinentia multa apud Scriptores proſtant exempla; unum ſufficiat referre quod legitur apud Gaſp. A Reies in Campo Elyſio jucundarum Quæſtionum quæſt. 88. *& Drexellium in Gymnaſio patientiæ; exemplum eſt Franciſci Pechii Viri illuſtris qui* 19. *annorum ſpatio ſolo pane & aquæ potu ab arthritide à qua malè plectebatur liberatus eſt. Miſeranda quidem, ſed curioſa, & ſcitu digna eſt hujuſmodi hiſtoria, quæ apud laudatos Auctores fusè deſcribitur. Vir iſte nobilis Italus quinquagenarius, dum iter ageret, à Marchione quodam, cui magno odio erat, per inſidias captus eſt, & in carcerem fœdum & putidum detruſus eſt, cuſtodia & cura ſervo commiſſa, ea lege, ut ſingulis diebus, nil aliud captivo ſuppeditaret, quàm fruſtulum panis, & aquæ pauxillum, in hunc finem, ut non moreretur, ſed ſolùm, ut ſe quotidie mori perſentiret, hoc victu in eo carcere detentus eſt, uſque ad* 19. *annos, quo tempore Arce illa à Gallis capta, repertus eſt Vir ille in eo carcere incluſus, promiſſa barba ad pectus, laceris veſtibus, ut larvæ potiùs, quàm hominis ſpeciem referret; eductus itaque tanquam à ſepulchro & libertati eſt reſtitutus, ſed ſanus & à podagra omninò immunis, ad patriam rediit, ubi omnibus qui illum noverant magnæ admirationi fuit, dum illum ſpectarent gladio accinctum, ab arthritide integrum & ſanum, cùm antea vix baculo poſſet incedere. Tam grande beneficium à victus ſobrietate, licet coacta, retulit Franciſcus Pechius. Rationibus ergo, & exemplis ſatis patet quanta commendatione digna ſit vita ſobria, quare mirari ſubeſt, quomodo Spero Speronius Auctori noſtro Epiſtolam ſcripſerit, in qua variis argumentis, ingenioſis tamen, vitam hanc ſobriam improbare contendit.*

Sanus effectus cœpi conſiderare vim temperantiæ, & ita mecum reputare: ſi temperantia tantas habuit vires, ut tanta mea mala profligaret, & ſanitatem adduceret; multò magis vim habebit, ut mihi ſanitatem conſervet, & pravam meam complexionem juvet, & debilem ſtomachum corroboret. Quapropter diligentiſſimè cœpi inveſtigare, qui cibi propoſito meo congruerent, qui adverſarentur, & ſtatui experiri, ſi illi qui guſtui placeant, mihi commodum, an noxam adferrent; & an proverbium illud quo homines gulæ dediti, ſe tueri ſolent, *Quod ſapit, nutrit, & juvat*, ſit veritati conſentaneum. Hoc cùm facerem, deprehendi eſſe falſum: nam vina fortia, & frigidiſſima optimè mihi ſapiebant; ſimiliter Melones, & alii fructus, lactuca cruda, piſces, caro porcina, tortullæ, legumina, cibi ex paſta farinæ, & ſimiles; tamen ex his omnibus nocumentum ſentiebam. Itaque experientia fretus, ciborum illa genera, & vina fortia, & potionem frigidam reliqui, aſſumpto vino, quod ſtomacho meo eſſet commodum eaque menſura, quæ facilè poſſet concoqui, idem feci in cibis quod ad qualitatem, & quantitatem attinet; ſimul ita aſſueſcens, ut nunquam appetitu cibi potuſve ſatur à menſa diſcederem, ſed poſſem ampliùs comedere & bibere, ſecutus ea in re dictum commune, *ſe non ſatiare cibis, ſtudium eſſe ſanitatis.*

Hac ratione, ſubmotâ intemperantiâ, me addixi vitæ ſobriæ, & regulatæ, quæ primò in me operata eſt id quod dixi, nimirum, ut intervallo minore quàm unius anni liberatus fuerim omnibus malis, quæ tanto tempore me obſederant, & reddita erant quaſi incurabilia, deinde ut impoſterum non ampliùs quotannis in morbum inciderem, ſicut antea ſolitus eram, cùm ſenſibus, & appetitui obſecundarem. Ab eo itaque tempore liberatus fui, & faniſſimus effectus, idque mihi in hanc horam continuavit, eò quòd à ſuſcepta ſobriæ vitæ ratione nunquam diſceſſerim, quæ ſua vi admirabili efficit, ut cibus & potus congrua menſura aſſumptus, vim ſuam corpori relinquat, & ſuperflua ſine difficultate exeant, nullo pravo humore in corpore generato.

Cum

Cum hac diæta, ab aliis quibuſdam nocumentis mihi cavi, nimirum à nimio calore, frigore, fatigatione, vigiliis, & ab exceſſu in opere venereo; itemque ab habitatione noxii aëris, à ventis, & ſolis ardore. Etſi enim in menſura cibi & potus, ratio valetudinis potiſſimùm conſiſtat; tamen illa quoque quæ jam commemorata, ſuam vim habent.

ANNOTATIONES.

Aſſertioni Scriptoris noſtri, qua dictum illud ſatis vulgatum, quod ſapit, nutrit, *falſum eſſe pronunciat, non tam facilè aſſentiri poſſum, ſiquidem etiamſi aliquando id quod guſtui pergratum eſt, ſtomacho noxium deprehendatur, & pro alimonia potiùs pravos humores ſuggerat, id probabilùs acceptum referri poſſe crediderim intemperantiæ, dum perdifficile eſt, ut in re ſuavi, & jucunda, temperantiæ modus ſervetur, neque ſolùm in ciborum genere, ſed multis aliis in rebus voluptuoſis, ut in aphrodiſiaco negotio, quod ſi* rarum ſit, corpus excitat, ſi frequens diſſolvit, *ut ait Celſus, non fruſtra equidem linguæ, & palato tam exquiſitum ſenſum natura indidit, ut mediante guſtu non ſolùm homines, ſed bruta quoque dignoſcerent quæ ſalutaria, quæ noxia. Plantarum virtutes proprias, guſtu, & odore dignoſci poſſe, paſſim tradidit Galenus in Libris de Simpl. Med. facultatibus. Curioſum eſt quod obſervatur in Bobus, Equis, aliiſque animalibus, nam ſi illorum ori offeratur herbæ faſciculus, in quo aliqua ſit planta ipſis ingrata, ſolo odoratu eam cognoſcunt, atque averſantur. Sic paſſim videmus, quòd ſi naribus graveolentia offerantur, ſeu quid amarum, aut acre guſtetur, illicò ſtomachus noxam ſentit, & averſionem demonſtrat, inverſis fibris ad nauſeam uſque; hæc tamen intelligenda velim de corporibus ſanis; in ægris enim res jucundæ & ſuaviores in faſtidio ſunt, & deteriora appetuntur, depravatis nempe fermentis partium, & ventriculi, modus itaque ſervandus in iis, quæ guſtui blandiuntur; non ibo tamen inficias, quin quædam ſint, quæ ſenſus guſtum pelliciant, & parùm vel nihil nutriant, ac interdum graviter lædant, qualia ſunt fungi, venenum voluptuoſum, ut illos vocat Plinius, quæ integras interdum familias, & tota convivia funeſtarint, ut plurimùm tamen in humanis corporibus, quæ palato ſapiunt lubenter excipit ſtomachus, & ex iis beneficium, atque ſolamen experitur, ut exempli gratia per æſtatem acida, quæ avidè appetuntur, acidum ventriculi, ex bilis prædominio depreſſum exaltant, per hyemem dulcia aromatica, vina meraca idem fermentum multo acore ſaturatum contemperant, & ad dulcedinem quandam deducunt.*

Non ſolùm autem iis qui ſanitati, & longævitati ſtudent, neceſſariam eſſe à ciborum quantitate, & qualitate temperantiam, ſed à multis aliis cavendum eſſe, veluti à nimio exercitio, ab inſalubrium locorum habitatione, à ventis, & inſolatu, à quibus cavere homini libero non admodum difficile eſſe ſcribit Auctor noſter. Multùm autem refert in quo loco quis vitæ majorem partem traducat; Bœotia olim male audiebat, Croton verè benè, unde manavit Adagium Crotone ſalubrior; *ubi enim aër purus eſt, homines longævi ſunt, aër ſiquidem non ſolùm in cute, ſed intus noſtra viſcera perluſtrat, quare Hippocrates in Libro de Flatibus aërem* auctorem, & dominum *appellabat eorum quæ in noſtris corporibus accidunt. Exercitium contrarias habet vires, modicum implet, immodicum extenuat, quod idem de frictione ſcripſit Celſus. Ventus nihil aliud eſt, quàm aërei oceani tempeſtas, unde fieri nequit, quin tota humoralis maſſa ſuſque deque agitetur; inſolatio verò æſtivo tempore præſertim capiti, ac univerſo corpori valdè noxia eſt. Obſervatione dignum quod ſcripſit Hippocrates*, Æſtate lentè ambulandum, præter quàm ad Solem, *in promptu autem eſt ratio, quia moto ac diverberato aëre, ſolares ſagittæ minus feriunt.*

Servavi me quoque quantùm potui immunem ab odio, & melancholia, aliiſque animi perturbationibus, quæ magnam in corpora noſtra vim obtinent. Non tamen ita potui me ab omnibus iſtis ſervare liberum, quin ſubinde in quædam incideiem, ſed ea res mihi ad hoc adminiculo fuit, ut cognoſcerem per experientiam, illa non magnam vim

vim habere, nec magna posse damna inferre in corpora, quæ moderatione cibi, & potus benè sunt disposita, ita ut verè possim dicere, eos, qui in duobus istis, quæ per os intrant, congruam mensuram servaverint, ab aliis excessibus parum nocumenti passuros. Confirmat id *Galenus*, cùm ait, omnes alios excessus v. g. solis ardorem, frigora, ventos, labores, parùm ei nocuisse, eò quòd in duobus illis, quæ per os intrant, nimirum in cibo, & potu debitam moderationem servaret, ac proinde ab illis incommodis nunquam ægrotasse, nisi per unum diem. Id ita se habere, per experientiam cognovi, sicut testari possunt multi qui me noverunt. Sæpè enim passus frigora, calores, & alia hujusmodi corporis incommoda, sæpè animi non modicas vexationes: sed parùm hæc mihi nocuerunt, cùm tamen aliis, qui temperatè non vivebant, nocuerint plurimùm. Cùm enim frater meus, & alii quidam de mea familia viderent, motam mihi à viris potentibus litem maximi momenti, & metuerent ne causa caderem, correpti sunt humore melancholico, qui in corporibus vitæ inordinatæ solet abundare, qui malignitate contracta, ita increvit, ut eis mortem præmaturam attulerit. Ego verò cui res maximè cordi esse debebat, nihil passus sum incommodi, eò quòd talis humor, in me non esset superfluus, quin imò ut mihi ipse animum adderem, conabar credere, divina providentia hanc litem mihi excitatam, ut cognoscerem, quantam vim sobria vita in corporibus animisque nostris habeat, ac tandem me fore victorem, sicut paulò post evenit. Nam in fine victoriam retuli magno meo honore, & fructu rei familiaris. Unde percepi maximum gaudium, quod tamen corpori nocumentum inferre non potuit. Ex quibus perspicuum est, neque melancholiam, neque alium animi affectum nocere posse corporibus vitæ temperatæ.

ANNOTATIONES.

Quid possint in humanis corporibus animi pathemata, qualia sunt amor, odium, timor, ira, spes, improvisum gaudium, & alia hujuscemodi, vel ex hoc intelligi potest, quòd in vultu hominum se prodant, & proprios in promptu habeant colores, qua de re legendus Chambreus in Libro de Passionum characteribus. Exstant apud Scriptores in hanc rem memorandæ historiæ eorum, qui ex nimio iræ impetu, timore, improviso gaudio, repentina morte obiere. Inter Philosophos veteres inventi sunt, qui apathiam sibi procurarent, veluti Stoici, atque animum ita firmare solebant, ut nihil quæ ex fortuitis casibus eveniunt, illorum pacem interturbare possent, unde Anacharsis, cùm in mortario tunderetur, tunsori suo dixit, corpus, non animum tundis. *Epicurei, qui voluptatum cupidissimi, indolentiæ studebant, quotiescumque dolore aliquo afficerentur, ut refert Cicero de Finibus Bonorum, hoc unicum habebant solamen, dicendo,* dolor si magnus, brevis, si longus, levis. *Non immeritò damnabat Seneca Democritum omnia irridentem, & Eraclitum, humanas miserias deflentem:* alienis malis torqueri æterna miseria est, aliorum mala ridere, inhumanitas est, *utraque igitur extrema evitanda, mediocritas autem laudanda, neque solùm in aliis, sed in se ipso quoque, ubi quis infortunio aliquo, vel animo, vel corpore afficitur; rectè propterea idem Seneca de Consolatione ad Polybium protulit,* nam & mala sua non sentire, non est hominis, & non ferre non est Viri. *Moderamen igitur habendum in animi passionibus regendis, ne sanitati officiant, seu quàm minimè lædant; rectè propterea scribit Auctor noster, iis qui sobriam vitam agant, non tam graves noxas inferre animi pathemata, uti in iis qui inter delicias & mensas opiparas vitam traducunt, uti in se ipso expertus est laudatus Scriptor noster, licèt non levem vexationem ob lites familiæ suæ intentatas passus fuisset, eidem fato non succubuit, ac illius Frater, qui animi mœrore confectus interiit, quale beneficium soli vitæ sobrietati acceptum refert.*

Ampliùs dico etiam contusiones & lapsus, qui aliis periculum mortis adferre solent & gravissimè afficere, non posse nisi modicum nocumentum, & modicum dolorem talibus corporibus adferre. Hoc ita esse, experientia proba-

probavi, cùm eſſem ſeptuagenarius. Cùm enim rheda celeriter procederem, accidit eam everti, & ſic everſam per aliquod ſpatium impetu equorum raptari. Hinc graviter mihi læſum caput & corpus univerſum, & inſuper alterum brachium, & altera tibia ſuis juncturis divulſa. Domum relatus, cùm à Medicis viderer adeò malè mulctatus, concluſerunt me intra triduum eſſe moriturum. Nihilo minùs poſſe in omnem eventum adhiberi duo remedia; ſectionem venæ, & medicamentum evacuans; ut humorum affluxus, & inflammatio, & febris (quæ certiſſimè mox putabatur ſecutura) impediatur. Ego contra, cùm ſcirem vitam meam ordinatam tot annis continuatam, humores corporis mei ita temperaſſe, & diſpenſaſſe, ut non poſſent multùm conturbari, aut confluxum gravem efficere, recuſavi utrumque remedium & ſolùm juſſi ut tibiam & brachium ſuis juncturis reſtituerent, & ſingulas partes congruis oleis ungerent: ſicque abſque alio remedio convalui, nullo alio incommodo, nulla alteratione affectus quæ Medicis inſtar miraculi viſa. Unde concludo, eos qui vitam temperatam colunt, parùm mali ab aliis incommodis ſenſuros.

ANNOTATIONES.

Egregium porrò documentum ad Medicam Praxim ſuggerit caſus, quem Scriptor noſter ſibi accidiſſe refert, dum enim curru veheretur, raptis in fugam Equis, & curru revoluto, annum agens 70. graves capitis percuſſiones, & luxationem in brachio, & uno crurum paſſus eſt, quam ob cauſam phlebotomiam à Medicis imperatam, ſibi noluit adminiſtrari, ac perfectè convaluit. Hac in re non leviter interdum à Medicis peccatur, nam in vulneribus, in caſu ab alto, luxationibus, oſſium fracturis, indiſcriminatim venam ſecari jubent, ita ut piaculum videatur, ſi tale remedium ommiſſum fuerit; ſiquidem ſi tempeſtivè luxatum os fuerit repoſitum, & convenientes ligaturæ factæ fuerint, & Patiens ſanus ſit, ac ad temperantiæ leges degere ſolitus, à prudenti Medico omitti poteſt venæ ſectio; Rectè propterea ſibi conſuluit Nobilis Scriptor rejecta ſanguinis miſſione, qui jam ſatis norat in ſuo corpore non adeſſe nec plethoriam, neque cacochymiam, ob prægreſſam vitæ ſobrietatem, quæ in hujuſmodi caſibus utramque paginam abſolvit. Multùm autem refert, num qui ab aliquo externo caſu læditur, uti ex vulnere, caſu ab alto, articulorum luxationibus & hujuſmodi accidentibus ſit perfectè ſanus, ſive pravis humoribus ſcateat, ſit enim perſæpe, ut ex parvo vulnere, quis moriatur, alius ex magno convaleſcat, quod non niſi referendum ad malum apparatum latentem in primo caſu, & in ſecundo ad bonam humorum conſtitutionem. Aureus locus eſt Hippocratis in 5. Epidemiorum. Pulchra Nerei filia, à muliercula amica ludente, lata manu percuſſa eſt in ſinciput, & tunc quidem vertigine capta eſt, & ſine ſpiritu erat, & cùm domum veniſſet, ſtatim febris ardens corripiebat, & caput dolebat, & rubor circa faciem erat, nona mortua eſt; *legendus Valleſius in commento. De iis, qui ex levi vulnere ſeu contuſione moriuntur, Hippocrates hac ſcripſit verba in Libro de Cap. Vuln.* His mors non contingit ſecundum juſtitiam, etiam ſi contingat, *hoc eſt, non ratione vulneris, ſed pravi apparatus pereunt, neque tanquam homicidæ culpandi ſunt qui tale vulnus inflixerint, conſulendus hac in re Paulus Zachias in quæſt. Medico-Legal.*

Sed & hoc quoque per experientiam cognovi, ordinatæ vitæ regulam diu obſervatam, non ſine graviſſimo incommodo violari. Quatuor jam anni ſunt (accidit enim cùm ſeptuagintaocto eſſem annorum) cùm Medicorum conſilio, & meorum importunitate aſſidua inductus ſum, ut aliquid menſuræ conſuetæ adjicerem. Varias rationes adferebant: ſenilem ætatem non poſſe tam modico cibo & potu ſuſtentari; neque ſolùm dandam operam, ut natura utcumque ſuſtentetur, ſed etiam robur & vigorem habeat, idque niſi per cibum, & potum fieri poſſe. Ego contra, naturam paucis eſſe contentam, me tot annis modica illa menſura ſanum perſeveraſſe: hanc conſuetudinem mihi verſam in naturam: rationi conſonum eſſe, ut creſcentibus

annis, & viribus ſenſim decreſcentibus, cibi potuſque menſura minuatur potiùs, quàm augeatur; ut patiens ſit proportionatum agenti: ſtomachi vim ſenſim fieri imbecilliorem. Huc pertinere duo proverbia apud Italos uſitata. Alterum *Qui multùm vult comedere, comedat parum:* nimirum quia parùm comedendo protrahit vitam. Alterum, plus juvat cibus, qui ſupereſt comedenti, quàm qui ab illo comeſtus. Ubi inſinuatur nocumentum immoderati cibi aſſumpti majus eſſe, quàm ſit commodum ex moderato. Verùm hæc omnia, illis aſſiduè urgentibus, me tueri non potuerunt.

ANNOTATIONES.

Exactam victus rationem in ſtatu morboſo religiosè obſervandam, ego quidem exiſtimo, ac præſertim in acutis, ut ex paucarum unciarum adjectione, vel detractione, ingentia mala ſuſcipi poſſint; in ſtatu quoque neutro, cùm quis eſt inter morbum & ſanitatem, veluti in æquilibrio, facilè eſt ut ex liberiori victu, ſublato æquilibrio, decidat in morbum. In ſtatu ſanitatis, tam rigidas leges ſervandas, durum, & aſperum videtur, nec ad Reipublicæ bonum ſatis conveniens; detur hoc iis, qui ſenium attigerint, jam emeritis, & rude donatis, poſtquam ad publicum bonum vitam meliorem excegerint, at juvenes, & Viros præſertim Nobiles, commoda ſanitate gaudentes, tam arctis vivendi legibus adſtringere velle, æquum non eſt. Quomodo enim quis militiæ operam dare poterit, ſeu in legationibus longa itinera capeſſere, quomodo in Patria variis fungi muneribus, quomodò Medicus quotidianæ ægrorum viſitationi addictus, quomodo Juris Peritus, qui profeſſionem cui ſe addixit exſecratur, ad galli cantum, conſultor ubi oſtia pulſat, *tam ordinatè, & ad libellam cibos captare poterunt, ut vires reficiant; rectè igitur monuit Celſus*, Qui ſanus & ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe debet obligare legibus, *largiamur itaque è morbo evaleſcentibus, eoque magis iis, qui ex acuto morbo decumbunt, hujuſmodi cautionibus exhibendum cibum, ac tempeſtivè in pondere, numero, & menſura, ut dici ſolet, non ita verò in ſanis corporibus. Elegans hiſtoria exſtat in hanc rem notatu digna, 3. in primo Epid.* Filia Philonis intempeſtivè cœnavit, mortua eſt. *Notatu dignum eſt, quod in curatione vulnerum obſervant chirurgi, qui cùm accedunt ad vulneris curationem, ex largiori copia puris manantis ex vulnere, facilè divinant, vulneratum à præſcripta victus ratione aberaſſe.*

Itaque ne viderer obſtinatior, & ut amicis gratificarer, ceſſi tandem, & permiſi menſuram cibi augeri, ſed duabus dumtaxat unciis. Cùm enim antea menſura cibi diurni totius, nimirum panis, vitelli ovi, carnis & ferculi, eſſet unciarum duodecim exactè penſata, auxi adjectis duabus unciis ad quatuordecim; menſuram potus, quæ unciarum erat quatuordecim auxi ad ſexdecim, duabus ſimiliter unciis adjectis. Hoc augmentum poſt decem dies, ita in me cœpit operari, ut ex læto & alacri factus ſim melancholicus, & cholericus; adeò ut omnia mihi eſſent moleſta, nec ſcirem quid dicerem, aut facerem. Duodecimo die invaſit me dolor lateris, qui 22. horas duravit, deinde ſupervenit febris graviſſima, quæ 35. dies & totidem noctes continuavit: etſi poſt quintum decimum diem ſemper minor evaſerit. Accedebat, quòd interea temporis, non poſſem capere ſomnum, vel ad unius horæ quadrantem, unde omnes judicabant me morituram. Nihilominus (Dei gratia) me curavi ſola regula illa vivendi, etſi jam eſſem annorum 78. & hyems eſſet, auraque frigidiſſima, & corpus extrema macie confectum. Mihique certum eſt, nihil aliud, poſt Deum, me à morte liberaſſe, quàm exactam illam vitæ regulam tot annis à me continuatam, quo tempore univerſo nihil mali ſenſi, niſi ſubinde aliquam indiſpoſitionem unius aut alterius diei. Tot enim annorum temperantia, conſumptis pravis humoribus, non permiſerat alios malignos ſubnaſci, neque probos corrumpi, aut malignam qualitatem contrahere, ſicut in ſenum corporibus, qui abſque hujuſmodi regula vivunt, evenire ſolet. Nulla in humoribus corporis mei ſenilis malignitas,

lignitas, quæ mortales occidere solet. Nova autem illa ex nova inordinatione, de qua dixi, introducta, vim non habuit (etsi malum esset gravissimum) ad me occidendum.

Ex his clarè perspici potest, quanta sit vis recti ordinis, & inordinationis, temperantiæ inquam & intemperantiæ: quarum illa tot annos me sanum præstitit, hæc etsi exiguus fuerit excessus, paucis diebus ita prostravit. Si mundus ordine constat, si vita nostra corporalis pendet ab harmonia & proportione humorum, ac elementorum, mirum non est, si ordine certa regula debeat conservari, & inordinatione lædi, ac destrui. Ordo disciplinas reddit faciliores, exercitum efficit victorem; regna, civitates, & familias in pace retinet, & confirmat. Unde concludo, vitam ordinatam esse certissimam rationem, & fundamentum vitæ sanæ, & longævæ, ac veram, & solam medicinam morborum plurimorum. Neque id quispiam negare potest, qui rem attentiùs inspexerit. Hinc Medicus cùm infirmum visitat, hanc ei primam medicinam præscribit, ut certa mensura cibum potumque sumat, eandem commendat jam curato, si sanitatem retinere desiderat. Neque dubitandum est, quin à morbis imposterum liber foret, si talem vitæ rationem teneret: quia omnes illas morborum causas resecaret, & ita nec Medicis, nec medicamentis ei opus foret.

ANNOTATIONES.

Rectè quidem ratiocinatur laudatissimus Scriptor, quòd sicuti ordine, & justo victus regimine relicto, sanitas pessum it, ita eodem restituto, salus pristina recuperetur, ut per eandem viam sit retrocedendum, unde quis aberrarat. Temperamentum nostri corporis nil aliud esse, quàm humorum, licet variæ naturæ consonantiam & moderationem, satis liquet, imò animam hominis nil aliud esse, quàm harmoniam veluti quandam, opinio fuit Galeni. Sanitatem concordiam esse animæ cum corpore scripsit Plato, ita ut inter hæc duo adsit proportio quædam, nam si animus nimis excellens sit & vivax in corpore tenui, illud concutiat, & languoribus impleat, si verò corporis vires animum superent, illum obruant, ac torpentem reddant. De admiranda, & harmonica proportione partium humani corporis, ut etiam in iis partibus, quæ pudenda dicuntur, atque ideò velantur, non minus sit decoris, quàm utiliatis, multa scitu digna habentur apud Lactantium Firmianum, Cassiodorum. Quidnam autem erat illud, quod tantopere admirabantur Sculptores in statua illa Polycleti, quæ Canon, & Regula vocata est, quàm partium humani corporis harmonia quædam, & commensuratio? Longè verò majorem esse pulchritudinem partium internarum, scripsit Divus Augustinus de Civitate Dei Libro 22. Si numeri, quibus coaptatio, quæ harmonia græcè dicitur, noti esse possent, in interioribus quoque visceribus, quæ nullum ostentant decus, ita delectaret pulchritudo rationis, ut omni formæ apparenti, quæ oculis placet, ipsius mentis, quæ oculis utitur, præferretur arbitrio; *pulchritudinis autem tum externarum, tum internarum partium conservatrix unica est nunquam satis laudanda sobrietas.*

Imò si animum ad ea quæ oportet, attendere velit, se ipse Medicum efficiet, & quidem perfectissimum. Nam revera homo non potest esse aliis perfectus Medicus, sed tantùm sibi soli. Cujus rei hæc est ratio: Quivis enim diversis experientiis potest cognoscere naturæ suæ conditionem, suasque occultas proprietates: qualis cibus, & potus, & quæ mensura naturæ congruat. Hæc tamen non ita possunt cognosci in aliis: quia opus longa experientia, & observatione exactissima, quam circa alios non facilè habere possumus; præsertim cùm major sit diversitas temperamentorum, quàm vultuum. Quis credat, vinum vetus nocere meo stomacho, & novum juvare? me pipere minus incalescere, quàm cinnamomo? Quis Medicorum has duas occultas proprietates mihi indicare potuisset, si ego longa experientia vix tandem, eas deprehendere potui? Itaque alter alteri non potest esse perfectus Medicus. Unde cùm homo non habeat meliorem se ipso

Medicum, nec melius medicamentum, quàm ſobriam vitam, perſpicuum eſt hanc omninò amplectendam.

ANNOTATIONES.

Nullum adhuc repertum fuiſſe Medicum perfectum, nec ſpem eſſe, quod poſthac reperiri poſſit, licet aſſerere. Hippocrates ipſe in Ep. ad Demo. ingenuè ſcripſit, ſe licet ſenem Medicinæ finem non attigiſſe. Galenus in 3. Methodi hujus rei cauſam attigit, quæ alia non eſt, quàm quòd impoſſibile ſit poſſe Medicum, cujuſque hominis naturam, & proprietates habere perſpectas; ego enim ſi cujuſque privati naturam explorare ad unguem ſcirem, utique qualem fuiſſe Æſculapium mente concipio, talem me eſſe putarem. *Quotus enim quiſque eſt, qui licet peritus, & præſertim ex iis, quos Poliatros vocant, continuæ Praxi addictos, qui poſſit ægri cujuſque, interdum etiam antea non viſi, naturam, & proprietates habere cognitas? Rectè propterea Celſus in Præ. ajebat utiliorem eſſe Medicum familiarem, quàm extraneum. Ex hac naturarum diverſitate non malè infert Operis Auctor, neminem perfectiorem eſſe Medicum aliorum, quàm ſui ipſius, ut qui longa experientia, & uſu rerum cognoverit quid ſibi proſit, quid noceat. Sic Tiberius Nero Tacito referente 6. Annalium eludere ſolebat Medicorum artes, & eos, qui poſt 30. annum non internoſcebant corpori ſuo utilia. Memorat porrò particularem quandam in ſeipſo idioſyncraſiam, nempè quòd vinum vetus exacto anno ſibi valdè noxium eſſet, & recens perutile. Victus itaque ratio ritè inſtituta, tum in ſtatu ægro, tum ſano utramque paginam abſolvet, Curatricis, & Præſervatricis Medicinæ vices ſubeundo; neque alio remedio, quàm exactiſſima vivendi norma uſum fuiſſe crediderim Aſclepiadem Pruſienſem ad corporis firmitudinem adeòintegram uſque ad extremum ſenium ſervandam,* ſponſione facta cum fortuna, ne Medicus crederetur, ſi unquam invalidus ullo modo fuiſſet ipſe, *ut ait Plinius Libro 7. Cap. 37.; qui, ut idem Plinius Libro 36., totam veterem Medicinam turbavit, rejectis Medicamentis, nova inſtituta curandi ratione per cibi abſtinentiam, alias vini, fricationes corporis, ambulationes, geſtationes, & alia hujuſcemodi. Haud aliter Antiochus Medicus, uti apud Galenum 5. De San. Tuen. ſobrietatis amantiſſimus longævitatem obtinuit, cum autem eſſet decrepitus, ad lampadem vitalem ſuſtentandam, quæ continuam exigebat pabuli ſuffectionem, ter in die cibum capiebat, hora tertia, vel quarta panem ſumebat cum melle attico cocto, hora ſexta, vel ſeptima* lotus, mediocriter prandebat, primùm iis ſumptis, quæ alvum dejiciunt, poſthæc maximè piſcibus, vel quos ſaxatiles vocant, vel qui in alto mari degunt, rurſus in cœna à piſcium eſu ſuſtinuit, ſed boni ſucci aliquid, ac quod non facilè putreſceret capiebat. *Cur autem contra veterum morem, liberalius prandaret, quàm cœnaret Medicus ille, non apparet ratio, niſi fortè ea ſit, quam adfert Io: Langius Epiſt. Med. Libro primo Epiſ. 55. in qua poſtquam variis argumentis oſtendit noſtris etiam temporibus, largiorem eſſe debere cœnam, quàm prandium, hiſtoriam hanc Antiochi Medici memorans, ait ſenectutem, & præſertim decrepitam tanquam morboſum ſtatum conſiderandam, ideòque contrario modo tractandam, quàm in ſtatu firmæ valetudinis.*

Non tamen negaverim quin Medici ſint neceſſarii, & magni pendendi, ad cognoſcendos, & curandos morbos in quos ſæpè incurrunt, qui vitam ordinatam non ſectantur. Si enim amicus, qui te viſitat in morbo & ſolùm verbis ſolatur, & compatitur, rem tibi gratam præſtat, quantò tibi carior debet eſſe Medicus, qui inſtar amici te inviſit ut juvet, remedia adhibet, & ſalutem tibi promittit? Verùm ut quis ſanum ſe conſervet, ſentio deberi amplecti loco Medici vitam regulatam, quæ ut experientia conſtat, eſt medicina naturalis & nobis propria, quia etiam maligni temperamenti corpora conſervat ſana, & efficit, ut ad longum ævum etiam centum annorum & ampliùs vitam proferant, & tandem abſq; doloribus, & humorum perturbatione vitam finiant, ac per puram humoris radicalis conſumptionem, inſtar lampadis exſtinguantur. Multi putarunt id poſſe fieri

auro

auropotabili, & lapide philoſophico (quem elixir vocant) à multis quæſito, à paucis invento, ſed fruſtra ſunt, ſi vita temperata abſit.

ANNOTATIONES.

Seneca in Epiſtola 78. *ad Lucillium ſuum, gravem deſtillationem, qua laborabat, ad ſummam maciem deductus, memorans, magno ſolamini amicos ſibi fuiſſe refert.* Multùm mihi contulerunt ad bonam valetudinem amici, quorum adhortationibus, ac variis ſermonibus allevabar, quidquid enim animum erexit, etiam corpori prodeſt. *Ad ſanitatem verò obtinendam, valdè conferet ſi Medicus decumbentis ſit amicus, & familiaris, nam ex eodem Seneca* 4. *Contr.* Nihil magis ægris prodeſt, quàm curari ab eo, à quo volunt, confidentia enim ægrorum plures ſanat, quàm remedia. *Hac ſorte tamen non fruuntur, niſi qui ſui ſunt juris, qui pro lubitu poſſunt ſibi Medicum deligere. Hinc apud Religioſos cœtus, & præſertim apud Moniales, quæ uni, vel alteri Medico ſunt addictæ, perſæpè audiuntur querimoniæ, quòd ſibi non liceat, pro genio Medicum habere curantem. Profectò nihil ægro eſt perniciòſius, quàm ſi Medicus illi ſit parùm gratus, interdum etiam odioſus. Cùm ergo tam variæ ſint hominum temperaturæ, ac affectus, Medici ſagacis, ac induſtrii erit, ſi ad genium, & mores ægrotantis ſe componat, ut ægri affectum lucretur. Medicorum non pauci hoc pacto verſutia magis, quàm peritia, non modicam auctoritatem, & fortunam ſibi conciliarunt. Doctiſſimus Gaſpar A Reyes in ſuis Quæſtionibus, hanc habet ſatis curioſam, & elegantem:* Quare Medici indocti, & rudes empirici, & pſeudomedici, non rarò vulgo magis placeant, quàm docti, & ſapientes.

Verùm homines ſenſuales, & intemperantes (quales plerique ſunt, volentes ſuos appetitus ſatiare, & gulæ indulgere) etſi videant ab intemperantia ſe malè ſubinde tractari, nihilominus vitam ſobriam refugiunt, quia inquiunt, *melius eſt obſequi appetitui, & decem annos minùs vivere, quàm naturam ſuam aſſiduè frænare*, ſed non conſiderant, quanti momenti ſint homini decem anni vitæ, & ſanæ vitæ in ætate matura, qua maximè perficitur & viget prudentia, & ſapientia, & omne virtutum genus, quæ niſi in illa ætate perfectæ eſſe nequeunt. Et ut de cæteris taceam, nonne omnes penè eruditiſſimi libri quos habemus, à ſuis Auctoribus ætate matura, & illo decennio, quod illi præ gulæ ſuæ voluptate nihili æſtimant, conſcripti ſunt?

Præterea dicunt iſti ſenſuum ſervi, vitam ordinatam rem eſſe adeò difficilem, ut ſervari nequeat. Ad hoc reſpondeo, *Galenum* illam ſervaſſe, & loco optimæ medicinæ habuiſſe: *Platonem* quoque & *Iſocratem*, & *Ciceronem*, alioſque plurimos veterum, & noſtræ ætate *Paulum Tertium*, & *Cardinalem Bembum*, qui idcircò tamdiu vixerunt, & è noſtris Ducibus Laudum, & Donatum, alioſque plurimos inferioris conditionis, non ſolùm in Urbe, ſed etiam in vicis, ac pagis. Itaque cùm multi olim illam tenuerint, & modò adhuc teneant, non eſt res, quæ non à quolibet præſtari queat: præſertim cùm hic non ſit opus multis, aut exquiſitis rebus, ſed tantùm ut quis incipiat, & ſenſim adſueſcat.

Nec obſtat quòd *Plato* dicat, eos qui in Republica verſantur, non poſſe vitam ordinatam tenere, quia ſæpè opus eſt calores & frigora, & ventos, & imbres, & nives ac varios labores perpeti, quæ non conveniunt vitæ ordinatæ. Reſpondeo enim hujuſmodi incommoda, non eſſe magni momenti (ut ſupra oſtenſum eſt) ſi vitam ſobriam agas in cibo & potu, quod facilè eſt iis, qui in Republica verſantur, & maximè conveniens, tum ut à morbis, qui functiones publicas impediunt, ſe præſtent immunes, tum ut mente in omnibus, quæ occurrunt, negotiis magis vigeant.

ANNOTATIONES.

Nemo ferè eſt, quodcunque vitæ genus elegerit, qui ſenectam animo non præſumat, eamque

facilem, vegetam, operosam, qualem Hesiodum habuisse ferunt, non exoptet, at perpauci sunt, qui viam, qua ad hujusmodi senectam sit eundum, velint capessere, idcircò in qualibet Civitate, non pauci spectantur senes, sed quales describit Juvenalis Satyra decima; at perpauci sunt, qui forti & valida senecta ad publicum bonum apta perfruantur; Plato propterea senes à Reipublicæ administratione removendos volebat, quia ut plurimùm morbosi sint. Qui merent in Castris ob varium vitæ genus, aliquando lautum, sæpius tamen inter famis ac sitis tolerantiam traductum, perrarò facilem senectam assequuntur, sic pariter qui in agris exercentur, & qui in Urbibus, mechanicis artibus, & laboribus sunt addicti. Forsan soli, qui Palladis studiis se devoverint sortem hanc assequi possunt, si justum vitæ regimen servare velint, ut tale senium possideant, in quo ad publicam utilitatem Opera edant, doctiora, ingeniosiora ex quibus vitam posthumam adipiscantur. Hippocrates jam senex opus conscripsit Aphorismorum, seu potiùs Oraculorum, Galeni quoque Opera senilia, clariora sunt, Vallesius Filippi secundi Hispaniarum Regis Archiater, in extremo senio Librum composuit de Sacra Philosophia, Sanctorius noster aureum Opusculum de Medicina statica longævus conflavit, Harvejus Angliæ Democritus, ad senectam vergens, divinum illud Opusculum de motu sanguinis concinnavit, atque edidit, & annum habens septuagesimum tertium Libellum de generatione animalium conscripsit. In aliis quoque facultatibus idem evenisse erudito cuique satis constat. Secus autem evenit iis, qui cœco quodam impetu rapti Opera juvenilia edere voluerint, perrarò enim fit, ut eos in maturiori ætate non pœniteat, ac tristes animi morsus sentiant, ubi interdum suos juveniles ausus revisunt, aut illorum subit recordatio, sic olim de suis Carminibus Ovidius:

Cum relego scripsisse pudet, quia plurima cerno,
Me quoque qui scripsi judice, digna lini.

Vitæ igitur sobriæ suo tempore ac loco susceptæ, fructus jucundissimus est senecta, sed præcipuè illa, quæ viridis, & cruda appellatur, quam sortem non exspectent literati homines mensarum frugalium osores, qui enim inter musarum sacra, ac simul inter Bacchi, & Veneris delicias, juventam, & virilitatem traduxerit, postea vetus vietus, senex veternosus, colore mustelino, uti Comicus in Eunucho, in præmortuo corpore, mortem potius, quam vitam producet.

Objiciunt aliqui, qui vitam agit regulatam, comedendo semper infirmorum cibos, & exigua quantitate, quid faciet in morbis? qualem diætam capesset, cùm eam anticiparit sanus?

Respondeo primò: natura, quæ hominem nititur conservare quantùm potest, nos docet quomodo in morbis debeamus nos gubernare, nam subitò tollit appetitum, ut non comedat nisi parùm, ipsa enim parvo est contenta. Unde infirmus sive antea vitam regulatam tenuerit, sive non, cùm infirmus est, non debet vesci nisi cibis morbo congruentibus, idque multò minore mensura, quàm cùm esset sanus. Si enim priorem mensuram servare vellet, naturam, quæ jam morbo gravata est ac debilitata, opprimeret.

Secundò respondeo & meliùs, eum qui vitam sobriam sectatur, non posse in morbum incidere, imò rarò, & exiguo tempore se sentiet indispositum, quia ratio illa vivendi substulit mali causam. Causâ sublatâ, tollitur quoque effectus, nempe morbus

ANNOTATIONES.

Nostris quoque temporibus non desunt qui frugalem, ac temperatam vitam degant, & facilem longævitatem obtineant, cujus veritatis testes sunt, quidam Religiosi Cœtus, in quibus homines eodem sacco obducti nudipedes incedunt, & super stramenta angustis in cellis, vel furente Sirio somnum captant, ex iis non paucos visere est, septuagenarios, octogenarios, fortes, & robustos, qui non nisi jejuniis frequentibus ac parcitati victus, licet non semper laubabilis, felicem senectutem acceptam referunt. Perdoctè autem Operis Auctor difficultatibus occurrit, quas in scenam adducunt, qui sobriam vitam ca-

ne pejus, & angue odio habent, corruit enim illorum

lorum ratio dum ajunt, iis, qui tam arctis temperantiæ legibus se addixerint, ubi ægrotant, ob virium languorem medicamenta administrari non posse, ideoque magis periclitari, nam ut rectè ait Scriptor noster, vel non tam sæpè ægrotant, vel non tam gravibus morbis plectuntur, in illorum enim corporibus, neque plethorica, neque cachectica diathesis exsistit, ut morbi in iis non reperiant, in quo malitiam suam exerceant, addam ego illorum fortunæ adscribendum, quòd ob fractas vires usurpari remedia non possint: Hippocrates in primo Aphorismorum, scripsit, senes febribus non adeò acutis corripi ut juvenes, cum frigidum sit illorum corpus, neque inflammationibus adeò obnoxium. Rariùs itaque, & minus graviter à morbis afficiuntur, qui sobrietatis leges servant, quàm qui Autonomiæ student, quibus nempe extra naturæ lineam longè abducta est humorum temperies; quòd si aliquando à causis externis, uti ab aëre, cujus usus est indispensabilis, in quibusdam constitutionibus Epidemicis, & ipsi læduntur, non adeò graviter tamen afficiuntur, ut qui lautè, & opiparè vivunt, in quorum corporibus morbi epidemici reperiunt, unde feritatem suam exerceant, quod idem quoque in pestilentia evenit, quæ pinguiores victimas sibi mactari exoptat.

Senes pestilentiam minimè sentire *scripsit Plinius Libro 7. H. N. Cap. 50. quod non aliam ob causam fieri putarim, quàm quòd corpora senum ficca sint, nec externis impressionibus tam obvia, uti juvenilia corpora, quæ laxiora sunt; rationem etiam affert Julius Cæsar Zarottus de Medica Martialis interpretatione, putat enim pestilentiam morbum calidissimum esse, ideoque senum corpora minus afficere. Exstat apud Martialem Libro tertio Epigramma facetissimum in mulierem quandam nomine Vetustinam, quæ licet vetula, & rugosa catulliebat, gestiebatque ut nuberet, dum itaque in illam variis scommatibus jocatur, hosce habet versus:*

Cùm bruma Mensem sit tibi per Augustum,
Regelare nec te pestilentia possit,
Audes ducentas nupturire post mortes.

Variis rationibus contendit Interpres, quas hic referre non vacat, ostendere pestilentiam morbum esse calidissimum, ideoque ex mente Martialis ipsam pestilentiam ineptam esse, ut fœminam illam ob senilem ætatem perfrigidam, posset calefacere; ingeniosè quidem Interpres, sed cui non tam facilem assensum largiri quis possit, pestem morbum calidum esse, cùm sæpissimè paucam febrem habeat adjunctam, ut Medicis etiam imponat, sed pestem senes minùs corripere, seu minùs afficere, eò quòd senilia corpora squallida sint, & ficca. Id ipsum quoque in pestilentiis, quæ animalia interdum corripiunt observare est. Vidimus annis elapsis in gravi epidemia, quæ Bovino generi bellum ad internecionem usque indixit, in tota continenti Serenissimi Veneti Dominii, (quod morbi genus hoc anno quoque magno populorum damno, per totam ferè Italiam acriter serpit, ac potissimùm in Agro Romano) vidimus inquam Boves pinguiores, & magis torosos à morbo pestifero promptiùs corripi, quàm Boves vetulos, & strigosos, uti in Dissertatione, quam in Patavino Lyceo habui, & publici juris feci, inter cætera phænomena adnotavi.

Quare cùm vita ordinata adeò sit utilis, adeò virtuosa, pulchra & sancta; digna est quam omnes amplectantur, præsertim cùm facilis sit & hominis naturæ maximè consentanea. Nemo qui illam sectatur, adstringitur ut tam parùm comedat, aut bibat quàm ego, nemo vetatur vesci fructibus, pisce, & aliis, quibus ego non vescor. Ego parùm comedo, quia tantillùm satis est parvo & debili meo stomacho. Abstineo fructibus, pisce, & similibus cibis, quia mihi nocent: qui verò talibus juvantur, possunt, imò debent illis uti; tantùm abest, ut sint vetandi. Cuilibet tamen cavendum, ne majorem quantitatem etiam commodissimi cibi, vel potus assumat, quàm ventriculus ipsius facilè possit concoquere. Unde qui nullo cibi, vel potus genere offenditur, *ei sola quantitatis regula, non qualitatis est servanda*, quæ res factu est facillima.

Nemo hic mihi objiciat, multos reperiri qui etsi inordinatissimè vivant, sani tamen ad ultimos vitæ terminos perveniunt; quia cùm hæc res sit incerta, periculosa, & rarissimè accidat, non debet ejus fiducia nos inducere,

re, ad vitam inordinatam. Non est prudentis, tantis se exponere morborum, & mortis periculis, ac incommodis, spe eventus felicis, qui rarissimis obtingit. Magis securus est vitæ, senex pravæ complexionis, tenens vitæ regulam, quàm juvenis robustissimus absque regula vivens; qui tamen probi est temperamenti, potest cum recto vitæ ordine longiùs producere vitam, quàm qui est pravi. Et potest interdum fieri, ut homo sit tam boni, & firmi temperamenti, ut etiam absque tanta regula possit vivere sanus annos plurimos, & mori in extrema senectute per puram resolutionem, sicut *Venetiis* accidit Procuratori *Thomæ Contareno*, & *Paduæ* viro Nobili *Antonio Capo di vacca*. Sed talem vix unum invenias inter centum millia. Unde quod ad alios attinet, si quis ex illis diu sanus vivere exoptat, & absque dolore, & molestia mori per resolutionem: Hoc enim modo, non aliter, potest frui fructibus talis vitæ, qui sanè sunt plurimi, & singuli eorum maximi æstimandi.

ANNOTATIONES.

Si quis me consuleret, quo ciborum genere, qua quantitate, quove tempore uti debeat, ut sanitatem quantùm fieri possit sartam tectam conservet, ego suaderem, ut potiùs stomachum suum consuleret, à quo nimirum saniora consilia posset referre. Sic Quintilianus, ut dignosceret, num Oratio, concinna, & accommodata futura esset audientibus, dicere solebat, aures meas consulo. *Regula itaque Polycleti erit stomachus, ut qui sobriæ vitæ se dederit, secum penset, quid ferre recuset, quid valeat stomachus, ac præsertim in id incumbendum ne nimio onere gravetur, licet quod assumitur optimæ sit notæ, satis vulgatum est illud, quod omnis repletio sit mala, panis autem sit pessima. Non minùs quoque contra sobrietatis leges peccatur ab iis, qui famis tolerantia putant sanitati, & vitæ longævæ velificari, fermentum enim stomachicum, plicis ventriculi insitum, chylo ad vias suas ablegato, sabathum nullum agnoscit, sed continuò agere vult, & in ipsas ventriculi tunicas, rabiem suam exercet, atque ex toto corpore humores allicit, in quos agat. Sic Hippocrates Ventriculum mari assimilabat, quod dat omnibus, & accipit ab omnibus, præterea fames bilem exacuit, & hominem morosum reddit, unde Plautinum illud in proverbium cessit; fames, & mora bilem in nasum conciunt. Hanc ob causam unicam comestionem in die naturali damnabat Hippocrates, cùm ex hujusmodi abstinentia corpus excitetur, & alimenta postea non satis commansa avidiùs devorentur, atque ulteriùs alvus sistatur; in corpore igitur sano vitanda est fames, & fermento cibum exposcenti auscultandum.*

Primò, quia efficit ut humores in corpore sint puri, & benigni, *quo fit ut non permittat fumos è ventriculo ad caput efferri.* Unde ulteriùs sequitur, ut tali homini cerebrum sit purum instar speculi, & mente ubique vigeat. Itaque facilè ex infimis istis, & terrenis ad divinarum rerum sublimes adscendit considerationes, cum summa animi voluptate, & consolatione; eaque cognoscit, quæ aliàs nunquam potuisset cogitare, nimirum quanta sit Dei potentia, sapientia, & bonitas. Hinc descendit ad naturam corporalem, eamque cognoscit esse opus divinum. Videt & manu tangit ea quæ in alia ætate, & cerebro minùs purgato non potuisset unquam videre, vel tangere. Tunc videt turpitudinem vitii, in quod cadit is, qui affectus humanos nequit domare. Tunc cognoscit triplicem illam cupiditatem, quæ nos ab ineunte ætate comitatur, carnalis voluptatis, honoris, & divitiarum, quæ in senibus vitæ intemperatæ crescere solet. Hanc is, qui non sensum, & appetitum, sed rationis ductum longo usu consuevit sectari, facilè temperat, & cohibet; ita ut ab ea non magnopere infestetur. Deinde cùm se videt ad terminum tendere, & resolutioni propinquum, non concipit inde animo mœrorem, quia cùm sciat Dei beneficio, relicto vitio sectatum virtutem, sperat per Christi Redemptoris nostri merita, mori in ejus gratia, & æterna frui beatitudine. Accedit quòd videat se jam ad id ætatis pervenisse, ad quod paucissimi pertingunt, & mortem propinquare non

non cum impetu, & ex improviſo cum acerbis doloribus, ſed leni, & benigno paſſu, ſolius humidi radicalis, quod inſtar olei lucernæ ſenſim minuitur, conſumptione; quo fit, ut ipſe ſuaviter ſine dolore, ab hac vita terrena, & mortali, ad cœleſtem, & æternam tranſeat.

O Sanctam & verè felicem vitam ordinatam, meritòque ab omnibus colendam: O infelicem, & deteſtandam vitam inordinatam, quæ tantis malis genus replet humanum! Pulchra vox & amabilis, *Vita ordinata, ſobrietas, temperantia:* ſicut e contrario fœditatem ſonat, *Vita inordinata, crapula, intemperantia.* Et tale diſcrimen inter hæc cernitur, quale inter vocem, *Angelus*, & *Diabolus.*

Hactenus explicui cauſas, per quas me ab intemperantia vindicavi, & vitæ ſobriæ addixi, & modum quem in ea re tenui, & quid inde mihi acciderit: & commoda quæ illa ſuis aſſeclis præſtat.

ANNOTATIONES.

Summatim temperantia in victu, ſanitatis, & longævitatis baſis eſt, & munimentum, ex qua poſtea tot beneficia obtinentur, quæ vitæ ſobriæ Auctor hoc in loco refert, qualia ſunt prudentia, ſapientia, atque etiam euthanaſia, ubi enim quis vitæ lineam intra moderationis cancellos rectam, & irretortam produxerit, in extremo ſenio, cùm neceſſe ſit fatis concedere, nullam violentiam patietur, & anima placidè è ſuo ergaſtulo, in quo concluſa erat, ad ſuperos evolabit, ſi valere vita eſt, non vivere. Profectò eorum, qui temperantiæ leges ritè obſervant, & procul à Medicis, & Pharmacopœis degunt, vita verè appellanda eſt, non ita verò, qui ob intemperantiam in ſympoſiis, commeſſationibus, ſive lectulo affixi, ſive continuæ ſeſſioni addicti vitam precariam duxerint.

Præter dicta incommoda, unica comeſtio in die naturali, & crebra jejunia, id quoque habent, ut oris graveolentiam inferant. Quam ob cauſam ora hominum, qui nihil ederint, ſed jejunarint graveolant, quæſivit Ariſtoteles Sectione decima tertia, Problemate ſeptimo, cujus rei rationes quilibet videre poteſt apud eundem Ariſtotelem, Aphrodiſæum, Septalium, & alios. Satis lepidum Martialis Epigramma exſtat in Baſſam mulierem, cui graviter fœtebat anima, referens enim varias graveolentiæ differentias, eam memorat, qua olent jejunia Sabatariorum, *aitque malle ſe Baſſam omnes illos odores olere, quàm eum quem olebat. Cur autem Poëta Judæos ſugillet mentione facta de illorum jejuniis, id effeciſſe crediderim, eò quia nulla natio ex Religionis inſtituto ſeveriora ſervet jejunia, dum à qualibet re eſculenta, & potulenta, ultra viginti quatuor horas omninò abſtinent, unde magis ipſis, quàm aliis graveolet ſpiritus, & præſertim per æſtatem, quando ſolemnia jejunia inſtituunt, & canicularibus diebus fervent, arent enim illorum linguæ & ventriculus præ fervore bilis, & aliorum ſuccorum, unde halitus, quos ab ore exſpirant, non poſſunt, quin malè oleant, & eò magis in picrocolis, quam ob cauſam Ballonius Conſ. Libro ſecundo, Conſ.* 16. *iis, qui abundant amara bile, jejunia vitanda eſſe jubebat; tempore autem Martialis multi Hebræi Romæ degebant, & illorum inſtituta erant nota. Longam itaque inediam, & protracta jejunia, graveolentiam oris adferre, ſatis perſpectum erat, unde etiam Ovidius Libro tertio de Arte amandi,*

Cui gravis oris odor, nunquam jejuna loquatur.

Sed quidam ſenſibus dediti, & parùm rationi obſequentes objiciunt, non eſſe optandam longam vitam, eò quòd poſt ſexageſimum quintum ætatis annum, non poſſit dici *Vita viva, ſed vita mortua.* Verùm hi errant graviter, ut nunc oſtendam ex me ipſo, narrando mea oblectamenta, & voluptates, quas in hac mea ætate 83. annorum capio, quæ tales ſunt, ut paſſim me homines felicem judicent.

ANNOTATIONES.

Condonandum quidem eſſet iis, qui poſt 65. annum, ſatius eſſe ajunt è viventium ſtatione

eximi, quàm vitam producere ad miseriam inter varia morborum genera, iis inquam condonandum esset, si juventutem ac virilitatem, ab iis effectibus, qui luxui, & intemperantiæ deditos comitantur, immunem traduxissent; & quàm malè plectantur, qui genio suo indulgent, & quàm rarò sexagesimum annum attingant, nemo non novit, potior ergo conditio eorum erit, qui temperantiæ, & sobrietatis legibus se dederint in ipso juventæ flore, ut omnes ætatis annos irretorto cursu percurrant. Septuaginta anni dies hominis, in potentatibus autem octoginta, sic legimus in Psalmo, à quo dicto non multum abludit, quod de annis climactericis apud Philosophos scriptum habemus, quos annos scalares appellant, inter quos sunt septenarii, & novennarii, unde 63. *annus, utpote productum septem, & novem, magnæ dignitatis & contemplationis est; natura enim pro genio numerum septimum sibi elegit, unde sicuti morbi die* 7. 14. *& 20. in acutis crises suas moliuntur, in chronicis die* 40. *& 80. ita in cursu vitæ per septenarios procedit, idcircò annus septuagesimus, ut plurimùm mortalis est vitæ finis, & inter climactericos recensendus, octogesimus verò primus, qui productum est numeri novenarii, si in se ipsum multiplicetur, & ipse climactericus est, sic Platonem ajunt* 81. *anno completo obiisse. Scio equidem non deesse, qui vim numeris non inesse dicant, cùm in rerum natura non sint nisi individua, numeri autem sint mentis nostræ simplex opus, non esse tamen negligendam numerorum rationem, prudens consilium est, quando ipsemet Deus omnia in pondere, numero, & mensura disposuit, & senarium esse voluit, quo Mundum conderet, & septimo ab opere conquieverit. De numero sexto, qui inter numeros perfectos habetur, egregiè scripsit Divus Augustinus Lib.* 11. *de Civ. Dei, cùm numerus senarius compleatur suis partibus, hoc est sexta sui parte, ex tertia, & dimidia, quæ sunt unum duo, & tria, qua in summam ducta faciunt sex, sunt enim partes quotæ. Numerum itaque senarium, hoc est sex dierum, Divinam Sapientiam elegisse ait Vir iste Doctissimus, ut Machinam hanc, quam Mundum appellamus conderet, est autem numerus senarius radix, & origo cæterorum numerorum, qui perfecti dicuntur extra centenarium. Summus itaque rerum conditor, Mundum tanquam rem perfectam, numero perfecto conditum esse voluit, ipse perfectissimus.*

Prospera utor continuè valetudine, & ita sum agilis, ut ex plano facilè equum conscendam, & altos gradus, & colles sublimes pedibus subeam. Deinde semper sum alacris, jucundus, & benè contentus, liber ab animi turbelis, & omni molesta cogitatione, quorum loco gaudium, & pax in corde meo suam fixere stationem. Non me tædet vitæ, quam ego magna mea voluptate transigo. Sæpè offertur occasio colloquendi cum Viris præstantibus, qui ingenio, moribus, literis, aliisque virtutibus excellunt. Cùm talium deest copia, trado me lectioni alicujus libri eruditi, & postea scriptioni, id in omnibus inquirens, quo possim juvare alios quantùm vires meæ permittunt. Hæc omnia facio pro meo commodo, & congruis temporibus, & in propriis ædibus, quæ præterquàm quòd sint in pulcherrima hujus eruditæ Civitatis (Paduæ inquam) regione, sunt valdè pulchræ, & commodæ, quales paucæ hac ætate; secundum rationem architecturæ ita à me fabricatæ, ut non minùs adversus æstum, quàm frigus serviant. Fruor simul meis hortis, iisque diversis, aquarum currentium rivis, ad latus derivatis, in quibus magna sanè oblectatio. Fruor aliquot mensibus per annum oblectatione collis in montibus istis Euganeis, ubi & fontes habeo, & hortos, & domum commodissimam.

ANNOTATIONES.

Satis fusè refert Scriptor noster, quibus oblectamentis senectutem suam traduceret, legendo nempè, scribendo, venando, ædificando, modò in Urbe, hoc est Patavii, modò ruri apud colles euganeos, ubi villam amœnissimam construxerat; sic Senex ille Terentianus in Eunucho actu 5. Ex meo propinquo rure hoc capio commodi, neque agri, neque Urbis odium me unquam percipit, ubi facias cœpit fieri, commuto locum. *Non poterat sanè Vir ille Sa-*

Sapientissimus campos, & colles amœniores, quales sunt Euganei, ac Urbem clariorem, Musarum, Virtutumque omnium domicilium sibi deligere, ubi cum viris omnigenæ Doctrinæ peritissimis colloqueretur, & genium suum pasceret. Satis elegans ac lectu digna est Senecæ Epistola 83. *in qua Lucilio suo narrat, quid ageret jam senex, & quali tenore vitæ uteretur, nempè, inter varia studia, & honesta, tum corporis, tum animi, sed cum summa semper victus sobrietate;* Panis siccus, ajebat ille, & sine mensa prandium, post quod non sunt lavandæ manus. *Exstat in hanc rem elegans Martialis Epigramma.*

Rure morans quid agam, respondeo pauca rogatus,
Luce Deos oro, famulos post, arva reviso,
Partibus atque meis justos indico labores,
Inde lego, Phœbumque cio, Musamque lacesso,
Hinc oleo corpus frico, mollique palæstra
Stringo libens animo gaudens, ac fœnore liber
Pondero, poto, cano, ludo, lavo, cœno, quiesco
Dum parvus lychnus, modicum consumit olivi,
Hæc dat nocturnis mox lucubrata camœnis.

Fruor alia villa mea in plano sita, quæ est pulcherrima, quia plurimæ viæ sunt ita dispositæ, ut in mediam quamdam aream benè amplam concurrant: in hujus areæ medio Ecclesia satis honorata, pro loci conditione. Interluitur hæc area fluvio Brenta, utrinque magnis campis adjacentibus, qui fertiles, & benè culti, multisque habitaculis ornati. Antea non sic erat, quia locus erat paludosus, & malè sanus, bestiis quàm hominibus aptior: Sed ego aquas deduxi, terram siccavi, & aërem bonum effeci, unde homines eò concurrerunt, & ædibus ædificatis habitare cœperunt, felici successu. Hoc modo locus ad eum statum, multiplicatis plurimùm incolis, perductus est, quem hodie videmus, ut possim verè dicere, me Deo dedisse Templum & Altare, & animas quæ ipsum adorent, cujus rei recordatio maximum mihi affert gaudium. Excurro etiam quotannis ad aliquam è Civitatibus vicinis, ut amicorum fruar adspectu & colloquio, & præterea Artificum præstantium in architectura, pictoria, sculptoria, musica, & agricultura, qualium hoc ævo magna copia. Inspicio eorum opera, confero ea cum antiquis, & semper disco aliquid, quod gratum nosse. Lustro palatia, hortos & antiquitates, loca publica, Templa, & munitiones, nec quidquam omitto, unde possim discere, & voluptatem capere. Oblector quoque plurimùm cùm proficiscor, in itu & reditu considerando pulchritudinem locorum, & eorum situm, quorum alii in plano, alii in colle, vicini fluminibus vel fontibus, multis structuris & hortis exornati. Neque hæc oblectatio mihi sensuum obtusione redditur minor, quia omnes mihi sensus perfectè vigent, præsertim gustus; ita ut simplex cibus quovis loco magis mihi sapiat, quàm olim, cum sensibus & vitæ inordinatæ deditus, omnes deliciæ. Lectorum mutatio non mihi molesta: quovis loco benè, & quietè somnum capio: somnia pulchra, & jucunda. Sed hoc in primis oblectat, quòd videam felicem exitum sortiri conatum illum, huic Reipublicæ utilissimum, quo tanta locorum incultorum spatia reducuntur ad culturam, meo suggestu, & consilio inchoatum. Fui ego unus ex deputatis ad illius operis directionem, & mansi in locis illis palustribus, duos menses continuos in fervore æstatis, nec tamen inde sensi aliquid noxæ aut incommodi, tanta vitæ sobriæ, quæ semper & ubique me comitatur, est vis & efficacitas.

ANNOTATIONES.

Plaudit hic sibi Scriptor noster, beneficia referens, quæ in extrema senecta, quam alii vitæ fæcem appellant, contulerit in rem propriam, & publicam, ait enim agricolationis studio, ea damna reparasse, quæ sua ipsius domus oblites,

& alia infortunia passa fuerat, ac præcipuè multa loca inculta, & palustria ad bonam frugem deduxisse, illa exsiccando, & cultoribus implendo, Templis quoque inibi constructis: Paludosa loca, quæ hyeme aquas habent, æstate verò tetram mephitim exhalant prorsus exsiccare, aquas alio avertendo, opus sanè dignum est, & apud Romanos quoque fieri solitum, ut memorat Livius de Pontina Palude à Marco Lepido exsiccata, nam præter aëris salubritatem, annonam quoque & frugum abundantiam infert; at nihil est, quod sit penitus utile, quod sua quoque non habeat incommoda; etenim si hujusmodi resiccatio fiat per deductionem aquarum in aliquod proximum flumen, non rarò magnæ sequuntur eluviones, sublatis nempe aquarum hujusmodi receptaculis, ac veluti diverticulis; flumina etenim, cùm tantum aquarum pondus sustinere nequeant, fractis aggeribus, ingentia terrarum spatia inundant. Olim Rhenus noster Italicus, qui in Padum ferebatur, disruptis aggeribus, per Bononiensem, Ferrariensem agrum, & Ravennatum quoque ad mare sibi viam fecit, qualem & jam nunc tenet, cùm postea instarent Bononienses, & Ravennates, ut Rheno antiquus alveus in Padum restitueretur, Hercules secundus Dux Ferrariæ ad id operis assentiri noluit, ne majori aquarum pondere Padum oneraret, contentus Fluviorum Regem minori fastu in Mare procurrere, alienus à veterum Romanorum ambitione, qui cum in Senatu ageretur de avertendis variis fluminibus, quæ in Tyberim aquas deferebant, decrevere nolle se Tyberim, præcisis undique ramis, minori gloria fluere.

Præterea certò speramus videre inchoatam, & finitam aliam molitionem non minoris momenti, qua conservetur nostrum Æstuarium maximum, & admirabile munimen charæ Patriæ, cujus conservationis ratio & modus à me (absit verò jactantia) est excogitatus, & sæpius huic Reipublicæ suggestus tum viva voce, tum scriptorum meorum lucubrationibus.

ANNOTATIONES.

Meritò sanè Æstuaria isthæc, quæ Adriæ Reginam coronant, illius Munimenta laudatus Scriptor appellat, licet fluida, solidiora tamen, quàm altæ mœnia Romæ; hæc enim Urbs sola nunquam truces hostium vultus excidium minitantes adspexit, uti olim Roma, ac postremò Vienna. Quòd si aliquando Fortunæ Venetæ osores, illam convellere pertentarunt, non nisi à longè, & irrito conatu id agere aggressi sunt. Quoad conjecturas, quas nonnulli ratiocinando afferunt, nihil moror, idem scilicet Venetiis eventurum, quod olim Ravennæ, nimirum fore, ut longo seculorum defluxu continenti jungantur, sed forsan id fiet cum omnia,

Exitio dabit una dies, multosque per annos
Sustentata ruet moles, & Machina Mundi.

Quidnam autem egerit, quidve agendum proposuerit pro sustentanda Æstuarii profunditate, pro commercio, & commoda navigatione ad vicina loca, Scriptor non memorat, facilè tamen putarim nil aliud fuisse, quàm aversionem aquarum, & fluviorum ab iis fluminibus, quæ navigationi inserviunt, ne scilicet ob nimiam arenæ copiam obstruerentur portus, seu derivationem per Canales arte factos ab iisdem fluminibus, sic in hunc finem in Medoaco flumine Anno 1611. *ex decreto Magistratus, qui præsidet aquis cœpta est fieri constructio ampli Canalis in loco dicto la Mira, procul Patavio duodecim millia passuum, & protenditur ad viginti quinque millia passuum circiter. Talem autem revulsionem, sive derivationem aquarum, habitam pro securo remedio ad præservandos portus ne obstruantur, non solùm non approbat, sed perniciosam ostendit D. Benedictus Castellus Brixiensis, Urbani VIII. P. M. Mathematicus in Opere suo doctissimo de Aquarum fluentium mensura; validissimis enim rationum momentis demonstrat, flumina cum minori velocitate, & impetu feruntur, prope ostia cum in Mare influunt, majorem arenosæ materiæ copiam deponere, ac satius esse immittere aquas in hujusmodi flumina, ut*

majori

majori impetu in mare procurrant, sic enim sibi canalem in Maris arena construere, & obicem illum perrumpere, quem Mare suo fluxu, arenam ad littus promovendo solet efficere. Præter hæc magna flumina id ipsum testantur, quæ post longos terrarum tractus emensos magno aquarum agmine in campos marinos irrumpunt, talis est Eridanus, quo ut Virgilius in 4. Georgicorum:

Non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior influit amnis.

ac eleganter Torquatus Tassus:

Che con più corna Adria respinge, e pare
Che guerra porti, e non tributo al mare.

Hæ sunt oblectationes & solatia meæ senectutis, qualis plane senectus multùm præferenda est alterius juventuti & senio, eò quòd per vitam sobriam, Dei gratia, ab animi perturbationibus, & morbis corporis sanata, non sentiat ea incommoda, quibus infiniti juvenes, & totidem languidi senes miserè conflictantur. Sed & ex hoc, quo modo corpore & animo sim dispositus, cognosci queat, quòd hac ætate nempe annorum 83. composuerim lepidissimam Comœdiam, plenam honestis jocis, & verborum salibus, quòd genus poëmatis solet esse partus juventutis, cui ob varietatem & jucunditatem maximè congruit, sicut tragœdia senectutis, cui ratione gravitatis & tristium eventuum quos proponit est accommodata; nunc si *Græcus Poëta* laudetur, quòd anno 73. ætatis tragœdiam conscripsit, & idcircò sanæ mentis & prudens judicatus, cur ego minùs videar felix aut sani judicii, cum 10. annis illo senior confecerim Comœdiam?

ANNOTATIONES.

Ad commendandam sobriam Vitam redit Auctor noster, eo nomine, quòd ab animi passionibus hominem præservet, quod equidem rationi congruum est, ubi enim quis sobrietati vitæ assueverit, habeat necesse est humores ita ad invicem temperatos, bilem præsertim, & melancholiam, ut non tam facilè in perturbationes, & tumultus inter se cieri possint. Quàm graves noxæ ex animi pathematibus humanis corporibus obveniant, jam superiùs dictum. In hanc rem legendus D. Guntherus Christophorus Schelamerus in Academia Kilonienſi Professor Primarius, in laudatissimo Opere 'De humani Animi Affectibus. Postmodum verò transit Scriptor noster ad referenda oblectamenta, quibus senectutem suam traduceret.

Ne qua verò desit meæ senectuti oblectatio, intueor assiduè speciem quamdam immortalitatis in successione meorum posterorum. Cùm enim domum redeo, invenio undecim nepotes, omnes unius patris, & matris filios, omnes saniſſimos, omnes, quantùm conjicere licet, literis pariter ac bonis moribus aptissimos, & valdè deditos. Recreor illorum cantu, & bonis moribus, & ipse canto sæpènumerò, quia clarior mihi nunc, magisque sonora vox, quàm unquam antea.

Ex quibus perspicuum est, vitam, quam ego vivo, in hac ætate non esse vitam mortuam, tristem, morosam, sed vividam, lætam, jucundam. Neque si mihi optio detur, velim mutare ætatem, & corporis mei statum cum juvenili eorum, qui sectantur suos appetitus, etsi optimi sint temperamenti, & naturæ robustissimæ, quia tales quotidie sunt expositi mille morbis, & mortibus, sicut quotidiana experientia docet, & ipse in me sum expertus, cùm juvenis essem. Scio quàm illa ætas sit inconsiderata, & propter caloris abundantiam animosa, & sibi ubique præfidens, spe bona in omni re, tum propter defectum experientiæ, tum quia se putant ad omnia satis firmos, & validos. Unde audacter se periculis quibusvis exponunt, & abacta ratione, traditoque rationis imperio in manibus concupiscentiæ, quærunt ubique satisfacere suis desideriis, nec advertunt miseri, se hac ratione multos morbos, ac sæpè mortem præmaturam sibi accersere, quorum malorum alterum est toleratu acerbum, alterum intolerabile & tremendum. Mors enim apparet intolerabilis omnibus sensuum, & carnis mancipiis, & potissimùm juvenibus,

venibus, quibus ſummum malum videtur, mori ante tempus. Eadem tremenda illis, qui peccata ſua, quibus vita iſta mortalis eſt plena, & vindictam divinæ juſtitiæ in pœnarum æternitate conſiderant.

Ego vero contra ab utroque hoc malo ſum immunis, à morborum metu, quia certus ſum, non facilè me poſſe in morbum incidere, morborum cauſis per ſanctam medicinam ſobrietatis exciſis, à mortis anxio metu, quia tot annorum uſu didici locum dare rationi. Unde non ſolùm mihi turpe videtur, timere id quod vitari nequit, ſed etiam ſpero, cùm ad illud punctum venero, non modicam, gratia Jeſu Chriſti, ſentire conſolationem.

Præterea finis iſte adhuc procul abeſt. Scio enim me (fortuitis eventibus ſepoſitis) non moriturum, niſi per puram reſolutionem, eò quòd per vitæ meæ regulam omnes alios aditus morti occluſerim. Pulchra & deſiderabilis mors, quam natura nobis affert via reſolutionis. Cùm enim natura vinculum vitæ noſtræ effecerit, facilius invenit modum illius ſolvendi, & dat majores inducias, ut leniſſimè ſolvat. Talis mors non obvenit niſi poſt longiſſima ætatum ſpatia, & vi ſummæ debilitatis, quia ſenſim longo temporis ttactu, eò rediguntur homines, ut non poſſint ampliùs ambulare, nec etiam, niſi difficulter, ratiocinari, fiuntque cœci, ſurdi, curvi, à quibus malis, per gratiam Dei, video me adhuc procul abeſſe, & credo animam meam, quæ in hujus mei corporis ſtatione nihil invenit, niſi pacem & concordiam, tum inter humores, tum inter ſenſum, & rationem, non facilè ab ea receſſuram, & multis annis opus fore, ut ab ea expellatur. Unde videor mihi certò poſſe concludere, me multos adhuc annos victurum proſpera valetudine, fruendo hujus mundi adſpectu, & pulchritudine, & ſperando idem me facturum per gratiam Dei in altero, idque totum adminiculo virtutis, & ſanctæ ſobrietatis, cui me addixi, amicum me conſtituens rationi, & inimicum ſenſus, & appetitus, quod omninò cuilibet, facile eſt factu, qui vult vivere, prout decet hominem.

Supereſt ergo, cùm vita ſobria res ſit adeò felix, & nomen delectabile, poſſeſſio adeò facilis, conſervatio ita certa & firma, ut omnes, qui ingenio præditi, ex animo moneam, horter, deprecer, ut hunc opulentiſſimum vitæ theſaurum, obviis ulnis amplectantur. Qui theſaurus ſicut omnes alias opes hujus mundi ſuperat (adfert enim nobis vitam longam & ſanam) ita digniſſimus eſt, quem omnes ament, inquirant, & poſſideant ſemper.

Hic theſaurus, eſt ſancta illa ſobrietas, grata Deo, amica Naturæ, filia rationis, ſoror Virtutis, ſocia vitæ temperatæ, modeſta, nobilis, elegans, paucis contenta, ordinata, & ſuis functionibus diſtincta.

ANNOTATIONES.

Quid hoc rei eſt unquam, quòd Avi vehementius ſuos Nepotes diligant, ac foveant, quàm Parentes ipſi, eòque magis, quò ætate ſunt provectiores, quibuſcum lubenter ſaltant, ludunt, plorant, & erga eoſdem ſunt indulgentiores, ſiquid committant caſtigatione dignum. An quia, ut dici ſolet, ſenes repueraſcant, an potiùs quòd ii, qui Nepotes habent, curis ſoluti, & rei familiaris adminiſtratione relictâ, domi plurimùm manere cogantur, illos adſpectando, atque amplexando, in ſpem ſucceſſionis, & duraturæ familiæ. Magnum ſanè oblectamentum ſe percepiſſe ait Nobiliſſimus Scriptor, ex undecim Nepotibus, iiſdem parentibus prognatos, quos ex fratre habebat, ipſe cœlebs, quibus cum ludebat, ſaltabat, alioſque pueriles geſtus agebat, dicere ſolitus, pueros uſque ad quintum annum eſſe veluti mimulos. Curioſum eſt, quod apud Ptolomæum Commentariorum Libro 8. legitur de Maſſiniſſa Rege, qui pro ſimiis, & catulis, in Aula ſua educabat complures puellos, quos poſtea triennio exacto ad parentes ſuos remittebat, alioſque denuò capiebat. Non exignæ meherclè voluptatis, & ſolatii illi eſſe debuit, cœtum illorum puerorum, ejuſdem ferè ætatis, inter ſe ludentium, clamantium, pugnantium interdum contemplari iis horis, quibus alii Principes Mimos, & Moriones, & alia propudia accerſunt, ut

horas

horas ac tædium fallant. Socratem Philoſophum adeò celebrem, cum pueris ludere non erubuiſſe, refert Seneca de Tranquill. Ani. non ſolùm autem ad ſimplex animi levamen, id egiſſe ajunt, ſed eodem tempore philoſophabatur, mente concipiens ac divinans, quale futurum eſſet hujus vel illius pueri ingenium, & mores. Idem quoque egiſſe ſumma voluptate perfuſum ſe ſcribit Ludovicus Cornelius, dum undeciem ſuis Nepotibus menſam coronatam adſpiceret, ex illorum vultibus, dictis, reſponſis conjectans, quis ex iis ad arma tractanda, quis ad Rempublicam adminiſtrandam, quis ad Infulas, & ſacram militiam natus.

Ex ipſa tanquam radice naſcitur vita Sanitatis, alacritas, induſtria, rerum honeſtarum ſtudia, & omnes actiones dignæ animo benè morato, & compoſito; ei favent leges divinæ, & humanæ, prout ab illa, tanquam nebulæ à Sole, fugiunt repletio, ſaturitas, crapula, humores ſupervacanei, vapores noxii, intemperies, febres, dolores, mœrores, & mortis pericula. Sua pulchritudine allicit animos generoſos, ſecuritate ſua promittit omnibus amicam, & longam vitæ conſervationem, ſua facilitate invitat quemlibet cum exigua moleſtia ad obtinendas ejus victorias. Denique promittit ſe fore benignam cuſtodem vitæ tam divitis, quàm pauperis, tam maris, quàm fœminæ, tam ſenis, quàm juvenis. Divitem docet modeſtiam, pauperem parſimoniam, virum continentiam, fœminam pudicitiam, ſenem qua ratione mortem à ſe defendat, juvenem ut firmiorem ſpem vitæ habeat. Sobrietas ſenſus reddit purgatos, corpus agile, intellectum vivacem, motus expeditos, actiones promptas & faciles. Per illam anima veluti terreno pondere exonerata, experitur magna ex parte ſuam libertatem, ſpiritus ſuaviter diſcurrunt per arterias, ſanguis blandè per venas diffunditur, & calor temperatus. ac blandus, facit temperatos, & blandos effectus. Denique noſtræ potentiæ pulcherrimo ordine ſervant gratiſſimam harmoniam.

ANNOTATIONES.

Varia hic enumerat bona, quæ vitæ ſobrietas pariat & mala, quæ arceat, unum hic obſervo quòd Medicorum doctrinæ non congruit, ait enim in iis corporibus qui in victu ſobrietatem ſervant, ſpiritum ſuaviter diſcurrere per Arterias, & ſanguinem blandè per Venas diffundi, Eraſiſtrati opinioni hærens, qui putabat ſpiritus vitales contineri in arteriis, ſanguinem autem in venis, quem acriter redarguit Galenus in eo Tractatu, cui titulus, Quòd ſanguis in Arteriis natura contineatur, non ſolùm enim in Arteriis continetur ſanguis, ſed perpetuo, ac rapido motu per illas fertur, ſoluſque eſt qui partes nutrit, qui verò à nutritione reſiduus eſt, per venas redux ad Cor remeat, ſi circulationis lex vera eſt, uti veriſſima, & ipſis ſenſibus obvia, ſed vetuſtati prorſus ignota, quam Mundò patefecit Harvejus Angliæ Democritus, qui hujuſce arcani in omnibus animalibus prima rudimenta hauſit Patavii ab Aquapendente, & Paulo Sarpa.

O ſanctiſſima, & innocentiſſima Sobrietas, unicum naturæ refrigerium, benigna mater humanæ vitæ, vera tam animi, quàm corporis Medicina! quantùm te mortales laudare, quanto affectu, & promptitudine amplecti deberent, quia præbes illis modum, quo maximum hujus vitæ bonum, vitam inquam, & ſanitatem tueantur! Utinam ipſis tua bona perſpecta forent, præſertim iis, qui vitæ ſanctæ, & ſpirituali dediti, in Monaſteriis contemplationi & orationi vacant. Quantò & ipſi, & eorum actiones ſummo Deo gratiores forent, ſi totos ſe ad te colendam conferrent. Quantùm hunc Mundum, & Eccleſiam Chriſti exornarent. Nam in terris æſtimarentur ut verè Patres Sancti, ſicut olim habiti fuere antiqui Heremitæ, Religioſi, & Epiſcopi, qui præter vitam ſpiritualem, etiam hanc ſobriam ſervabant. Sicut hi vivendo hoc modo ultra 100. annos ſæpenumerò ætatem extenderunt & multa miracula patrarunt, ita & illi facerent, eandem Ducem ſecuti. Eſſent præterea ſani,

conten-

contenti, alacres, ubi modò magna ex parte ſunt morbidi, melancholici, inquieti, ſua ſorte non contenti. Et quia aliqui dicunt, iſta illis à Deo immitti, ut exerceat illorum patientiam, & ipſi pro peccatis pœnitentiam agant, ego puto illos decipi, quia non poſſum credere, Deo placere ut homo opus & imago ipſius, quem tantopere amat, vivat infirmus, melancholicus, malè contentus, quin potiùs illi placet, ut vivat ſanus, alacris, benè contentus. Sic enim vivebant Sancti Patres, & ita meliùs ſerviebant Divinæ Majeſtati, Orationibus, & ſanctis operibus vacando. O quàm pulcher eſſet hic Mundus, ſi tales eſſent Religioſi hujus temporis, quia nunc ſunt plures Religiones, & plura Monaſteria, quàm olim erant, in quibus ſi regula Sobriæ vitæ ſervaretur, magnus eſſet venerandorum Senum, doctrina, & ſanctitate eminentium numerus, quos Orbis ſuſpiceret. Neque idcircò deeſſent vitæ, Ordini, & regulæ vivendi, quam Religio vel Monaſterium ſtatuit, ſed potiùs hanc redderent perfectiorem. Nam in omni Religione conceſſum veſci pane, & bibere vinum, & interdum veſci ovis, & in quibuſdam permiſſa etiam caro; præterea variæ ſorbitiones, acetaria, fructus, & ovorum tortulæ; qui cibi ſæpè illis nocent, & aliquibus vitam adimunt, ſed quia ab Ordine conceſſi, illis utuntur, cogitantes forſitan ſe peccaturos, ſi aliquid ex illis relinquerent. Verùm non peccarent, imò magnum bonum præſtarent, ſi ubi trigeſimum ætatis annum exceſſere, illos relinquerent, & inciperent vivere pane, & vino, cum panatella ex pane, & ovis cum pane. Hæc eſt vera ratio conſervandi hominem à pravis Succis & humoribus, malaque complexione, eſtque multò laxior, quàm illa Sanctorum Patrum antiquorum in deſertis, qui ſolùm fructibus ſilveſtribus, & herbarum radicibus veſcebantur, & aquam bibebant, & nihilominus diutiſſimè ſani, alacres, & benè contenti vivebant.

Idem evenire Religioſis hujus ætatis, quibus etiam hac ratione facilior eſſet adſcenſus in Cœlum, quod omni Fideli Chriſtiano ſemper patet, poſtquam Dominus Noſter, ſparſo pro noſtra redemptione ſuo pretioſo Sanguine, illud ſemel nobis aperuit.

Poſſem hic plura alia in commendationem vitæ ſobriæ in medium adferre, ſed quia non eſt mihi propoſitum conſcribere panegyricum, finem facio, ut & ipſe ſim ſobrius in hac cauſa, reliquis in aliam occaſionem dilatis.

ANNOTATIONES.

Abſolvit tandem Tractatum ſuum Auctor noſter, elogium vitæ ſobriæ conſcribens, ac beneficia referens, quæ ex illa ritè ſervata, hominibus proveniunt, inter quæ potiſſimùm longævitatem refert, exemplo Eremicolarum, qui ſolis herbis, plantarum fructibus, & ſimplici aquæ potu ad integra ferè ſecula vitam ſanam producebant, quod idem ait noſtris quoque temporibus eventurum Religioſis Viris, qui intra Clauſtra vitæ ſpirituali ſe addixerint, ſi ſobriam vitam ritè ſervarent, qua neglecta morbidi ut plurimùm fiunt, melancholici, inquieti, & ſua ſorte non contenti, neque excuſandos ait, dum dicunt Deum ſic velle illorum patientiam exercere, ſed rectè dicit Auctor, Deum velle homines eſſe ſanos, ut illi ſerviant in lætitia, ideò non cuſtoditæ ſobrietatis pœnas luere. Aſt Religioſos Viros, qui vitæ ſpirituali ſe devoverint, ſecularibus vitæ commodis ob opes, quibus affluunt, liberaliter uti, novum non eſt; obſervavit id olim & doluit D. Hieronymus, adſpiciens nonnullos ditiores Monachos, quàm fuerant ſeculares, uti videre eſt apud eundem in Epiſtola ad Nepotianum de vita Clericorum, & Sacerdotum.

LUDO-

LUDOVICI CORNELII

AD REVERENDISSIMUM D.

D. BARBARUM,

AQUILEJÆ PATRIARCHAM ELECTUM

EPISTOLA.

Reverendiſſime Domine.

HUmano intellectui divini aliquid ineſſe, multa quidem palam faciunt, ſed præ cæteris modus quo homines per Epiſtolas didicere amicis abſentibus, ſenſa ſua communicare, ut inter ſe quodammodò videantur colloqui, ad ingentem quoque locorum diſtantiam, uti modò tecum facio. Hac igitur Epiſtola de rebus jucundis, & magnæ utilitatis verba faciam, quamvis hac de re, aliàs coram ſermo habitus fuerit, non in hac tamen ætate, qua nonageſimum primum annum ago, quando nihil mihi detrahunt anni, imò quò magis procedunt, proſperitatem augent, quod multis ſummæ admirationi eſt, non ita mihi, qui cauſam novi, & demonſtrare teneor, poſt 80. annum, poſſe hominem in terris ſumma felicitate perfrui, qualis obtineri nequit, niſi nunquam ſatis laudata vitæ ſobrietate Deo quoque gratiſſima, ut quæ ſenſum comprimat, & rationem elevet. Modo ut exordiar, ſcito me conveniſſe hiſce diebus multos in hoc Patavino Lyceo Profeſſores, tum Medicos, tum Philoſophos, quibus longævitas mea erat perſpecta, & ſatis notum, quomodo tam perfecta valetudine, & animi lætitia, memoria, intellectu, voce gauderem, & qua ratione in ſingulos dies octo horas impenderem, ut manu mea Tractatus ad publicum bonum conſcriberem, multis horis deambulando, canendo, ſicque diem traducendo. O Reverendiſſime Domine, ſi me preces meas ad Deum canentem, & Davidis exemplo chelym pulſantem audires, magnam ſanè percipere voluptatem. Mirabantur ſanè paulò antè laudati Profeſſores, quomodo de tot rebus diverſi generis, & quæ multam exigerent attentionem, hac ætate poſſem ſcribere. Potes itaque mente concipere quanta animi voluptate perfundar. Unanimiter itaque pronunciarunt, me jam ſenem in dies juveneſcere, dum cæteri homines, qui annum attigerint 80. ad omnes ferè operationes ſint inepti, & omni morborum genere malè plectantur, ac ſiquis fortè nullam patiatur corporis ægritudinem, memoria & intellectu, ut plurimùm careat. Non omni tamen ex parte felix eſſe poteſt vita quam duco, quin aliquid incidat, quod illam perturbet. Quinquaginta ab hinc annis affectione quadam laborare cœpi, quam non niſi ad occultam proprietatem referre poſſum, qualis affectio eſt, ut quotannis ineunte Luglio, per totum Auguſti menſem abſtemius fiam, ut nullum vi-

ni genus ſine gravi noxa potare valeam, hujuſmodi enim tempore, vinum mihi prorſus hoſtile eſt, ac præſertim ſtomacho, quo alimento deſtitutus, quando ex aquis licèt ritè paratis alimonia nulla ſuppetit, magnam virium proſtrationem patior; cùm itaque ſine vini potu nullum cibi genus mihi ſapiat, circa medium Auguſti menſem ſumma macie conficior, & ad luctandum cùm morte penè deducor, cui malo ut occurrerem, curabam ut ex uvis præcocibus matureſcentibus, vinum recens mihi compararem, quo mirificè trium dierum ſpatio recreari me ſentio, mirantibus non parùm Medicis, quomodo vinum recens non defæcatum, loco remedii eſſe poſſet, & proclamantibus non poſſe ultra unum, aut alterum annum vitam protendi, cùm tamen ab hujuſmodi prædictione jam anni 10. effluxerint, idcircò cùm ſe deluſos viderent, & me in ſingulos annos in melius proficere, magna eloquentia, ſed parùm firmis rationibus, tam ſingulare munus, mihi vel à natura, vel ab occultis ſiderum influxibus conceſſum aſſerebant. Magnam equidem eſſe vim eloquentiæ ultrò fateor, ſed perſuaderi non poteram, ut crederem aliunde id proficiſci, quàm à ſuſcepta, & obſervata victus ratione. Alia quoque voluptate perfundi me cognovi, mecum animadvertens longævitatem cum experientia vi pollere, ut indoctum hominem doctum faciat, cum experientia verum & ſtabile Scientiarum omnium ſit fundamentum, certus quippe tale Medicorum aſſertum, eſſe omninò falſum. Vide quæſo Reverendiſſime Domine, quàm facilè hominum ratiocinia cadant, ubi falſis fundamentis fuerint ſuperſtructa. Demonſtrare ſiquidem mihi perdifficile eſſet, non eſſe hoc peculiare donum, mihi à natura conceſſum, cum à cæteris nullatenus differam, & iiſdem humoribus ſim conflatus, imò cuique felicitatem hanc appetenti, non magnus eſt labor illam aſſequi ſi velit, homini enim præter ſenſum, rationem ac intellectum, Deus Optimus Maximus impertitus eſt, quorum ope ſe ad extremos uſque vitæ fines ſartum tectum ſervare poſſit, & quia quiſque cum juvenis eſt, ſenſui, & voluptati totum ſe tradere pro more habet, ſciat propterea, ubi 40. annum attigerit, ſe juventutis favore, & ſtomachi nativo robore medium iter exegiſſe, poſtmodum autem deſcenſum & declinationem ad ſenectam ſibi ſupereſſe, quare neceſſariam eſſe in victu mutationem, tum in qualitate, tum in quantitate, ac meliorem ordinem ſervandum; fieri ſiquidem nequit, ut qui appetitui & voluptati indulgere velit, errata non committat, quæ mala ut caverem, ſobriæ vitæ me totum mancipavi. Fateri tamen licet, hujuſmodi tranſitu à voluptuoſa vita ad ſobriam, me non parum laboraſſe, quare ad difficultatem tollendam, continentiam, quæ Divinum Dei donum eſt, ſuppliciter ab ipſo Deo oravi, ſicque paulatim ad frugalis vitæ caſtra me contuli, quæ poſtea mihi non admodum moleſta fuit, quamvis non adeò validum temperamentum à natura ſortitus eſſem. Quicumque igitur huic vivendi generi ſe velit adjicere, ſi firmo corporis habitu ſit præditus, meo exemplo non tam arctis legibus ſe debet obſtringere, ſed liberalius ad vires ſuſtentandas nutrire ſe poterit. Medici itaque qui ſermones hoſce meos, & rationes audierant me à veritate non aberrare ingenuè confeſſi ſunt, junior tamen ex his Medicis, proteſtatus eſt rationem evincere, propoſita mea vera eſſe, ſed ſibi rem fore difficillimam, cui ego repoſui, mihi quoque rem perdifficilem fuiſſe, ſed ubi honeſti ratio ſic exigat, opera, quæ Deo pergrata ſunt, licet ardua eſſe ſuſcipienda, novit enim ille hominem, ubi 80. annum attigerit, à ſenſuum tyrannide liberum eſſe; conſtituit enim Deus humanæ naturæ longos vitæ fines, ac voluit eum, qui ad naturales vitæ terminos devenerit, ſine labore, & anxietate, ab hac vita ad aliam immortalem per ſolam reſolutionem migrare, ut mihi ſpes eſt Sanguine Sacratiſſimo Servatoris noſtri, quem ipſe fudit, ut animas ab hujuſmodi pœnis eximeret. Dictis meis annuit Medicus

ille

ille juvenis, dixitque sobriæ vitæ se devovere velle & experiri aliquando, in senectute, hanc animi quietem, & solatium. Desiderium quo flagrabam Vir Reverendissime tecum colloquendi, me prolixiorem fecit. Ajunt nonnulli, me oleum, & operam perdidisse, homines ad vitam sobriam amplexandam adhortando, ac hosce meos Tractatus Platonicæ Reipublicæ, cujus exsistentia non nisi idealis fuit, speciem referre, & si rationibus meis fidem non habent, credant saltem Experientiæ, quæ palam facit, me vitam multos annos hoc pacto servasse, antequam Tractatum istum conscriberem, neque illum publici juris fecissem, nisi à quolibet servari posse fuissem expertus, jamque à non paucis accepi, quosdam, Tractatu hoc meo perlecto, hujusmodi vivendi generi, nec sine fructu se addixisse, quod igitur de Platonis Republica obtrudunt, in hoc Tractatu de Vita sobria locum minimè habet, sed hujusmodi hominibus, qui sensibus, & voluptatibus potiùs, quàm rationibus auscultant, justa punitio est, si gravissimos morbos, atque interdum etiam intempestivam mortem sibi accersant.

ANNOTATIONES.

Duo admiratione digna, quæ vix fidem mereantur, observasse ait, Nobilis Scriptor, nisi in se ipso fuisset expertus, unum quòd ab usu cinnamomi, quàm piperis se magis incalescere persentiret, alterum, quòd quotannis Julii, & Augusti mensibus à cujuscumque vini genere, tali aversione corriperetur, ut abstemius omninò fieret, & hanc ob causam succedente anorexia, in summum languorem, & vitæ discrimen deduceretur, iis autem mensibus exactis, à vino recenti prodigii ad instar, cum sanitate in gratiam rediret. Cinnamomum vi pollere calorem acriorem excitandi, quàm piper, non admodum miror, piper enim est substantia nimis dura, & compacta, ut à stomachi fermento non tam facile dissolvi possit, si enim integrum assumatur, tale redditur, neque ex illo olei quidquam obtinetur, cinnamomum vero multum habet oleositatis, quæ naturæ amica subit venas, & lampadis vitalis pabulum est. Vulgaris autem observatio est, piperis modicè contusi, & fracti, quàm in pulverem tenuissimum redacti, securiorem esse usum. Mirari autem magis licet, quomodo vinum vetus depuratum ac defæcatum prædictis mensibus, Cornelii nostri stomacho adeo hostile esset, recens vero septembris mense paratum adeo amicum, ut remedii loco esset, quando omnes, qui sapiunt, nisi cogat necessitas, à vinis recentibus, quantùm possunt, abstinent; qui veteri utuntur vino sapientes puto, ajebat Plautus in Cassina; *locus exstat in hanc rem apud D. Lucam cap. 5. ubi de vino veteri hæc dixit Servator noster:* Nemo bibens vinum vetus, statim vult novum, dicit enim vetus melius esse. *Experiamur itaque an quidquam in medium proferre liceat, quod probabilitatis specimen aliquod habeat. Hujus itaque anniversarii affectus gravis, ac insolentis, causam potissimam in habitum siccum, & squallidum, quem à vitæ sobriæ usu Vir Nobilis contraxerat, referri posse existimo. Cùm enim à primordiis valdè imbecillem corporis constitutionem fuisset sortitus, & transitu à lautiori vivendi genere, ad vitæ sobriæ castra, omninò exsuccus, & junceus factus est, qualis siccitas postea per æstatem,* sole dies referente siccos *ita augescebat, ut major esse non posset; in hujusmodi autem statu ac tempore, vinum ex sua natura, ob partes spirituosas, quas habet, calorem vitalem, & fermentum stomachicum depascere potiùs, aptum est, quam fovere, & pascere; sic ex Celsi monito* æstate dilutius, hyeme meracius bibendum, *hinc latrante sirio omnes qui sapiunt à vini usu sibi temperant, ac ad tabernas confluunt, ubi ptisanæ, & aquæ ex acido limonum, aurantiorum, cerasorum, fragorum satis elegantes parantur, ubi liberaliter, & forsan etiam nimis se proluunt. Quod autem vinum recens in hoc Nobilissimo Viro, præ cæteris exhausto præsidii loco esset, ac tam cito stomachi robur instauraret, in acidum volatile, quod in uvis maturitatem nondum assecutis præpollet, referendum existimo. Scire autem oportet, vi-*

na ſoli Patavini, quibus Nobilis Patiens utebatur, id peculiare habere, quod ex ſua natura multum acidi volatilis obtineant, ac in tinis citiſſimè ſummo fervore ebulliant, & paucos poſt dies facta deſpumatione, & partium præcipitatione clareſcant, unde non ſolum plebs ruſticana, ſed urbana vinis novis, Auguſti, & Septembris menſibus paratis, ſine noxa utitur; id in hiſce vinis recentibus obſervavi, quod ubi in doliis ad quindecim ferè dies ebullierint, ab ebullitione, & murmure omnino ceſſent, atque foramine concluſo, ſuæ quieti ibi relinquantur, quod in cæteris regionibus non evenit, ubi vina per totam ferè hyemem in doliis perſtrepere percipiuntur, antequam perfectam depurationem aſſequantur. Inſtaurato itaque à grata vini novi aciditate ventriculi fermento, quod à vino veteri in habitu corporis cæteroqui ſquallido & magis æſtuoſis anni menſibus fuerat exuſtum, mirum eſſe non debet, ſi corpus poſtea renutriri inciperet, ut fit in iis, qui poſtquam longis lævitatibus inteſtinorum laborarint, ructu acido ſuperveniente, qui prius non aderat, licet macie confecti, ſuæ ſanitati, & priſtino nitori reddantur.

INDEX

INDEX
RERUM & MATERIARUM,

Quæ in omnibus Operibus BERNARDINI RAMAZZINI *Continentur.*

A

Abſceſſus aliquando morbus modo non *pag.* 100
Abſtemius quotannis fiebat Auctor menſe Julio, & Auguſto magno vitæ periculo 499
Academia Mutinenſis plures nutrivit Viros eruditos 6
Academiarum in pleriſque regionibus inſtitutio 2. 3
Academiarum utilitates, & uſus 2
Academiæ ſunt firmiſſima Civitatum columina 4
Acetum corpulentiam imminuit 447
portionem aliquam ſpiritus ardentis continet 330
Acidum latens in ſulphure obſcuratur à pinguetudine.
vini an ebrietatis cauſa 330
volatile morborum caſtrenſium cauſa 369
volatile in uvis maturitatem nondum aſſecutis prævalet 499
Ægyptus Nili donum 157
Aër num levior ſit imminente pluvia, gravior verò ſerenitate reſtitutâ inquiritur 218. & ſeq. & 225
Aër Auſtralis, & *Borealis* cujus indolis 116
calorem ſanguinis acuit 413
fermentationis auctor eſt ibid.
fodinarum quomodo emendatur 280
Morborum Epidemicorum, ut plurimum cauſa 68. 69
Qualis ad bonam reſpirationem 74
Craſſus & partibus volatilibus, quæ à Sole emanant, deſtitutus, bilem languidam efficit, & ſuccum pancreaticum acriorem reddit 74
Qualis circumfuſus, tales humores, & ſpiritus 280
Aër Quis eligendus ſit in Caſtris? 450
ejus natura & effectus 413
Tenuis ſanitati non ſemper confert 414
vitæ, & morborum Auctor 314
Salubris multum confert longævitati, & ſanitati 479
in his puteis hyeme dum conſtruuntur eſt quietus, ut lumina perſtent accenſa, ſub verno tempore ob fumoſam exhalationem exſtinguuntur 167
Æris malleatores oculorum morbis nunquam obnoxii 388
Æſtate cur lentè ambulandum, præter quàm ad Solem, ratio redditur 479
Æſtuarium venetum fortiſſimum à ſuis hoſtibus munimentum 492
Ætas puerilis minus apta ad Chinæ Chinæ uſum ob errata in victu 125
Agricolæ morbis pectoris, ut plurimum obnoxii 363
Agricolis ægrotantibus magis confert purgatio quam venæ ſectio 366
Agricolarum pueri ſub Æquinoctium mydriaſi laborant, ac ſponte ſani fiunt 363. 364
Agrorum Stercoratio ab Heſiodo damnata 364
Algidæ febres eæ ſunt, quæ ab initio uſque ad ſui finem perpetuo comitantur frigore, ſuum tamen typum ſervantes 129
Alkalia cum alkalicis interdum efferveſcunt 329
Allia, & cœpas agricolarum theriacen appellat Galenus 366
Alternatio operationum, Naturæ gratiſſima 336
Alvus adſtricta clyſteribus emollientibus non eſt reſeranda 434

Alvi adſtrictio ut corrigenda, ibid. in Senibus ut præcavenda? 441.442
laxitas ut corrigenda? 433
obſtructio Caſſia non eſt reſeranda 434
Amylum habet vim corroſivam, contra quam creditur 337
parantes tuſſicoli, aſthmatici 336
Anatomia per mortes animalium plurima detexit inventa 11
Animalia in fodinis degentia, lucifuga dicta 279
Animæ, & corporis fida ſocietas valetudinis fundamentum 376
Animam à lectione, & vocis exercitio moveri quid intellexerit Hippocrates 362
Animi affectus in Principibus morborum ſunt auctores 435.436
affectus ſunt moderandi ibid.
Animi affectuum vis in corpus ibid.
Ad *Animi* affectus propenſio dicta ut corrigenda? 436.437
Animi pathemata morborum cauſa præcipua 479
pathemata ſobriam vitam ſervantibus non adeò noxia quàm iis qui intemperanter vivunt 480
Anni climacterici per ſeptenarios & novennarios procedunt 490
unius ſpatio à variis malis veteribus ſola victus ſobrietate ſanatus eſt Auctor 478
Antiochi Medici jam ſenis qualis eſſet vivendi ratio 484
Antiperiſtaſis veritas ex his fontibus demiſſo Thermometro oſtenditur 166
Antrum propè pagum Vulſinienſium, unde aura frigidiſſima per æſtatem exſpirat 167
Apes quando ſteriles & infirmæ 73
Apoplexiæ, Catharri, Cachexiæ, Hydropes acidi prædominium ſignificant 87
Apoplexia multiplex 97
aliquando deperditur loquela, non vox ibid.
Quid conferat ad prognoſim & curationem ibid.
Quando exigat V.S. 131
Aphonia in maligna febre alia convulſiva, alia exſolutoria 97
Aqua quomodo per ſtrata arenoſa occultè effluat 160
Deſcendens per loca arenoſa, ſi detur hiatus, reſilit 161
iſtorum fontium à Maris cum Appenninis Montibus commercio deducitur 160
horum fontium quomodo à Mari deducta, à ſuo hydrophylacio deſcendens reſiliat, per figuram ſecundam explicatur 161
Aquæ deſtillatæ plantarum ſudores dicuntur 283
Aquæ marinæ quomodo ſuggerere poſſint humorem his fontibus, variæ referuntur opiniones 163.164
Aquæ horum fontium non poſſunt habere hydrophylacium in jugis Appennini 164
iſtorum puteorum mobiles ſunt, & poſt perforationem curſum proſequuntur 170
iſtæ cur in altum adſcendant ibid.
fluens per fiſtulam licet ſint parva foramina, nihil aquæ ab illis effluit, ſi verò obex apponatur, per foramina effluit, per figuram ſecundam demonſtratur 170.171
Aquæ Puteales ex nimia illuvione cœnoſæ, & ſemiputridæ 76
Aquas pluviales pro potu communi cæteris prætulit Hippocrates 178
Aquas ſubterraneas unde fontes iſti emanant non eſſe ſtagnantes, ſed currentes, multis rationibus oſtenditur 144
Aqua non convenit in febribus ab acido exortis 83
Aqua quæ Mercurio naturaliter ineſt confert ad ejus adſcenſum vel deſcenſum in Barometro 225
Aqua nivis plus habet Nitri quàm aqua fontis, idque experimento probatur 227
Aqua Nili pro potu optima, utpote longo curſu exercita 179
ſimplex, quæ cæteris præfertur, aëri ſereno debet eſſe ſimillima ibid.
Virginis Romæ aëri ſereno perſimilis ibid.
Levis ea eſt quæ nullum affert in hypochondriis gravitatem 180
Aquæ fontium Mutinenſium æſtate valdè frigidæ, hyeme tepentes 181

à corruptione diu immunes, aluminosæ qualitatis participes ibid.
Mutinenſes nunquam putreſcunt 182
in quibus citò coquuntur legumina, malè præferuntur cæteris aquis ibid.
Aqua Nili teſte Alpino longævos homines facit 183
erumpens in prima perforatione multam eructat glaream & ſabulum, poſtea clareſcit 139
Aquæ horum fontium in ſitu urbis devexiori aſſurgunt ſupra planum ibid.
horum fontium in eadem ſunt altitudine 140
Aquæ lateralis preſſio manifeſta eſt in iis, qui in aqua uſque collum ſe immergunt 146
Aquarum averſio à fluminibus, ne arenæ nimiam copiam in mare deferrent, & portus obſtruerent à nonnullis improbatur 492
Aquarum emerſionem non poſſe fieri à terræ preſſione oſtenditur 144
Arabes artem Medicam obfuſcarunt 10
Arborum trunci interdum in horum puteorum fundo reperiuntur 140
Archiatri Principum requiſita 409 ibid. & ſeq.
Arenam uſque ad centrum terræ protendi, credidit Helmontius 161
Arenæ proprietas eſt aquam ſorbere 160
Argilla oleum abſorbet à veſtibus 302
Armenta ſolo odoratu herbas bonas & malas dignoſcunt 479
Ars plaſtica Mutinæ olim præclara 169
Arthritidis prophylaxis 448
cauſa ibid.
Arthritis & calculus ſunt affectus cognati 447
Ars texendi olim Nobilis, nunc plebeja 386
Arthritis, & Nephritis binæ ſorores, & vitæ ſedentariæ filiæ 375
Ars texendi antiquitus duplex 386
Typographica ſeculi 14. inventum, num utilior, an damnoſior fuerit 382
Turcicum imperium illam non admittit ibid.
Artium omnium, & ſapientiæ quoque magiſtra paupertas 373
Artifices in cenſu Romanorum olim deſcripti in Præf. 274
Artificum Collegia à Numa Pompilio Romæ inſtituta in Præf. ibid.
Artifices Statarii quibus morbis obnoxii 346
Sedentarii quibus morbis tentari ſoleant 348. 349
Ægrotantes in parte, quæ magis exercetur, decubitus pati ſolent ibid.
Aſclepiades totam medendi rationem turbavit ſola victus ratione inſtituta 484
Aſthma obeſorum unde? 446
montanum quid ſint ejus remedia 279
Athletis uſus venereorum interdicebatur 359
iiſdem aliquando permittebatur ad hilaritatem conciliandam ibid.
Atmoſphæræ preſſio diverſa quid in corpore humano efficiat? 415
Atramenti ſpecies obſervata ex ſolutione vitrioli, & ſolutione Chinæ Chinæ 133
Avium carnes quæ ſalubriores 422
Avi cur Nepotes ſuos ament, magis quàm Parentes ipſi 494
Auctor Operis undecim Nepotes habebat ex iiſdem Parentibus natos, quorum conſuetudine certis horis maximè delectabatur 493
Auctoris opinio de Uſu Chinæ Chinæ varia ſecundum diverſas ſuas ætates 123 & ſeq.
Auctoris opinio de hydrophylacio in viſceribus Appennini, quod cum Mari communicet, & aquam his fontibus ſuggerat 160
Auctor in horum puteorum fundo pluries deſcendit ante perforationem, ut aquæ fluentis murmur perciperet 140
Aura è puteis ubi triticum reponitur perniciosa 338

B

Balnea antiquitus Artificum ſolamen pro munditie, & laſſitudine tollenda 304
Remedium præſervatorium ab herniis 361
Bajuli vaſorum ſanguinis in pectore ruptioni obnoxii, iidem aſthmatici, ac hernioſi fiunt 356
quare ſuper humerum pondus geſtantes curvi incedant 357

Barometricæ Ephemerides 210 & seq.
Barometrorum phænomena explicata 415
Bella, & seditiones Principe exsistente valetudinario ortæ 408
Bombycis sordes pessimæ, aërem inquinantes 342
Boves quando facile luxentur 73
Bononiensis Schola laudatur 132
Borelli de adscensu, & descensu Mercurii in Barometro sententia 212
Botanica excolitur 15
Burnetii opinio de Statu Mundi antediluviano 153

C

Cadavera in Templis tumulandi consuetudo aërem parum salubrem reddit 314.315
Cacochymia ab esu leguminum 99
Calcis decoctum in Diabete. 296
Calculi in Bobus, Equis frequenter reperti 340
à causa externa per os suscepta producti ibid.
causa 448
Calculus renum ex vini abusu 424
& arthritis sunt affectus cognati 447.448
prophylaxis 448
Calor blandus hyeme in horum puteorum fundo persentitur, ac dimisso Thermometro liquor attollitur 186
Caloris virtus 104
Calx oleo perfusa non effervescit 296
Calvities est probrosa 442.443
Camera optica, quomodo fiat visio, egregiè ostendit 359.360
Canalis dictus, *il Taglio*, factus ad avertendam aquam à Medoaco; ne arenam nimiam in Mare inferret, & portum obstrueret 492
Canabis & Lini maceratio aërem pestilentem reddit 364
Cadaverum Boum epidemiâ contagiosâ exstinctorum dissectio & inspectio 457.458
Calor non confert ad adscensum vel descensum Mercurii in Barometro 217
Candelarum sebacearum nidor capiti & stomacho valde noxius 310
Canicularibus diebus aquæ paratæ ex acidis valdè utiles 499
Canis, & aliorum Astrorum ortus varius 77
Cantharides toto corpore sunt armatæ, & totæ sunt ulcerativæ 298
Cantores, & Phonasci quibus morbis obnoxii 361
Caput capillitio munire consuetudo salutaris 378
Carbonum vis pestifera 385
Cardiaca acida quo tempore utilia 103
Caries ex frugibus Pulmonibus valdè noxia 339
Carmen seculare quid 9
Carminatores cannabis, lini, & sericearum placentarum asthmatici 342
Carnes animalium domesticorum salubriores sunt quam ferinæ 421.422
leves ad stateram Hippocrati quid? ibid.
duræ sunt flagellandæ ibid.
Carnium esus oris fœtorem patrat 421
Caro ex porculo lactente in sputo sanguinis salubris observata 355.356
Casei nequitia à Lotichio descripta 309
Cassia in alvi obstructione non convenit 434
Castrense proverbium *qui Patriam quærit, mortem invenit* 371
Castrensibus febribus Chinæ Chinæ usus noxius 131
In Castris constituto Principi quid tenendum? 450
mundities sit ibid.
Castrorum mundities apud Israëlitas ex præcepto observata 369
Casus Comitis Torricini exponitur 133.134
Catharri generatio 91
Causa non est Caput ibid.
Catharri materia, locus &c. ibid.
Quo ad Senes observatio 95
Causæ morborum Epidemicorum 74
Cerevisiarii dum parant cerevisiam temulenti fiunt 332
Cervia Civitas salis promocondus 344
Cervia Civitas penè deserta, summorum Pontificum privilegio, omnium exsulum tutum est asylum 345

Chymico-

Chymicorum morbi 286
Chinæ Chinæ vim Febrifugam licet potius admirari quam intelligere 124
nihil è ſua natura à corpore educit ibid.
Chinæ Chinæ abuſum eſſe, illam exhibere quacumque ætate, regione, ſexu, tempore, temperamento 125
Virtus Opio aſſimilatur 134
China China in Conſtitutione ſicca, feliciorem habet uſum, quam in humida 122
Chinæ Chinæ decoctum ad uſum clyſterium adhibitum 133
energia in ſtomacho præcipuè, in aliis partibus, aut parva, aut nulla ibid.
Chriſtiani ad metalla olim damnati 277
Chyli verus curſus à Pecqueto detectus 11
Cibi attritio in ſtomacho apud Galenum quid? 418
debiliores Hippocrati quid? 421
Ciborum varietas nocet 18. & ſeq.
Ciborum varietas vitanda 418
Copia vitanda 419
Cicadarum natura, nutritio. 80
ſi ſileant malum ibid.
Quodam anno aphonæ, non ſic Ranæ 70
Cinnamonum cur Auctorem Operis magis calefaceret, quàm Piper 499
Circulatio aquarum in Geocoſmo deſcribitur 166
Cita vel tarda aquarum corruptio, num ſit bonitatis argumentum quæritur inter Medicos 181
Civitates quæ in Via Æmilia ſunt, non longè à Montium radicibus erant poſitæ 158
Civitatum in plano hoc eſt fatum, ut temporis progreſſu maneant ſemi-ſepultæ 166
Civitatum illarum, quæ in Montibus ſunt, ut fundamentis denudentur 201
Cloacarum odor quare oculos præcipuè lædat 299. 300
Cloacæ Romanæ Urbis inter magnifica Ædificia recenſentur 301
Cloacarum Expurgatio antiquitus inter pœnalia opera ibid.
Clyſter nutriens per 66. dies ſuſtentavit Monialem œſophagi paralyſi affectam 98
Clyſteres acres multo ſale referti improbantur 368
emollientes in alvo adſtricta non conducunt 433. 434
Cæcitas ex cloacarum purgatione 299. 300
Cæli nomine ex Hippocrate aër intelligendus 370
Cæna num liberalior prandio eſſe debeat 484
Cogitatio eſt animæ deambulatio 376
Colicæ cauſa 448
prophylaxis ibid.
Colica à ventris compreſſione ſedata 366
Colicæ remedium ex emplaſtro chamæpitii ibid.
Collyrium ex ære ophthalmiæ à fumis metallicis facta remedium 281
Comœdia opus juvenum, Tragœdia ſenum 493
Comarum adſcititiarum uſus 442. 443
Comeſtio unica in die improbatur 488
Commodus Imperator quomodo à Galeno curatus 18. & ſeq.
Confidentia ægrorum in Medicum quem elegerint plures ſanat quàm remedia 485
Conjectoris boni munus 160
Conſtitutio pluvioſa & humida anni 1689. 69
ſicca duobus annis in Ciſpadana & Tranſpadana Regione obſervata 162
Conſuetudinis poteſtas 474
Conſtitutio Uratislavienſis in qua multi è Chinæ Chinæ potione obiere 130
Contagioſa epidemia quæ in agro Patavino, & totâ ferè Veneta ditione in Boves irrepſit 453 & ſeq.
Contagioſæ epidemiæ quæ in Boves irrepſit ſigna 455 & ſeq.
Contagioſa epidemia qua Boves fuere affecti eſt febris peſtilens ibid.
Convivium Auguſti 419
Coriarii & fidicinarii omnes ferè cachectici 308
Coriarii ad hydropem facilè propendent, ibid.
Cornarius Patritius Venetus quomodo diu vixerit 19
Corpulentiæ incommoda 444
Corpulentia ut præcavenda? 446. 447
ut arte inducatur? 445
Principum difficilis curatu 446

Corpulentia Principum unde? 445
ejus causa ibid.
nimia probrosa 446
hæreditaria 445
in quale temperamentum cadat? 444
Cortex Peruvianus divinum remedium 15. 16 & 30
Cortex Peruvianus vim habet fixativam 132
quando nocuit, & quando profuit 122
Malum in quibusdam febribus 84
non est remedium universale 122
in frigidis, & humidis constitutionibus parum salutaris ibid.
in calidis, & siccis è contra salubris ibid.
Corticis Peruviani usus tertianis malignis convenit, uti remedium empiricum & cætera alexipharmaca 124
Corticis usus tutior viris & mulieribus exercitis, quàm Nobilibus 125
Corticis nucum virtus, præsertim in inflammatione 80
Crapula peste ipsa pernicioſior, dum tot homines, è vita surripit 475
Crapula pro vitæ elegantia habetur, sobrietas verò pro re sordida 474
Creta figularis olim credita terminus fodiendi puteos, sed male 162
Mutinensis pro opere figlino à Plinio laudata 169
Crocus Martis non est aperitivus, sed adstringens, nisi acidum superfluum repererit in Ventriculo à quo solvatur 85
Crura crassa fiunt equitatione 427
Cucurbitulæ scarificatæ an conveniant in febre maligna 93
Cursus majorem exigit inspirationem, quam exspirationem 352
Cursores ut plurimum anhelosi, & hæmoptoici ibid.
Cursores supra 40. annum, ut plurimùm ad cursum impotentes fiunt 353
Cursus longi reversi, circulares, indefiniti quam potestatem habeant 354
Cursus circularis quare tantam defatigationem afferat ibid.

D

Deambulationis necessitas 428
Deglutitio propter Oesophagi paralysim periculosa 98
Democritus & Heraclitus utrique reprehensione digni 480
Descriptio Fontium Petrolei in Agro Mutinensi 164
Descriptio circulationis aquarum in terreno corpore 167
Destillationes ac fluxiones in pectus ab intemperantia studiorum 376
Destillatores vini ex solo odore temulenti fiunt 328
Dæmunculi fodinarum incolæ 279. 280
Deus Mundum numero perfecto condidit 490
Diætæ regulæ in Artificibus à Platone deridentur 366
Diluvii universalis veritas in his puteis quæsita sed malè 168
Disciplinæ liberales morum asperitatem emolliunt 2
Divinum Hippocratis in morbis non solum, sed etiam in remediis reperitur 124
Divinum Hippocratis quid sit 370
Dolia pro vino recondendo, in Germania sulphurari solent 293
Dysenteria aliquando minus malum diarrhœa 73
Dysenteriæ castrenses, & illarum causæ 369
remedium ab opiatis 113. 114
Dyspnœa metallurgis familiaris 277
Dysuriæ & urinæ cruentæ cantoribus familiares 362

E

Ebrietas œnopœis ex solo vini odore familiaris 328
num à parte vini acida an sulphurea alkalica ibid.
Ebrietatis remedia ex alkalicorum familia ibid.
Ebrietas levis quæ commoda valetudini præstet 331
Ebrietatem remedia præcaventia 332. 333

Eclipsis

Eclipſis infirmis valde noxia 109
Caſus inſignis ibid.
Magna alteratio eſt in aëre 110
Epicureorum ſolamen in Doloribus 480
Epidemiæ Bovinæ Curatio, & remedia 460 & ſeq.
Epidemia Bovina num humanis corporibus labem aliquam affricare valeat, diſquiritur 458. & ſeq.
Epidemiæ contagioſæ quæ in Boves anno 1711. irrepſit cauſa occaſionalis 456
Epidemiæ omnes cauſam habent communem ibid.
Epidemica conſtitutio Fullonum 303. 304
Epidemici morbi cauſæ communes, ſunt præſertim aër infectus ex inferioribus ſive ex ſuperioribus, communia alimenta mali ſucci, & aquæ corruptæ 74
Epidemici morbi à Principe arcendi 416
Epidemici morbi non tam facilè corripiunt qui vitam ſobriam ſervant, quam qui intemperanter vivunt 487
Epilepſia tentari ſolitus, & à quaterna ſanatus, fugata quaterna per febrifugum, rurſus fit epilepticus 131
Equiſones mariſcis infeſtari ſolent 354
Equitantes libidinoſi 355
Equitatio quæ commoda afferat, & quibus morbis ſalutaris ibid.
Equitatio Principibus neceſſaria 427
Equitationis utilitas ibid.
damna ibid.
Equi in circulari curſu quare adeo defatigentur 355
Equorum fimus in aulis non eſt ſervandus 415
Experimenta multa facta permiſcendo chinam cum variis ſuccis 133
Eridanus magno impetu in Mare procurrit quia multis aquis abundat 493
Exercitatio vocis animum movet, & totum corpus facit incaleſcere 362
Exercitationes Gymnicæ quanti fierent apud Antiquos 351. 352
Exercitium membra amplificat 334
Exercitium, & uſus frictionum contrarias habet vires juxta varium illarum uſum 479

F

Fabri ærarii ferè omnes ſurdaſtri & gibbi 387. 388
Fabri ærarii quibus morbis obnoxii 388
Fabri ferrarii ut plurimum lippitudini obnoxii 293. 294
Fabris ex Platone expeditam à Medico exigunt curationem 296. 297
Fabri lignarii qui ad tornum ſe exercent oculorum morbis obnoxii 369
Fabri lignarii qui arbores in tabulas ſecant quibus affectibus premantur ibid.
Fallopii opinio de ſtratorum in Montibus generatione 169
Febres caſtrenſes malignæ 368
Febres malignæ ex halitibus cannabis maceratæ 364
Febrim lentam augere an liceat, ad eam curandam 28
Febricitantibus num induſia & lintea mutanda 304. 305
Febres quæ ſeptimo die ſudore erumpente judicabantur 104
Febris morborum eſt Princeps & Comes 26
Febris natura nondum planè innoteſcit 27. 28
Febris natura ſecundum Hippocratem 27
Febris natura ſecundum Galeniſtas ibid.
Febrium vera theoria & praxis adhuc deſiderantur 25. & ſeq.
Febris tertiana, etiam duplex famelica 71
Febres tertianæ ex fermento ſalinoacido, in legitimis magis volatile & activo, minus autem volatile, & ſubjecto acido irretitum in nothis 75
Febres famelicæ ibid.
Febres contumaces, & ad recidivam pronæ 72
Febrium intermittentium cauſæ internæ ubi ſtabulentur 76
An conveniat in ipſis Venæ ſectio 81
Quænam ſit febris Gaſtrica, quænam Venoſa 82
Febris petechialis natura 114
Febris petechialis 109
Mutationes lunares obſervandæ in tali febre ibid.

Febris Peticularis Auctorum opiniones 116. 117
Talis febris signa 110
Die quarta vel septima erumpebant peticulæ 111
Quibus primis diebus erumpebant mors sequebatur ibid.
Alvi fluxus funestus ibid.
singultus feralis ibid.
Febris Peticularis Qui vermes per os emiserunt mortui sunt ibid.
Febris Stupiditas, læsio memoriæ, surditas ibid.
Agricolæ sine ullo remedio, ut plurimum vim morbi eludebant 111. 112
Remedia qualia 112
Purgatio levis conferebat 113
Febris Peticularis natura unde proveniat 118
Opinio Auctoris ad fluorem Sanguinis inclinans qua ratione, & experientia probetur ibid.
Juvenes & fortes invadebat, non senes valetudinarios ibid.
In Corporibus denatis dissectis observabantur maculæ adscendere ad cutem instar fumi lampadis nuper exstinctæ 120
Febris lenticularis natura 114
Febris Maligna modo in coagulatione Sanguinis, Modo in dissolutione consistit 116. 117
in hac febre alvum ducere, & venam secare periculosum 119
Febribus essentialiter continuis, & inflammatoriis noxius est Chinæ Chinæ usus 129. 130
Febris Apoplexiæ superveniens V. S. prohibet 131
Febres parvæ an augendæ ibid.
Febris intermittens post Chinæ Chinæ usum nunquam ad perfectam apyrexiam devenit 129
Febris excitatio necessario post Corticem Peruvianum assumptum, si vigeant dolores Abdominis 122
Fit excitatio per Salem Armoniacum ibid.
Magis luxuriabatur ubi patulæ erant viæ & humiliora tecta æstate transacta 104. 105
Feces alvinæ cur coacerventur & aliquandiu retineantur 418
Ferrarienſis Ager Padi donum 157
Ficus Pharaonis, & Spiritus Salis Armoniaci laudatur ad Chinæ Chinæ damna auferenda 131
Figuli ut plurimum vertiginosi, & paralytici 288. 289
Figuli ischiadi obnoxii ibid.
Figuli qui ad rotam pro conficiendis vasis sedentes exercentur, vertiginosi fiunt ibid.
Flumina quò magis aqua abundant dum in mare procurrunt, viam & canalem in Maris fundo sibi faciunt 492
Flumina quo magis lentè in mare currunt plus arenæ deponunt ibid.
Fluminis subterranei, unde hi fontes emergunt, opinio omnino improbabilis 148
Fluxum & refluxum cur non patiantur isti fontes, si à mari habent originem 166
Fœmineus sexus quare minus aptus ad Chinæ Chinæ beneficia quam virilis 125
Phlebotomia quando infelix 90
Fœtor oris ex carnium esu 421
Fontium Mutinensium admiranda scaturigo 392
Fontes Mutinenses, tam in constitutionibus siccis, quam humidis, semper iidem 161. 162
qui à pluviis originem ducunt augmentum, & decrementum patiuntur 162
varii referuntur in eodem semper aquæ tenore ibid.
isti supra planum non multum assurgunt, unde fluxu temporum aquæ stagnabunt 166
Fontium origo à Mari controversa 163
Fontium ipsorum aquæ, cur à Mari potius quàm à fluviis educantur, ratio affertur 162
Fontium omnium eadem est bonitas, & aquæ puritas 142
Fontes isti sine situs delectu tam extra, quam intra Urbem possunt haberi 138
Fons abyssus prope Ducale Palatium præ cæteris commendatur, cujus aqua cretam usque delata, ad nativum fontem incorrupta revecta

revecta est, quod aquæ Nucerrianæ non contingit 142
Fontium Mutinensium aquæ facilè permeant, & per urinam redduntur 180
Foricarii omnes penè cæci 299
Fossores si mense Majo puteos excavare velint penè suffocantur 167
hujus rei redditur ratio 168
Fossorum vestes in chalcanthi fodinis in pulverem solvuntur 280
Fossorum in fodinis quanta sit cura habenda ibid.
Fossorum morbis remedia 281
Fossoris imago ex Pignorio 278
Fossores à dæmunculis percussi cito intereunt 280
Francisci Patritii narratio de statu antediluviano, à Philosopho Abyssino credito 154
Franciscus Tonanus laudatur, ac testis adducitur 132
Frigoris virtus 104
Frigus non confert ad adscensum vel descensum Mercurii in Barometro 217
Fructus parcè comedendi sunt 422.423
horæi quid? ibid.
Frugalis cibus sanitati convenit 19
Frugum pulvis pulmonibus quam noxius 338
Frumenti in Lolium credita conversio 70
Fullones vestes sordidas antiquitus purgabant & dealbabant 302
Fullones podagra non laborant ibid.
Fullones urina veteri utuntur ad oleum è pannis expurgandum ibid.
Fullonum epidemica constitutio 303
Fullo Mutinensi populo gladiatorium spectaculum exibuit 307
Fulmen Agricolam percussit mirabili effectu 103
Fumus ex oleo nucum exspirans caput lædit 308
Fumus ex lixivio pulmonibus noxius 341
Fungi voluptuosum venenum dicuntur 479

G

Galenus artem Medicam ornavit & auxit 10
Galenus in chalcanthi fodinas descendit 279
Galenus palæstra se exercens, humeri luxationem passus est 358.359
Galeni scomma contra Q. Serenum circa urinarum judicium 302.303
Gallinæ vinacea calida comedentes, temulentæ fiunt 328
Galenus vitæ sobriæ fuit observantissimus, & rarò ægrotavit 480
Galeni Liber de consuetudine, est inter ea quæ desiderantur 474
Galliam Cisalpinam Maris Adriatici sedem fuisse, ex iis quæ reperiuntur in puteis Mutinensibus, probabilis opinio 157
Galliæ transpadanæ status antiquus ibid.
Gasparis Bartholini de fontium à solis pluviis origine opinio improbatur 163
Gens popularis feliciùs curatur à Medicis quam Principes Viri 18. & seq.
Germanicus Romano populo perquam charus fuit 408
Glarea, quæ ab his fontibus erumpit, non à montibus descendit, sed generatur in hac planitie.
Gravidis mulieribus, & eò magis si vicinæ sint partui salubrius est Chinæ Chinæ usus 126
Guajaci decoctum noxas à Mercurio illatas emendat 283
Gypsarii ut plurimum anhelosi ac tabidi 294
Gypsi admiranda vis elastica 295
Gypsi natura calci contraria ibid.
Gypsum in loco humido marcescit, in ficco ferè æternum ibid.

H

Habitatio circa loca pratensia insalubris 365
propè muros civitatis morbos accersit 308
Harmonica proportio in omnibus corporis partibus in ipsis etiam pudendis est admiranda 483
Harveus Auctor circulationis sanguinis, cujus tamen prima rudimenta hausit Patavii ab Aquapendente 495
Heremicolæ olim longævitatem à sola sobrietate acceptam referebant 495.496

Helmontius à carbonibus accensis malè mulctatus fuit 385
Helmontii opinio de statu Mundi antediluviano 156
Hæmorroidum ex tabaci insessu provocatio 311
Hæmoptoici in Ægyptum olim mittebantur 362
Hepatis structura detegitur 11
Herodicus à Platone irrisus, quòd Artificibus diæteticæ regulas præscriberet 366
Hippuris apud Hippocratem morbus ex equitatione 354
Hypochondriaca affectio Literatis familiaris 375
Hippocrates de Boum morbis verba fecit 455
Hippocrates fuit primus artis Medicæ conditor 10
Hysfericis affectibus nutrices persæpè obnoxiæ 318
Hypocaustæ & angustæ cellæ Literatis elucubrantibus noxiæ 380
Horatii Augenii opinio, quòd aqua quò sincerior sit, minus utilis 182
Hortorum cultores cachectici, ac hydropi obnoxii sunt 364
Humorum maturatio impeditur ab usu Chinæ Chinæ 132
Hydrophylacium unde hi fontes originem ducunt in Appennini radicibus esse creditur 164
Hydrostaticæ legibus non repugnat hujusmodi aquas esse mobiles, & ulterius progredi ac eodem tempore per hos puteos in altum adscendere 145
Hyeme meracius, æstate dilutius bibendum 479
Hyemis anni 1709. constitutio algidissima 60. & seq.
Hyems tota serena 106
Mitissimis frigoribus ibid.
Hygeia & Panacea Æsculapii filiæ 417

I

Jacobus Carpus unctionis Mercurialis Auctor 285
Jacobus de Grandis nunquam scripsit de his fontibus Mutinensibus, sed solam mentionem habuit 168
Jatraliptarum morbi 285
Jejunantibus cur ora graveoleant 489
Jejunia picrocolis adversa ibid.
Ignis febrilis ad humores concoquendos efficacia 131. 132
Ignis non semper venenorum domitor 284
Ignis non semper rerum corruptor, sed interdum etiam Auctor 290
Inauratores omnes ferè vertiginosi, & paralytici 282
Inauratores sine febris vestigio pereunt ibid.
Incoctibilitas leguminum potius solo, in quo fuerint, quàm aquis tribuenda 182
Infibulatio Athletis fieri solita, ne venere solverentur 359
Inflammatio non indicat majorem ad partem humorum influxum 91
Humores non feruntur majori impetu ad partem inflammatam ibid.
Curatur per laxantia non per adstringentia 80
In *Puteorum* fossione multa res curiosæ ac scitu dignæ observantur 143
Insulæ natantes in comaclensi æstuario observatæ 158
Intercipientia revellentia reprobantur 93
Joannis Baptistæ Aleotti de Argenta opinio de Pado, qui flumina supra Placentinam Urbem reciperet, non autem quæ infra 158
Iræ Phænomena 435
Italicæ mensæ Lautiores sunt 422
Judæi antiquitus Romæ in Transtiberina regione habitabant 309
Judaica Gens quibus morbis obnoxia 350. 351
Jurisconsulti & principum ministri ferè semper valetudinari 376
Juvenalis ignem cur luteum appellarit 294
Juvenum consortia vitam protrahunt 443. 444

L

Lac asininum magis ad purgandum, bubulum ad reficiendum laudatur 325

Lac coctione dulcedinem acquirit, mel autem deperdit 114
Lactantes mulieres num arcendæ à virili concubitu 320. 321
Lactantes mulieres quibus morbis obnoxiæ 319
Lactis generatio in puerperis à ventris compressione 322
Lactis generatio juxta leges mechanicas controversa 321
Lacus varii cum Mari communicantes 162
Lacus Vulsinienſium immensæ profunditatis, quomodo cum Mari habeat commercium ibid.
Lacus Albanus ex improviso in magnum tumorem elatus, cum antea nullæ cecidissent pluviæ ibid.
Lanæ Mutinenſes à Columella laudatæ 307
Lapicidæ calculis pulmonum obnoxii 340
Laudani Virtus 114
Laterarii quibus morbis obnoxii 390. 391
Legio pedestris frebre castrensi correpta, & à chirurgo China China potionata tota fere hydropica facta 131
Leucophlegmatia Sale, & Sole curatur 81
Levitas aquæ non est argumentum sufficiens ad ejus bonitatem probandam 180
Levitas aquæ dignoscitur ex corporum in eadem immersione ibid.
Lienis structura detegitur 12
Linguarum cultura Principibus necessaria 440
Literati vitæ statariæ incommodis obnoxii 373
quibus morbis teneri soleant 374
Literati cur melancholici ibid.
ut plurimum myopes fiunt ibid.
Literati in hypocaustis & museolis operantes, graves noxas sibi accersunt 380
Literati ut plurimùm arthritici & nephritici 375
Literati ventriculi imbecillitate laborant 374
Lochiorum suppressio mensium suppressione deterior 317
Lolium tritici soboles corrupta, quare magis longævum quàm triticum 339
Longævitas & experientia sunt potissimum Scientiarum omnium fundamentum 498
Lotrices dyspnœæ & hydropisi obnoxiæ 341
Lucanus finxit hydrophylacium in viscceribus Appennini, unde omnia flumina fluerent in mare superum & inferum 165
Lucta inter acidum stomachi, & alchali fixum Chinæ 133
Ludi seculares quid 9
Lues Venerea facilius curatur in gente rusticanâ quàm in viris nobilibus 22. 23
Lumbricos in aqua ubi dissolutum fuerit mel & saccharum citius mori, quam in amarissimis, quorundam opinio 85
Lunæ decrescentia quare infirmis obsit 121
Lympha detegitur 12

M

Machinæ spirales ab Agricola descriptæ ad aërem in fodinis recensendam 168
Magliabechius Vir celeberrimus laudatur 164
Malpighius satis moderatus in usu Chinæ 132
Mammarum cum utero mirus consensus, sed modus adhuc ignotus 324
Mammarum contrectatio veneris irritamentum ibid.
Mammæ cur ante partum & post partum lacte turgeant 321. 322
Marasmus togatis & Principum ministris familiaris 376
Martiani opinio de permittendo nutricibus virili concubitu 321
Martyrum corpora antiquitus sola condebantur in sacris Ædibus 314. 315
Massiniſſa Rex parvos pueros alebat in sua Aula, quos postea ad suas domos remittebat ubi triennium exegissent 494
Maturatio humorum impeditur ab usu Chinæ Chinæ 132
Mechanicæ structuræ potestas Hippocrati non ignota 322
Medica ars navigatoriæ arti est similis 31. & seq.
Medicamentorum copia noxia 21
Medici munus plebejos curantis est interrogare quas artes exerceant *in Præf.* 274. 275
Medici Mutinenses olim temperati in usu Chinæ Chinæ 132

Medici tyrannis in Principem 411.412
Medicina Infuſoria 13
Medicus antiquitatis & novitatis ſtudio perficitur 42. & ſeq.
Medicus Practicus noſcere debet communem hominum de ſe opinionem 37. & ſeq.
Medicus avarus 411.412
Medicus num fortunatus potius quam eruditus ſit eligendus? 410.411
Medicus perfectus ſui ipſius quilibet eſſe poteſt, ſi obſervet quæ proſint, quæ noceant 483
Medicus familiaris utilior eſt quàm extraneus 484
Medici indocti & rudes empirici cur vulgo magis placeant, quàm docti 485
Medici priorum temporum cum rationem reddere neſcirent, ad occultas proprietates & ſiderum influxum confugiebant 497
Medicamenta aliquando magis exaſperant morbos, ſicuti & venæ ſectiones, præſertim quando mala aëris diatheſis morbum alit 81
Medicamenta amethyſta ea ſunt quæ à crapula præſervant, vel factam diſcutiunt 475
Medicamenta per os aſſumpta varias mutationes ſubeunt juxta varias conditiones ventriculi 86
Medicorum auctoritas apud Reges Gothorum 411
Medicorum error, qui in vulneribus, luxationibus aliiſque caſibus externis ſemper venæ ſectionem fieri volunt 481
Medicorum multitudo noxia 20
Medicinæ incrementum 409
Medicinæ progreſſus ſeculo decimo ſeptimo 10. & ſeq.
Medicina Theorica ſupra Practicam dominatum affectare non debet 54. & ſeq.
Medico futuro peregrinatio neceſſaria eſt 410
Melancholici cur ingenioſi 477
Melancholici ingenioſi, & ingenioſi melancholici fiunt 374
Melancholicis temperamentis uſus Chinæ Chinæ parum ſalubris 126
Menſarum ſecundarum noxæ 422.423
Menſtruus ſanguis num qualitate peccet 316
Menſtruus ſanguis floris nomine ab Hippocrate appellatur ibid.
Mercurii altitudo in Barometro eadem penè eſt ſub zonâ torrida ac ſub zonis temperatis 228
Mercurius in Barometro circa æquinoctia modò adſcendit, modò deſcendit 217. & 227
Mercurio ineſt aliqua aquæ portio ex ſuâ naturali conſtitutione 225
Mercurius inauratoribus quas noxas pariat 282
Mercurius quare febrem non ſolum excitet, ſed potius ſopiat 282.283
Mercuriales purgationes ad febrile miaſma tollendum ſalutares 283
Mercurius infuſus, vel in aqua decoctus vermes exterminat 284
Mercurius an quid febrifugi contineat 283
Metallurgia cerebro, pulmonibus infenſiſſima 281
Metalla in metallurgorum cadaveribus reperta 279
Metallurgi effigies ab Hippocrate deſcripta 281
Mixtio rerum quantùm poſſit ex pulveris pyrii compoſitione dignoſcitur 133
Mixturæ rerum quantæ efficaciæ, & quàm facilè incautis imponat 290
Monachos divitiis, & bonis ſecularibus affluentes arguit D. Hieronymus 496
Monialibus cur raro ſalubris Chinæ Chinæ uſus 125
Montes propè Mutinam flammam cum ſtrepitu eructantes, de quibus mentionem habuit Plinius 164
Montes, Maria, flumina ante Diluvium nulla fuiſſe finxit Thomas Burnetius 153
Morbi, Apoplexiæ, Pleuritides, Peripneumoniæ, catharri ſuffocativi, Anginæ Eryſipelata 90
Cauſæ talium morborum ibid.
Morbi caſtrenſes ſemper quid divini in ſe habent 370
Morbos caſtrenſes cognoſcere, cuilibet Profeſſori neceſſarium 372
Morbi omnes tam continui, quam intermittentes circa veſperas exacerbari ſolent 130
Morbi peculiares ſua habent tempora 27

Morbus per ſapientiam mori ex Plinio quid ſit 375.376
Morbus frugum rubigalis dictus quid ſit 470
Variæ circa hoc dictum Scriptorum interpretationes 375
M. Antonium & Panſam in obſidione Mutinenſi inter harundineta & paludes pugnaſſe refert Appianus Alexandrinus 159
Mors ſubita obeſorum unde? 445
Motus corporis ſanitati conducit 425.426
utilitas 426.427
regimen in ſenibus 442
Mulieres pica & malacia laborantes ex vi conſuetudinis res abſurdas concoquunt ac diſſolvunt 474
Mulieres ruſticanæ rectius nutriunt lactentes filios, quàm urbanæ 327
Mulieres propè loca, ubi candelæ ſebaceæ fabricantur, habitantes, de uterinis affectibus conqueruntur 310
Mulieres textrices facilè abortiunt ex nimio labore 386
Mulieres textrices menſtruas purgationes habent faciles ibid.
Murmuris quod in horum puteorum fundo perſentitur, cauſa eſt expanſio aquarum per ſabuloſam planititem 169
Munditie veſtium ſpiritus animales exhilarantur 304
Mutationem in victu exacto anno 40. neceſſariam eſſe ad vitam longævam 498
Mutinam antiquam multò profundiorem quàm in ſtatu præſenti, ex ſtratis viarum & tabernis dignoſcitur 158
Mutina Urbs antiquiſſima Populi Romani colonia 138
Mutinæ ſitus antiquus longè depreſſior quam nunc ſit 143
Mutinenſis agri encomium 425
Mutinenſis quiſque Civis poteſt pauca impenſa in propria domo fabricari ſibi fontes aquæ puriſſimæ 138
Myopiæ obnoxii ut plurimum ſunt literati 374
Myopia ſenibus familiaris ibid.

N

Natator cum per lineam rectam vult ad fundum deſcendere, certo quodam motu manuum utitur, ac alio contrario quando per eandem lineam vult adſcendere 147
Naturæ in homine incrementum uſque ad 40. annum ſolet eſſe, reliquum tempus vitæ ad deſcenſum vergit 498
Navigantes in Mari ſunt edaciores, & alvi Stypticitate laborant 395
Navigantibus remedia debent exhiberi validiora quàm iis, qui ſunt in terra 394
Nautarum morbi qui 393.394
Nauticus panis fluxus remedium 395
Navis ante uſum Magnetis cur ars eſſet laborioſior 394
Navigatio ſalubris eſt prope littus 428
Nervoſus latex detegitur 12
Nephritides, artes ſtatarias exercentibus familiares 347
Nicotianæ fumus, maſticatio, & pulvis improbatur 426
Nili donum Ægyptus 157
Nilum per arenas diſcurrere Plinii opinio 160
Nitrum lippitudinis remedium 281
Nives labentes Mercurium in Barometro deprimunt 218. & 227
Nivis uſus in potationibus 423
Nobilibus Viris, ac Principibus febre laborantibus non admodum tutum remedium China 133.134
Nobilium vivendi ratio plurimum ad eorum morbos confert 21.22
Noſce te ipſum, quomodo ex Platone ſit intelligendum 301
Nubes ac nebulæ quâ ratione effingantur 224. & ſeq.
Nucis Cortex, ſuaque virtus 80
Numiſma Adriani Imperatoris Mutinæ in pedum Romanorum 18. profunditate repertum 159
Nutrices ut plurimum ſcabioſæ 318.319
Nutrices facilius purgationes tolerant, quàm venæ ſectiones 319.320

Nutrices ob nimiam lactationem ad tabem interdùm deducuntur 318
Nutrices in suos alumnos corporis atque animi vitia transferunt 326
Nutricum officium in nuptiis apud Veteres 321
Nutrices tam frequenti lactatione se ipsas, & infantes perdunt 327
Nutrices num à virili concubitu arcere expediat 320.321

O

Obesi cur infæcundi? 446
Obesorum asthma unde? 445.446
mortes subitæ unde? ibid.
Obstetricum morbi 317
Octavius Ferrarius Dissertationem scripsit de Bono Senectutis 476
Oculi structura quæ laudabilior 360
Odor rosarum nonnullis valdè infestus, & lipothymias infert 298
Odores aromatum consternationem inassuetis interdum inducunt ibid.
Odorum historia naturalis desideratur 313
Oenopœi licet abstemii, temulentiæ obnoxii 328
Oesophagi paralysis in Virgine Moniali 98
Offa Helmontiana quid & quomodo paretur 328
Olearii cachectici, & asthmatici 308
Olei è nucibus & seminibus lini fumus valdè noxius ibid.
Oleum mitigat utramque acrimoniam tam acidam quàm alkalinam 399
Oleum affectionis cholericæ remedium ibid.
Opera literatorum facta in senectute sunt ingeniosiora 486
Operosis mulieribus tutius exhibetur China China 126
Operum Auctores inter Literatos magis morbis obnoxii 375
Operarii qui saccharo condiunt plantarum semina quibus morbis obnoxii 385.386
Ophthalmiæ graves ex fumis metallicis 281
Opinio Auctoris dicentis falsum esse dictum illud *quod sapit nutrit*, non omnino improbanda 479
Opinio Fallopii de stratorum in Montibus generatione 169
Opinio Helmontii de Mundi statu ante diluvium 156
Opinio quòd ignis omnia purget ac lustret improbatur 284
Opium Chinæ Chinæ comparatur, sed illius virtus ephemera est 124
Opium num somnum inducat figendo spiritus & humores vel liquando 330
Origo fontium Mutinensium à Mari controversa 163
Opus D. Guntheri Christoph. Schelhameri de Humani Animi affectibus laudatur 493

P

Palatiorum conditio pro Principibus 414
Paludum exsiccatio sæpè magnarum inundationum est causa 492
Palus Pontina olim à Romanis exsiccata in gratiam præcipuè salubrioris aëris ibid.
Pancreaticus succus detectus 12
Parotides 86
Panacea & Hygeia Æsculapii filiæ 417
Panis esus commendatus 420
Partium corporis humani harmonia & consensus 408
Partus faciliores esse in lectis, quam super sellas 317
Pentaculorum imaginaria virtus ad pavorem discutiendum 371
Peregrinatio Medico futuro necessaria est 410
Perfecti numeri conditio qualis 409
Pestem Bovinam aliquando secuta est hominum pestilentia 459
Pestis Viennensis dissertatio 465
Pestis Viennensis fuit febris purpurata 467
Pestis Viennensis cur ab Auctore maligna misoptocha appelletur ibid.
Peticularum natura 116.117
Pharmacopœorum morbi 297.298
Philadelphus Ægypti Rex Berenicem filiam Antio-

Antiocho Aſſyriæ Regi deſponſatam aquam Nili ſecum deferre voluit 179
Phonaſci & cantores vaſorum in pulmonibus ruptionibus obnoxii 362
Phtiriaſis frugum molitoribus familiaris 335
Picrocolis jejunia adverſa 489
Pilæ parvæ ludus à Principibus exercitus 428.429
Pillulæ Aleophanginæ inter medicamenta acræpala laudantur 475
Piper cur minus calefaciat quam cinnamonum 499
Piſcatorum morbi 367.368
Piſcatoribus ulcera fuerunt in cruribus ibid.
Piſces majori vi motrice indigent ad natatum quam aves ad volatum 146
Piſces meliores qui 87
Piſces quando abundent 70
Agricolis quare noxii 75.76
Piſcium eſus plus panis exigit 367
Piſtrinis antiqui utebantur ad fruges terendas 335
Piſtores Tuſſi, raucedini, & lippitudini obnoxii 333.334
Piſtores nocturni artifices 333
Piſtores pororum cutis adſtrictionibus obnoxii 334
Piſtores ut plurimum valgi fiunt ibid.
Piſtoribus os ſudario obvelandi mos perantiquus ibid.
Planum unde ſcaturiunt hi fontes non multum diſtare à ſuperficie Maris Adriatici oſtenditur 159
Plebs cur facilius peſte corripiatur quam viri Principes 467
Plinii locus de inſulis natantibus in Mutinenſi agro 158
Plinius aquas pluviales improbat 179.180
& fontanas præfert ibid.
Plumbi aqua macerati halitus Figulos paralyticos reddunt 287
Pluvia ultra decem pedes terram non penetrat 161.162
Podagræ verum remedium vitæ ſobrietas, exemplo Franciſci Pechii oſtenditur 478
Podagra ex vini abuſu 424
ruſticos & opifices raro invadit 449
Podagricis minus noxia vina generoſa modicè ſumpta, quàm tenuia 379
Polypi plurimi in cadaveribus, & unde? 96.97
A Pomorum eſu noxæ 449
Populi ex ſolis piſcibus victitantes 367
Porculi lactentis caro hæmoptoicis ſalutaris 356
Præcautiones ad peſtem arcendam 469.470
Preſſio lateralis aquæ non poteſt æquare preſſionem lateralem aëris 146
Principes ut Polymathiam acquirant? 439
quo vino utantur 424.425
à vino abſtinentes 424
arthritidi, calculo & colicæ potiſſimum ſunt obnoxii 447.448
Literis imbuti ſint 437
eruditi parum fortunati 438.439
vino abutentes 424
Medicos tanquam familiares conſiderant 411
habeant Barometros, hygrometros, & anemometros 416
Principibus febre laborantibus China non eſt tutum remedium 126
Pro *Principis* ſanitate vota publica ſunt nuncupanda 408
Principis valetudo ſingulariter cuſtodienda eſt 407.408
quantum faciat ad publicam felicitatem 408.409
Principum corpulentia unde? 445
victus ſanitati adverſatur 417
Problema mechanicum cur bajuli curvi incedant, cum pondus aliquod ſuper humeros gerunt 357
Prophylaxis in genere quænam vera ſit 135
Proportio altitudinis aquæ adſcendentis in fiſtula perpendiculari, alteri horizontali inſerta ad ſuum hydrophylacium, per figuram tertiam inveſtigatur 170.171
Proverbium caſtrenſe *qui patriam quærit, mortem invenit* 371
Pudendi inflammatio ex Ari contactu 298
Pueri magno numero exſtincti 72
hujus rei ratio 86
Puerperia virulentiam aliquam ſemper adjunctam habent 317

Pulmonares Epidemiæ à ruſticana gente exordiri ſolent 363
Pulmonum ſtructura detegitur 12
Pulſus obſcuratio cur magis in morbis Stomachi & inteſtinorum quam Pectoris 114
Purgationes præſervatoriæ 450
Purgationes in quibus periculoſæ 99
Purgationes leves ſalutares ab initio in quibuſdam febribus 121
Putei aquæ ſalſæ è quibus ſal elicitur in agro Placentino 345
Putei Petrolei in agro Mutinenſi duorum generum 392
Putei in quibus repoſitæ fuerint fruges auram venenatam exſpirant 338
Putei cum exſtruuntur, in ſumma profunditate calorem habent æqualem hypocauſtis 140
Putei iſti non tam facile fieri poſſunt æſtate quàm hyeme ibid.
Puteorum Profunditas eſt uſque ad pedes Romanos 63. ubi in ſtrato arenoſo facta perforatione aqua magno impetu erumpit 138
Puteorum foſſores quos morbos patiantur 391. 392

Q

Qualis ſit numeri perfecti conditio 490
Quæ commoda antiquitus ex balneis perciperent artifices 391
Quartana febris cur pomeridianis horis acceſſiones habeat 130
Quilibet ſui ipſius Medicus perfectus eſſe non poteſt 484
Qui phlebotomos & novaculas ad cotem acuunt quibus morbis obnoxii 389. 390
Qui ſaccharo apud aromatarios condiunt plantarum ſemina quibus morbis obnoxii 385 & 386

R

Radix Chinæ Indiæ Orientalis olim in magno pretio 132
Ramazzini Reſponſio ad primam Epiſtolam Schelhameri de motu Mercurii in tubo Torricelliano 237
Raucedo cantoribus familiaris 361
Regionibus humidis minus ſecurus Chinæ Chinæ uſus, quam montanis 126
Regnum minerale, varia præbet remedia 14
Religioſi Viri, & monachi cur ut plurimum variis morbis obnoxii 495. 496
Remedia habent ſua fata, ut radix Chinæ Indiæ Orientalis cujus uſus penè obſolevit 132
Remedia ſimplicia, remediis operoſæ compoſitionis anteponenda ſunt 48. & ſeq.
Remedium quo ad vermes 85
Remedium vini quo ad febres 72
Remedia calida utilia etiam in morbis in quibus ſymptomata caloris apparent 102. 103
Renum & lumborum dolores Artificibus ſtatariis familiares 347
Revulſiones impugnatæ 93
Rex Maſſiniſſa parvos pueros alebat in ſua Aula, quos poſtea ad ſuas domos remittebat, ubi triennium exegiſſent 494
Rhenus Bononienſis ab Hercule primo Ferrariæ Duce permiſſus Padum ingredi, ſub Hercule ſecundo aggeres diſrupit, & in Padum ingreſſus denegatur 158
Richardus Lover, & Schort paulo poſt aſſumptam Chinam Chinam mortui ſunt 131
Romani populi pietas erga Germanicum 408
aëris conditio 417
Romani togis albis utebantur, quas Fullonibus emaculandas tradebant 302
Romani veteres noluere Tyberis ramos præſcindi 492
Roris natura & virtus 78
Rubigo à rodendo vel quaſi urendo ibid.
A quo oriatur, & quo tempore ibid.
Quid ſit & quomodo operetur ibid.
Rubigo in foliis Mororum apparens, ſterilitatis prodroma 107
Ruſtici quibuſdam morbis minus ſubjecti 99

S

Sabulum terram originalem, & aquæ ſedem vocat Helmontius 161
Saltationis utilitas 428
Sal urinæ nullum habet ſalem ſibi ſimilem 306

Salem fabricantes quibus morbis obnoxii 345
Sal quare calcem arrodat, iis in locis, ubi asservatur 346
Sanguinis circulatio genuinam morborum theoriam & praxin docuit 14
Sanguinis circulatio ab Harveio Anglo detecta 11. 12
Sanguinis circulatio vetustati ignota, ab Harveio detecta 495
Sanguinis missio tertianam simplicem in duplicem convertebat 71
Sanguinis transfusio 13
Sanguis Arterioſus solus est qui nutrit partes, Venosus autem nequaquam, residuus est enim à nutritione 495
Sanitas in commoderatione quadam inter animum & corpus posita est 376
Sapo Antiquis cognitus 398
Saponaria herba luis venereæ remedium 399
Saponaria Medicamentorum virtus in quo consistat ibid.
Saponarii acutis morbis ob constipationem cutis obnoxii ibid.
Saponis Veneti compositio artificiosa 398
Scabies copiosa quo tempore 100. & seq.
Quid sit, curatio ejus ibid.
Scaturiginem horum fontium à Mundi primordiis non exstitisse probabile est, cum inibi reperiantur arbores 165
Scaturigo ista non nisi post magnas illuviones potuit habere initium ibid.
Scaturigo harum aquarum ad 4. millia passuum extenditur, longitudo ad 6. ibid.
Schelhameri Epistolæ de motu Mercurii in tubo Torricelliano 231. & 247
Opus de Humani Animi affectibus laudatur 493
Schola Bononiensis laudatur 132
Scribarum & Notariorum Morbi 384
Scriptores de morbis metallurgorum 278
Sebum cum oleo epotum inediæ facilem tolerantiam reddit 309. 310
Sedentarii artifices quibus morbis obnoxii 348. 349
Sectio Venæ non confert, quando ab acido morbus est 81
Quando conferat & pateat 82
Quando infelix 93
Seminia contagiosa facilè soboleſcunt 456. 457
Senibus præsertim 95
Senectus in sano corpore melior vitæ fructus est 176
Senectus num fœx vitæ dici possit ibid.
Senectutis regimen in Principe 441
Senes decrepiti cur sæpius & liberaliùs prandere debeant quàm cœnare 484
Senes morbosi à Reipub. administratione removendi 486
Senes pestilentia rarò laborant 487
Senes quando de repente moriebantur 90
Pestem difficiliter sentiunt 119
Senarius numerus primus numerus perfectionis in centenario, & radix aliorum numerorum qui perfecti dicuntur 490
Servi & rustici cur difficiliùs ferant magna remedia, quam gens libera & urbana 365
Servi, & servæ ad pistrina, & molas trusatiles olim erant addicti 335
Servi pistrinis addicti, ut à vertigine minus infestentur, solebant excæcari ibid.
Similitudines parere errorem etiam bonis non sic causam 82
In siccitatibus omnia meliora 69
Sobriæ vitæ leges nimis arctæ, ad bonum Reipub. non conferunt 482
Socrates cum pueris saltabat, ludebat, observans illorum genium 494
Socrates per totam diem naturalem stabat immotus 347
Sol febricitantes sublevabat 71
Solis occasus malus, ac ortus bonus in quibusdam febribus 81
Somni necessitas unde? 431
commoda ibid.
& vigiliarum ordo inversus est in aula 429. 430
regimen in senibus 443
Somnus in amplo & frigido Conclavi utilis 105
Somnus quamdiu capiendus 431
in frigore cooperto Hippocrati quid? 432
Specularii non secus ac inauratores paralytici, & apoplectici fiunt 291

Spero Speronius ſobriam vitam variis rationibus improbare contendit 478
Spiritus volatiles de Cœlo defluunt, à Terra utpote ſuccis mineralibus referta continuo acidæ particulæ efferuntur 75
Statarias artes qui morbi comitentur 346. 347
Statio brevis quare majorem defatigationem inferat, quàm ambulatio longa, & curſitatio 347
Statio longa ſanguinis ad ſuperiora recurſum remorando varices inducit 346
Stellarum influxus incerti ſunt, quia incertum eſt, qua ratione materia ſubjecta influxum recipiat 77
Sterilitas in obeſis unde? 446
Sterilitatis Signa 107
Studia animi ægritudines propulſant 2
Studiorum intemperantia quantum noceat? 437
Studioſi legendo ac ſcribendo, ventriculum & pancreas ſibi comprimunt 375
Strata varia alternatim reperiuntur modò cretacea, modo paludoſa cum foliis arborum 138. & ſeq.
Sublimati fabrica in Finalenſi oppido magnæ litis cauſa propter vitrioli exhalationem 286. 287
Subterranea temperies varia eſt pro diverſitate ſalium mineralium 167
Sudoris provocatio caſtrenſium morborum remedium polychreſtum 370
Sulphurarii artifices ut plurimum Lippi & anheloſi 292
Sulphur pulmonum balſamum, ſi ſuo acido fuerit ſpoliatum 293
Suppuratio tollit timorem recidivæ 132
Syracuſanæ & Italicæ menſæ lautiores ſunt 422

T

Tabaci maſticati uſu peregrinantes famem & laſſitudinem non ſentiunt 312
Tabacopœi vertiginoſi 311
Tabaci fumus pulmones exſiccat, & ad maraſmum deducit ibid.
Tabacum hæmorroidas provocat ibid.
Tabaci decoctum ad empyematicos ſanandos ſalutare compertum 312
Tabaci maſticatio nimiam ſalivam eliciendo maraſmum inducit 311
Tabes ex nimia lactatione 318
Tempeſtas humida lutulenta 69
ſicca frigida 89
Temperamentis melancholicis, pituitoſis China China inſalubris 126
Temperamentis bilioſis tutior Chinæ Chinæ uſus ibid.
Temporum mutationes obſervandæ ut in illis nec medicamenta, nec venæ ſectiones celebrentur 77
ſic Solſtitia, Æquinoctia; Canis, Arcturi exortus, Plejadum occaſus: iſtis temporibus morbi maximè judicantur, alii perimunt, aut in ſpeciem aliam convertuntur ibid.
Temulentia num à parte vini acida an alkalica & ſulphurea, opiniones variæ 328
Pro parte ſulphurea decernitur 328. 329
Terræmotus interdum novos fontes producunt, & veteres obſtruunt 165
Terræmotus pravas exhalationes inferunt, quæ aërem inficiunt 76
Tertiana ſimplex in duplicem converſa, & quare 82
Tertianam, & quartanam febrem majori viſciditate differre, quorundam opinio 85
Tertianæ intermittentes malignæ Hippocrati nothæ 129
Theæ infuſum ad corpulentiam prodeſt 447
Theleſii opinio de Mari, quod ſit fons interioris Oceani in centro Terræ 161
Thomæ Burnetii Angli de Statu Mundi antediluviano, & terræ intra cavernas ſciſſione opinio 153
Tibicines hæmoptoici facilè fiunt 362
Tranſpiratio ut conſideranda in ſenibus 442
inſenſibilis ſaniores, ſed debiliores reddit homines 431
Tranſtiberina regio antiquitus habebat officinas ſordidiores 308. 309
Tributum ſuper urinam quare à Veſpaſiano impoſitum 305

Triticum cur pulverem ſemper à ſe dimittat 338. 339
Triticum non adeò longævum ut aliæ fruges 339
Triumviri in Inſula Labinii fluminis prope Mutinam horrendam proſcriptionem firmarunt 159
Typographi imbecillitati viſus obnoxii 383
Typographi qui ad torcular exercentur in pleuritides, peripneumonias facilè incurrunt ibid.

V

Valetudinarius ad negotia publica ineptus eſt 408
Valetudinis conſervandæ regulæ quibus ſcriptæ? 409
Vallis Paduſa à Mari Placentiam uſque exporrigebatur 158
Vallis Paduſa à M. Scauro in uberrimos campos traducta ibid.
Vapores, ſeu vaporoſa effluvia num aërem leviorem reddant inquiritur 219. & ſeq.
Varia ſtrata in Puteorum profunditate varias eluviones diverſis temporibus ſignificant, nequaquam verò cataclyſmum 159
Varia ac diverſa ſtrata in montibus obſervantur 169
Variolæ ex Sanguinis ſtagnatione ab acido luxuriante 80
Variolæ poſt ingentem æſtatis calorem erumpere ſolent 105
Venatio & aucupium exercitii genus laborioſum 396
Venatio exercitium inæquale ibid.
Venatio Principibus olim familiaris 426
Venationis utilitas ibid.
Venatio varia morborum genera ſibi adſciſcit 397
Venatoribus qui ex arte quæſtum ſibi procurant cautè magna remedia adminiſtranda ibid.
Venæ lacteæ ab Aſellio inventæ 11
Venæ ſectio agricolis repetita parum felix 365
Venæ ſectio in morbis caſtrenſibus ſuſpecta 370
Venæ ſectio quando infelix 95
Venæ ſectiones præſervatoriæ 450
Veneris uſus commoda 429
Veneris uſus ſit modicus ibid.
Venena num particularem habeant cum variis corporis partibus antipathiam. 300
Venter artium magiſter *in Præf.* 273
Venti auſtrales Mercurium in Barometro deprimunt 217. & 228
Venti auſtrales & Boreales quid præſtent 108
Venti Boreales Mercurium in Barometro attollunt 217. & 228
Venti ſolis radios hebetant, nec diſcutiuntur vapores terrei, hinc aër inficitur 75
Venti propriis qualitatibus aërem afficiunt 92
Ventriculus Mari ſimilis 488
Verminationis cauſa 85
Curatio per Chinam Chinam ibid.
Vermes quandoque excitant ſingultum 72
Veſpillones malignis febribus obnoxii 314
Veſpillonibus parcè ſanguis detrahendus 315
Veſpillones raro ſeneſcunt 314
Veſuvius Mons eodem tempore duos torrentes peperit, unum ignis, alterum aquæ 163
Victus ſimplicitas vitam longam efficit 419
regimen in ſenio 441
Principum Sanitati adverſatur 417
Vigiliæ nocturnæ nocent 431
Vinacea multum ſpiritus ardentis continent 327
Vina cur Autumno facilè aceſcant 83
Vini abuſus vitandus 424
Vini ſpiritus in paralyſi 98
Vini ſpiritus rectificatio ſine diſtillatione per alkalia infuſa 329
Demonſtrat temulentiam fieri à vini parte ſulphurea 330
Vina recentia magis diuretica, quam vetera 331
Vina generoſa modicè ſumpta arthriticis minus noxia, quàm vina tenuia largè epota 329
Vini ſpiritus ſanguini recenti permixtus non ſemper ebullitionem excitat 328
Vino quid percolatio conferat? 425
abutentes Principes 424

Vinorum varietas vitanda 418
Vinum ethicum Aristoteli quid 424
Vinum magnum Cardiacum, & remedium in quibusdam febribus 72
Vinum in febribus ab acido optimum remedium 84
Vinum recens cur interdum quosdam recreet à vino veteri afflictos 499
Vinum sanguis terræ 331
Vinum tenue acorem induit, ideo non bonum 84
Vinum vetus Auctori vitæ sobriæ erat valde hostile æstivis mensibus, novum verò valdè salubre 499
Viperina medicamenta quando utilia 102. 103
Viperæ temperies 103
Virginitatis signum 429
Vis consuetudinis ad ipsas quoque plantas extenditur 474
Vita longa à victus simplicitate 419
Vita sobria hominem præservat ab animi passionibus 479. 480
Vitæ sobrietas observari solita interdum vicaria Venæ sectionis 481
Vitra colorata suos artifices necant 290
Vitrarii soli sapientes, qui ubi 40. annum attigerint artem suam deserunt 289. 290
Ulceribus piscatorum aqua marina remedio est & quam ob causam 367
Vocis exercitatio quos morbos pariat 361
Vocis exercitatio, uti cantus, lectio, quomodo ex Hippocrate animum moveant 362
Vocis asperatæ remedia ibid.
Vomitus sanat febres intermittentes 82
Vota publica pro Principibus de sanitate sunt nuncupanda 408
Vox acuta unde 97
Urbes nullæ, nec oppida erant propè Padum usque ad mare infra Brixillum, cum apud Scriptores nulla fit mentio 159
Urbis Venetiarum sola nunquam vidit truces hostium vultus, uti aliæ urbes 492
Urinator in fundo maris cur aquæ pressionem non sentiat 147
Urinæ veteris usus ad purpureum colorem lanis conciliandum 302
Urina epota mulieribus menses revocat 305
Ustrina cadaverum propè Ædes alienas vetita 315
Usus Chinæ Chinæ in larga dosi in Germania adhibitus 133
Vulnera in castris malignum aliquid habent adjunctum 371
Vulnera parva percussiones leves in corpore impuro persæpe lethales 481

FINIS.